2 vols

21/-

AURELIUS PALMIERI
O. S. A.

THEOLOGIA DOGMATICA ORTHODOXA

(ECCLESIAE GRAECO-RUSSICAE)

AD LUMEN CATHOLICAE DOCTRINAE

EXAMINATA ET DISCUSSA

TOMUS I.

PROLEGOMENA

FLORENTIAE
LIBRERIA EDITRICE FIORENTINA
Via del Corso, 3
1911

24871

ALMA COLLEGE
2813
LIBRARY
P185
Alma California

ROMAE 1911 — Typis Salviucci.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

COMITI

ANDREAE SCEPTYCKIO

ECCLESIAE RVTHENICAE VNITAE

SVPREMO ANTISTITI

BENEFACTORI MEO AMPLISSIMO

GRATISSIMI ANIMI PIGNVS

HOCCE OPVS DEDICO

Celsissimo Praesuli

Comiti ANDREAE SCEPTYCKIO

Metropolitae Leopoliensi.

Neminem latet, celsissime Praesul, contento poplite te dimicare pro discidio extinguendo, quod orientales Ecclesias a munitissima catholicae unitatis arce sejunxit. Tua industria tuaque sapientia factum est, ut conventus Velehradenses, bis jam congregati ad fovendam unionem Ecclesiarum, secundum exitum habuerint: tua liberalitate semel atque iterum studiosi Ecclesiarum Orientalium in sua provincia exploranda uberiores fructus edidere.

Hosce inter studiosos, quos tuis beneficiis ditasti, principem locum me tenere sane arbitror. Tanta enim munificentia mihi suppetias tulisti, ut opus, quod tibi humillime dico, potius tuum dicendum existimem, quam meum; tuarum largitionum potius, quam meorum laborum fetum. Vehementissime igitur Te rogo, ut tuo nomini dicatum idipsum accipias, meae erga te venerationis levidense pignus.

Vale, celsissime Praesul. Ad Ecclesiae ruthenicae unitae, quae Romanae Sedis magisterio innititur, incrementum, te sospitet Deus in perillustri Ruthenorum metropoli, etiam atque etiam opto et precor.

Romae, 20 Aug. 1910.

Aurelius Palmieri

o. s. a.

PROOEMIUM

Altero dimidio saeculi IV, Basilius Magnus, in libro *De Spiritu Sancto*, luctuosas Ecclesiae suae aetatis conditiones aerumnasque graphice depinxit posterisque consignavit. Ipsius verba juvat in medium proferre, siquidem, ni fallor, vel hodierna catholicae Ecclesiae discrimina fideliter nobis ante oculos constituunt.

Dolet imprimis perillustris Ecclesiae orientalis Doctor sua tempestate atrocissimas in Christi Ecclesia tempestates saeviisse, in eaque, ut omnes Patrum terminos loco motos esse, ita omne fundamentum, et si quid dogmatum munimentum convulsum (1). Commentatione haec non indigent verba, si ad procellas huiusce aetatis referantur, quibus totus concutitur orbis christianus, ac pene submergitur. Neminem enim latet veterum novatorum vestigiis ingressos, tam cohortes ardelionum, christianae fidei scientiae

(1) *Ὁ δὲ σάλος οὗτος τῶν Ἐκκλησιῶν τίνος οὐκ ἔστι θαλασσίου κλύδωνος ἀγριώτερος; ἐν ᾧ πᾶν μὲν ὅριον Πατέρων κεκίνηται, πὰς δὲ θεμέλιος, καὶ εἴ τι ὀχύρωμα δογμάτων διασεσάλευται.* — *P. G.* t. XXXII, col. 212.

prorsus expertes, quam spurios theologiae catholicae sospitatores improbo sane labore, in id unice intendere, ut accepta a Jesu Christo Apostolisque dogmata ad libidinem immutent, humanarumque opinionum commentis inficiant. Quatuor jam saecula praeteriere, ex quo implacabile hocce bellum in catholicae Ecclesiae doctrinam denuntiatum est atque indictum, eoque jam ventum est, ut non modo fundamenta revelationis christianae nefario convellantur ausu, verum etiam ipsius Christi Domini Servatoris nostri ortus, vita, miracula, mors, beneficia, instituta in dubitationem adducantur. Flagitiosa in dies exaugentur agmina, quae, omni pudore sensuque humanitatis abjecto, ad fidem labefactandam, coenosos libellos conscribillant, in quibus nescio utrum vafritiem, audaciamque in calumniis absurdisque argumentis fingendis, magis an crassam fidei christianae inscitiam odiumque in Deum capitale stomacheris; agmina quae sua tela retusa in Jesum Christum conjiciunt, sacrilego buccinantia ore in fabulosum illud coelum, ex quo peroptandum fuisset ut nunquam ad nos descendisset, Eum rediturum.

At bellum istud, quod externi hostes jamdudum catholicae Ecclesiae indixere, huiusmodi non est, ut nostros terreat animos, divinis promissis auxilioque firmiter innixos. Intestinas discordias magis pertimescimus, quae catholicorum agminum compaginem, ut teredones lignum, paulatim corrodunt. Audiatur iterum Basilius: « Volvuntur et quassantur omnia, putri basi innitentia, dumque alii in alios impetum facimus, alii ab aliis subvertimur. Et si te prior non percusserit hostis, is qui auxiliatur vulnerat. Quod si ille ceciderit ictus, commilito jam insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum communi odio prosequimur adversarios. Ubi porro praeterierunt hostes, jam nos inter nos hostes videmus esse. His de causis quis enumerare possit naufragiorum

multitudinem, vel eorum qui hostium depressione demerguntur, vel qui ex occultis sociorum insidiis occidunt » (1).

Non sine moeroris sensu haec verba perillustris Doctoris mecum ipse considero. Permulta jam dolemus nostra hac tempestate animarum naufragia, quae non alio ex fonte, quam ex superbia manasse arbitramur, vel haud raro ex occultis sociorum insidiis. Ex superbia tabes illa modernismi profluxit, quae nostram invasit aetatem: ex superbia ortum habuere cohortes illae sciolorum, quae placitis fucatae scientiae velificatae, dogmata fidei audacter convellunt, totque in ea absurda atque a veritate abhorrentia, novandi libidine, conantur invehere. Vix credibile memoratu est quot quantaque mala in catholicam Ecclesiam ex hac promanarunt secta, quae principiis divinae auctoritatis atque infallibilis magisterii posthabitis, incredibili levitate gravissimas controversias ad fidem spectantes, obsoletas inter quisquilias amandare jubet, fideique dogmata sua exuit genuina significatione eaque moritura decernit. Pastores non defuere gregis christiani, nec non catholicae Ecclesiae milites, qui pro eo ut coeleste illud fidei semen in animis sollerter excolerent uberrimosque fructus ex eo caperent, venenatis liberioris scientiae lymphis eo peruncto, exsiccarint, ovesque deerrantes ad exitium perduxerint. Exinde factum est ut scientia illa, quae tumidas mentes transvorsas agit, auctoritatis divinitus institutae jugo excusso, nil aliud praeter ani-

(1) *Κλονεῖται δε πάντα καὶ κατασείεται σαθρᾷ τῇ βάσει ἐπαιωρούμενα· ἀλλήλοις δὲ ἐμπίπτοντες, ὑπ' ἀλλήλων ἀνατρεπόμεθα. Κἂν μὴ φθάσῃ βαλὼν ὁ πόλεμος, ὁ παραστάτης ἔτρωσε. Κἂν πέσῃ βληθείς, ὁ συνασπισθεὶς ἐπέβη. Τοσοῦτον ἀλλήλοις κοινωνοῦμεν, ὅσον κοινῇ τοὺς ἐναντίους μισεῖν. Ἐπειδὰν δὲ παρέλθωσιν οἱ πολέμιοι, ἀλλήλους ἤδη βλέπομεν πολεμίους. Ἐπὶ τούτοις, τῶν ναναγίων τὸ πλῆθος τίς ἂν ἐξαριθμήσαιτο; τῶν μὲν ἐκ τῆς τῶν πολεμίων προσβολῆς καταδύντων, τῶν δὲ ἐκ τῆς λαθραίας τῶν συμμαχούντων ἐπιβουλῆς.* — Ib., coll. 212-213.

marum stragem attulit Ecclesiae. Hancce tabem, quae nostros pervasit aequales, sapientibus medelis adhibitis, magisterium ecclesiasticum procul a catholicis pascuis manibus pedibusque obnixe abigere contendit.

At gravius adhuc vulnus unitati et concordiae, quae necesse est cunctos Ecclesiae catholicae milites devinciat, garrula quaedam et procax rabularum manus, occasione ex modernismo arrepta, nostra hac tempestate inflixit. Ardelionem vobis ante oculos proponite, qui arte medica vix ac ne vix delibata, unice atque inhoneste ad marsupium spectans, sese alterum in orbe terrarum Aesculapium magnifice praedicet, variisque morbis affectos homines sanare aggrediatur. Nemo sane ambiget, aegrotos, qui eum suae infirmitatis levamen ac medelam rogarent, immaturam mortem occubituros vel gravioribus morbis obviam ituros. Conjectura enim assequi licet, huncce rabulam, si parvum ulcus in digito aegrotantis aspiciat, temere decreturum, ei totam amputandam manum, ne sanguis corrumpatur in venis mortemque provocet. Eadem sane ratione sciolorum turba, quorum nomina antequam modernismus damnaretur, cordatum quemque virum latebant, ut venenati fungi, jactantes se modernismum eversuros, nescio ex quibusnam cuniculis excessere.

Haec garrula cohors, ex primoribus scholis vel ex seminariis nuperrime dimissa, sine theologica scientia, at calumniandi artis peritissima, nec non audacissima in venditandis mendaciis, lucelli causa manum admovit subitariis conscribillandis opusculis, haud quidem eo consilio ut notam turpitudinis hodiernis novatoribus inureret, sed ut scriptores catholicos optimae notae, fucato veritatis catholicae studio, conviciis maledictisque appeteret (1).

(1) Hosce inter calumniatores scriptorum catholicorum apud Italos primas sibi vindicat perditissimus sciolus Th. De Töth. Vide appendicem huiusce voluminis, pp. 19-23.

Vix credibile memoratu est quam multa leviter atque inconsiderate in difficillimis controversiis fidei obiter attingendis congerant hi procaces libellorum sutores, qui utramque pagiuam se facere arbitrati, quasi pro tribunali sententiam ferunt, ac maligno dente viros de doctrina catholica optime meritos carpunt.

Mira fortasse commemorabo, quaeque humanam fidem excedere videntur. Rabulae nostra aetate apud Italos non desunt, qui, ut canes venatici, operam navent odorandis ac pervestigandis vita scriptisque clarissimorum ex catholico clero virorum, usque dum nubeculam vel maculam detegant, eosque possint immeritos adlatrare, atque irrisionibus exponere. Huc accedit quod ephemerides quaedam, per amarulentam *ἀντίφρασιν* catholicas sese appellitantes, omnium flagitiorum sentinae factae sunt, quae calumniis scatent in catholicos scriptores diuturnis laboribus clarissimam famam adeptos. Ingenue profiteor, me toto pectore exhorrescere hosce catulos procaces, qui nuperrime catholicae Ecclesiae arva infestarunt, quique theologiae catholicae flagitium inusserunt. Recolenda forent hisce pervicacibus obtrectatoribus catholici cleri perpulchra S. Isidori Pelusiotae verba: « Sacerdos, etiamsi inertis atque ignavae vitae maculis contaminatus est, ipse quidem poenas luet; interim tamen angelus Domini omnipotentis est, tum quia divini sacrificii munere perfungitur, tum quia multorum saluti operam dat » ([1]).

Hosce si audias ventosos doctrinae catholicae adversus modernistas pyrgopolynices, praeter quatuor vel quinque ineptiarum collectores, omnes fere scriptores catholici itali (quos inter et ego) in flexuosas haereseon semitas declinarunt: commentarii periodici

([1]) *Ἱερεὺς γάρ, εἰ καὶ βίῳ τινὶ ῥᾳθύμῳ κεκηλίδωται, αὐτὸς μὲν ὑφέξει εὐθύνας, ἄγγελος δὲ Κυρίου παντοκράτορός ἐστι, τῆς τε θείας τελετῆς μυσταγωγίᾳ, καὶ τῇ πρὸς σωτηρίαν πολλῶν διακονίᾳ.* — *Ep.*, CCCLIX; *P. G.*, LXXVIII, col. 382.

vel ephemerides quae abhinc multis annis certamen inierunt pro tuenda fide catholica, pravis modernistarum vepribus conseruntur; perpauci tantum ex clero catholico viri, quos inter scioli haec effutientes primas sibi vindicant, claritati ac decori nominis catholici consulunt. Omnino est cur nos pudeat huiusce rationis agendi, quae gravissimas meret reprehensiones S. Basilii, intestinas suae aetatis discordias conquerentis: « Sceleratiores sumus, quod non exteros exteri, non ignotos ignoti, quae res nonnihil etiam calamitatem levat, verum nos ipsos mutuo, et quasi domestici domesticos populamur et incedimus: aut si mavis eiusdem corporis membra, consumimus invicem atque consumimur... Non est qui infirmum in fide suscipiat, sed tantum odium inter tribulos exarsit, ut quisque magis de proximi lapsibus, quam de propriis recte factis exultet » (1).

Haec quum ita sint, sua sponte fluit scriptoris catholici munus praegrandibus nostra hac aetate difficultatibus implicari. Colluvies enim errorum in dies exundat, totque impetitur veritas catholica hostium agminibus, ut sine diuturno labore invictaque animi constantia vix ac ne vix victoriam sis consecuturus. Omnes ingenii tui vires ad certamen pro veritate ineundum necesse est adhibeas, ut ope sanae doctrinae sophismata in catholicam Ecclesiam congesta diluere queas.

Num hoc satis erit?... Minime gentium. Aequo animo tibi ferendae adversariorum calumniae, qui te veritatis catholicae vin-

(1) *Γεγόναμεν ἀλλήλοις ἀπανθρωπότεροι καὶ θρασύτεροι, πλὴν ὅσον οὐ ξένοι βάλλομεν ξένους, οὐδὲ ἀλλογλώσσους ἀλλόγλωσσοι (ὁ καὶ βραχεῖα παραμυθία τῆς συμφορᾶς), ἀλλήλους δέ, καὶ οἷον οἱ τῆς αὐτῆς οἰκίας, φέρομέν τε καὶ ἄγομεν..... Οὐκ ἔστιν ὁ τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβανόμενος, ἀλλὰ τοσοῦτον μῖσος τοῖς ὁμοφύλοις πρὸς ἀλλήλους ἐκκέκαυται, ὥστε μᾶλλον τοῖς πλησίον πτώμασιν, ἢ τοῖς οἰκείοις ἕκασιος κατορθώμασιν, ἐπαγάλλονται.* — *P. G.*, t. XXXII, col. 216.

dicem ignorantiae vel malae fidei insimulabunt, tuorumque laborum fructus omni pondere destitui effutient. Haec enim est ratio agendi osorum catholicae veritatis, ut quum argumenta a theologis catholicis illata dissolvere nequeant, eos veteratores vel bardos appellitent, perinde ac si scientia, quae vere hoc nomine dignetur, extra romana castra, ut aiunt, virescere possit uberrimosque edere fructus. Decertandum igitur tibi est, non modo ut catholicam tuearis doctrinam, verum etiam ut famam tuam litterariam, diuturnis partam laboribus, ab injustis obtrectatorum censuris vindices.

Tua vero te opinio fallet, si tibi in animum induxeris nostra hac tempestate scriptoribus catholicis cum osoribus catholicae veritatis tantummodo esse decertandum. Proh dolor! Certamen adhuc ineundum est tibi cum sciolis qui stipendia merent inter milites catholicos; certamen, inquam, ineundum, ut ostendas tuis scriptis te catholicam non infecisse doctrinam, quam contentis nervis tuitus es. Rabiosulum enim rabularum genus abhinc paucis annis exortum est, qui catholicorum scriptorum opera cursim et properanter evolvunt ut corrupta haereseon germina in eis detegant eaque ecclesiasticis anathematis percellenda decernant.

Haec inter tristissima temporum adjuncta mecum ipse reputavi, an meae tranquillitati potius consulerem, si, deposito stylo, quietam in monasterio vitam traducerem, nullis amplius laboribus litterariis dicatam. Etenim, si difficile est bellum gerere adversus hostes, qui catholicam aggrediuntur doctrinam, difficilius adhuc puto venenata suorum commilitonum tela depellere. At socordiam ex animo excussi. Abhinc enim decem annis, Leonem XIII Pont. Max. allocutus, meam mentem de hoc opere edendo aperui, eumque humillime rogavi ut sua apostolica benedictione meis faveret incoeptis. Summa benignitate hisce postulatis annuit immortalis ille

Pontifex, cuius paternae benedictioni acceptum refero, si post multa discrimina rerum propositi jamdudum operis primum volumen in lucem hoc anno edidi.

Periculosae sane aleae plenum opus aggressus sum, quodque nescio an humeri ferre valeant. Consilium enim mihi fuit totam provinciam theologiae orthodoxae orientalis explorare, in eis quae a catholica doctrina abscedunt. Perstant quidem praeclara eruditionis monumenta, quae catholicis viri exegerunt, ut veritates catholicae fidei ab assultibus theologorum schismatis orientalis vindicarent. At, quanta in me scientia est, nullum adhuc habetur opus, quod totam hanc provinciam amplectatur; quod non modo de singulis agat discrepantiis, verum etiam de indole et natura theologiae orthodoxae, nec non de principiis illis, quae usurpant theologi orthodoxi ad sua placita fulcienda. Hancce lacunam in litteratura catholica prae viribus conatus sum complere, quantisque hoc facinus scateat difficultatibus atque incommodis clarissimi jam viri declararunt, praesertim quum id nequeat in praesentiarum peragi sine accuratissima theologiae russicae scientia, quae ditissimus est fons, ex quo theologiae ceterarum Ecclesiarum orthodoxarum rivuli effluunt.

Si Deus nostris favebit incoeptis, opus nostrum quatuor continebitur voluminibus. In primo, hocce mihi propositum fuerat, ut de prolegomenis ad studium theologiae orthodoxae dissererem. At rerum tractandarum seges prae manibus ita excrevit, ut cogar, ne moles voluminis statutos mihi praetergrediatur limites, quatuor adhuc capita de prolegomenis tractantia ad alterum remittere volumen, videlicet capita: *De numero discrepantiarum theologicarum, quae Ecclesias orthodoxas a catholica scindunt Ecclesia; De theologia polemica particulari apud orthodoxos; De theologia morali et pastorali in Ecclesiis orthodoxis; De obstaculis, quibus Ecclesiarum unio praepeditur.* Hisce capi-

tibus absolutis, theologiae orthodoxae sententiae quae in tractatibus de Traditione, de Scriptura Sacra, de Ecclesia, de Romano Pontifice, ac de Spiritu Sanctu enucleantur, mihi discutiendae erunt. De ceteris enim discrepantiis silebo, sive quia minoris momenti eas puto in controversiis cum theologis orthodoxis instituendis, sive quia jam satis superque clarissimi scriptores catholici de eis disceptarunt.

Hocce opus, quod permultis comparatum est laboribus ac vigiliis, candide fateor, nullam mihi humanam afferet voluptatem vel gaudium. Diuturna enim experientia compertum est, certamina et dolores eos semper manere, qui contento poplite dimicant pro tuenda veritate.

Humanis inprimis destitutus auxiliis id aggressus sum, quapropter mihi labor duplicatus est. Neminem enim latet quanta inopia torqueatur clerus in Italia ab ea tempestate, qua infandae ac perniciosissimae sectae monasteriorum bona divitiasque Ecclesiae diripuerunt ac dilapidarunt. Nil mirum igitur si palam faciam me saepe saepius coactum fuisse in aliena a proposito nostro studia incumbere, ut stipendia et subsidia pro libris emendis itineribusque conficiendis mihi compararem. Hanc temporis viriumque jacturam vehementer doleo; at in provverbio est: *Primum vivere, dein philosophari.*

Insuper, plus vice simplici, meis pervestigationibus missis, decertandum mihi fuit cum pervicacissima illa factione, quae apud orthodoxos capitali prosequitur odio unionem, quam vocant, Ecclesiarum. Haec enim factio calumniis non parcit, nec contumeliis, potissimum quum sibi deesse persentit argumenta, quibus catholicae veritatis respondeat vindicibus. Ab eo tempore quo ephemeris *Κωνσταντινούπολις* saevidicis verbis me protelavit, propterea quod de hodierna Graecorum cultura theologica ad veritatem disserui, semel atque iterum sua tela in me projecerunt commen-

tarii periodici graeci, qui praestantiores habentur, ut *Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια*, *Νέα Σιών*, *Ἐκκλησιαστικὸς φάρος*. Hisce suppetias tulerunt commentarii periodici russici, qui postquam meum opus *La Chiesa russa* in lucem edidi, inferis me devoverunt, ac cerdonibus, quorum ingens est agmen apud orthodoxos rerum theologicarum scriptores, me adscripsere.

Anno 1902 commentarius periodicus russicus, cui titulus *Soobchtchenia* (Communicationes), societatis imperialis orthodoxae palaestinensis hocce ferebat judicium de opella, in qua ex russicis fontibus pios in Terram Sanctam viatores russos graphice depingebam, eorumque conditiones innuebam: « Mirum est hieromonachum italum optime callere russicam litteraturam, quae ad peregrinationes russicas in Terram Sanctam spectat, eamque ex russicis fontibus didicisse. Indubium est eos, qui suos adversarios apprime noverunt, feliciori exitu cum hisce decertaturos. Hac de causa scriptionem P. Palmieri, atque accuratissima eius scientia conditionum russorum Loca Sancta visitantium, haud parum nobis incutit timoris »(1).

At, ad breve producuntur tempus hominum judicia et cogitationes! In eodem commentario periodico, Iohannes Sokolovius, cui nulla potior cura quam graecarum scholarum Statuta in russicum convertere idioma, in meam opellam: *Dositeo, patriarca di Gerusalemme* (Florentiae, 1909) acriter invectus, decrevit me, ut latinum hieromonacum (*sic*) imparem esse histo-

(1) Мы не можемъ не обратить вниманія, на столько итальянецъ, августинскій монахъ, знакомъ со всею почти русскою паломническою литературою, по подлинвымъ сочиненіямъ... Безспорно, знать своего противника есть одно изъ условій успѣшной борьбы съ нимъ, и въ этомъ отношеніи статья о. Пальміери, его обстоятельное подробное знакомство съ Русскимъ паломничествомъ, внушаетъ намъ не малое опасеніе. — T. XII, 1902, pp. 223-24; 225.

riae Ecclesiarum orientalium pervestigandae atque enarrandae. Itidem commentarius periodicus petropolitanus *Nuntius Ecclesiasticus*, qui plus vice simplici meas laudavit scriptiones de rebus ecclesiasticis russorum, in praesens declarat me penitus ignorare Ecclesiae byzantinae historiam, ex graecis russicisque fontibus sine critico acumine materiarum segetem haurire, satyras in russicam atque hierosolymitanam Ecclesias exarare, de rebus judicare quas nescio quaeque mea mente non assequor (1910, XII, col. 676). Et ratio huiusce imbecillitatis litterariae in promptu est. Congressui Velehradensi pro fovenda Ecclesiarum unione interfui, quapropter fungus et blennus evasi. Satyrae, quas typis evulgavi, quaeque tam vehementer commovent bilem sokolovianam, inscribuntur *La Chiesa russa* et *Dositeo*. Res, quae in hisce voluminibus continentur, ut cuique patebit legenti, ex purissimis fontibus russicis scriptisque Dosithei deprompsi: quo fit, ut mihi vitio vertenda non sint judicia quae de Ecclesiis russica atque hierosolymitana, scriptores russi ac Dositheus tulerunt.

At mihi satis non fuit decertare cum theologis orthodoxis, quibus sudes est oculis quodcumque opus pro renovanda Ecclesiarum unione conscriptum. Ab antiqua jam aetate apud Polonos extitit factio, quae pravis mancipata doctrinis politicis, acerrimo prosequuta est odio quotquot suam operam contulerunt in fovendam Ecclesiarum unionem. Perditissima haec factio, quae nomine catholicae Ecclesiae sua praetexit odia ac vesana placita, ad nostram producta est aetatem, totaque in eo est ut calumniis et contumeliis amicos unionis Ecclesiarum insectetur, eosque operam ludere, immo perniciem catholicae Ecclesiae afferre, perfricta fronte effutiat. Huiusce inhonestae factionis iram concivi, quum opus evulgavi *La Chiesa russa*, in quo candide et sincere conditiones hodiernas cleri polonici in Russia attigi. In hoc rerum capite, ita omnia ad veritatem locutus sum, ut post

tres annos quam meus liber lucem aspexit, ne verbulum quidem ei detrahendum mens mihi conscia recti certiorem me facit.

At sinceritatem meam aegerrime tulerunt garruli inaniisque oppleti ductores panpolonismi galaeciani, quos inter memorasse juvabit A. Pechnikium, gerronem haud muccidae naris inter obtrectatores cleri ruthenici uniti, et *Graf* germano-lithuanum, ut nomen ipsum testatur, A. Mohl. Hicce rabularum panpolonicorum princeps tam agresti asperitate odioque vatiniano in me invectus est, tamque foedis me proscidit ex trivioque arreptis contumeliis, tam infandas semel atque iterum in me venditavit calumnias, ut perpauci sane viri eruditi, post hominum memoriam, tantum acerbitatis virus in suos adversarios evomuerint. Mei officii duxi hisce calumniis, quas vel pullatum ex plebe homuncionem puderet invexisse ac dixisse, haud respondere. Hanc unam tantùm ab hoc rabula ultionem exigere constitui: videlicet, probra et dicteria quibus ille suis in lutulentis libellis (1) me insectatus est, appendiculae huiusce voluminis, quae recensiones criticas continet operis *La Chiesa russa*, fideliter subjungam.

Me tamen non terruerunt neque inopia, neque injusta adversariorum judicia, neque politicarum factionum odia et calumniae.

(1) Usque nunc, tres putidos libellos adversum meum opus *La Chiesa russa* evulgavit *Graf* A. Mohl, qui falsa ducitur spe fore ut germanicam sui nominis originem facilius deleat, nomenque suum posteritati polonicae commendet. En titulos mohlianicorum libellorum: *Polacy-przeszkodą do unii Wschodu z Zachodem?! Odpowiedź autorowi dzieła* « La Chiesa russa », Cracoviae, 1908; *Potwarz czy nieporozumienie? Odpowiedź autorowi dzieła* « La Chiesa russa », Varsaviae, 1909; Marcel Bolesta (A. Mohl), *Est-ce vrai?*, Parisiis, 1910. De hisce coenosis libellis altum tenuerunt silentium ephemerides et commentarii periodici polonici. Unum tantum laudatorem reperit noster *Graf*, nempe praecitatum A. Pechnikium, scriptorem infimi subsellii, qui totum exhausit onomasticon maledicentiae polonicae in Ruthenis calumniandis.

Meos labores impendo in opus quod nemini dubium est quin Deus probet, quamvis ad longiorem aetatem perficiendum producat: in opus quod Romani Pontifices amore semper prosequuti sunt ac benignitate; in opus denique quod cordatissimi inter catholicos viri omni studio persolvendum decrevere. Ab antiqua jam aetate gravissimum discidium in hostilia ad invicem castra regiones scindit Orientis atque Occidentis. Hocce discidium humanae pepererunt affectiones, superbia inprimis, eisque simultates politicae in posterum alimenta dedere. Neminem tamen latet, si perpaucos mohlianos excipias, praecipua fidei christianae fundamenta in Ecclesiis orientalibus intacta atque inconcussa permansisse: ab eisdem Ecclesiis sacramenta custodiri, quibus ex morte spirituali ad vitam Dei renascimur, Deoque ipso nutrimur, Deumque ipsum immolamus atque offerimus. Res quum ita se habeat, consequitur cunctis, tam catholicis quam orthodoxis, sedulo adlaborandum, ut gravissimum hoc discidium minuatur.

Equidem non ignoro permultos haberi, quorum in animis haec sedet opinio quaecumque molimina nihil profutura schismatis orientalis cessationi. Inveteratum enim odium concoquit orientales Ecclesias: idque tam altas egit radices, ut eas, praeter Deum ipsum, nemo sane convellere queat. At viros, qui divinis Iesu Christi promissis fidem non abrogarunt, infausta haec omina a suo proposito non deterrent. Etenim Iesus Christus pollicitus est in unum ovile suas oves congregaturum eisque regendis unum praepositurum pastorem, ac persuasissimum nobis est verba Iesu Christi ad effectum quandoque perductum iri. Conficitur inde catholicis viris operam semper conferendam esse ad schisma delendum, quod orientales Ecclesias a sede romana abscindit, ac prae viribus unionem totius christianitatis fovendam.

Ceterum animadvertas velim, etiamsi labores pro restituenda unitate ecclesiastica laetos fructus in praesentiarum haud prae-

bent, ex eis tamen nullum haberi emolumentum perperam dici. Scriptorum enim catholicorum opera qui provinciam theologiae orthodoxae explorandam sibi usurparunt, semper conferunt ad pleniorem veritatis catholicae explanationem ac tuitionem. Ecquis autem sibi persuadebit haec pro tuenda catholica doctrina scripta nihil pensi habenda, quia propositum sibi finem confestim non attingunt?... Perutile semper est veritates fidei ab osorum calumniis vindicare, quamvis ad meliorem frugem hosce adversarios te adducturum nulla spes tibi affulgeat.

Opus quod in lucem edere decrevimus, irenicam potius indolem quam polemicam induit. Pravas theologorum orthodoxorum sententias discutio, at prosequor amore, ut par est, tam Graecos quam Russos. Graecorum enim genus multis exornatur meritis et virtutibus, quae sane ius eis vindicant, ut in eos gratissimi simus. Vetus enim Graecia prope divina aluit ingenia, quorum opera diuturna versantur manu et nocturna cunctis excultis populis. Graecia autem christiana perillustres genuit Ecclesiae viros, qui fastigium eloquentiae tetigere, ac coelestis doctrinae amnibus christianum orbem uberrime rigarunt. Graecia itidem byzantina, in tota Europa, et potissimum in Italia, faculam admovit humanioribus studiis, ac praeclaram contulit operam in renatas litteras. Graecia denique hodierna, diutino bello Turcarum tyrannide excussa, praeliis egregia sane virtute dimicatis, ac sanguine tota perlita, nova, pene dixerim, iuventute florescere iterum coepit.

Fateor quidem hosce titulos honoris, qui Graecorum genus gratiosum nobis reddunt, in praesens Russis deesse, quibus ex regimine politico gravissimum iugum iniectum est. At permultos etiam reperies apud Russos nobilissimos viros, qui enixe suam patriam civilis libertatis sole collustrare student, nec desunt qui lumine veritatis catholicae suffusi, suarum virtutum, doctrinae,

atque amoris erga Romanam Ecclesiam insignia documenta posteris commendarint. Adde, quod altissimis defixa est radicibus christiana fides russicae genti, cuius rei luculenta testimonia nobis exhibent piorum viatorum ex Russia ad *Loca Sancta* frequentissima agmina quotannis iter facientium, et poenitentiae christianae in hisce sacris peregrinationibus ceteris populis haud contemnenda exempla praebentium. Insuper meminisse iuvabit haud parvam ad profectum disciplinarum theologicarum, in eis potissimum quae ad vitam scriptaque spectant Patrum, conferre operam hodiernos theologos russos. Ex hisce igitur hucusque commemoratis pronum erit colligere cuique cordato viro, haud sane decere catholicos scriptores vatiniano ferri odio in Russos, ut mos est Mohlianis ac Panpolonistis, ac praeiudiciis politicis plus aequo indulgere. Nulla enim datur gens, vel in hac humanitatis luce, quae suis non laboret vitiis, quae sua non patiatur discrimina, ac saepe saepius venatici, ut ita dicam, censores, qui limis oculis aliorum sordes inspiciunt, odorantur, pervestigant, tristissimum hocce munus sibi usurpant, ut facilius turpia suae historiae ac vitae obtegant.

Latino idiomate opus nostrum conscripsimus ut res in eo contentae magis perviae doctis ceterarum nationum viris forent. Hancce enim sibi propriam vindicat laudem idioma latinum ut vel in praesens ad instar vinculi habeatur, quod vel dissitos ab invicem viros humanioribus studiis intentos amice consocict, tanquam unius eiusdemque familiae membra. Hoc beneficium catholicae Ecclesiae acceptum referendum esse nemo sane ambiget. Idioma usurpavi quod praecipue in theologicis disciplinis suum oevum pertransiisse perperam diceretur. Equidem non sum nescius, stylum, quo usus sum, ad grammaticae normas haud semper exactum esse, immo quaedam interdum exhibere in hasce leges peccantia. Confido tamen haec vitia, haec sphalmata be-

nigne mihi condonaturos lectores amicos, qui animum adverterint ad multiplicem variorum difficiliumque idiomatum scientiam quae mihi comparanda fuit, ut meum opus, quantum meae patiebantur vires, numeris omnibus absolverem.

Huc accedit quod etiam atque etiam anceps haesi in novis vocibus, quibus hodierni sermones ditati fuere, vertendis in latinum idioma. Verborum circumlocutiones adhibere fastidivi, quae saepe saepius impares mihi videntur significationi novarum vocum ad amussim reddendae. Pro re nata igitur non dubitavi novas cudere voces, vel liberius interpretari vocabula tam graeca quam russica, quae apud latinos optimae notae scriptores in latinum versa non reperiuntur, verbigratia, quod vernacule dicimus *ideale*, verbum russicum frequentissime usurpatum *značenie* (momentum, significatio, vis). Iure meo haec puto fecisse, ni, dum classicis verbis excogitandis tempus tererem, sententiarum nitorem et pondus posthaberem.

Veniam autem lectores rogo ob pauca, quae typothetarum incuria in meum opus irrepserunt sphalmata. Ab horum tamen elencho confíciendo abstineo; facile enim eruditus lector ea emendabit ([1]).

([1]) Paucorum sphalmatum, quae maioris momenti sunt, elenchum heic adnectimus: p. 1, sententia de natura (*sententiam*); p. 7, plusve minusve (*plus minusve*); p. 29, in determinandis (*in determinando*); p. 39, flos in calyce (*florem*); p. 92, infictum fuit (*fuerit*); p. 94, praetermittunt (*praetermittant*); p. 101, des fide (*de*); p. 108, lenior (*plenior*); p. 113, ortum esse (*ortam esse*); Rizaria, p. 147 (*Rhizaïria*); iquirit, p. 255 (*inquirit*); sententiae quaedam propositae, p. 272 (*sententias quasdam propositas*); accipimur, p. 273 (*accipimus*); discernat, p. 279 (*discernit*); latent, p. 282 (*lateant*); 1993 (in nota 4), p. 289 (1903); Marcioni, p. 293 (*Marcionis*); nulli dubium est, p. 314 (*nemini*); excusa dum, p. 337 (*excusandum*); debeant, p. 345 (*debeat*); intetum, p. 350 (*intextum*); expiscati, p. 357 (*expiscatis*); disserte, p. 363 (*diserte*); theogiae,

In titulis librorum afferendis, ut par est, maximam adhibui accurationem. Si perpauca tantum excipias, opera russica, quorum titulos passim affero, prae manibus habui: qua de re apud cordatos viros tumultuariae non insimulabor eruditionis. Etenim integrum fere annum Petropoli moratus, benignitate et comitate rectorum Bibliothecae Imperialis Publicae factum est, ut sine ulla difficultate comparare mihi potuissem ditissimam litteraturae theologicae russicae scientiam. Mei igitur officii duco grates etiam atque etiam solvere clarissimis viris, qui huic bibliothecae tot librorum thesauris clarissimae praesunt, quique, ut mos est Russorum, advenis in litterariis disquisitionibus lubentissime suppetias ferunt. Grati animi sensus itidem expromo clarissimis viris Athanasio Papapdopulo Kerameo, et Basilio Drujinin, qui suas privatas bibliothecas mihi ultro obtulere, eisque, ut meo more uterer, tolerarunt.

Longus autem forem si cunctos percensere vellem perillustres universitatum et academiarum ecclesiasticarum russicarum doctores, qui mihi praesidio fuere, vel in libris comparandis, vel in documentis mei operis colligendis pervestigandisque. Me-

---

p. 367 (*theologiae*); metum Technopulos incedit, p. 384 (*Metus Technopulum incedit*); sensus, p. 404 (*sensus*): unde, p. 408 (*inde*); 1873 (in notis), p. 421 (1783); Sokoţowski (in notis), p. 460 (*Sokołowski*); polski (in not. 1), p. 461 (*powszechny*); 1906 (in not. 3), p. 471 (1909); 1838, pp. 472-473 (1638); haeserim, p. 498 (*haeresim*); locis quae, p. 524 (*locis, qui*); Cyrillus calvinianis, p. 526 (*Cyrillum calvinianis*); in studiis sacris promovendis, heterodoxis debellandis, p. 539 (*in studia sacra promovenda, heterodoxos debellandos*); ci, vilem, p. 545 (*civilem*); 1621, p. 549 (1641); num haec satis, p. 562 (*nonne haec satis*); ὀρθοροξίας, p. 595 (ὀρθοδοξίας); pernetuo, p. 623 (*perpetuo*); quaproter, p. 660 (*quapropter*); beskäftigen, p. 737 (*beschäftigen*); Σίμωγος, p. 763 (Σίμωνος). A ceteris mendis minoris momenti heic afferendis abstinemus.

minisse saltem iuvabit clarissimum historicum Ecclesiae byzantinae Alexium Lebedevum, qui suis saepe consiliis ad penitiorem russicae theologiae scientiam acquirendam, summopere me adiuvit; Nicolaum Glubokovskium, exegetarum qui nostra hac tempestate, apud Russos inclaruerunt, facile principem; episcopum Platonem, quondam rectorem academiae ecclesiasticae kioviensis, S. Troitzkium, D. Sokolov, N. Popov, N. Andreev, A. Pokrovskium, A. Smirnov, D. Rybinskium, Th. Uspenskium, A. Dmitrievskium, Th. Zavitnevicium, S. Troitzkium, V. Kerenskium, D. Berdnikov, N. Suvorov etc. Quot quantaque commoda ex hisce clarissimis in republica litteraria viris accepi, fando persequi non possem. Satis igitur habeo eorum nomina heic meminisse, eisque gratias pro acceptis beneficiis agere.

Gratias etiam persolvo rectoribus bibliothecarum berolinensis, lipsiensis, halensis, dresdensis, hafniensis, ac stocholmensis, qui comiter voluminibus ad Ecclesias orientales spectantibus in hisce bibliothecis asservatis, copiam dederunt pro meo lubitu utendi.

Gratissimos denique animi sensus expromo optimis ex clero polonico sodalibus atque amicis, qui rebus in arctis levamen interdum mihi obtulerunt, quos inter inprimis memorandos duco Rev.mum Longinum Zarnowiecki, rectorem academiae ecclesiasticae catholicae petropolitanae; Carolum Sliwowski, rectorem ecclesiae paroecialis kasanensis; Constantinum Budkiewicz, rectorem ecclesiae catholicae petropolitanae Sanctae Catherinae; Stanislaum Trzeciak, Michaelem Godlewski, Georgium Matulewicz, Stanislaum Ptaszycki, Franciscum Buczys, magistros academiae ecclesiasticae catholicae; Antonium Okolo-Kulak, etc. Vehementer Deum rogo, ut maiori mensura quae mihi praestiterunt, eis Ipse reddat.

Nec silentio praetereo suavissimos Ordinis Nostri sodales polonos, qui in perillustri monasterio cracoviensi, Sanctae Ca-

therinae martyri dicato, mihi omnia hospitalitatis fraternae officia exercuere. Beneficiorum quae ab optimis hisce sodalibus polonis accepi, nunquam obliviscar.

Faxit Deus ut citius alterum volumen operis mei exoptatam lucem aspiciat. In eo enim, doctrina de traditione proposita, capitalem exordiar tractationem de institutione, natura et notis Ecclesiae Christi. In hoc opere conscribendo nihil mihi potius fuit quam in illud tendere ut firmissimis argumentis Romanae Ecclesiae decus vindicarem unicae ac verae Christi Ecclesiae. Hocce quod mihi usurpavi pensum, in altero volumine pro virili parte conficiam, si Deus vitam viresque suppeditaverit. Laborum meorum praemium veniam peccatorum meorum exopto, precesque eorum, qui ad luctuosum totius orbis christiani discidium restinguendum sollerter adlaborant, studiisque Orientem christianum illustrantibus magnopere delectantur.

Romae, ex conventu S. Augustini de Urbe, 20 Aug., 1910.

AURELIUS PALMIERI
O. S. A.

PROLEGOMENA

CAPUT I.

De Theologiae orthodoxae definitione.

1. Delectus definitionum theologiae quae a scriptoribus orthodoxis traduntur. — 2. Ex his definitionibus consequitur theologiam simul scientiam esse ac sapientiam. — 3. Ratione principiorum quibus utitur scientia supernaturalis ab Eugenio Bulgari dicitur theologia. — 4. Epitheton ὀρθόδοξος abusive tribui theologiae Ecclesiarum orientalium a Romana sede separatarum, argumentis e scriptorum orthodoxorum operibus depromptis, demonstratur.

1. Nullus fere est tractatus scientificus qui a recta definitione obiecti quod sibi tanquam proprium methodo critica discutiendum proponit, exordium non ducat. Priusquam igitur praecipua capita theologiae orthodoxae quae catholicae doctrinae obstant, sincere exponamus, dataque occasione refutemus, definitio huius scientiae, prout a theologis orthodoxis nobis objicitur, breviter perpendenda est. In ea concinnanda, scriptores orthodoxi variis utuntur effatis; omnes tamen in eo conveniunt ut testentur supernaturalem originem theologiae christianae, praesertim ratione principiorum, ex quibus, tamquam rivuli ex fonte, conclusiones omnes theologicarum disciplinarum ope ratiocinii effluunt.

Quasdam ex hisce definitionibus juvat adducere, ut pateat, theologorum orthodoxorum sententia de natura theologiae christianae apprime cum catholica sententia convenire. A. P. Rudakovius (*πρωτοϊερεύς*) eam definit *scientiam dogmata orthodoxa christianae fidei exponentem* (1). Fusius archimandrita Antonius in ea definienda hisce verbis suam sen-

(1) Православное догматическое богословіе (*Theologia dogmatica orthodoxa*), ed. II, Petropoli, 1894, p. 111.

tentiam expromit: *Theologia ortodoxa est scientia, quae Sacrae Scripturae ac Traditioni innixa, methodo systematica, veritates christianae religionis iuxta sensum Ecclesiae universalis exponit, ad earum plenam firmamque cognitionem procurandam, uberrimumque usum discentium pro sua aliorumve salute fovendum* (1). Juxta Macarium, Metropolitam Mosquensem, *Theologia orthodoxa est methodica expositio fidei seu religionis christianae innixa verbo Dei, scilicet Sacris Scripturis ac Traditionibus, sub moderamine Ecclesiae orthodoxae* (2). Philaretus, archiepiscopus cernigoviensis, hanc tradit definitionem: *Theologia dogmatica, scientifice sumpta, theoreticas veritates religionis christianae proponit, scilicet dogmata fidei, ad spiritum normamque Ecclesiae orthodoxae, easque in unum conflat systema* (3). Episcopus Sylvester simpliciter eam vocat *dogmatum scientiam*: наука о догматахъ, fusioribus explicationibus relictis (4). Fere eadem est definitio quam nobis concinnat *προτοϊερεύς* N. Malinovsky, qui theologiam latiori strictiorique sensu considerat. Latius, quum ipsum nomen *Θεολογία* quemcumque sermonem de Deo innuat, Theologia definiri potest, *complexus omnium scientiarum quae Deum tamquam proprium sibi obiectum usurpant, et de Deo tractant, quatenus sese in christiana religione revelat*: hoc sensu theologia divinae oeconomiae mysteria pandit omnesque complectitur scientias quae fidem christianam quacumque ratione pertingunt. Strictiori sensu Theologia, adjecto epitheto *dogmaticae, scientia est quae methodice exponit christianae fidei dogmata* (5). Eugenius Bulgaris, coeteris orthodoxis theologis longe praecellens, rite theologiam naturalem (*φυσική*), quae rationis humanae argumentis nititur, ac philosophiae sectionem quandam constituit, a theologia supernaturali (*ὑπερφυσική*) secernit, quae Deum ac divina attingit per principia supernaturalia, id est, per revelationem et dogmata

(1) Православное Богословіе есть наука, излагающая въ систематическомъ порядкѣ, на основаніи Св. Писанія и Св. Преданія, по разуму вселенской Церкви, истины Христіанской религіи, для полнаго и основательнаго познанія и успѣшнаго употребленія оной учащимися во спасеніе свое и другихъ. — Догматическое богословіе православной каѳолической восточной Церкви (*Theologia Dogmatica Ecclesiae orthodoxae catholicae orientalis*). Petropoli, 1849, p. 6.

(2) Введеніе въ православное богословіе (*Introductio in theologiam orthodoxam*), ed. VI, Petropoli, 1897, pp. 3-4.

(3) Православное догматическое богословіе (*Theologia dogmatica orthodoxa*), ed. III, Petropoli, 1882, p. 1.

(4) Опытъ православнаго догматическаго богословія (*Specimen theologiae dogmaticae orthodoxae*), t. I, ed. III, Kioviae, 1892, p. 1.

(5) Православное догматическое богословіе (*Theologia dogmatica orthodoxa*), t. I, Kharkoviae, 1895, p. 2.

fidei (1). Eandem fere tradit definitionem theologus graecus Nicolaus Kursulas: *Doctrina de Deo, quae firmissima sit humanisque rationibus non utatur sed lumine divinae revelationis* (2).

2. Ex his definitionibus eruitur theologiam apud scriptores orthodoxos nobilitate scientiae, a fide supernaturali distinctae, potiri. Rationem scientiae in eo reponit Macarius ut theologia ordine logico suum objectum discutiat, luce clarificet, profunde attingat, solidisque argumentis suas conclusiones fulciat (3). Objici quidem potest theologiam scientiae nomen haud merere, quia dogmata veritates aeternae sunt, immutabiles atque inviolabiles, ideoque nefas esse novis eas investigationibus augere, ac perficere. Tanquam veritates firmissimae omnino excludunt conatus humanae mentis eas analysi subjiciendi, eo magis quod ratio qua intellectus huiuscemodi veritatibus adheret, non est istarum evidentia, sed auctoritas Dei revelantis. Huic obiectioni respondet Malinovsky, tuitus scientiae jura, tum in veritatibus naturalibus, tum in supernaturalibus disquirendis. Theologia non esset scientia si principia, quibus innititur, falsa deprehenderentur.

Sed principia theologiae ex suprema veritatis fonte dimanant, absolutaeque veritates generatim censentur. Nulla est igitur causa cur theologicis disciplinis, quae ex principiis divina auctoritate firmissimis certas deducunt conclusiones, nomen scientiae denegetur. Verum quidem est principia quibus utitur theologia eadem esse ac principia seu veritates fidei revelatae, quae fides principium est omnimode penetrans (всепроникающее начало) totum disciplinarum theologicarum complexum. Fides autem non discutit, sed assensum praebet auctoritati. Attamen, instat prefatus auctor, hoc non impedit quominus ab humano intellectu, fidei lumine jam illustrato, fidei veritates assimilentur, fulgidiori luce perfundantur, suasque absconditas significationes patefaciant. Et hoc maximam praebere fidei utilitatem nullus cordatus homo inficias iverit (4).

Neque tantum scientiam sed simul sapientiam theologiam habendam contendit Eugenius Bulgaris. Quod scientia sit, patet ex eo quod ex principiis necessariis certas deducit conclusiones. Sed haec principia versantur circa Deum et quae Dei sunt, ac Deo, nil altius, nil perfectius humana mens concipere potest. Sapientia autem res altissi-

(1) *Ἡ ὑπερφυσικὴ θεολογία τοῦ θεοῦ, καὶ τῶν θείων καθάπτεται δι' ἀρχῶν ὑπερφυσικῶν, ἤτοι διά τε τῆς Ἀποκαλύψεως, καὶ τῶν δογμάτων τῆς πίστεως.* — *« Θεολογικόν »*. Venetiis, 1872, p. 3.

(2) *Σύνοψις τῆς ἱερᾶς Θεολογίας*. Zacynthi, 1862, p. 1.

(3) Op. cit., p. 26.

(4) Op. cit., p. 30; cf. Balanos, *Εἶναι ἡ Θεολογία ἐπιστήμη*; Athenis, 1906.

mas meditatur, atque ex causis altissimis suas eruit conclusiones. Merito igitur theologia, potius quam scientia, sapientia dicenda est (1). Obiectiones adversariorum, qui perperam horum argumentorum vim rejiciunt, doctrinae copia validisque rationibus solvit idem scriptor (2).

3. Tutantur etiam theologi orthodoxi, theologiam scientiam esse supernaturalem, quae ex principiis supernaturalibus disserit de Deo. Hunc supernaturalem characterem deducit Eugenius Bulgaris ex eo quod in suis demonstrationibus theologia non humanae sapientiae verbis innititur sed revelatione. Supernaturalis igitur scientia est *secundum essentiam* (*κατ' οὐσίαν*), quia ex principiis supernaturalibus conclusiones quas eruit profluunt: *τὴν θεολογίαν ἕξιν ὑπερφυσικὴν καθομολογητέον κατ' οὐσίαν, οἷα δὴ ἐξ ἀρχῶν ὑπερφυσικῶν τὰς αὐτῆς ἀποδείξεις περαίνουσαν* (3). Hoc autem quod theologia principiis divinitus revelatis utitur in sua provincia, causa quidem est quae ipsam a coeteris secernit scientiis eique maximam nobilitatem profert. Cum enim scientiae, quorum principia humanae mentis captum non pervadunt, humanis utantur verbis, theologia Deo ipso utitur duce, Deique verbis tanquam principiis e quibus conclusiones theologicas elicit: *ἡ θεολογία τῷ θεῷ αὐτῷ χρῆται ἡγεμόνι, ἐφ' ἅπασι τοῖς ἐκείνου προσέχει ῥήμασι, καὶ ταῦτα ἐντίθησι, καὶ τὰ ἐκ αὐτῶν ἑπόμενα ἀποφαίνεται* (4).

4. Sententia theologorum orthodoxorum quod theologia scientia est ac sapientia, quod eius subjectum est Deus, quod principia quibus ratiocinatur supernaturalia sunt, quod ratione horum principiorum a theologia naturali, quae pars est philosophiae, discernitur, quod ratione conclusionum quas ope ratiocini ex principiis eruit, discriminatur a fide (5), omnino consona est theologiae catholicae. Discrepantia in

(1) Op. cit., pp. 9-10.

(2) Ib., pp. 10-12.

(3) Ib., p. 4.

(4) Ib., p. 5. — Animadvertendum communiorem inter theologos catholicos sententiam haberi quae scientiam naturalem theologiam esse contendit, quia naturaliter acquiritur. — Berti, *De theologicis disciplinis, Prolegomena*, Cap. IV, t. I. Monachii, 1750, pp. 16-17. Eugenius Bulgaris licet sententiae faveat quae ut supernaturalem scientiam theologiam considerat, contrariam tamen sententiam, quae theologiam essentialiter naturalem, supernaturalem autem tantum extrinsece (*ἐξωτερικῶς*) tenet, non respuit.

(5) Fides, juxta Kursulam, dat nobis tantum notitiam veritatum supernaturalium: *κατὰ τὴν πίστιν τὰ ὑπὲρ φύσιν ἀληθείας νοοῦμεν*. Theologia e contra ex principiis sive fidei sive rationis humanae exordium ducens, ope ratiocinii fidem ipsam explanat, confirmat, obiectisque adversariorum dilutis, vindicat: *ὁτὲ μὲν ἐκ τῶν τῆς πίστεως ἀρχῶν, ὁτὲ δὲ ἐκ τῶν φύσει σαφῶν συλλογιστικῶς προχοροῦντες, δυνάμεθα τὴν αὐτὴν σαφηνῖσαι πίστιν, καὶ βεβαιῶσαι καὶ ἐκδικῆσαι κατὰ τῶν προπετῶς αὐτῇ πολεμούντων*. — P. 2.

eo reperitur quod clariores theologi in definitione theologiae orthodoxae loquuntur sive de *spiritu* orthodoxo qui informare tenetur tractationes theologicas, sive de moderamine Ecclesiae orthodoxae in hisce concinnandis: Православное догматическое богословіе излагаетъ свой предметъ по духу и подъ руководствомъ православной церкви (1). Nomen orthodoxiae, si etymon spectes (*ὀρθῶς δοκέω*) *rectam sententiam habere* sibi vult. *Ὀρθόδοξος* ille est qui rite de rebus fidei sentit, eique contrario sensu opponitur *ἑτερόδοξος*, cuius mens pravis circa fidem sententiis inficitur. Ut spiritu Ecclesiae orthodoxae informetur, theologia orthodoxa, docet Macarius, indesinenter, dum dogmata exponit, suam doctrinam conformare tenetur symbolis fideique confessionibus huius Ecclesiae, ab eaque, ut ita dicam, manuduci, ne laqueis errorum irretiatur. Theologia enim orthodoxa suum proprium characterem habet quo discriminatur a theologia caeterarum sectarum a vera Christi Ecclesia sejunctarum. Has inter sectas Macarius recenset catholicam Ecclesiam! (2).

Supervacaneum arbitror, longius hic ostendere abusive hoc epitheton ab Ecclesiis orthodoxis usurpari idque uni tantum Ecclesiae catholicae, quae plenam veritatis revelatae possessionem sibi vindicat, convenire. Hoc tanquam corollarium ex nostra fluet serius commentatione. Tria in praesentiarum sat erit animadvertere:

α') Non deesse scriptores orthodoxos qui nigro lapillo hoc epitheton notent, idque, ut nullimode rei veritati ac naturae fidei orthodoxae consonum, abrogandum censeant. Presbyter M. Celzov inanem vocem epitheton « *ὀρθόδοξον* » judicat, quae nullam determinationem habet, quaeque latissimum sensum praesefert, quin praecisi aliquid innuat (3). Idipsum videtur suadere, illos qui fidem orthodoxam profitentur, totam hausisse veritatem christianam, ita ut nullis in credendo sordescant doctrinarum maculis. Hoc falsum evincitur ex historia theologiae dogmaticae in Ecclesiis orientalibus, ansamque praebet rudibus minusque excultis intoleranter torvisque oculis coeteras christianas ecclesias inspicere, ac venenata tanquam pasqua contemnere. *Ὀρθοδοξία* verbum est quod orientalium Ecclesiarum indolem propriam non pandit: omnes enim religiones sectaeque *orthodoxam* fidem profiteri gloriantur, nempe genuinam Dei doctrinam suis asseclis tradere. Adde

(1) Op. cit., p. 2.

(2) Op. cit., p. 26.

(3) Названіе " православіе „ ужасно растяжимо по своему содержанію и ничего опредѣленнаго, извѣстнаго для каждаго не говоритъ. — О наименованіи нашей вѣры " православіемъ „ (*De epitheto « orthodoxi » fidei nostrae adaptato*), Церковно-общественная жизнь, Kasani, 1907, 10, col. 292.

quod Ecclesiae quae *orthodoxas* sese jactant, unitate doctrinali non pollent in rebus gravissimis ad fidei christianae dogmata spectantibus. Quisnam enim asseret Ecclesiam russicam, quae in potestatem civilis regiminis se totam dedit, pari ratione orthodoxam haberi atque graecam Ecclesiam, quae a Patriarchis regitur?... Leges constitutivae utriusque Ecclesiae omnino inter se discrepant, aperiuntque orthodoxos discordes doctrinas in rebus fidei tueri (1).

β') Nec minus incertum quoad sensum illud est quod *spiritum orthodoxum* theologi orthodoxi vocant. Quid praecise hic sit spiritus, non docent praefati theologi. Diomedes Kyriakos loquitur quidem de spiritu Ecclesiae orthodoxae qui majori nisu quam spiritus Ecclesiae romanae libertati indulget, ac novatoribus lutheranis plus quam creditur, propius adhaeret (2). Dum religio catholica auctoritatem sartam tectamque vult, dum Protestantes jura libertatis praesertim extollunt, ὀρθοδοξία medium iter conatur persequi, duritiamque auctoritatis facili temperare libertate (3). Hanc eandem sententiam tuitus est Alexius Khomiakov suis in scriptis quae notionem Ecclesiae enucleant. Attamen hoc medium iter innumeris anfractibus implicatur. Tota fere historia theologiae orthodoxae post lugendum Ecclesiarum schisma testatur saepe saepius orientales Ecclesias in suis doctrinis theologicis concinnandis ancipites haesisse, alias novatorum placitis nimis indulgentes, alias ad catholicam veritatem propius accedentes. Saeculis XVII-XIX clariores inter theologos russicae Ecclesiae, aut catholicas sententias tuiti sunt, ut S. Dimitrius (4) metropolita Rostoviensis, aut plenissimis velis navigantes ad protestantium scopulos appulerunt, ita ut quidam theologus lutheranus saeculi XVII gratularetur intra breve tempus, permultis errorum scoriis ejectis expurgatisque, Ecclesiam russicam per suos theologos in protestantismi sinus advehi (5). Hinc factum est ut

(1) A. Molojsky, О "православіи „, Вѣкъ, 1907, 25, col. 389-392.

(2) Der Geist unserer Kirche ist freier als der der Katholiken, viel näher dem Protestantismus als man gewönhlich annimt. — *Das Verhältniss der griechisch-orthodoxen Kirche zum deutschen Protestantismus, Jahrbücher für protestantische Theologie*, 1890, XVI, p. 151.

(3) Der Katholicismus ist die Kirche der Autorität; der Protestantismus die Kirche der Freiheit; die griechische Kirche sucht mit der Autorität eine gewisse Freiheit zu verbinden. — Kyriakos, p. 151.

(4) Chliapkin, Св. Димитрій Ростовскій и его время (*S. Demetrius Rostoviensis eiusque aetas*). Petropoli, 1891, pp. 223-236. Clarissimus auctor luculenter ostendit percelebrem hunc sanctum atque hagiographum ecclesiae russicae sententias latinorum theologorum ad epiclesin et Conceptionem Immaculatam Beatissimae Virginis quod attinet, amplexum fuisse.

(5) Palmieri, *L'ancienne et la nouvelle théologie russe*. Parisiis, 1901, pp. 23-25.

theologia orthodoxa, licet nobili epitheto decorata, stabili semper firmitate caruerit, plusve minusve tum catholicorum, tum protestantium sententiis, pro ratione temporis, indulgens (1).

Haec, ut ita dicam, fluctuatio doctrinalis qua laborat theologia orthodoxa, gravior apparebit, si animadvertetur neque ipsos symbolicos libros quos theologi orthodoxi genuinos suae fidei fontes extollunt, huiusmodi doctrinalis discrepantiae expertes fuisse. Cyrillum Lucarin, patriarcham Constantinopolitanum († 1638) famosam illam *Confessionem fidei* conscripsit (2) quae tam aperte protestantium placita profitetur, ut graeca Ecclesia ter in conciliis, Constantinopoli (1638), Iassio (1641) et Hierosolymis (1672) habitis, solemniter reprobaverit ac damnaverit. Ut lutheranae doctrinae contagio obicem instrueret, Dositheus, Hierosolymitanus Patriarcha († 1707) suam edidit *Confessionem fidei* (*Ὁμολογία Πίστεως*) quam suis libris symbolicis Ecclesia, graeca adnumeravit, tanquam sincerum specimen fidei orthodoxae. Quis tamen non mirabitur hac in opella dogmata sententiasque cum deprehenderit quae ad patrimonium doctrinale catholicae pertinent Ecclesiae, quaeque simul a Graecis doctoribus in coeteris libris symbolicis pertinaciter rejiciuntur? ... Dositheus enim apertis verbis purgatorium existere contendit (3), verbum *μετουσίωσιν*, *ex imperio et voluntate romanensium*, ait quidam theologus lutheranus (4), adhibet (5), pluraque etiam e theologiae catholicae penu deprompta, velut dogmata orthodoxa fidelibus

(1) Zeltner, *Breviarium controversiarum cum Ecclesia graeca ac proinde ruthenica agitatarum*, Norimbergae, 1737, p. 11.

(2) Cf. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVIIe siècle*, t. I, Parisiis, 1894, pp. 267-269. — Me non latet plurimos scriptores graecos authentiam huius confessionis mordicus impugnare, praesertim archimandrita Chrysostomus Papadopulo, *Ἀπολογία Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως*, *Νέα Σιών*, t. II, 1905, pp. 17-35; et archimandrita Ezechiel Velanidiotis, *Ὁ ἐθνόμαρτυς Κύριλλος Λούκαρις*, Athenis, 1906; *Ὁ κατὰ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου ἄδικος ἀναθεματισμός*, Athenis, 1906. Sed clarissimus theologus graecus saeculi XIX, archimandrita Andronicus Demetracopulos, compositionem famosae *Confessionis fidei* Cyrillo tribuebat, eandemque sententiam nuperrime tuitus est Demetrius Balanos, professor theologiae dogmaticae in atheniensi universitate: *Κύριλλος ὁ Λούκαρις εἶναι ὁ συγγραφεὺς τῆς αὐτῷ ἀποδιδομένης ὁμολογίας, καὶ εἰς τὴν συγγραφὴν ταύτην ὡρμήθη μᾶλλον ἐκ θρησκευτικῶν ἢ ἐκ πολιτικῶν ἐλατηρίων. « Ἡ ὁμολογία Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως »*. Athenis, 1906, p. 5.

(3) Mesoloras, *Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, *Παράρτημα* voluminis primi, p. 120.

(4) Kiesling, *Historia concertationis graecorum latinorumque de transsubstantiatione in sacrae Eucharistiae sacramento*. Lipsiae, 1754, p. 317.

(5) Mesoloras, p. 117.

orientalium ecclesiarum credenda proponit (1). Haec tamen confessio, quae tantopere doctrinam latinam redolet, a patriarchis Orientalium Ecclesiarum anno 1723 tanquam uberrimam expositionem orthodoxae fidei clero et populo britannico missa fuit, ut ex ea noscerent ac perciperent quid credendum sit (2). Eandem maxime commendavit tum clero tum fidelibus sanctissima synodus petropolitana, quae eam russice edidit anno 1838 (3), *latinis tamen purgatam mendis*, quia, scribit A. Lopukhin, Dositheus nimis favens theologiae catholicae, haud raro a diligentia, qua necesse erat ut doctrinam orthodoxam exponeret, declinavit (4). Idem dicendum est de diffusiori catechismo christiano (Пространный христіанскій катихизисъ) a Philareto, metropolita Mosquensi († 1867) exarato, qui generatim, licet non explicite, apud clerum russicum auctoritate librorum symbolicorum potitur. Hunc latinorum *erroribus* scatentem declaravit Antonius, archiepiscopus Volhyniensis (5). Cum igitur fontes theologiae orthodoxae contradictorias sententias pluries exhibeant, falso haec theologia sibi epitheton vindicat quod firmitatem ac rectitudinem innuit.

γ') Denique epitheton *ὀρθόδοξος*, quatenus ad fidem spectat, omnes qui eam profitentur easdem prorsus sententias amplecti denotat. Veritas enim sibi ipsi contradicere nequit, et si orthodoxi, ut verbum cluet, veritatem religiosam nullis vel levibus naevis maculatam possident, repugnat alios alias pro suo quisque lubitu sententias tenere. Hoc tamen evenire in Ecclesiis orientalibus testantur ipsi theologi orthodoxi. Ne singulis haereamus, juvat duo tantum exempla proferre. Notum est graecam Ecclesiam fanatici cuiusdam monachi nomine Auxentii praedicationibus exagitatam, sub Cyrillo V altera vice patriarcha Constantinopolitano (1752-1757) solemniter declarasse baptismum latinorum invalidum (6), et consequenter Latinos inter paganos adnumerandos, eorumque sacerdotium invalidum censendum. Agitur, ut liquet, de re gravissimi momenti, de valore scilicet sacramenti, quod

(1) Palmieri, *Dositeo, Patriarca di Gerusalemme.* « Bessarione », 1907. (XII a.), pp. 115-118.

(2) Mansi (Petit), *Sacrorum Conciliorum Nova et amplissima collectio*, t. XXXVII, Parisiis, 1905, coll. 541-543.

(3) Macarius, p. 416.

(4) Robertson, Исторія христіанской Церкви (*Historia Ecclesiae christianae*), Petropoli, 1890, t. II, p. 1076.

(5) Церковныя Вѣдомости, 1906, 48, p. 66.

(6) Palmieri, *La rebaptisation des Latins chez les Grecs*, « Revue de l'Orient chrétien », 1902, pp. 618-646; 1903, pp. 111-132; Id., *Un document inédit sur la rebaptisation des Latins chez les Grecs*, « Revue bénédictine », 1906, pp. 215-231.

januam coelorum fidelibus aperit. Theologia tamen russica decisionem ac sententiam Constantinopolitanae Ecclesiae, quae prima sedes apud orthodoxos habetur, flocci facit, latinos optime baptizatos tenet, clerumque latinum valida frui ordinatione et potestate sacerdotali (1).

Adhuc altera est discrepantia in re gravissima. Synodus graeca quae habita est Constantinopoli mense septembri anni 1872 solemniter definivit Bulgaros, *φυλετισμοῦ* causa, ab una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia defecisse, atque in schisma incidisse: *ἀλλοτρίους τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο σχισματικούς* (2). Anathemati igitur ipsos subjecit eodemque anathemate plectendos sancivit episcopos, presbyteros, diaconos a bulgaris episcopis consecratos, presbyterosque ac laicos qui cum hierarchia bulgara communicationem in sacris haberent eiusque preces et liturgicas coeremonias ab ea peractas validas aestimarent (3). Decisio synodalis *magnae* Ecclesiae Constantinopolitanae, ad normam juris canonici orthodoxi, etiam pro russica ecclesia vim legis habet, alioquin (scriptoris orthodoxi et russi testimonium proferimus) sententia excommunicationis ad ipsam extenderetur (4). Non idem tamen in hac re sentit hierarchia russica. Clerum enim bulgarum tanquam vere ac rite orthodoxum suam in communionem recipit, eumque ab Ecclesia orthodoxa schismatice sejunctum agnoscere respuit (5). Inde sequitur theologos orthodoxos graecae et russi-

(1) Serafimov, Правила и практика церкви относительно присоединенія къ православію неправославныхъ христіанъ (*Leges et praxis Ecclesiae quoad acceptionem heterodoxorum in sinum Ecclesiae orthodoxae*). Kostromae, 1882, pp. 131-138). — Lebedev, Исторія грековосточной церкви подъ властію Шурокъ (*Historia Ecclesiae graecae orientalis sub jugo Turcarum*). Serghievo, 1901, pp. 322-323.

(2) Papadopulos, *Ἡ σύγχρονος ἱεραρχία τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, Athenis, 1895, p. 664.

(3) *Πάντας τοὺς κοινωνοῦντας καὶ συμφρονοῦντας καὶ συμπράττοντας αὐτοῖς, καὶ τοὺς δεχομένους ὡς κυρίας καὶ κανονικὰς τὰς ἀνιέρους αὐτῶν εὐλογίας τε καὶ ἱεροπραξίας, κληρικούς τε καὶ λαϊκούς, κηρύττομεν σχισματικοὺς καὶ ἀλλοτρίους τῆς τοῦ Χριστοῦ ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας.* — Ib., p. 664.

(4) *Ἡ ῥωσσικὴ Ἐκκλησία, ὡς ἀποτελοῦσα μέλος ἀναπόσπαστον τῆς καθόλου ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, δὲν δικαιοῦται ν' ἀθετήσῃ τὸ κῦρος τῶν ἀποφάσεων τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει μεγάλης τοπικῆς Συνόδου, καὶ νὰ μὴ λάβῃ ταύτας ὑπ' ὄψει, διότι ἄλλως ἡ Διοικοῦσα Σύνοδος θὰ ἐλογίζετο συνένοχος ἐν τῷ βουλγαρικῷ σχίσματι, καὶ κατὰ συνέπειαν θὰ ἐπεξετείνετο καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡ ληφθεῖσα συνοδικὴ ἀπόφασις.* — *Ἐπιστολὴ ῥώσσου εὐσεβοῦς ὀρθοδόξου πρὸς τὸν οἰκουμενικὸν Πατριάρχην περὶ τῆς ἐν Ῥωσσία τελουμένης κατὰ τῶν ὀρθοδόξων τῆς Ἀνατολῆς Ἐκκλησίας συστηματικῆς ἐργασίας.* Athenis. 1900, p. 8.

(5) Palmieri, *Un documento prezioso sul decadimento dell'ortodossia*. Romae, 1900, pp. 7-14.

cae Ecclesiae contradictoriis favere sententiis in quaestionibus quae constitutionem Ecclesiae ipsumque depositum fidei immediate attingunt. Exemplis, quae adduximus, in promptu est plura etiam addere, quibus pateat *ὀρθοδοξίαν* non unitatem, sed varietatem doctrinarum haud raro portendere. Scriptor quidam orthodoxus candide fatetur apud Russos non unam tantum sed plures extitisse et nunc temporis exsistere *orthodoxias*: у насъ не одно " православіе „ а разныя " православія „ (1). *Ὀρθοδοξία* graeca differt ab *ὀρθοδοξία* russica: haec autem varia est: quae in antiqua Russia vigebat non eadem censeri debet ac illa quae aetate Petri I invecta est. In praesentiarum *ὀρθόδοξος* fides quam Synodus Petropolitana suis exhibet in documentis haud raro dissentit ab ea quam Academiae ecclesiasticae ac politiores coetus profitentur. Theologicae sententiae quibus adhaerent episcopi et monachi, cum sententiis non conveniunt quae saeculari clero arrident. Confusio doctrinalis ita grassatur, ut praecitatus scriptor non dubitet asserere *ὀρθοδοξίαν* pro quoque individuo peculiaribus notis distingui, totque dari *orthodoxias* quot sunt clariores theologi orbis orthodoxi.

Ex dictis pronum est colligere incisum illud quod ponitur in definitione theologiae orthodoxae: « *sub moderamine Ecclesiae orthodoxae* » veritati consentaneum non esse. Non datur enim *Ecclesia orthodoxa* quae, ut ita dicam, unam tantum faciem praeseferat. Dantur quidem *Ecclesiae orthodoxae* quae nullo vinculo inter se constringuntur, et consequenter unitatem illam, quam vox *ὀρθοδοξία* innuit, a theologia orthodoxa abesse fatendum est. Nequit enim dici simul rectas de fide sententias fovere qui contradictoriis doctrinis assensum praestant. Ut theologia orthodoxa hoc epitheto merito adornetur, opus esset in Ecclesiis orthodoxis magisterium authenticum unicumque reperiri, cuius decisiones ab omnibus fidelibus, tanquam genuina interpretatio divinae revelationis agnoscantur. Hoc magisterium in antiqua Ecclesia per Romanum Pontificem et concilia oecumenica exercebatur. A Romana Ecclesia sejunctae, Ecclesiae orthodoxae, ut metropolita Philaretus testatur, nequeunt amplius oecumenicum concilium convocare (2) ideoque carent supremo judice controversiarum, qui discordes sententias componat. *Moderamen* igitur *Ecclesiae orthodoxae*, figmentum quoddam est; theologia orthodoxa navis speciem praesefert quae sine magistro fluctibus jactatur.

Concedimus quidem ditissimam partem depositi fidei incolumem in scriniis theologorum orthodoxorum servari. At, novis de rebus fidei

(1) Вѣкъ, 1907, 25,,p. 391.

(2) Solovev, *La Russie et l'Église Universelle*. Parisiis, 1889, pp. 20-21.

concertationibus exortis, quae solutionem requirunt, theologia orthodoxa sententias individuales offerre quidem potest, quin tamen apta sit sententiam expromere cui omnes fideles suum praebeant assensum, tanquam oraculo magisterii authentici divinitus instituti. *Ὀρθοδοξίας* igitur epitheton non competit theologiae ecclesiarum orientalium, quae magisterio authentico carent, cui munus demandetur definiendi quinam rectas et quinam falsas in rebus fidei sententias profitentur. Magis consonum esset veritati eam vocare *theologiam christianam Ecclesiarum orientalium.*

CAPUT II.

De notione, definitione et divisione Dogmatum in theologia orthodoxa.

1. Notio generalis dogmatis. — 2. Notae dogmatis in strictiori sensu accepti: α′) dogmata sunt veritates theoreticae. — 3. β′) Dogmata sunt veritates revelatae. — 4. γ′) Dogmata sunt veritates ab Ecclesia formaliter propositae ut pertinentes ad fidei revelatae depositum. — 5. δ′) Dogmata sunt veritates quibus omnes fideles suum tenentur assensum praebere. — 6. Definitiones dogmatis quae traduntur a theologis orthodoxis: quaedam in eis improbantur.— 7. Variae dogmatum classes iuxta theologos orthodoxos. — 8. Notio catholica dogmatis evolvitur. — 9. Corollaria pro defensione fidei catholicae e doctrina theologiae orthodoxae eruta: α′) falso Ecclesias orthodoxas se vocare Ecclesias septem conciliorum oecumenicorum. — 10. β′) Nova definitio dogmatica novum dogma censenda non est. — 11. Obiectiones quae a Chostin congeruntur contra divisiones dogmatum a catholicis propositas, diluuntur.

1. Vox *dogma*, si etymon spectes, a verbo *δοκέω* (*censere, arbitrari*), opinionem, sententiam, *κατάληψιν λογικήν*, ut verbis utar Clementis Alexandrini (1) exprimit. Hoc sensu a veteribus scriptoribus usurpatur. Etymologice igitur spectatum, hoc verbum firmam animi persuasionem, qua mordicus cuidam sententiae adhaeremus, non portendit. In Sacris Scripturis peculiari sensu adhibetur ad significandam Christi doctrinam quae coeremoniales leges Iudaeorum abrogavit: *Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασιν καταργήσας*, *Eph.* II, 15; *Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν*,

(1) Migne, *P. G.*, IX, col. 581.

Col. II, 14. Dogmata vocantur etiam decreta primi concilii Hierosolymitani: *Τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἰεροσολύμοις, Act.* XVI, 4.

Discrepantia datur igitur inter ethnicos scriptores et christianos circa sensum qui huic voci ab utrisque affingitur, licet etiam a Cicerone aliisque scriptoribus adhibeatur ad veritates vel firmissimas innuendas (1). Ethnici generatim *dogmata* censent fluxas, instabiles opiniones quae pro temporum circumstantiis decidunt vel mutantur: christiani vero hoc verbo in sensu *τοῦ* perfecti *δέδογμαι* (*placuit, statutum est, approbatum est*) usi sunt ad significandam firmitatem quae cuidam sententiae ex legitimae auctoritatis decisione tribuitur. Dogmata apud veteres Patres censebantur veritates fidei quae catechumenis tradebantur, et quibus, tanquam fundamentis, christiana vita, bonorum operum cultu, innititur (2). Cum plures difficultates quae nobis a theologis orthodoxis contra fidem catholicam obiiciuntur, in notione dogmatis suas radices habeant, accuratius huius vocis sensus dogmatisque definitio perpendenda, ut posteras contradicentium oppositiones praecaveamus. Attamen exordiendum est a notis quas theologia orthodoxa requirit, ut veritas fidei ad fastigium dogmatis attollatur, ac nomine dogmatis dignetur.

2. Prima dogmatis nota in hoc reperitur quod exprimat veritatem *theoreticam*, veritatem scilicet quae magis ad speculationem quam ad praxim pertineat. Hoc tenent communiter theologi orthodoxi, eorumque sententia consona est theologorum catholicorum sententiae, quae theologiam scientiam *primario* speculativam profitetur (3). Dogmata veritates sunt fidei quae accuratis verbis doctrinam tradunt de Deo, tum in se perspecto, tum quatenus relationem habet ad hominem, atque universum. Veritates vero, sive directe per revelationem acceptae, sive ab Ecclesia per divinum magisterium fidelibus propositae, quae regulam agendi praeseferunt, vel determinationes ad cultum divinum spectantes, vel leges a conciliis promulgatas, quibus christiana vita in credendis agendisque regitur, nominibus *praeceptorum, rubricarum liturgicarum, canonum* distinguuntur. Hac non sunt dogmata fidei, licet christiano

(1) Cf. Sylvester, I, p. 3.

(2) Migne, *P. G.*, XXXVI, col. 424. De etymologia dogmatis ac sensu litterali huius vocis plura occurrunt apud Philaretum, p. 1-2, et Sylvestrum, p. 2-7. Confer inter catholicos Kihn, *Encyklopädie und Methodologie der Theologie*, Friburgi Brisgoviae, 1892, pp. 385-386; atque inter protestantes, Zöckler, *Handbuch der theologischen Wissenschaften*, t. III, Monachii, 1890, pp. 50-53.

(3) Janssens, *Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis Summam*, t. I, Friburgi Brisgoviae, 1900, pp. 47-49.

homini nullimode respuere liceat quae in eis sive credenda sive agenda continentur (1).

Iuxta Macarium veritates omnes divinae revelationis, quae praesertim in Sacris Scripturis continentur, dispesci possunt, in veritates fidei, quae ab intellectu percipiuntur, et in veritates practicas quas opus est voluntate amplecti eisque in rebus agendis obsequi. Ex prioribus quaedam ad religionis christianae essentiam pertinent, eisque assensum denegare idem est atque aeterna frustrari salute; quaedam vero tam maximi momenti non sunt, easque tam gravi poena dignas Ecclesia non judicat. Veritates autem, quae ad ipsam christianae religionis essentiam pertinent, quaeque Deum directe respiciunt, eiusque relationes ad universum hominemque determinant, ac quibus reiectis, christianus, vix hoc nomine dignus, animae salutem nequit adipisci, in sensu strictiori dogmata dicuntur, tum ratione obiecti a veritatibus practicis distinctis, tum ratione excellentiae ab iis, quae licet theoreticae, essentiam fidei immediate non attingunt (2).

3. Huic notae quae russice умозрительность (*ratio theorica*) audit, altera adjungenda, quam theologi orthodoxi богооткровенность (*revelatio divina*) aut simpliciter откровенность (*revelatio*) vocant. Episcopus Sylvester addit mediam inter utramque теологичность quod verbum latine adamussim reddere mihi non datur. Eadem innuitur Deum esse proprium subiectum scientiae theologicae, idest veritates quae per eam traduntur humanae mentis ita captum pervadere, ut licet homo rationis ope clariori luce eas perfundat, intimum tamen earum sensum, ac strictius, comprehensionem, numquam assequetur (3).

Богооткровенность requiritur ad rectam dogmatis definitionem, quia dogma in strictiori sensu praedicatur de doctrina quae tantum reperitur in Sacris Scripturis vel in christiana Traditione. Nefas enim est, ait Malinovsky, asserere veritates, quae dogmata audiunt, veluti germina informia primis Ecclesiae temporibus in fidei christianae deposito extitisse, ac labentibus saeclis in virides excrevisse ramos; то что называется догматами, открыто самимъ Богомъ, сполна и од-

(1) Malinovsky, pp. 4-5.

(2) Op. cit., pp. 10-11. Doctrina Sancti Thomae haec est, ut Theologia « magis sit speculativa quam practica; quia principalius agit de rebus divinis quam de actibus humanis, de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit ». *Sum. theol.*, p. I, q. I, a. 4. Cf. Petavium, *Dogmata theologica*, t. I, Parisiis, 1865, p. 52; Schaezler, *Introductio in S. Theologiam dogmaticam ad mentem D. Thomae Aquinatis*. Ratisbonae, 1882, pp. 16-18.

(3) Ib., pp. 12-13.

нажды навсегда (1). Dogmata fidei e labiis Jesu Christi atque Apostolorum immediate profluxere; quae hanc divinam originem non habent, quae claris verbis Sapientia Increata non docuit, appellationem dogmatis haud merent (2).

Veritas fidei, ait Sylvester, quae quodcumque dubium, quascumque adversariorum cavillationes arcebit, ea est tantum quae a Jesu Christo revelatur Apostolis, atque ab Apostolis fidelibus patefacta nec non ad nos transmissa est. Veritas haec, quae per longam saeculorum seriem ad Jesu Christi aetatem relabitur, qui eam orbi nuntiavit, dogmatis appellatione tantum dignabitur. Patres et scriptores ecclesiastici apertis verbis divinam apostolicamque dogmatum originem testantur eaque passim vocant *δόγματα θεῖα*, *δόγματα τοῦ θεοῦ*, *τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ δόγματα*, *δόγματα τοῦ Κυρίου*, *δόγματα τῶν Εὐαγγελίων*, *ἀποστολικὰ δόγματα* (3) etc. Si affirmetur dogmata fidei veritates esse a Jesu Christo revelatas, ea secernimus a falsarum religionum figmentis nec non a placitis philosophorum. Etenim de falsis religionibus nullus sane dicet eas ex traditis a Jesu Christo Apostolisque doctrinis suos errores deprompsisse. Ad philosophorum placita quod attinet, si dogmata veritates revelatas contendimus, statim ea ab illis quae studio ac meditationibus humanae mentis acquisita sunt, distinguimus (4).

4. Tertia ac praecipua nota dogmatis fidei apud theologos Ecclesiae russicae церковность audit, innuitque ad rationem dogmatis requiri ut idipsum ab Ecclesia omnibus credendum proponatur. Ecclesia merito haberi potest tamquam vivens atque integrum divinarum veritatum scrinium, aiente S. Basilio: « *Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus*, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita; alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum, quorum utraque vim eandem habeant ad pietatem » (5). Veritates quas ipsa suis membris tanquam principia fidei divinitus revelata proponit, dogmata audiunt. Suapte enim natura dogma non sententias particulares, verum fidem universalem proponit, ac veritas est immutabilis, cum nullimode falso subjiciatur, et per consequentiam,

(1) Ib., p. 5.

(2) Ib., p. 8.

(3) Migne, *P. G.*, VI, col. 672; XIII, 1036; XXXII, 248; LXXXIII, 1305; LXXXVII, 885.

(4) Sylvester, pp. 13-14.

(5) *Τῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν.* — Migne, *P. G.*, XXXII, col. 188.

firmissimam adhesionem fidelium sibi promereatur. Quis autem ad hunc eliciendum certissimum assensum moraliter cogere potest?... Num homines singulatim sumpti?... At, historia testatur vel praeclaros fidei doctores in veritatibus divinis interpretandis, in revelationis thesauris adaperiendis, pluries a recta semita deflexisse, pravasque sententias tutatos esse. Non omnes doctores, cum Spiritus Sanctus sua dona dividat singulis prout vult I Cor. XII, 11, ac superbe se gereret qui suo libitu eis frui sese jactaret. In Ecclesia serioris aevi non amplius illud evenit quod aetate apostolorum factum esse ex Sacris Libris comperimus, scilicet quod per unctionem a Spiritu Sancto fideles veritates fidei noscebant, et non necesse habebant ut aliquis eos doceret; « *unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium* ». I Jo. II, 20, 27.

Ambigitur interdum inter fideles de authentia librorum qui fontes revelationis habentur; interdum haeret animus incertus veri sensus quo sumenda sit propositio quaedam, per sacram revelationem nobis tradita. Omnino igitur opus est, ad praecavenda dubia fideique jacturam, magisterio divinitus instituto, quod luculenter fidelibus testetur authentiam fontium divinae revelationis, locorumque Scripturae Sacrae vel Traditionis dubiis ansam praebentium genuinum sensum statuat. Magisterium hoc adimplet tantum Ecclesia Christi, quae ab Apostolo vocatur *στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, I Tim. III, 15. et in cuius anima Spiritus Sanctus manet in aeternum, Io. XIV, 16. Ecclesia est tum societas fidelium quae opus Christi ad salutem animarum in terris indesinenter prosequitur, tum custos indefectibilis veritatum illarum quae a divino suo Fundatore nunquam erroribus labefactandas accepit, quapropter ei datur assistentia Spiritus Sancti qui eam docet omnem veritatem, Io. XVI, 13. Munere suo igitur defungitur Ecclesia, definiens quaenam fidei veritates dogmata habenda sint. Huiusmodi definitione Ecclesia expresse docet hanc illamve veritatem certissime ad fidei revelatae depositum pertinere omnibusque credendam ut necessariam ad salutem, ac testatur eam e labiis Jesu Christi profluxisse. Ecclesia cui munus competit declarandi dogmata fidei, Malinovsky sententia, sola est Ecclesia orthodoxa (1). Episcopus Sylvester non videtur denegare hoc jus Catholicae Ecclesiae; affirmat enim tantum apud protestantes, qui plurimas in sectas franguntur, dogmata in strictiori sensu non reperiri neque comparari posse (2).

Juxta praefatos theologos maximi momenti censendus est actus quo Ecclesia veritatibus revelatis nobilitatem definitionis dogmaticae

(1) P. 7.
(2) P. 19.

impertitur. Definitio dogmatica novam prorsus doctrinam in Ecclesia non conclamitat. Eadem testatur Ecclesiam, quod veluti dogma proponitur, Jesu Christo Apostolisque acceptum referre. Definitio dogmatis, declaratio est cuiusdam doctrinae revelatae, quae aptiori modo respondet temporum adjunctis ac fidelium necessitatibus (1). Depositum fidei non augetur; novi aliquid non est quod ei appingitur. In definiendis dogmatis Ecclesia munus tantum sibi vindicat clarius explanandi veritatem revelatam, ac spondendi eam sine dubio per tramitem divinae revelationis ad nos usque pervenisse. Vi dogmaticae definitionis, veritas quaedam fidei, ait Sylvester, licet jam contineatur in revelatione ac divinae Sapientiae locutio suapte censeatur natura, ad veritatis fastigium attollitur quae dubia et controversias penitus eximit (2).

Per transennam notamus Malinovsky tenere infallibile testimonium Ecclesiae in dogmatis declarandis, duobus modis comparari: 1) Praesides Ecclesiarum particularium in concilium oecumenicum convocantur, ac latis suffragiis, statuunt utrum fas sit nec ne veritatem quandam ut fidei dogma definire; 2) si quid obstat quominus concilium adeant, per epistolas suas ad invicem sententias expromere possunt, ac denique, consentientibus animis, dogma promulgare. Satis sit in praesentiarum admonere, propositam sententiam in re Christi Ecclesiae facultatem adimere definiendi dogmata. Concilium enim oecumenicum non datur sine Romano Pontifice, et praesides *particularium* Ecclesiarum *particulares* sententias tantum expromere valent. Quae asserimus, historia confirmantur, cuius testimonio comperimus, nunquam ac nullibi, post lugendum schisma, Ecclesias orientales etiam gravibus impellentibus causis, vel uno vel altero modo, dogmaticas definitiones proposuisse.

5. Quarta nota dogmatis, apud theologos orthodoxos, est общеобязательность (*communis obligatio*); законообязательность (*legalis obligatio*). Non sufficit enim ad genuinam dogmatis notionem comparandam, quod dogma sit veritas revelata; necesse est etiam ut a cunctis fidelibus accipiatur tanquam regula obligatoria aut principium fidei, quo rejecto, aeterna salute ipsi periclitarentur, Gal. I, 8. Citat Malinovsky ad suam thesim confirmandam canonem I concilii trullani: « Si quis autem ex omnibus praedicta pietatis decreta non tenet et amplectitur, sicque opinatur et praedicat, sed iis contra adversari co-

(1) P. 19; Macarius, pp. 9-10; Philaretus, p. 4; A. Gusev, Введеніе въ догматическое богословіе (*Introductio in theologiam dogmaticam*), Православное обозрѣніе, Mosquae, 1878, t. I, pp. 58-72.

(2) Pp. 18-19.

natur, sit anathema, secundum prius declaratorum sanctorum et beatorum patrum decretum, et a christiano quoque catalogo ut alienus extrudatur et excidat » (1).

Neque mirum est Ecclesiam leges in lucem edere quae cunctorum sibi subditorum voluntatem atque intellectum ligant. Ipsa est enim societas fidelium et non minus ac caeterae societates suis legibus potitur, quae in fundamentales et secundarias dispertiuntur. Sicut in civili societate adversarius censetur politici regiminis, qui civilibus legibus non obtemperat, ita in Ecclesia societate perfecta, qui dogmata fidei rejicit, inter eius hostes vel spurios filios est recensendus. Actum enim esset de doctrina et vita Ecclesiae si cuilibet daretur licentia dogmata suo arbitrio amplecti vel negare. Si dogmata divinae revelationis veritates sensumque nobis tradunt, si ea considerat Ecclesia veluti regulas fidei fundamentales omnibus fidelibus ad salutis aeternae adeptionem necessario credendas, nequit fieri quin a cunctis recipiantur tanquam leges, quorum transgressores ipsi Deo injuriam inferunt. De ratione igitur dogmatis est ut vim legis obligatoriae habeat pro cunctis fidelibus (2).

In quartae notae explicatione, fusis verbis episcopus Sylvester ostendit improbandam non esse Ecclesiam, cum nimia severitate in dogmatis sartis tectisque servandis se gerat. Si humanis enim opinionibus laxaret habenas, serius ocius pessum iret, propriisque manibus sibi sepulchrum effoderet. Dogma potissimum est elementum essentiale vitae Ecclesiae, ideoque quicumque eius vita frui peroptat, hoc tenetur elementum integrum atque incorruptum fovere. Tanti facit Ecclesia valorem dignitatemque dogmatis, ut frequenter remissius agat in increpandis puniendisque moralium praeceptorum et canonum ecclesiasticorum contemptoribus, dum nullo modo patitur suos inter subditos recenseri qui hostiles incursiones in provinciam dogmatum audent. Priores enim excusatione indulgentiaque dignos habet, eosque, cum deferbuerint passionum cupiditates, in suum gremium reversuros con-

(1) *Εἰ δέ τις τῶν ἁπάντων μὴ τά τε καὶ κηρύττοι, ἀλλ' ἐξ ἐναντίας ἴέναι τούτων ἐπιχειροῖ, ἔστω ἀνάθεμα κατὰ τὸν ἤδη προεκτεθέντα ὅρον ὑπὸ τῶν προδηλωθέντων ἁγίων, καὶ μακαρίων Πατέρων, καὶ τοῦ χριστιανικοῦ καταλόγου, ὡς ἀλλότριος, ἐξωθείσθω καὶ ἐκπιπτέτω.* — Pitra, *Iuris ecclesiastici graecorum historia et monumenta*, t. II, Romae, 1868, p. 21. Malinovsky attribuit hunc canonem concilio oecumenico VI (680), cuius appendix a scriptoribus orthodoxis censetur concilium Trullanum vel Quinisextum (692). Cum a scriptoribus catholicis oecumenicitas huius concilii denegetur, Hefele, *Histoire des Conciles*, t. I, 1, Parisiis, 1907, p. 90, in citatis nostris, quotiescumque de eius canonibus sermo occurret, appellationem concilii Trullani adhibendam ducimus.

(2) Malinovsky, pp. 8-9.

fidit. At dogmaticae veritatis osores plena ac deliberata voluntate depositum fidei aggredi existimat, eique nulla spes affulget fore ut, sepositis erroribus, in captivitatem redigant intellectum suum in obsequim Christi. Iniuria igitur argueretur Ecclesia *intolerantiae* dum e suo gremio inficiatores veritatum dogmaticarum expellit: hoc enim agit ut se a periculo mortis defendat, non secus ac societas civilis, quae ne dissolvatur perditumque eat, perniciosarum doctrinarum buccinatores exilio vel carcere mulctat (1).

6. Ex hucusque dictis patet quatuor elementa in dogmatis necessario adesse: 1) Quod sint veritates fidei christianae. 2) Quod sint divinitus revelatae. 3) Quod sint ab Ecclesia definitae et promulgatae ut tales. 4) Quod vim legis obligatoriae habeant pro cunctis fidelibus ad salutem aeternam adipiscendam. Haec omnia continentur in variis definitionibus quae a theologis orthodoxis traduntur, quarum potiores adducimus: α′) *Dogma est veritas revelata, ab Ecclesia hominibus proposita ut canon immutabilis ac tutissimus fidei salvificae* (2): β′) *Dogma est veritas theologica ac revelata, determinata et proposita ab Ecclesia ut obbligatorium ac tutissimum axioma fidei pro cunctis fidelibus* (3); γ′) *Dogma est speculativa ac divinitus inspirata veritas, continens doctrinam de Deo ac de relationibus Eius ad universum hominemque, servata, determinata et proposita ab Ecclesia orthodoxa velut immutabile, tutissimum ac pro omnibus fidelibus obligatorium axioma fidei* (4). δ′) *Dogma est veritas quae speculativam partem doctrinae christianae constituit, quae determinatur et traditur ab Ecclesia universali unanimi consensu, cuique tenetur quilibet christianus adherere sub poena exclusionis a societate sincerorum Christifidelium* (5). Expositio systematica dogmatum, eorumque scientifica investigatio dogmatica theologia appellatur, quae proinde systema est doctrinae fidei orthodoxae christianae: система православнаго христіанскаго вѣроученія (6).

Ut falsa et praelonga improbanda est definitio dogmatis quam nuperrime tradit graecus theologus Zikos Rhosis: *Δόγματα τῆς Χρι-*

(1) Pp. 20-23. Hanc doctrinam evolvit A. M. Klitin, in dissertatiuncula: Современные вопросы западной богословкой науки въ связи съ характеромъ ея преподаванія на университетской каѳедрѣ (*Certamina hodierna disciplinarum theologicarum in Occidente in iis quae spectant ad methodum eas docendi in aulis universitatum*). Odessae, 1904, pp. 15-17.

(2) Macarius, p. 1.

(3) Sylvester, p. 28.

(4) Malinovsky, p. 9.

(5) Antonius, p. 39.

(6) Malinovsky, p. 9.

στιανικῆς θρησκείας εἶναι αἱ περὶ τῶν ἐνεργειῶν τοῦ θεοῦ καὶ τῶν προϋποθέσεων ἢ ὅρων καὶ ἀποτελεσμάτων αὐτῶν διδασκαλίαι τῆς Χριστιανικῆς πίστεως, αἵτινες κατ' οὐσίαν καὶ συνεπτυγμένως ἐν τῇ ἁγίᾳ Γραφῇ καὶ τῇ ἱερᾷ Παραδόσει περιεχόμεναι, ἀνεπτύχθησαν, ὡρίσθησαν καὶ ἐν μέρει διετυπώθησαν δι' ἀληθοῦς θεολογικῆς θεωρίας ἐν τοπικαῖς, οἰκουμενικαῖς καὶ γενικαῖς Συνόδοις τῆς γνησίας καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας ὑπὸ τὴν ἐπιστασίαν τοῦ ἐν αὐτῇ διαμένοντος θείου Πνεύματος, καὶ ἔχουσιν αὐθεντικὸν καὶ ὑποχρεωτικὸν κῦρος εἰς πᾶν γνήσιον μέλος τῆς Ἐκκλησίας ταύτης (1). Haec notanda: 1) auctor facultatem definiendi dogmata videtur tribuere etiam conciliis particularibus (*ὡρίσθησαν ἐν τοπικαῖς Συνόδοις*). Ex se patet huiusmodi definitiones dogmaticas ad universam non extendi Ecclesiam nisi ab ipsa Ecclesia universali receptae sint. Concilia enim particularia leges edunt pro natione tantum vel provincia ecclesiastica (2). Constat etiam ex historia interdum definitiones synodorum particularium dogmaticas evasisse pro universa Ecclesia, quando Romanus Pontifex suprema sua auctoritate eas solemniter firmaverit atque approbaverit, quod factum fuisse comperimus pro canonibus concilii Arausicani II (529) adversus Semipelagianos, litteris Bonifacii II (530-532) solemni sanctione munitis (3). Hoc jus Romanorum Pontificum, quod jam vigebat ante schisma exortum, silentio praeterit graecus theologus. 2) Legitur in hac definitione dogmata definiri et proponi a genuina (*γνησία*) Christi Ecclesia, quae verba prima facie nil censoria virgula notandum praestant. At res aliter se habet. Explicat enim auctor in notis genuinam Ecclesiam sibi velle orthodoxam orientalem Ecclesiam, *ἡ ὀρθόδοξος ἀνατολικὴ Ἐκκλησία*, quo nil falsius etiam historice potest affirmari. Praecipua enim dogmata fidei christianae in conciliis oecumenicis definita sunt, quae licet in Oriente habita, ad totam Ecclesiam Christi pertinent, atque Romanis Pontificibus per suos legatos praesidibus iisdemque confirmantibus, vim *oecumenicitatis* adepti sunt. Quî possunt igitur haec concilia ac definitiones ab eis allatae tribui tantum Ecclesiae orientali quae ad aetatem usque Photii communionem fovit cum Ecclesia romana?... Nonne potius costat,

(1) *Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόκου καθολικῆς Ἐκκλησίας*, t. I, Athenis, 1903, p. 23.

(2) Tanquerey, *Synopsis Theologiae dogmaticae specialis*, ed. XI, t. I, Tornaci, 1907, p. 24.

(3) Mansi, *Sacrorum Conciliorum Nova et amplissima Collectio*, VIII, coll. 711-718; 735-737. — Infolge der päpstlichen Bestätigung erhielten die Beschlüsse dieses Provinzialkonzils allgemeine Geltung in der Kirche. — Hergenröther, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, ed. IV, t. I, Friburgi Brisgoviae, 1902, p. 559.

peracto schismate, orientalem Ecclesiam impotentia laborare condendi novas definitiones dogmaticas quando adorientes fidem errores eas necessario pro tutamine veritatis christianae requirunt?...

Neque probanda videtur definitio ab E. Popov tradita : « *Dogmata sunt veritates fidei certissimae, aut veritates in quibus mens et conscientia humana decisive consistunt* » (1). Plures enim sunt veritates fidei quibus christiani firmiter adhaerent quin tamen ut dogmata accipiant. Firmam adhaesionem proculdubio exigit dogma, non sequitur tamen hanc proprium dogmatis characterem constituere, quia plurimae dantur veritates rationis quibus etiam firmissimus praebetur assensus. Magisterii ecclesiastici mentio nullo modo praetermittenda est in definitione dogmatis.

7. Plures dogmatum classes pro varia revelatas veritates declarandi ratione, theologi orthodoxi, vocibus generatim ex scholasticis repetitis, recensent. Praecipuas divisiones juvat afferre.

α') Macarius dispescit primum dogmata in *explicita* (раскрытые) et *implicita* (нераскрытые), atque opinatur huiusmodi denominationes legitime tradi, doctrinaeque Ecclesiarum orthodoxarum apte conformari. Dantur enim dogmata *explicita*, nempe dogmata quae conceptis verbis ab Ecclesia contra adorientium haeresum insultus proposita sunt, verbigratia, dogmata quae ad mysterium Sanctissimae Trinitatis, vel ad unionem hypostaticam Verbi in duplici natura spectant. Dantur et simul dogmata *implicita*, quae licet ad depositum fidei non minus ac ea quae supra commemoravimus, pertinent, carent tamen clara Ecclesiae determinatione, verbigratia, iudicium particulare cuiuslibet hominis post mortem, etc. Haec distinctio ea mente invecta est ut innuatur circa dogmata alterius classis relinqui theologis libertatem suas sententias aperiendi, nisi doctrina quam proponunt dogma ipsum funditus pervertat. Animadvertit etiam Macarius *relative* tantum eam accipiendam. Sicut enim non dantur dogmata *omnino* implicita, quae scilicet nullimode sint ab Ecclesia illustrata, ita etiam constat non reperiri dogmata *omnino* explicita quae, vel in minutis quaestiunculis ad ea spectantibus, clarissimis explanationibus Ecclesia munierit.

β') Dantur dogmata communia (общіе) vel *fundamentalia* (основные; *ἄρθρα τῆς πίστεως*; *articuli fidei*), et dogmata particularia (частные; *δόγματα τῆς πίστεως*). Prioris classis ita vocantur quia vel continent velut in radice quaedam alia dogmata, vel saltem eis fun-

(1) Догматы это-истины вѣры неоспоримыя или такія, на которыхъ мысль и сознаніе человѣка окончательно утверждаются. — По православно-догматическому Богословію общенародныя бесѣды (*Colloquia popularia in theologiam dogmaticam orthodoxam*), t. I, Perm, 1880, p. 15.

damen praebent; alterius classis ea censentur quae ex prioribus fluunt aut eis nituntur. Huius distinctionis quodammodo iniicitur mentio in Confessione orthodoxae Petri Moghilae: *Μόνον κάποια ἀπ' αὐτὰ τὰ ἄρθρα εἶναι φανερὰ, καὶ καθ' ἑαυτὰ γνώριμα, καὶ ἄλλα περιχρατοῦσι μυστικὰ εἰς ἑαυτά, καὶ ἀπ' αὐτὰ νοοῦνται καὶ τὰ ἄλλα* (1). Eadem non aversatur doctrinae theologiae catholicae, ideoque rite potest accipi. Theologi qui huic favent distinctioni per eam docent cuilibet christiano dogmata particularia non minus sacra ac veneranda esse quam articuli fidei, atque a fide desciscere quicumque, retentis tantum articulis, ea abjiceret.

γ') Quaedam dogmata *incomprensibilia* sunt (непостижимые), quaedam vero *comprehensibilia* (постижимые). Illa vocantur etiam *dogmata pura* vel mysteria; haec vero *dogmata mixta*. Ratio priorum haec est quod omnino superant captum nostrum, ac sine revelatione nobis incognita manerent; dogmata vero mixta hoc nomen sortiuntur quia tum divina revelatione, tum ratione humana nobis patent, ut Apostolus docet, loquens de ethnicis: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*, Rom. I, 19. Haec dogmata appellantur etiam a Philareto: *Persuasiones rationis* (Убѣжденія разума).

δ') Dogmata dividuntur etiam in *communia* tum Ecclesiae orthodoxae, tum Ecclesiis hetorodoxis; et *specialia* (особенные) vel *distincta* (отличительные), quae Ecclesia orthodoxa servavit integra prout recepta erant in vetere Ecclesia, quaeque ceterae communitates christianae vel corruperunt, vel prorsus rejecerunt.

Hisce distinctionibus probatis, Macarius repehendit:

α') Distinctionem inter *dogmata biblica* et *dogmata ecclesiastica* quia omnia dogmata quodammodo sunt biblica, cum in divina revelatione reperiantur: « Dogmata, inquit Macarius, quae revelatione non nituntur, immo ei aversantur, tantum in societatibus heterodoxis queunt reperiri, exempligratia, dogmata primatus Romanae Ecclesiae et Romani Pontificis infallibilitatis ». Quam longe a veritate aberraverit haec effutiens Macarius suo loco ex instituto demostrare nobis est animus.

β') Distinctionem a protestantibus invectam inter dogmata *fundamentalia*, qui scitu necessaria sunt ad salutem, et *non fundamentalia*, quae fas est respuere. Fusius ex Sacra Scriptura, Traditione ac ratione theologica ostendit Macarius falsitatem huius distinctionis, qua

(1) Nonnulla horumce Articulorum clari per seque manifesti sunt: alii quaedam occultius complectuntur, unde cetera etiam intelliguntur. — *Orthodoxa Confessio catholicae atque apostolicae Ecclesiae orientalis cum interpretatione latina et versione germanica.* Wratislaviae, 1751, p. 24.

posita, fluxa et mobilis redderetur doctrina Ecclesiae, totique aedificio Christi proxima impenderet ruina (1).

8. In essentialibus notio dogmatis quam theologia catholica tuetur, cum ea convenit quae a theologis orthodoxis proponitur. Duplex enim elementum in dogmate requirit theologus catholicus: elementum ἐξωτερικόν (*extrinsecum*) atque ἐσωτερικόν (*intrinsecum*). Prius habetur cum affirmamus dogma veritatem praeseferre quae in divina revelatione continetur: posterius cum adjungimus huiusmodi veritatem tanquam formale principium fidei revelatae expresse ac diserte proponi ab Ecclesia cunctis fidelibus credendum. Duplex igitur auctoritas amice conjurat in dogmate catholico statuendo: auctoritas suprema Dei, qui nobis pandit veritates altissimas; auctoritas *directiva* Ecclesiae quae nobis testatur vere Deum locutum esse, praecipitque Eius verbis firmissimum assensum praestare. Deus, ut ita dicam, intrinsecam dignitatem dogmatis cuidam veritati per tramitem revelationis impertitur: Ecclesia vero extrinsecam ei largitur sanctionem. Dogma prout ex parte Dei consideratur, immediate respicit *Ecclesiam docentem* cui munus incumbit explanandi, ac sanciendi veritates revelatas; prout vero ex parte Ecclesiae consideratur, immediate respicit coetum fidelium, quem magisterium ecclesiasticum suo munere defungens docet veritatem aliquam divinae revelationis dogma fidei a cunctis fidelibus necessario credendum constituere.

De ratione igitur dogmatis in sensu strictiori accepti est: 1) ut contineatur in Sacra Scriptura, tanquam in authentico fonte revelationis; 2) ut ad nos pervenerit per traditiones ab apostolis acceptas; 3) ut nobis disertis verbis ab Ecclesia tanquam dogma fidei proponatur; pressius, dogma in sensu strictiori, praeseferre debet originem divinam, apostolicam, atque ecclesiasticam. Si veritas quaedam ab Ecclesia tradatur, quin tamen Ecclesia nobis spondeat divinam eius originem, dogma habetur quod a Scheeben *mere ecclesiasticum* vocatur (2). Origo apostolica tanquam necessarium elementum dogmatis exigitur a theologis catholicis, ut Pesch explicat: « Quidquid ab apostolis non est praedicatum, nunquam potest evadere dogma Ecclesiae, etiamsi a Deo revelatum est. Omnes enim posteriores revelationes privatis tantum hominibus ut privatis dantur, neque ullo modo spectant ad augendum depositum fidei » (3). Si tertium elementum, nempe definitio solemnis Ecclesiae deficiat, veritas quaedam in divina revelatione contenta, et communi totius Ecclesiae fide innixa, dogma quidem est,

(1) Pp. 21-26; Philaretus, pp. 5-6.
(2) *La Dogmatique*, t. I, Parisiis, 1877, p. 291.
(3) *Praelectiones dogmaticae*, t. I, Friburgi, 1894, p. 316.

attamen in latiori sensu, ideoque a theologis vocatur dogma *quoad se*: hoc si Ecclesia cunctis fidelibus explicite ut verbum Dei revelatum ad salutem necessarium solemniter declarat, habetur dogma in strictiori sensu vel *quoad nos*. Prioris generis dogmata *materialia*, posterioris *formalia* interdum audiunt (1).

9. Ex hucusque dictis patet quam consona sit doctrinae catholicae sententia theologorum Ecclesiae orthodoxae. Ex eorum igitur effatis licet nobis quaedam corollaria eruere quae maximi momenti pro defensione catholicae fidei videntur.

α' Theologia orthodoxa fatetur magisterium Ecclesiae in definiendis dogmatis non defecisse post saeculum nonum. Vivens adhuc et perpetuo victurum semper vigilat ne depositum fidei e venenatis novatorum telis detrimentum accipiat. Quod munus si novem jam saeculis indesinenter Ecclesia obivit, clarissima dogmaticarum definitionum luce veritates revelatas illustrans, nihil impedit quominus nostra aetate, errorum lue grassante, iterum obeat. Ecclesia igitur ius habet, et quidem per concilia oecumenica, declarandi veritates quasdam per revelationem et traditionem acceptas inter dogmata fidei esse recensendas. Si magisterium autem Ecclesiae in definiendis dogmatis adhuc viget, Ecclesiae orthodoxae falso nomen sibi indiderunt Ecclesiarum septem conciliorum oecumenicorum. Haec denominatio saepe occurrit in Encyclica patriarchali et synodali Anthimi VII, in lucem edita anno 1895: *Ἡ Ἐκκλησία τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν Συνόδων*, et duplici sensu potest intelligi: 1) quod revelatione, vel apostolicis, vel traditionibus, vel declaratione Ecclesiae, concilia oecumenica, quibus demandatur munus in controversiis fidei definiendi dogmata, statutum sit septem tantum numero legitime convocata fuisse, eademque prohibeatur nova convocare; 2) quod post saeculum octavum, quo tempore habitum fuit septimum concilium oecumenicum, magisterium ecclesiasticum non amplius queat suum munus obire, atque jus definiendi dogmata nulli Ecclesiarum, quae christianae feruntur, amplius competat. Si primo sensu intelligatur, opus esset Sacrarum Scripturarum vel Traditionis Apostolicae sententias colligere, quibus statuatur septem jam numero conciliis oecumenicis nefas esse novum addere concilium. Mea tamen est suasio, tempus nequidquam triturum quicumque his sententiis detegendis operam navaret. Etenim vel theologis orthodoxis compertum est, eas non contineri tum in Sacris Scripturis, tum in Traditione. Si liquet igitur jus Ecclesiae convocandi concilia extinctum non fuisse, ius *correlativum* definiendi dogmata illi societati fidelium tribuendum

(1) Liebermann, *Institutiones theologicae*, t. I, Moguntiae, 1853, p. 20.

esse consequitur, quae concilia oecumenica potest convocare et de facto convocat. Ex quo patet nulli Ecclesiarum orthodoxarum hoc ius convenire, quia nulla potitur auctoritate in universalem Ecclesiam ad episcopos totius orbis christiani coegendos. Hoc argumentum historia confirmat quae testatur, a saeculo nono ad nostra usque tempora, orientales Ecclesias nullibi ac nunquam oecumenica concilia convocasse, dum catholica Ecclesia concilia florentinum, tridentinum et vaticanum coegit (1). Quibus oecumenicitatis notam non deesse, suo loco demonstrare nobis est animus.

Si vero appellatio, quam memoravimus, hoc sibi velit magisterium ecclesiasticum, perinde ac mutum cadaver, post septimum concilium oecumenicum ex instituto se gerere, neque amplius pro veritate christiana tutanda voce missurum, consequeretur Ecclesiam Christi, velut navis sine gubernatore, saevientibus procellis medium pelagum tenere. Hanc consequentiam rejiciunt uno ore theologi orthodoxi. Magisterium ecclesiasticum extingui nequit quin eodem tempore, depositis armis, Ecclesia suis se tradat hostibus, ac pravis doctrinis latam sternat viam. Si magisterium igitur Ecclesiae quavis oportet aetate exerceri, ei denegánda non est facultas pro tempore novas condendi definitiones dogmaticas. Hoc potiebatur iure Ecclesia *universalis* usque ad septimum concilium oecumenicum, et nulla est ratio cur hoc idem ius Ecclesiae, quae labentibus saeclis nostraque hac aetate semper se *universalem* exhibuit, adimatur.

(1) Ad rem Possevinus: « Utinam Christus hoc dixit (septem tantum convocanda concilia oecumenica)?... Ecquis alligavit verbum Dei?... Quis Spiritum Sanctum obmutescere fecit, quin emergentibus erroribus, et haeresibus, Ecclesia usque ad extremum huius mundi diem Christianae concordiae consuleret, ac per concilia generalia, generalibus morbis remedium adhiberet?... Verumtamen cum graeci viderent, sine uno pastore visibili, quem, ut necessario, ita sapientissime Christus Dominus reliquit Ecclesiae, sese nunquam ulla posse legitima concilia cogere (quamobrem variis quoque dissidiis, et erroribus inter sese dissecti sunt), Romanae autem catholicae Ecclesiae cernerent auctoritatem suam in cogendis ac confirmandis conciliis generalibus integram restare; ac inde factum fuisse, ut plures alias Synodos, (sicut dictum est) post septem illas priores eadem apostolica romana sedes indixerit, ac confirmarit, (quemadmodum inter paucos ante annos Synodum Tridentinam adversus Lutheranam, et alias haereses) propterea iidem Graeci eo mendacio veritatem tegere voluerunt, quasi septima synodus aliorum Conciliorum sustulerit, aut (si Deo placet) tollere potuerit facultatem eam, quam Christus ipse Ecclesiae suae in perpetuum tradidit. — *Capita quibus graeci et rutheni a latinis in rebus fidei dissenserunt, postquam ab Ecclesia Catholica graeci descivere, tradita in magno consessu procerum Johanni Basilii Magno Moscoviae duci tertio Martii 1582 in civitate Moscua,* Posnaniae, 1585, pp. 19-20.

10. *β'*) Alterum corollarium minoris momenti non est. Fatetur enim theologia orthodoxa *novam definitionem dogmaticam* haud sibi velle *novum dogma* in depositum fidei induci. Doctrinam quae dogmate concinnatur novitate carere apud omnes theologos Orientis atque Occidentis res est manifesta et confessa. *Novitas* definitionis dogmaticae non attingit essentiam, sed formam exteriorem dogmatis; doctrinam non effingit novam, sed novis vel aptioribus verbis quod nobis traditum est, exprimit. Si licet parvis componere magna, lapides miro perfectoque aedificio non addit; gemmas tamen huic aedificio insertas a glomerata per vetustatem pulvere liberat, earumque nitorem ac pulchritudinem patefacit. Si haec ita se habeant, fallitur qui *novam* definitionem dogmaticam *novum* dogma esse contendit; fallitur qui novarum vocum in theologia christiana per definitiones dogmaticas usum acerbis verbis increpat, perinde ac si vetus Ecclesiae doctrina corrumperetur (1) Quod Patres prioris concilii egerunt in concilio nicoeno, sancientes usum et sensum theologicum vocis *ὁμοούσιον*, idem factum est ab Ecclesia catholica, cum ad errores in sacrosantum Eucharistiae mysterium depellendos, invexerit vocem *transsubstantiationis*, quam plures theologi greci, lutheranis theologis perstrepentibus (2), voce *μετουσιώσεως* graece verterunt, et probarunt. Quando igitur definitiones dogmaticae proponuntur a catholica Ecclesiae cunctis fidelibus, statim conclamandum non est novum dogma latinos invexisse; ab ecclesiis orientalibus scissum romanum catholicismum operosum tantum esse in attollendis sententiis doctorum particularium ad fastigium veritatum communium, absolutarum, divinarum » (3). Haec falso catholicae Ecclesiae objiciun-

(1) Ecclesia quando vel definit vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condit articulum omnino novum, sed partim declarat quid vel in Scriptura, vel in apostolicis traditionibus continetur, partim definit ac praecipit ita esse credendum, quomodo antea non passim ita credebatur explicite, quia nondum constabat an contineretur in Scriptura vel Traditione. — Montagnius, *De censuris seu notis theologicis et de sensu propositionum*; Migne, *Theologiae Cursus Completus*, t. I, Parisiis, 1860, col. 1154.

(2) Kiesling, *Historia concertationis* etc., pp. 436-437.

(3) Отличительною чертою Римскаго католицизма (латинства) со времени его выдѣленія изъ жизни древней Церкви должно признать его стремленіе къ тому, чтобы возвести единичное, частное на степень всеобщаго, условное — на степень безусловнаго, конечное — на степень безконечнаго, человѣческое — на степень божественнаго. — Bulgakov, Предположеніе о принятіи еще новаго догмата въ римско-католическую догматику (*Propositum theologiae dogmaticae romano-catholicae circa acceptionem novi dogmatis*), *Trudy Academiae ecclesiasticae Kioviensis*, 1903, t. III, p. 150. — Agitur de definitione Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

tur, quae suis definitionibus dogmaticis antiquum dogma *quoad se* efficit dogma *quoad nos*, veritatem scilicet quae in Sacris Scripturis et traditionibus apostolicis continetur, contra adorientes errores, omnibus fidelibus, ut legitimum Dei verbum credendum proponit. Non est igitur improbanda definitio dogmatica, perinde ac si novum dogma praeseferret. Argumenta quibus movetur catholica Ecclesia cum pronuntiat definitiones dogmaticas, e Sacris Scripturis ac Traditione eruuntur, ut luculenter demonstrant laboriosae theologorum investigationes, quae fusum commentarium et preambulum harum definitionum censeri possunt. Inique igitur theologi orthodoxi novas definitiones dogmaticas reprobant tanquam nova dogmata. Haec rite potuissent opponere si eis contingeret *ἀποδεικτικοῖς* rationibus ostendere quod Sacra Scriptura vel Traditio nulla praebeant vestigia dogmatum quae a Romana Ecclesia ut talia proponuntur.

Quae fusius disseruimus coarctari queunt in hoc syllogismo: « Novum dogma proponeret Ecclesia catholica si in suis definitionibus dogmaticis novam doctrinam quae in Sacris Scripturis et in Traditionibus apostolicis non continetur, expromeret; atqui nefas est asserere in suis definitionibus dogmaticis Ecclesiam catholicam doctrinam proponere, quae neque in Sacris Scripturis neque in Traditionibus Apostolicis continetur. Ergo nova dogmata Ecclesia catholica non condit. Minor patet ex eo quod singulis dogmatis quae ab Ecclesia catholica definita sunt, fulcrum praebent uberrimi textus e penu divinae Revelationis ac Traditionis desumpti qui referentur in loco.

11. Ad divisionem dogmatum quod attinet, plura contra sententias theologorum catholicorum a scriptoribus orthodoxis congeruntur, quae juvat breviter attingere.

α') Chostin censoria virgula notat distinctionem inter dogmata *pure ecclesiastica* et *pure divina*. Si mere *dogma divinum*, licet a Deo immediate revelatum, minorem vim obligatoriam in orbe christiano haberet quam dogma pure ecclesiasticum ab Ecclesia omnibus credendum propositum, consequeretur a theologis catholicis auctoritatem Ecclesiae docentis potiorem censeri quam quae Deo tribuitur; verbum Vicarii Jesu Christi magis conscientias ligare quam verbum divinum. Pro eo ut haec dogmata mere divina dicantur, vel materialia, vel *quoad se*, Chostini sententia est ut vocentur opiniones particulares theologorum, de quibus cuique licet agitare controversias in scholis (1).

(1) Источники и предметъ догматики по воззрѣнію католическихъ богослововъ послѣдняго полу-столѣтія (*Fontes et obiectum theologiae dogmaticae secundum sententias theologorum catholicorum alterius dimidiae partis saeculi XIX*). Kharkoviae, 1889, p. 161.

Hisce animadversionibus haec rependimus: 1) Dogma ecclesiasticum prout a theologis catholicis intenditur, non excludit revelationem divinam, in qua sive *explicite* sive *implicite* continetur. Characterem igitur praesefert dogmatis etiam divini (1). 2) Dogma pure divinum intelligitur dogma quod caret nota Церковности quam theologi orthodoxi necessario includunt in notione dogmatis strictius accepti. Nil igitur mirum si dogma strictius acceptum, nempe quod simul divinum sit atque ecclesiasticum, definitum et promulgatum ab Ecclesia, maiorem vim obligatoriam *extensive*, idest pro cunctis fidelibus, habeat. Theologi orthodoxi tenent церковность elementum esse necessarium dogmatis, et consequenter dogma quod eo caret, licet etiam disertis verbis in revelatione contentum, eadem vi non pollere qua dogma cui Ecclesia catholica suam addit sanctionem. Hoc sibi non vult quod auctoritas Ecclesiae censeatur moraliter superior auctoritate Dei revelantis sed tantum quod verbum Dei revelatum, testante Ecclesia, ut tale accipiendum sit a cunctis fidelibus. Auctoritati igitur Dei haud opponitur auctoritas Ecclesiae, sed utraque in munere veritatum dogmaticarum statuendarum ad invicem complentur (2).

β') Chostin improbat distinctionem inter dogmata essentialia et non essentialia, quae interdum reperitur apud theologos catholicos quamque ipse deducit ex verbis Scheeben: « Dantur veritates revelatae quae in deposito fidei per aliquod tempus obscurae vel incertae manent. Fieri potest in hoc casu, quod huiusmodi veritates negentur a pluribus, earumque negatio toleretur ab Ecclesia, vel ob ignorantiam negantium, vel ob earum incertitudinem, qua fit ut a multis tanquam sententiae probabiles habeantur » (3). Nefas est admittere, objicit Chostin, simul cum veritatibus necessariis atque essentialibus, Deum suae Ecclesiae revelasse veritates quasdam non essentiales et non necessa-

(1) Pulchre huic obiectioni respondet Card. Gotti: « Verbum quidem Dei non eget verbo Ecclesiae, ut sit verbum Dei; egemus tamen nos testimonio et verbo Ecclesiae, ut certi simus, illud quod nobis tanquam Verbum Dei proponitur esse revera verbum Dei et non hominis; neque hoc est verbum Dei a verbo hominis recipere approbationem, sed potius testimonio Ecclesiae in hisce non ex se, sed ex verbo Dei infallibilis cognitionem nostram, et fidem confirmari, quod hoc sit verbum Dei, atque genuinus eiusdem sensus, quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus Sancti qui doceat eam ducatque in omnem veritatem haec, stante Dei promissione, quae semper obtinet, nunquam deficit, nunquam docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. — *De veritate religionis christianae*, tract. III, cap. 7; Migne, *Theologiae Cursus completus*, t. VI, Parisiis, 1862, col. 884.

(2) Scheeben, t. I, p. 290.

(3) *La dogmatique*, p. 407.

rias, quae detegendae essent fidelibus saeculo XIX. Si res ita se haberet, posset etiam Ecclesia, revelatas a Christo veritates non amplius meminisse, vel easdem repudiare, quin tamen a Christi fide deficeret. Insuper, quisnam ex theologis catholicis auderet asserere infallibilitatem Romani Pontificis inter dogmata non essentialia atque obscura novemdecim saeculorum intervallo mansisse? . . .

Multis non opus est verbis ad inaniam harum reprehensionum detegendam: 1) Philaretus ipse admittit dari dogmata quae essentialia dicuntur, exempligratia Sanctissimae Trinitatis dogma, et dogmata quae non essentialia censentur ad salutem; dogma existentiae angelorum. 2) Haec distinctio, observat ipse Philaretus, sibi non vult cuicumque licere has veritates suo lubito respuere. Si quis enim hoc ageret, aeterna salute periclitaretur. Aliud est dogma quoddam rejicere, aliud vero negare. Nescire Deum esse, vel Jesum Christum nos redemisse, non sine detrimento salutis contingit, quod quidem asseri nequit, si ignoretur quamplurimos angelos existere (1). 3) Quod serius data sit ab Ecclesia catholica definitio quorumdam dogmatum, hoc non probat ea minoris momenti putari, vel eorum oblitam fuisse Ecclesiam per longum saeculorum spatium cum jactura fidei. Hoc tantum indicat pro his dogmatis necessariam non fuisse in praeterito oevo definitionem formalem, quia vel theoretice a plurimis theologis, vel practice generatim a fidelibus agnoscebantur. Exortis vero litibus et controversiis, dubiisque animos exagitantibus, Ecclesia, cui pertinet etiam judicium de opportuno tempore definitionum dogmaticarum, officium suum implevit, definiens quid de fide tenendum esset, ac finem controversiis imponens. Hoc explicat cur ante definitionem infallibilitatis Romani Pontificis a concilio Vaticano propositam, cuidam theologo catholico (Chostin citat Klee tantum) licitum visum sit docere hanc veritatem fidei non dogma praeseferre, sed opinionem theologicam maxima consideratione perdignam (2). Definitio dogmatica e magisterio infallibili Ecclesiae procedens haerentibus theologis plenissimam lucem profudit, discussaque caligine humanarum opinionum, veritatem fidei sartam tectamque servavit ac fidelibus clarissimis verbis proposuit. Optime ad

(1) Op. cit, pp 6-7.

(2) En verba Klee: « Es ist zu bevorworten, dass der Infallibilität des Primats keine dogmatische Qualität vindizirt, dass dieselbe nie als *wesentliche Lehre* der Kirche *feierlich ausgesprochen*, sonder nur als eine höchst achtungswürdige Meinung in der Kirche von Vielen behauptet wurde ». *Katholische Dogmatik*, t. I, Moguntiae, 1844, p. 237. Ex verbis igitur Klee non sequitur ipsum docuisse nunquam Ecclesiam catholicam Infallibilitatem Romani Pontificis diserte ut fidei dogma propositurum.

rem faciunt verba Scheeben: « Saepe saepius decisiones dogmaticae in Ecclesia, dogma non genuerunt, scilicet cognitionem dogmaticam cuiusdam doctrinae diserte admissae; earum munus in hoc ponebatur, ut veritatem ipsam contra temeritatem audaciamque dubiorum tutarentur (1).

γ') Insimulat denique Chostin theologos catholicos sterilis formularum cultus, quia pluribus utuntur locutionibus in determinandis quid fide tenendum sit, verbigratia voces contemnit quae adhibentur ad designandas propositiones *fidei proximas, theologice certas, haeresi proximas, haeresim sapientes* etc. Ridet praesertim distinctionem inter *dogmata quoad se, et dogmata quoad nos,* asseritque omnes veritates sive simpliciter a Deo revelatas, sive simul revelatas atque ab Ecclesia propositas, dogmata semper esse *quoad se* simul et *quoad nos* (2).

Ad *formalismum* theologiae catholicae quod attinet, plurimos adducere potuissem locos scriptorum orthodoxorum, qui dolent vehementer hunc morbum theologiam simulque totam Ecclesiam orthodoxam infecisse, nisi brevitati mihi esset consulendum. Si quis hosce perlegere avet, meum librus adeat *La Chiesa russa*, ubi passim colliguntur. Hic sufficiat animadvertere: 1) Huiusmodi distinctiones inductas esse claritatis causa, ut facilius erroribus claudatur aditus, et veritas fulgidior niteat. In controversiis praesertim fidei maxima opus est terminorum praecisione, et pro eo ut culpetur, laudanda potius esset theologia catholica, quae optimas invexit distinctiones ac locutiones, quibus haud raro vel theologi ortodoxi usi sunt ad fidem orthodoxam rite exponendam ac tutandam. 2) Etiam dogmata *quoad se* accipiuntur a Theologis catholicis tanquam dogmata *quoad nos*, quia non sine periculo haereseos negaretur veritas fidei in deposito divinae revelationis ex consensu theologorum contenta, licet nondum ab Ecclesia dogmatica confirmata definitione. Certum tamen est distinctionem intercedere inter veritatem simpliciter revelatam, et veritatem revelatam ac simul ab Ecclesia ut dogma declaratam. Theologi orthodoxi ad eam innuendam dicerent veritatem prioris generis carere nota церковности; theologia catholica breviori utitur formula quae diserte edisserit cuidam veritati revelatae addi notam quam memoravimus, eiusque consectarium, notam законообязательности. Si omnia dogmata in divina reve-

(1) « Dans la plupart des cas, les décisions dogmatiques n'engendraient pas le dogme, c'est-à-dire la connaissance dogmatique d'une doctrine clairement reconnue; elles ne faisaient que le protéger et l'affermir contre les témérités et les hardiesses du doute ». — P. 406.

(2) Pp. 169-170.

latione contenta, et ab Ecclesia non definita, nullimode distinguantur a dogmatis non solum revelatis, verum etiam ab Ecclesia definitis, ratio non esset cur magisterium Ecclesiasticum definitiones dogmaticas promulgaret. Inquit Chostin: *Testimonium Sacrae Scripturae et communis vox traditionis pro hac vel illa fidei veritate ex seipsis validissimum praebent fidelibus motivum eam accipiendi tanquam certissimum dogma divinitus revelatum* (1). Miror sane theologum qui buccis inflatis conclamitat latinos theologos rationalistarum placitis nimis indulsisse, sententiam expromere qua cuilibet fideli tribuitur ius discernendi quaenam veritates in divina revelatione ut dogmata accipienda sint. « Haud sufficit ut aliquid teneatur fide divina, quod in genuinis, ac canonicis veteris et novi Testamenti libris, nec non in divinis et apostolicis Traditionibus contineatur, sed debet insuper omnibus certo et infallibiliter constare, quod sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum; alioquin non obligaret sub poena haereseos; atqui id nequit certo, et infallibiliter omnibus constare, nisi quatenus proponitur ab Ecclesia catholica » (2). Ergo, posita divina revelatione, discretio dogmatum quae in ea continentur, singulorum fidelium munus non est, sed solummodo supremi magisterii ecclesiastici. Hoc etiam ex allatis theologorum orthodoxorum locis consequitur. Optime igitur a theologis catholicis invecta est haec distinctio ad designandum saepissime satis non esse pro fidelium captu veritatem aliquam credendam simpliciter contineri in deposito divinae revelationis (*dogma quoad se*), sed item requiri ut eius revelatio nobis constet legitimae auctoritatis testimonio (*dogma quoad nos*) (3). Quamvis igitur cuique nefas sit tum dogma *quoad se*, tum dogma *quoad nos* respuere (4), nullus tamen inficias iverit realem distinctionem inter utrumque dari, quia uni novum additur elementum (sanctio solemnis Ecclesiae), quo alterum caret.

(1) Свидѣтельство св. Писанія и общій голосъ преданія въ пользу той или другой истины вѣры представляютъ сами по себѣ вполнѣ достаточное и авторитетное побужденіе для вѣрующихъ, чтобы принять эту самую истину именно какъ непреложный богооткровенный догматъ. P. 170.

(2) Chrisman, *Regula fidei catholicae*; Migne, *Theologiae Cursus completus*, t. VI, col. 887.

(3) Mazzella, *De virtutibus infusis*, Romae. 1894, pp. 210-211.

(4) Unanimiter negant theologi ullam veritatem a Deo revelatam dari, quae non sit credenda *negative* i. e., quam affirmare vel inficiari cuipiam liberum sit; quamvis *positive* non omnes necessario explicite credendae sint. — Mazzella, op. cit., p. 191; Kihn, p. 387.

CAPUT III.

De Progressu dogmatico juxta theologos sive catholicos, sive orthodoxos.

1. Momentum huius tractationis. — 2. Quatuor falsae sententiae refelluntur: α′) sententia rigidioris protestantismi. — 3. β′) Sententia hodierni protestantismi. — 4. γ′) Sententia Antonii Güntheri. — 5. δ′) Sententia recentiorum Modernistarum. — 6. Theses doctrinae catholicae: α′) Progressus dogmaticus quoad substantiam rei extitit in historia revelationis ante aetatem apostolicam. — 7. β′) Per Iesum Christum atque Apostolos divina revelatio ita fuit expleta ut progressus dogmaticus quoad substantiam rei nequeat amplius admitti. — 8. γ′) Datur possibilitas, necessitas, et realitas progressus dogmatici *secundum quid* in revelatione divina. — 9. De modo quo progressus dogmaticus *secundum quid* perficitur in Ecclesia. — 10. Praenotanda in sententias theologorum orthodoxorum circa progressum dogmaticum. — 11. Demonstratur theologos orthodoxos profiteri progressum dogmaticum *secundum quid*. — 12. Doctrina orthodoxa de progressu dogmatico cum doctrina catholica comparatur. — 13. Errores theologorum orthodoxorum circa theoriam progressus dogmatici refelluntur: demonstratur Ecclesias orthodoxas neque *organum* habere magisterii ecclesiastici, neque hoc magisterium amplius exercere. — 14. Calumniae et negationes quorumdam theologorum orthodoxorum in Ecclesiam ac theologiam catholicam. — 15. *Theorice* ac *practice* numquam catholicam Ecclesiam docuisse sententias quas ipsi orthodoxi theologi affingunt, demonstratur. — 16. Thesis proposita exemplis confirmatur, adducta etiam auctoritate scriptorum tum orthodoxorum tum protestantium. — 17. Utrum progressus dogmaticus *secundum quid*, regressus in fide et in theologia censeri debeat. — 18. Doctrina theologorum catholicorum a nota rationalismi defenditur, ac demonstratur per definitiones dogmaticas Ecclesiam nullimode sententias particulares huius vel illius theologi ad dignitatem dogmatis evexisse. — 19. Quid de canone lirinensi theologi orthodoxi sentiant, exponitur; sensus catholicus eiusdem enucleatur, et defenditur. — 20. Obiectioni in doctrinam catholicam e canone lirinensis depromptae respondetur.

1. Rem tractandam fusius aggredimur, qua rite non intellecta, theologi orthodoxi saepe in tricas conjiciuntur ac maledictis carpunt catholicam theologiam. De *progressu dogmatum* in Ecclesia et per Ecclesiam Christi loquemur, qui progressus, nisi extitisset, vix ac ne vix liceret nobis theologiam ad scientiae sapientiaeque fastigium attollere. Hoc enim scientiae vel sapientiae proprium est, ut ex notioribus principiis ad minus nota, ut ex sublimi jam capta veritate, ad altiorem pedetentim progrediatur, quod fieri nequit si teneatur revelatio

divina, quae theologiae fons uberrimus est, nullum sane progressum, sive ex parte Ecclesiae docentis, sive ex parte fidelium discentium, admittere. Ut aequum feratur judicium de theologorum orthodoxorum sententiis, quae in proposita re a doctrina catholica deflectunt, praecipua capita theologiae catholicae quae ad *progressum dogmaticum* spectant, enucleabimus.

2. *Progressus dogmaticus* eo sensu a nobis usurpatur quem potiores theologi catholici hisce verbis affingunt. Multimodis enim et quidem mendose *progressus dogmaticus* sumitur vel a neotericis, vel a theologis catholicis qui a veritate descivere. Ad quatuor revocantur praecipuae sententiae quae catholicae doctrinae obstant, atque ab Ecclesia catholica explicite, ut rectae fidei contrariae, damnantur.

α') *Falsa est sententia veterum theologorum protestantium qui profitebantur quaecumque dogmata in Sacris Scripturis contineri explicite, clare et diserte* (1). Ex quo sequeretur progressum in dogmatum explicatione, humanae philosophiae figmentum esse; quidquid ad salutem creditur, tum quoad *substantiam rei*, tum quoad locutiones et formulas quibus exprimitur, ita hominibus immediate a Deo revelatum fuisse, ut nil amplius Ecclesia doctura sit fideles (2). Haec igitur sententia magisterium ecclesiasticum penitus rejicit, et singulis fidelibus vindicat jus hauriendi in Sacris Scripturis dogmata quae Deus ibi congessit. Quae sententia quantum a veritate aberret, operam luderet qui demonstrare aggrederetur, cum luculenter testetur historia per tot jam saecula magisterium ecclesiasticum veritatibus fidei evolvendis explicandisque vacasse. Ecclesia enim societas est vivens, membris viventibus struitur, ac vivens depositum fidei indesinenter custodit. Nil igitur mirum si ex parte progressum humanae compaginis vel mentis in addiscendis scientiarum veritatibus imitatur. Sicut enim compago nostri corporis identitatem sui principii vitalis semper servat, adolescit tamen, vires acquirit eundo, pulchrior efficitur, membrorum texturas evolvit, ac pleniorem magis magisque vitam possidet; sicut mens nostra in mathesi perdiscenda quaedam axiomata immutabilia primum

(1) Zöckler, t. II, p. 576. — Hanc sententiam praesertim tutati sunt Leonardus Hutterus, Wittenbergensis professor (1563-1616) in *Compendio Locorum theologicorum* (Wittenbergi, 1610), et Jacobus Quenstedtus (1617-1688) in *Theologia didactico polemica*. Prior hanc regulam statuit: « Ex Patrum verbis et factis non sunt extruendi articuli fidei. Regulam aliam habemus, ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei, et praeterea nemo, ne angelus quidem ». — *Hutterus redivivus*, Lipsiae, 1833, p. 14. Cf. Schäzler, *Die Bedeutung der Dogmengeschichte vom katholischen Standtpunkt aus erörtet*, Ratisbonae, 1884, pp. 10-11.

(2) Kuhn, *Einleitung in die katholische Dogmatik*, Tubingae, 1859, p. 133.

agnoscit, eaque deinceps illustrat, ex eis conclusiones haurit, corollaria quae sive in hisce, sive in illis latent, deducit, cunctaque denique suo labore et meditationibus accepta in unum velut corpus coire iubet; ita etiam Ecclesia veritates quas a Iesu Christo atque Apostolis custodiendas ad instar sacrae haereditatis consecuta est, diligenter excolit, investigat, ad clariorem lucem evocat, novisque explicationibus adauget. Quod si negetur, aut thesaurus in terris effossus ac robigine obductus dicenda esset divina revelatio, aut Ecclesia, vitalis principii jam expers, faciem potius praeseferret cadaveris quam societatis praeditae vita robustissima. Progreditur igitur Ecclesia in veritatibus dogmaticis evolvendis et quidem perfectius quam humanum corpus quod post lapsum temporis senectutis gelu persentit, dum Ecclesia indefectibili iuventute per inhabitantem Spiritum Sanctum potitur; perfectius quam humana mens, quae labilis et caduca aut principiorum, quibus scientia innititur, obliviscitur, aut falsis conclusionibus ex principiis deductis, erroribus illaqueatur, dum Ecclesia per assistentem Spiritum Sanctum, ut magistra infallibilis, recto itinere atque inoffenso pede, in veritatibus fidei tractandis enucleandisque progreditur. Falsae rigidiorum protestantium sententiae favere censet doctissimus Heinrich orientalium Ecclesiarum theologos, qui post saeculum octavum clausos jam rivos fuisse divini magisterii opinantur (1).

3. *β'*) Rejicienda etiam est sententia recentiorum protestantium, qui legitimo atque infallibili Ecclesiae magisterio orbati, eo audaciae progressi sunt, ut *dogmata pro temporum circumstantiis populorumque indole mutari assererent.* Harnack candide fatetur generatim apud protestantes progressum dogmaticum nil aliud sibi velle nisi dogmatum mutationes ac variationes: *Veränderungen. Historia* quam vocant *dogmatum* sibi proponit harum mutationum originem ac vices enarrare, qua scientia carere debet catholica Ecclesia quae immutabilitatem dogmatum profitetur (2). Dogmata igitur enascuntur et moriuntur,

(1) *Dogmatische Theologie*, t. II, Moguntiae, 1882, p. 29; Cfr. Hergenröther, *Photius, Patriarch von Konstantinopel*, t. III, Ratisbonae, 1869, pp. 332-333. Sententia protestantium, quam commemoravimus, ad crassum subjectivismum tum religiosum tum theologicum conducit, ut liquet ex ipsa definitione theologiae quam Iohannes Henich tradidit: « Theologia est habitus practicus industria humana acquisitus, cuius praesidio quis potest sacram Scripturam interpretari et ex ea omnia, quae ad salutem sunt necessaria, commode deducere, probare et confirmare atque etiam contra adversarios defendere ». *Institutiones Theologicae*, Rinteliae, 1655, p. 1; cfr. Gass, *Geschichte der protestantischen Dogmatik*, t. I, Berolini, 1854, p. 232.

(2) *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, t. I, ed. III, Lipsiae, 1894, p. 3. Fatetur tamen Harnack in protestantismo alios alias ad dogmatum progressum quod attinet

temporibus inserviunt, humanis opinionibus indulgent, ac diversum sensum labentibus saeculis accipiunt, ut fieri solet in ceteris scientiis.

Haec doctrina si admittatur, proculdubio sequeretur futuram quandoque aetatem, qua fides christiana penitus evanuisse dicenda esset. Praecipuus error fautorum huius sententiae, meo quidem animo, in eo reponendus quod putent non solum theologiam, verum et fidem ipsam, humanarum scientiarum more, quae hypothesibus nituntur, evolvere. Si dogmata, quae principia sunt fidei, legibus *evolutionis* ita subiicerentur ut vel delerentur, vel novam prorsus significationem obtinerent, fides ipsa christiana non amplius a Christo apostolisque derivaret, quia doctrinam vel Christi vel Apostolorum non exhiberet, sed novatorum figmenta. Immo haec fides *christianae* nomine contra veritatem rei dignaretur. Sicut enim in astronomicis disciplinis post occasum theoriae, quam ptolemaïcam vocant, novum systema inductum est, quod ab auctore copernicanum audit, ita etiam si dogmata aliam prorsus significationem praeseferrent ab ea quam Apostoli magisterio Christi acceptam retulerunt, vehementer falleretur qui haec dogmata *christiana* adhuc vocaret. Doctrinam Christi haec amplius non exhibent, sed placita, vel systema philosophicum novatorum qui ea corruperunt, negarunt, immutarunt. Fides lutherana vel calviniana habebitur, at nullimode fides christiana, quia veteri aedificio iam fatiscenti nova prorsus fundamenta substructa sunt.

4. γ') Ut falsam rejicit etiam catholica Ecclesia sententiam quae ab Antonio Günthero († 1863) *guntherianismus* audit. Revelationem christianam identicam manere docebat Güntherus; eius tamen cognitionem philosophicarum disciplinarum ope majus in diem incrementum accipere. Definitiones igitur dogmaticae quae ab Ecclesia proponuntur, doctrinam fixam, immutabilem non exhibent, sed veritatem quandam relativam, quae temporum adjunctis respondet. Cum ceterae scientiae maiori semper nisu conantur altiorem perfectionis gradum consequi, ubi contigit hunc consecutas esse, priscas definitiones opus est ut immutet Ecclesia, ac meliores proponat. Novis accessionibus ex humanarum scientiarium studio acquisitis fidem adaugeri usque dum clara habeatur mysteriorum intelligentia tenet Güntherus (1), cuius doctrina,

---

sententias tenere: idest apud theologos protestantes maximam opinionum confusionem vigere: « Innerhalb dieser Kirchen herrsch zur Zeit kein Einverständniss darüber. — P. 4.

(1) Sess. III, *De fide et ratione*, can. 3; Denzinger, *Enchiridion symbolorum*. Friburgi, 1908, p. 482. — Cfr. Stöckl, *Geschichte der neueren Philosophie*, t. II, Moguntiae, 1883, pp. 360-365; Franzelin, *Tractatus de divina Tra-*

in eo quod tuetur mutationes substantiales dogmatum, quantum a catholica fide absit, nemini obscurum esse arbitror. Ab ea refellenda abstinemus, satis ducentes canonem afferre concilii Vaticani quod eam solemniter reprobavit: « Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia: A. S. ».

5. *δ'*) Indignatur denique catholica Ecclesia sententiam, quae nuperrime sub nomine evolutionis dogmaticae invecta est, quaeque dogmata eodem sensu non accipienda statuit quo accepta fuere ab antiquioris aevi christianis, vel significationem moralem praeseferre (1). Utrumque asserendum docent scriptores quidam *modernistae*, ne contingat ut coetus exculti dogmata, tanquam libertati doctarum investigationum officientia, fastidiant (2). Si admittatur, inquit cl. Billot, sensum antiquae Ecclesiae circa primaria etiam dogmata religionis nostrae fuisse revera diversum a sensu qui in Ecclesia sequioris aevi praevaluit, statim sequeretur non haberi traditionem immutabilem, fixam sibique semper constantem sed e contra, talem eam esse agnoscendam, quae indefinitae variationi sit per se obnoxia (3). Dogmata

---

ditione et Scriptura, Romae, 1896, pp. 281-284; Egger, *Enchiridion Theologiae dogmaticae generalis*, Brixinae, 1893, pp. 228-230; Mazzella, *De Virtutibus infusis*, pp. 271-272. Sufficiat animadvertere propositam sententiam Güntheri falsitatis insimulare tum ipsam divinam revelationem, quae nobis exhibetur emendationis indigens; tum Apostolos, qui licet divinam sapientiam e labiis Redemptoris immediate hauserint, feruntur minori divinarum rerum scientia praediti quam scioli recentioris philosophiae.

(1) « Le sens des dogmes est avant tout pratique et moral. Le catholique, obligé de les admettre, n'est astreint par eux qu'à des règles de conduite, non pas à des conceptions particulières. Aussi n'est-il pas condamné à les recevoir comme de simples formules littérales ». Le Roy, *Dogme et critique*, Parisiis, 1907, p. 32. Catholicam autem fidem non minus quam christianam penitus convellunt audaciores modernistae qui divinam originem dogmatum perfricta fronte denegant. Audiantur quae effutiunt anonymi scriptores *programmatis* modernistarum: « Anzichè ritrovare alle origini, sia pure in germe, le affermazioni dogmatiche formulate lungo il corso dei secoli dal magistero ecclesiastico, noi abbiamo trovato una forma religiosa che, amorfa e adommatica nei suoi inizii, è venuta lentamente sviluppandosi verso forme concrete di pensiero e di rito per le esigenze della comunicazione collettiva, per la necessità di esprimere astrattamente i principii che dovevano foggiare la attività religiosa dei fedeli, per lo sforzo dei pensatori cristiani, per le ripercussioni della lotta contro gli eretici ». *Il programma dei modernisti*, Romae, 1908, p. 79.

(2) Le Roy, p. 11; Loisy, *Autour d'un petit livre*, Parisiis, 1903, pp. xxxiii-v.

(3) *De immutabilitate Traditionis contra modernam haeresim evolutionismi*. Romae, 1907, p. 89.

quae ab Ecclesia proponuntur ut veritates revelatae, attenuarentur ad conditionem liberae interpretationis, religiosi quod vocant facti, ratione humana praeeunte ac semitam commonstrante (1). Meum non est immorari in hisce pravis doctrinis refellendis quae decreto S. Officii « *Lamentabili* » (3 iulii 1907) dammatae sunt (2). Eas tamen memorandas censui ut pateat theologiam catholicam medium inter utrumque extremum iter tenere. Etenim, dum illis aversatur qui veluti semen sterile divinam revelationem nunquam efflorescere declarant, ac mentem nostram catenis vinciri dum conatur profundiores eius latebras scrutari, item condemnat eum qui privatae interpretationi viam munit ac verbum Dei fluxis humanarum opinionum legibus sese conformandum docet (3). Progressum quidem in dogmatis tuetur catholica Ecclesia, hoc tamen sensu quod vivens depositum fidei suam originem, faciem, characterem, animumque, si fas est dicere, christianum non omittat (4).

(1) Ferrari, *Rassegna del Modernismo*, Romae, 1908, p. 154.

(2) « Dogmata quae Ecclesia perhibet tanquam revelata non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit (Prop. 22); Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi » (Prop. 26). — Denzinger, pp. 540-541.

(3) « Die Katholische Auffassung nimmt die Mittelstellung ein zwischen dem irrationalen Supernaturalismus jener hölzernen Orthodoxie, der die Bibel eine Stereotypie der göttlichen Wahrheit ist, und dem die göttliche Offenbarung und den suprarationalen Charakter ihres Inhalts läugnenden Rationalismus, der in ihr nur die erste, noch schwache und matte Erscheinung des in der Vernunft leuchtenden und im Fortgang ihrer Entwicklung immer heller strahlenden göttlichen Lichtes erblickt ». Kuhn, p. 134.

(4) Haec de modernismo locuti sumus quia non deficiunt in Russia scriptores orthodoxi quibus videtur Ecclesiarum unio fieri non posse nisi romana Ecclesia per modernismum renovata, dogmata recenter a se definita damnet, quod sane miram contradictionem involvit. Statuitur enim orientales Ecclesias a romana unitate descivisse eo consilio ut sua dogmata sarta tectaque servarent, eodemque tempore possibilis declaratur unio si modernistarum placita, quae cuncta dogmata funditus convellunt, in Romana Ecclesia principatum obtinerent. Ita S. Troitzky affirmat quod modernismus, eo ipso quod theorias docet ad notionem religionis spectantes, quae propius accedunt ad sententias theologiae ortodoxae, unionem ecclesiarum, prout ab orthodoxis intelligitur haec quaestio, in controversiam vocat. Tenent enim modernistae unionem Ecclesiarum factum iri per consensum in eadem doctrina, non autem per subiectionem eidem supremae auctoritati. Соединение церквей и модернизмъ (*Unio Ecclesiarum et modernismus*), Странникъ, 1908, t. I, p. 518; Id., Модернизмъ и православіе (*Modernismus atque orthodoxia*), Церковныя Вѣдомости, 1908, nn. 10-11, pp. 493-496, 545-549.

6. *α′) Progressum dogmaticum in divina revelatione etiam in veritatibus quae ad substantiam fidei pertinent, olim extitisse docet theologia catholica.*

Haec propositio ut rite intelligatur, triplicem distinctionem exigit: *α′*) Progressus dogmaticus, adhibitis vocibus scholasticis, dispescitur in progressum *simpliciter* dictum, et progressum *secundum quid*. Prior habetur quando per novam revelationem objecta, quae vocantur materialia fidei, augentur, ac depositum fidei novis veritatum revelatarum accessionibus ditius atque uberius evadit. Hic progressus, ut liquet, sine Dei immediato concursu non habetur, quia veritates altissimas fidei humana mens sua industria etiam quod earum existentiam nequit attingere. Progressus vero *secundum quid* augmentum *numerale* objectorum materialium fidei excludens, augmentum *declarativum* fidei tantum praesefert. Veritates enim revelatae perdifficiles captui humano, necessario requirunt, ut, pulsa caligine, clariori luce nitescant, distinctius hominibus explicentur ac proponantur, et contra errorum segetes fulciantur. Hoc fit per concursum mediatum Dei, quatenus magisterium ecclesiasticum, tantum Deo adiuvante atque illustrante, exerceri potest. Ut paucis rem conferam, progressus *simpliciter* dictus supponit immediatam revelationem factam a Deo *docente*; progressus vero *secundum quid* revelationem *mediatam* per Ecclesiam *definientem* ac *declarantem*. Prior docet homines veritates quae sunt dogmata fidei tum quoad se, tum quoad nos; alter vero nos non docet veritates quae sunt dogmata fidei *quoad se* per novam revelationem, sed veritates fidei *quoad se* in revelatione jam contentas, efficit veritates fidei *quoad nos* (1). *β′*) Objecta materialia fidei duplicis generis sunt. Quaedam ad *fidei substantiam* pertinent, ac vocantur *substantiales veritates*, vel *principaliores*, quia respiciunt directe primarium atque immediatum finem hominis, aeternam salutem, ac nobis accipiuntur veluti summa totius fidei, seu axiomata fundamentalia, e quibus eruuntur et in quibus *implicite* continentur ceterae veritates revelatae. Quaedam vero secundaria sunt, quia « ad salutem ex se non pertinent sed tamen de facto cum ea in praesenti ordine connectuntur » (2). Ad sententiam S. Thomae veritates quae ad substantiam fidei pertinent recensentur ab Apostolo in epistola ad Hebraeos: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit (XI, 6) ». *γ′*) Denique distinguimus relate ad progressum dogmaticum *aetatem ante legem, aetatem legis*, atque *aetatem gratiae*, quae distinctio

(1) Mazzella, *De virtutibus infusis*, p. 252.
(2) Tanqueray, II. p. 29.

a S. Thoma proposita est. Pro re nostra sufficit distinguere inter aetatem quae ab Adamo usque ad Christum Apostolosque protenditur, atque oevum christianum quod usque ad finem mundi perseveraturum firmiter tenemus.

Hisce positis distinctionibus asserimus thesim quam supra commemoravimus. Eidem prima fronte obstare videtur auctoritas S. Thomae qui haec habet: « Quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quaecumque posteriores crediderunt continebantur in fide praecedentium Patrum, licet implicite; sed quantum ad explicationem, crevit numerus articulorum quia quaedam explicite credita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite » (1). Haec tamen verba sibi nolunt totam revelationem divinam ita contineri in praecitatis articulis fidei ut necessaria penitus non fuerit nova revelatio. Hic videtur mihi adhibenda distinctio quam S. Thomas innuit inter Deum docentem atque hominem discentem (2). Ex parte Dei docentis conceditur non extitisse augmentum numerale, posita revelatione, generalium articulorum, quia in hisce articulis, prout considerantur in mente divina, tota continetur implicite oeconomia a Deo statuta pro hominibus servandis atque ultima beatitudine donandis. Ex parte vero hominis discentis, progressus numeralis in veritatibus fidei realiter habetur, si realiter temporis successu homines docti sunt a Deo veritates revelatas quae nullimode in praecedenti revelatione extiterint. Atqui hoc factum fuisse comperimus ex Angelico Doctore. Ergo. Ait enim S. Thomas: « Revelatio quidem crevit secundum tres temporum distinctiones, scilicet ante legem, sub lege et sub gratia » (3).

Thesis, quam defendimus, tum ratione, tum historia constat. Et primum ratione, quia, in edocendis hominibus veritates fidei, Deus ordinem sequitur naturae humanae consonum. Hoc autem proprium est naturae humanae ut ex imperfectioribus notionibus ad perfectiores ac-

(1) *Sum. Theol.*, II, 2, q. 1, a. 7. Schläzer, pp. 142-143.

(2) Loc. cit., ad Tertium.

(3) *Sum. Theol.*, II, 2, q. CLXXIV, a. VI. S. Gregorius Magnus id profitetur diserte; « Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum. Plus namque Moyses, quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus Apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt ». Migne, *P. L.*, LXXVI, col. 980. Cardinalis Mazzella tenet omnia quae nunc credimus contineri in illis duobus generalibus articulis ad fidei substantiam pertinentibus *obiective* et *in se*, quibus verbis adiungendum puto *in mente divina*. *Objective* enim et *in se*, at *praecise* a mente divina, determinatas veritates tantum exhibent, quae ad plurimas veritates divinae revelationis relationem non haberent, nisi Deus inter utrasque vinculum statuisset.

cedat, non secus ac corporis compago cuius tenella membra paullatim per nutritionem ciborumque assimilationem robustiora fiunt. Infanti vix lucem aspicienti non praebet mater edendum cibum quem ferre tantum potest vir maturae aetatis. Eodem modo nobis *pueris in fide*, splendores aeternae veritatis Deus simul non patefacit, ne oculorum acies obtundatur: nimiis enim fulgoribus homines obcoecantur. Non secus ac discipulus, qui pedetentim veritates scientiarum discit, suarumque cognitionum in dies incrementum accipit, genus humanum in rebus fidei per aliquod tempus magisterio divino excultum, in perdiscendis veritatibus revelatis progressus est, donec plenitudinem divinae revelationis in Christo et per Christum attigerit (1). In utroque casu progressus *numeralis* revelationis non habetur ex parte magistri docentis qui totam scientiam simul complectitur, sed ex parte discipuli qui per nota, ut assolet apud mortales, ad ignota percipienda adducitur. Si quis autem sententiae favet qua docemur veritates omnes divinae revelationis contineri in propositis articulis fidei, dicendum quidem esset eas contineri veluti flos in calyce. Nocturno tempore flos in suo calyce perstringitur, ac foliorum pulchritudinem obtegit. Ut reviviscat pulchramque speciem iterum pandat, omnino necessaria est lux amica solis quae calycem paulatim adaperiat. ac foliola quodammodo suo ex carcere extrudat. Veritates fidei ad fidei substantiam pertinentes comparari possunt foliolis quae in flore adhuc clauso latent. Ut nobis detegantur, requiritur lumen novae revelationis quae nobis eas pandat, involucrisque liberet quibus obnubilantur. Haec nova revelatio novas patefacit veritates quas sine verbo Dei humana ratio nunquam aperuisset.

Ad historicum argumentum quod attinet, compertum est ante Jesum Christum atque Apostolos incrementum *numerale* veritatum fidei simul cum incremento declarativo extitisse: *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις*, Heb., I, 1 (2). Ne multus sim, satis sit in memoriam revocare quaedam ad substantiam fidei pertinentia non reperiri in Vetere Testamento, licet in eo *insinuata* vel *praefigurata fuerint*, verbigratia distinctio divinarum Personarum in Ssma Trinitate, mysterium transsubstantiationis eucharisticae etc. Inde sequitur numerice plures dari veritates revelatas in Novo Testamento quam in Vetere (3).

(1) Dörholt, *Ueber die Entwicklung und den Fortschritt in der Theologie*, Monasterii, 1892, pp. 9-10.

(2) Hanc thesim optime demonstrat Kuhn, *Einleitung in die Katholische Dogmatik*, pp. 117-130.

(3) Cfr. Suaresii, *Disputatio de fide II, sectio* VI, 2, *Opera omnia*, t. XII, Parisiis, 1858, p. 34; Mazzella, *De Virtutibus infusis*, p. 263.

7. *β'*) *Per Jesum Christum atque Apostolos ita completam absolutamque fuisse divinam revelationem docet catholica theologia, ut progressus numeralis dogmaticus in veritatibus fidei penitus rejiciendus sit.*

Huius theseos veritatem luculentis testimoniis firmant: 1. Scriptura Sacra; 2. Traditio; 3. Quodammodo humana ratio. Ad primam quod attinet, generatim in Sacris Scripturis lex nova opponitur veteri ut perfectio imperfectioni, ut complementum exordio, ut plenitudo defectui. Jesus Christus fertur primum tanquam unicus magister Apostolorum: *καθηγητὴς ὑμῶν ἐστιν εἷς ὁ Χριστός*, Mat. XXII, 10. Hic magister venit ut doceat apostolos quando facta est plenitudo temporis, *τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*, Gal. IV, 4; *τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν*, Eph. I, 10; in diebus novissimis, *ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις*, Act. II, 17; *ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν*, Hebr. I, 1; *ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων*, I Pet. I, 20, et per ipsum impleta sum tempora, *πεπλήρωται ὁ καιρός*, Marc. I, 15, et Scripturae, *πεπλήρωται ἡ Γραφή*, Luc. IV, 21. Ipse non venit ut solvat legem, verum ut perficiat: *οὐκ ἦλθον καταλῦσαι (τὸν νόμον) ἀλλὰ πληρῶσαι*, Mat. V, 17: ipsemet finis est legis: *τέλος γὰρ νόμου Χριστός*, Rom. X, 4. Ut hanc missionem rite perficiat, ut eos qui sub lege erant redimeret, *ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ*, Gal. IV, 5, Apostolos docuit omnem veritatem, *τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν*, Io. XVI, 13, locutus eis tanquam amicis carissimis, omnia quaecumque audivit a Patre, *ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ Πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν*, Io. XV, 15, eisque munus detulit praedicandi evangelium in universo mundo, *πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον*, Marc. XVI, 5. Sua tradita doctrina, *evacuatur* quod imperfectum est in Vetere lege eique substituitur quod manebit in aeternum, *τὸ μένον*, II Cor. III, 11; fundatur regnum immobile, *βασιλεία ἀσάλευτος*, Heb. XII, 27, sempiternum sacerdotium quod iure potitur servandi in perpetuum qui accedunt ad Deum per Jesum Christum, *ὁ δὲ διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην· ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ*, Ib. VII, 24-25. Ex eius plenitudine omnes acceperunt, *ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν*, Io. I, 16: Apostoli praesertim acceperunt divitias gratiae quae superabundavit in eis in omni sapientia et prudentia, *τὸ πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει*, Eph. I, 8. Nil igitur mirum si fides christiana tota fundata est super fundamento Apostolorum et Prophetarum, *ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν*, Ib. II, 20.

Ex citatis locis sequitur: 1) diserte contineri in Sacris Scripturis nullum amplius diem oriturum quo nova revelatio fiat hominibus. Deus enim fertur locutus fuisse in novissimis diebus, in praefinito tempore, neque unquam in posterum locuturus; 2) verba adhibentur quibus exprimitur per Iesum Christum atque Apostolos divinam revelationem quodammodo exhaustam fuisse. Omnia enim quae accepit Iesus a Patre manifestavit discipulis suis, omnem veritatem eos ita docuit, ut nil detur amplius de quo erudiri queant homines ad salutem aeternam adipiscendam. *Quantitative* igitur fas est asserere revelationem numeris omnibus absolutam fuisse; 3) Dicuntur Apostoli divitias ingentes a Iesu Christo accepisse, ex eius plenitudine gratiarum hausisse: hoc autem sibi vult eos ex thesauris divinae sapientiae omnia excerpsisse quae ad firmandum regnum Dei in terris necessaria visa sunt, opus igitur imperfectum non reliquisse, quod serioribus revelationibus adimplendum esset.

Traditio idem nobis testatur. Suis successoribus imperant Apostoli ut depositum fidei caute servent: *τὴν καλὴν παραθήκην φύλαξον διὰ Πνεύματος Ἁγίου τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν*, II Tim. I, 14. Horum munus est fideles docere ea quae ab Apostolis didicerant eosque magistros ceterorum efficere: *ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων ταῦτα παράθου πιστοῖς, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι*, Ib. II, 2. In hac fide quam didicerant per Apostolos Apostolorumque successores fideles tenentur firmiter manere: *σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης*, Ib. III, 14, et confirmari: *βεβαιούμενοι τῇ πίστει καθὼς ἐδιδάχθητε*, Col. II, 7. Si ex praecitatis locis comperitur igitur Apostolis demandatum fuisse munus instruendi pastores et gregem christianum, praedicandi veritates quae oretenus a Iesu Christo acceperunt, successoribus Apostolorum officium tribuitur custodiendi quae eis commissa fuere. Per illos facta est promulgatio legis divinae; per istos vero in tuto collocatur huiusmodi lex. Praebetur Ecclesiae thesaurus custodiendus, quo ipsa uti potest, quin tamen abalienet novatoribus, vel effodiat, vel humanis inventis corrumpat. Hoc sensu interpretati sunt Patres Ecclesiae allata testimonia. Fides cui christiani firmiter adhaerere debent « est fides apostolica quae nonnisi una est (1) ». Haec doctrina Apostolorum, quam viam *lucis*, *ὁδὸς τοῦ φωτός* (2) vocat auctor epistolae quae Barnabae apostolo tribuitur, quaeque ad nos

(1) S. Leonis M., Ep. XXXI, n. 4, *P. L.*, LIV, col. 794.

(2) *P. G.*, II, col. 177. In eadem epistola fidelibus consulitur ut servent quae acceperunt neque addentes, neque dementes: *Φυλάξεις ἃ παρέλαβες, μήτε προστιθείς, μήτε ἀφαιρῶν*. *P. G.*, II, col. 780. Iisdem verbis repetitur hoc praeceptum in *Doctrina duodecim Apostolorum*, IV, 13, ed. Funk, Tubingae, 1887, p. 17. S. Ignatius martyr fideles exhortatur ut firmentur in dogmatis Domini atque Apostolorum: *Σπουδά-*

pervenit sive per documenta scripta, sive per traditionem oralem, *τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δι' ἀγράφων θεσμῶν* (1), est « fons ex quo ducitur in nos veritas (2) » est principium illius fidei, quae a Domino per discipulos ad nos usque pervenit, atque a Patribus nobis recte ac firmiter tradita est (3). Apostoli commiserunt hanc fidem eis qui poterant eam capere (4). Eam, cum acceperit Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminatam, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans (5). Haec vera scientia (*γνῶσις ἀληθής*), haec doctrina Apostolorum (*ἡ τῶν Ἀποστόλων διδαχή*) « pervenit usque ad nos sine fictione, plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens (6), et munus Ecclesiae tribuitur docendi fideles ne quid curiose praeter antiquam fidem inquirant (7). Huic igitur fidei quae a Iesu Christo,

---

ζετε βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ Κυρίου καὶ τῶν Ἀποστόλων, *Ad Magn.*, XIII, *P. G.*, V, col. 672, eisque tenaciter adhaereat: *προὔτρεπέ τε ἁπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως*, Eus., *Hist. Eccles.*, III, *P. G.*, XX, col. 288. S. Polycarpus pariter fideles admonet ut relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditiones revertantur: *Ἀπολείποντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν.* Ad Philipp. VII, *P. G.*, II, col. 1012.

(1) Eusebii, *Demonstratio Evangelica*, I, c. 8; *P. G.*, XXII, col. 76.

(2) S. Augustini, *De baptismo contra Donatistas*, V, c. 26; *P. L.*, XLIII, col. 194.

(3) *Οὐ γὰρ νῦν κανόνες καὶ τύποι ταῖς Ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ τῶν Πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν· οὐδὲ νῦν ἡ πίστις ἤρξατο, ἀλλ' ἐκ τοῦ Κυρίου διὰ τῶν μαθητῶν εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν.* S. Athanasii, *Epystola Encicl.*, 1; *P. G.*, XXV, col. 225. Alibi S. Athanasius docet in rebus fidei investigandam esse doctrinam Ecclesiae catholicae, quam Dominus tradidit, atque Apostoli praedicavere et Patres servavere. In ea enim Ecclesia est fundata, a qua, si quis exciderit, nec esse nec amplius dici christianus poterit: *Ἴδωμεν δὲ ὅμως καὶ πρὸς τούτοις καὶ αὐτὴν τὴν ἐξ ἀρχῆς παράδοσιν καὶ διδασκαλίαν καὶ πίσνιν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ἣν ὁ μὲν Κύριος ἔδωκεν, οἱ δὲ Ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, καὶ οἱ Πατέρες ἐφύλαξαν. Ἐν ταύτῃ γὰρ ἡ Ἐκκλησία τεθεμελίωται καὶ ὁ ταύτης ἐκπίπτων οὐδ' ἂν ἔτι λέγοιτο χριστιανός.* Ep. ad Serap., n. 28, *P. G.*, XXVI, col. 596.

(4) *Ταῦτα τοῖς οἷοις τε χωρεῖν παρεδίδοσαν.* Eus., *Dem. Evang.*, I, c. 8; *P. G.*, XXII, col. 76.

(5) *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίστιν ... ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα*, Iren., *Contra haereses*, I, c. X, n. 2, *P. G.*, VII, col. 552. — Pulcherrimis verbis definit S. Irenaeus τὸ depositum fidei: « Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in Ecclesiam contulerunt omnia quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitae; omnes autem reliqui fures sunt et latrones » Ib., III, c. 4, col. 855.

(6) *Μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν, ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον, ἠλαττόνησε.* Ib., col. 553, 1077.

(7) *Ἡμεῖς δὲ παρακαλοῦμεν τοὺς ἠλικιώτας εἰς Χριστόν, μηδὲν παρὰ τὴν ἀρχαίαν περιεργάζεσθαι πίστιν.* S. Basilii, Ep. 175, *P. G.*, XXXII, col. 652.

prophetis atque apostolis praedicata est, praestandus assensus » (1). Non enim per alios, ait S. Irenaeus, dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum (2) ». Merito igitur Apostoli « qui de omnibus adimpleti sunt et habuerunt perfectam agnitionem », vocantur fundamenta Ecclesiae, cuius Iesus est petra angularis. « Eorum enim auctoritas, ait S. Augustinus, portat infirmitatem nostram, per ipsos intramus ad regnum Dei, et cum per ipsos intramus, per Christum intramus » (3). Ad sententiam igitur Patrum Ecclesiae, Apostoli nobis plenissimam divinae revelationis scientiam tradiderunt, eorumque traditionibus nihil addendum. Munus Ecclesiae in servando ac docendo ponitur, non in innovando. Origo apostolica cuiusdam doctrinae ad fidem spectantis est ipsius veritatis atque authentiae tessera.

Hoc idem sentiunt tum veterum tum recentiorum conciliorum Patres. Ad refellendum Paulum Samosatenum Patres synodi antiochenae I, quae inter annos 263-266 locum habuit (4), statuerunt fidem scripto edere atque exponere quam a principio acceperunt, atque traditam et servatam in catholica et sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, a

(1) *Πιστευέτω καὶ ταῦτά τις καὶ θεοῦ μαθηταῖς, καὶ ἐγγυητῇ θεῷ, προφητείας, εὐαγγελίοις, λόγοις ἀποστολικοῖς.* Clem. Al., *Liber quis dives salvetur*, n. 42. *P. G.*, IX, col. 652.

(2) *Contra haereses*, III, c. 1, *P. G.*, II, col. 344. — Hisce testimoniis adiungimus auctoritatem Clementis Alexandrini qui principium doctrinae fidei ponit Dominum per Prophetas, Evangelium atque Apostolos manifestatum: *Ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας τὸν Κύριον, διά τε τῶν Προφητῶν, διά τε τοῦ Εὐαγγελίου, καὶ διὰ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων, πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς, ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος ἥκοντες τῆς γνώσεως. Τὴν ἀρχὴν δ' εἴ τις ἕτερον δεῖσθαι ὑπολάβοι, οὐκέτ' ἂν ὄντως ἀρχὴ φυλαχθείη. Strom.* VII, 16, *P. G.*, IX, col. 532. — Vere sapiens in rebus divinis, ait Clemens, ille est qui servat apostolicam atque ecclesiasticam orthodoxiam dogmatum: *τὴν ἀποστολικὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν σώζων ὀρθοτομίαν τῶν δογμάτων.* Ib., col. 544. — Pulcherrima in eadem re sunt etiam verba Tertulliani: « Apostolos Domini habemus auctores qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt ». *De praescript.*, VI, *P. L.*, II. col. 21. — Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum; nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus. Ib., c. VII, col. 24. Ex aliis Patribus vel ex conciliis luculenta collegit testimonia Leontius de Grandmaison in doctis disquisitionibus: *Le développement du dogme chrétien, Revue pratique d'apologétique*, t. VI, 1908, pp. 414-436.

(3) *Enarratio in Psalmum LXXXVI*, nn. 3, 4; *P. L.*, XXXVII, col. 1103.

(4) Hefele, *Histoire des Conciles*, t. I, p. 196.

beatis Apostolis, qui viderunt ipsi, et ministri fuerunt verbi, praedicatam ex lege et prophetis, ac novo Testamento (1). Contra Arianos, S. Athanasius, dogmata apostolica invocat, pro quibus mortem oppetere episcopos Ecclesiae catholicae quae apostolica est non dubitat (2). Conciliorum est, ut explicat quoad concilium oecumenicum VII (787) S. Tharasius Patriarca Constantinopolitanus (784-806) in litteris ad Hadrianum I (772-795), custodire et tenere quae a sanctis et laudatissimis Apostolis et Patribus canonice sunt prolata, eosque qui quid horum contempserint abominari (3). Haec eadem tradit Catholica Ecclesia in synodo Tridentina, qua docemur Evangelium fontem haberi omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, quae veritas et disciplina continentur « in libris scriptis, et sine scripto traditionibus » quaeque ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt (4).

In decreto de iustificatione (prooemium), ipsa Synodus testatur nil aliud docturam nisi quod apostoli tradiderunt, et catholica Ecclesia, Spiritu Sancto suggerente, perpetuo retinuit (5). Eadem perspicuis verbis enucleantur a Concilio Vaticano: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur (6).... Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam *divinum depositum* Christi sponsae tradita, *fideliter custodienda et infallibiliter declaranda* » (7).

Haec fusius disserenda duximus ut respondeamus quibusdam theologis orthodoxis, qui de modernismo locuti, asseruere modernistarum errores derivare ex principiis generalibus theologiae catholicae, quae non

(1) *Ἔδοξεν ἡμῖν ἔγγραφον τὴν πίστιν ἣν ἐξ ἀρχῆς παρελάβομεν, καὶ ἔχομεν παραδοθεῖσαν, καὶ τηρουμένην ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας ἐκ διαδοχῆς ὑπὸ τῶν μακαρίων ἀποστόλων, οἳ καὶ αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γεγόνασι τοῦ λόγου καταγγελλομένην ἐκ νόμου καὶ προφητῶν, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης, ταύτην ἐκθέσθαι.* Mansi, I, col. 1033.

(2) *Ταῦτα διδάσκομεν, ταῦτα κηρύττομεν, ταῦτα τῆς Ἐκκλησίας τὰ ἀποστολικὰ δόγματα, ὑπὲρ ὧν καὶ ἀποθνήσκομεν.* Ib. II, col. 657.

(3) *Φυλάττοντες καὶ κρατοῦντες τὰ παρὰ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἀοιδίμων Πατέρων ἡμῶν κανονικῶς ἐκδοθέντα· καὶ εἴτι τούτων παρεβάθη ὑπό τινων, βδελυττόμεθα.* Ib , XIII, col. 463.

(4) *Sessio IV, Decretum de Canonicis Scripturis*, Denzinger, p. 261.

(5) *Sacrosancti Concilii Tridentini Canones et Decreta*. Parisiis, 1822 pp. 34, 87-88.

(6) *Constitutio De fide catholica*, c. 3, Denzinger, p. 476.

(7) Ib., c. 4, Denzinger, p. 479.

nititur dogmatis ut veritatibus aeternis et immutabilibus, sed vitali vinculo Ecclesiae cum Christo (1).

Quodammodo ex ratione haec thesis etiam probatur. Qui docuit Apostolos revelationem, Magister est qui thesauros infinitae Dei sapientiae essentialiter possidet. Ut divitias thesaurorum Dei aperiret, humanam naturam induit, et cum hominibus conversatus est. Opus perfectum in terris creavit, quod nunquam potentiae adversae concutient, viamque hominibus munivit ut promissam per legem gratiae beatitudinem acquirant. Si perfectum igitur opus est quod Iesus Christus instituit, si per ipsum attingimus perfectissimum finem, abs re esset arbitrari media quae nobis ipse paravit, perfectione carere. In opere redemptionis Iesus Christus non egisset ut Deus, sed ut homo lacunis obnoxius; missionem, quam Pater ipsi dedit, numeris omnibus non absolvisset, ideoque mittendi iterum Apostoli et Prophetae ut revelationem eius imperfectam compleant. Quae omnia quam iniuriosa Iesu Christo Deo nostro nullus sane est qui non videat (2).

8. *Augmentum declarativum fidei, scilicet progressum dogmaticum secundum quid, vel, ut ait S. Anselmus, « profectum fidelis in fide, potiusquam fidei in fideli » per Ecclesiam divina praerogativa infallibilis magisterii praeditam, possibile, necessarium, reale, docet catholica theologia.*

Antequam thesis probetur, distinctio enucleanda est inter ea quae fide divina *explicite* et *implicite* tenentur. « *Explicite* credere, ait Suaresius, nihil aliud est quam credere aliquid in seipso, ita ut illud sit proximum obiectum in quo cadit assensus fidei; credere autem *implicite* est credere in alio tantum, quia quod sic creditur, revera non cognoscitur, neque intellectus format proprium conceptum propositionis, quae *implicite* tantum credi dicitur, sed alterius in qua illa continetur (3) ». Fides igitur implicita habetur, « quando aliquid credimus, in quo vel alia involvuntur, quamvis nos lateant quae sint, vel

(1) Католическая религіозно-богословская система основывается не на догматахъ, какъ неподвижимыхъ и вѣчныхъ истинахъ, а на живой связи церкви со Христомъ. — Cetverikov, Религіозный модернизмъ на Западѣ и борьба съ нимъ римской куріи (*Modernismus religiosus in Occidente, et lucta curiae romanae cum eo*). Trudy K. D. A., 1908, t. II, p. 329.

(2) « Ein Fortschritt der Offenbarung, wie sie für die Entwicklung geeignet ist, kann nicht mehr stattfinden, nachdem Gottes Wahrheit in einer hypostatischen Theophanie objectiv geworden und nachdem Gottes Gnade eine solche Weise der Selbstmitteilung gefunden hat, dass die Gnadengabe Gott selber ist. Die Erscheinung des Logos und die Spendung des hl. Geistes vollendet die Offenbarung; sie ist ihr Amen ». Schell, t. I, pp. 191-192.

(3) *Disput. de fide*, II, sectio XI, 2, *Opera*, t. XII, p. 32.

non possum credere hoc, quin eo ipso saltem in communi, alia credamus » (1). Si quis verbigratia explicite animam esse naturam spiritualem credit, eo ipso implicite credit animam esse simplicem, incorruptibilem, rationalem etc. quae omnia requisita sunt cuiuslibet naturae spiritualis. Quae asserimus, de homine intelligenda sunt qui disciplinas philosophicas non callet. Si quis enim, adepta notione spiritualitatis animae, ulterius vacat studio philosophiae, citius sibi persuadebit, animam, ut naturam spiritualem, praeditam esse recensitis proprietatibus, quo in casu, quae implicite profitebatur, explicite profiteretur. Hoc idem contingit in fide supernaturali, sive homines singulatim, sive totam Ecclesiae *collectivitatem* sumamus. Rusticus enim vel puer non omnes veritates fidei explicite profitetur, cum in eis addiscendis ac noscendis operam diu impendere aut non valeat aut nequeat. Quae necessaria omnino sunt ad salutem, explicite credit; cetera vero *confuse*, *in aliquo alio*, in auctoritate Dei revelantis, in quadam propositione universaliori, verbigratia si dicat, *credo quidquid Ecclesia credit*. Excultiores vero, qui divinorum scientiam plenius hauserant, propositiones fidei, quae rusticos ob ignorantiam fugiunt, apprime cognoscunt, ac profitentur explicite.

Et quod de singulis asserimus, toti Ecclesiae tribuendum. Sicut enim in rustico vel in puero, labentibus annis, per studium et diligentem inquisitionem potest mens erudiri, clariusque possidere ea quae prius confuse tenebat, scilicet explicite veritates quasdam profiteri, quibus prius defectu abundantioris scientiae implicite in propositionibus universalioribus adhaerebat, ita etiam temporum successu Ecclesia Christi, theologicas disciplinas dum excolit, explicite veritates docet, quas implicite in potioribus veritatibus tradebat.

Hisce positis, *possibilitas* progressus dogmatici *secundum quid* probatur. Haec *possibilitas* evidens est si nihil ei adversetur sive ex parte Dei revelantis, sive ex parte hominis accipientis revelationem, sive ex parte veritatum revelatarum. Atqui nihil adversatur. Ergo. Et revera, ex parte Dei revelantis nullum obstaculum fieri constat. Deus enim vetuit quominus fides immutetur, quominus veritas revelata humanis accessionibus novam faciem induat, quae divinam eius originem labefactet: nullibi vero legitur Deum prohibuisse hominibus veritates fidei expolire. Depositum fidei custodire iubet Dominus quin impediat quominus excolatur. Praecipit nobis ut doctrinas vehementer repudiemus, quarum vestigia revelatio non exhibet, at nobis non obstat

(1) *Disputationes scholasticae et morales de fide*, D. III, sectio V, *Opera*, t. I, Parisiis, 1868, p. 199.

quominus veritates revelatas humiliter et pie scrutemur, quantum vires nostrae patiuntur. Granum sinapis in agro seminatum crescit, maius evadit omnibus oleribus, in arborem expanditur, avibusque suos ramos habitaculum praebet. Eadem fere ratione granum Evangelii in orbe fructus edit, nec tantum sanctitatis ac perfectionis spiritualis, verum et scientiae divinae. Nisi hoc fieret, sterile semen Deus in adusta gleba abdidisset.

Neque ullum datur obstaculum ex parte hominis accipientis revelationem. Scientia enim Dei in nobis est discursiva. Quae de Deo vel humana inquisitione, vel indefessa meditatione attingimus, clariora in dies nobis exhibentur, idest quae implicite et confuse in aliis noscebamus aut credebamus, maiori lumine collustrati, explicite credimus et noscimus. Si haec negentur, Deus diceretur hominibus praecepisse thesauros quos ipsis dedit, in terris effodere; principia sublimioris scientiae detegisse ex quibus homo conclusiones deducendi nullum haberet ius; obscuriora proposuisse, quae homines tenerentur admittere, quin sibi liceret huiusmodi tenebras discutere. Non secus, inquam, ageret Deus ac matheseos praeceptor qui axiomata suae scientiae traderet discipulis, ac simul eis prohiberet quominus ex hisce principiis theoremata et corollaria evolvantur.

Denique nil obstat ex parte veritatum revelatarum. Quo enim veritas quaedam profundior est, eo fecundior; quo ditior est, eo ditiores efficere potest homines. Nil autem ditius, nil profundius quam veritates fidei. Infiniti enim sunt thesauri scientiae ac sapientiae divinae, et consequenter scientia ac sapientia de Deo non exhauriuntur, indigentia non laborant, non exsiccantur, ut flumen quod latices fontium deseruere, non arescunt sicut arva quae sole perusta vitalibus carent humoribus. Quo magis ex hisce thesauris divitias homines hauriunt, eo magis ipsi thesauri augentur; quo frequentius ex intermino hoc mari attinguntur aquae, eo profundius mare confoditur, novasque advehit in suas abyssos undas. Si ita se habeant scientia et sapientia Dei, nequit concipi quod homo teneatur veritates altissimas ut aridas formulas humanae mentis inquisitioni penitus subtrahere. Nonnisi per calumniam objicitur Ecclesiae catholicae quod fructuosam hanc divinarum veritatum meditationem damnet, ac sterilitate disciplinas theologicas afficiat (1). Eccclesia tan-

(1) Hoc legitur praesertim apud scriptores protestantes qui *profectum* fidei, in *alteratione* et *mutatione* fidei reponunt. Satis sit citare Baur: « Die katholisce Dogmatik ist die geistlose Monologie eines ewigen Einerlei von Sätzen, in welchen alle Lehrer der Kirche nur mit andern Worten immer wieder dasselbe sagen, und mit gleicher Verachtung alles, was nicht in denselben Ton einstimmt, als heillose Häeresie von sich weisen ». *Lehrbuch der christlichen Dogmengeschichte,* Tubingae, 1858 (2ª ed.), p. 58.

tum vult, verbis utar Irenaei, ut virtus traditionis, licet dissimile adhibeatur eloquium, una eademque sit (1); Ecclesia vehementer adnititur ut claritas fidei magis magisque augeatur, quia divina revelatio humanis meditationibus aeternum thema evolvendum praebet (2), sed officium habet impediendi quominus divinis fundamentis suae fidei humana fundamenta substituantur (3).

Necessitas propositi progressus deducitur ex eo quod fides iam genita, verbis utar S. Augustini, *nutriri* debeat, *defendi*, ac *roborari* (4). Nutriri debet, scilicet evolvi, ut possit munus suum implere, quia « omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia ». II Tim. III, 16. Nutriri, relate ad doctrinam Dei, idem cluet atque augeri, et nequit hoc fieri quin novi cibi sumantur, scilicet quin novis definitionibus novisque explicationibus fides, suam servans integritatem, clarior evadat. Parvuli in fide, *νήπιοι ἐν Χριστῷ*, si tenellis annis lacte vescuntur quia rudiores cibos conficere nequeunt, *γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἠδύνασθε*, I Cor. III, 2, proficiente aetate, fortioribus alimentis se sustentant. Hoc idem de fidelium profectu in fide asserendum. Deus sensum Scripturarum semper non pandit, ut diligenter inquiramus, et in salutari doctrina scrutanda versemur (5). Cognitio quae per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita pervenit, oportet exerceatur donec perveniatur ad contemplationem, in quam non cadit alteratio (6). Ipsa obscuritas aut silentii species qua

(1) *Καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιοι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. Contra haereses*, I, c. 10, n. 2; *P. G.*, VII, col. 552. Animadvertimus Irenaeum hic loqui de variis hominum dialectis: quod tamen asserit, intelligi rite potest de variis formulis quibus eandem fidem quondam obscurius, postea vero clarius Ecclesia proponit.

(2) Optime Kuhn: « Die göttliche Offenbarung ist zwar von unendlicher Fülle und Tiefe, und desshalb für das Denken und die formelle Erkenntniss eine Aufgabe, der sich immer nur wenige unterziehen und die von keinem und zu keiner Zeit absolut unübertrefflich gelöst werden wird ». Op. cit., p. 129.

(3) Ad rem verba S. P. Augustini: « Si quid intellexeris quod non sit contra regulam catholicae fidei, ad quam velut viam quae te ducat ad patriam, pervenisti; et sic intellexeris, ut inde dubitare omnino non debeas; *adde aedificium, noli tamen relinquere fundamentum. In Joh. Evang. Tract.* 98; *P. L.*, XXXV, col. 1884.

(4) *De Trinitate*, XIV, 1, c. 3; *P. L.*, XLIII, col. 1037.

(5) *Διὰ πολλὰς ... αἰτίας ἐπικρύπτονται τὸν νοῦν αἱ Γραφαί, πρῶτον μέν, ἵνα ζητητικοὶ ὑπάρχωμεν, καὶ προσαγρυπνῶμεν ἀεὶ τῇ τῶν σωτηρίων λόγων εὑρέσει.* Clem. Alex., *Strom.*, VI, c. 15; *P. G.*, IX. col. 349.

(6) *Ἡ γνῶσις ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα, κατελήλυθεν, ἐντεῦθεν δὲ ἄρα γνῶσιν εἴτα σοφίαν συνασκηθῆναι χρὴ εἰς ἕξιν θεωρίας ἃ ἴδιον καὶ ἀναλλοίωτον.* Ib., V, c. 8; *P. G.*, IX, col. 248.

utitur Scriptura, intellectuu difficilem reddens dogmatum sententiam, legentium ad utilitatem ponitur (1), ut scilicet ad eam explicandam adlaborent. Apostoli quaecumque necessaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt; de aliis vero dixerunt quidem quia sint, quomodo autem, aut unde sint, siluerunt, profecto ut studiosiores ex posteris suis amatores sapientiae et scientiae, exercitium habere potuissent in quo ingenii sui fructum ostendere valerent (2). Progressus igitur dogmatici in sensu quem supra commemoravimus necessitas deducitur primum ex ipsius fidei natura in fideli, quae cum in singulis eadem semper claritate non refulgeat, exigit ut humanis investigationibus, magisterio Ecclesiae praeeunte et fulciente, limetur ac poliatur. Hanc necessitatem pulcherrimis verbis ostendit Vincentius Lirinensis: « Sed forsitan dicet aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quanvis unius eiusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit » (3).

(1) *Σιωπῆς δὲ εἶδος καὶ ἡ ἀσάφεια, ᾗ κέχρηται ἡ Γραφή, δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, πρὸς τὸ τῶν ἐντυχανόντων λυσιτελές. Liber de Spiritu Sancto*, c. XXVII, n. 66; *P. G.*, XXXII, col. 190.

(2) Pamph. *Apologia pro Origene*, c. I; *P. G.*, XVII, col. 549. Origenes, *De principiis*, I, c. 3; *P. G.*, XI, coll. 116-117.

(3) *Commonitorium*, c. XXII; *P. G.*, L, coll. 667-668. Pluries utemur auctoritate Vincentii Lirinensis, quia *Commonitorium* permagni aestimatur a theologis orthodoxis. Maxima dignum consideratione ex variis causis idipsum censet Filevitch, praesertim quia optime solvit gravissimas scientiarum theologicarum quaestiones, et notas indicat, et fontes verae traditionis ecclesiasticae. Ученіе св. Викентія Лиринскаго о священномъ преданіи и его значеніи (*Doctrina S. Vincentii Lirinensis de sacra traditione eiusque sensus et valor*), Petropoli, 1897,

Non sufficit vero ut nutriatur veritas fidei; ut vivens doctrina quae vitalem influxum in genus humanum exercet, necesse est etiam ut defendatur. Haud convenit fidei potiri tantum imperfectissima illa vita quam conchae marinae scopulorum rimis mordicus defixae a natura sortiuntur (1). Indesinenter ei necessitudo incumbit inter humanos suam divinam originem pandendi ac suos thesauros contra fures vel adulteratores veritatis revelatae protegendi. Constat enim quaedam reperiri in revelatione christiana difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant: *ἐν αἷς (ἐπιστολαῖς) ἐστιν δυσνόητά τινα, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσι*, II Petr. III, 16. Hac de causa Apostolus Timotheum admonet ut devitet prophanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae quam quidem promittentes circa fidem erraverunt: *τὴν παραθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδονύμου γνώσεως, ἣν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν*, I Tim. VI, 20-21. Dantur igitur in revelatione quaedam obscura quae explicatione indigent. Haec interdum possunt latere quin detrimentum ex earum ignorantia, saltem in suis subditis, Ecclesia Christi accipiat. Sine dubio, ut ait S. Augustinus, « Patres quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt » (2). Sed insurgentes haereses traditiones Patrum adoriri haud dubitant, ostioquo excusso et muro Ecclesiae clam perfosso (3), invadunt vineam Christi ut eam populentur. Ex grassantibus haeresibus oritur necessitas pro Ecclesia explicandi ac definiendi veritates revelatas, scilicet progressum dogmaticum fovendi. Hoc saepius inculcatur a Patribus. « Multa latebant in Scripturis, ait S. Augustinus, et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei. Multi qui optime possent scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei; nec asserebant solutionem quaestionum difficilium cum calumniator nullus instaret » (4). Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia

---

p. 16. Meum non est inquirere utrum Lirinensis semipelagianas sententias tutatus sit nec ne, qua in re Cf. Brunetière et De Labriolle, *Saint Vincent de Lérins*, Parisiis, 1906; Adhémar d'Alès, *La Tradition chrétienne dans l'Histoire, Études*, 1907, t. III, pp. 597-599.

(1) De La Barre, *La vie du dogme catholique, autorité, évolution*, Parisiis, 1898.

(2) *Contra Iulianum Pelagianum*, II, c. 34; *P. L.*, XLIV, col. 698.

(3) *Strom.* VII, c. 17; *P. G.*, IX, col. 548.

(4) *Enarr. in psalmum* LIV, n. 22; *P. L.*, XXXVI, col. 643.

dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio discendi extitit occasio » (1). « Sancta Ecclesia, ait S. Gregorius Magnus subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum haereticorum quaestionibus impugnatur » (2). Necessitatem tuendi depositum fidei contra haereticorum conatus per clariorem revelationis explicationem concinnis verbis exposuerunt Patres Concilii Chalcedonensis in Allocutione ad Marcianum Imperatorem: « His qui doctrinam rectam pervertere moliuntur, ad singula quae male pariunt, oportet occurrere, et eorum objectis congrua quaeque providere. Nam si omnes contenti essent fidei constituto, et pietatis semitam nulla innovatione turbarent, deceret Ecclesiae filios nihil amplius excogitare, quam symbolo constat esse declaratum. Sed quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, novum quoddam sibimet iter mendacii construentes; necesse nobis est veritatis eos inventione convertere, commenta quoque eorum (devia salutaribus adjectionibus) refutare, non ut novum ad pietatem (quasi fidei desit), semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea quae ab illis innovata sunt, excogitantes quae salubria judicantur » (3).

Ne miretur autem aliquis haereses *indirecte* ad progressum dogmaticum quod attinet bonos fructus interdum in Ecclesia edere. « Haeretici, ait S. Augustinus, veris illis catholicis membris Christi malo suo prosunt, dum Deus utitur et malis bene, et diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiae, quolibet errore caecentur vel malitia depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam, si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent eius sapientiam » (4). Morbi quibus premitur angiturque nostri corporis compago, licet inter mala physica recenseantur, profectui medicinae inserviunt. Infirmo enim in corpore suam scientiam periclitatur medicus, profundius causas attingit ex quibus

(1) *De Civitate Dei*, XVI, c. II, 1; *P. L.*, XLI, col. 477.

(2) *Epist. l. VIII*, 2; *P. L.*, LXXVII, col. 906.

(3) *Τοῖς τὴν ὀρθὴν διαστρέφειν πειρωμένοις διδασκαλίαν, δεῖ πρὸς ἕκαστον γεννῶσι, προσαπαντᾷν, καὶ ταῖς αὐτῶν μηχανωῖς ἀντιτάττειν τὰ πρόσφορα. Εἰ μὲν οὖν ἅπαντες τῷ τῆς πίστεως ἠρκοῦν τῷ συνθήματι, καὶ τῆς εὐσεβείας οὐκ ἐκαινοτόμουν τὴν τρίβον, ἔδει τοὺς τῆς Ἐκκλησίας μηδὲν τῷ συμβόλῳ προσεπινοεῖν εἰς ἀπόδειξιν. Ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ τῆς εὐθείας πρὸς τὰς τῆς πλάνης ὁδοὺς ἐκτρέπονται, καινήν τινα πορείαν ἑαυτοῖς ἐπινοοῦντες τῷ ψεύδει, ἀνάγκη καὶ ἡμᾶς τοῖς τῆς ἀληθείας αὐτοὺς ἐπιστρέφειν εὑρέμασι, καὶ ταῖς αὐτῶν ἐπινοίαις ἀντιτάττειν τὸν ἔλεγχον, οὐχ ὡς τι λεῖπον τῇ πίστει καινουργοῦντας ἀεὶ πρὸς εὐσέβειαν, ἀλλ' ὡς τοῖς παρ' ἐκείνων καινοτομουμένοις ἐπινοοῦντας τὰ πρόσφορα.* Mansi, coll. VII, 456-457.

(4) *De Civitate Dei*, XVIII, c. 51, n. 1.

oriuntur morbi, compaginem membrorum melius dignoscit, aptiora medicamenta invenit et parat, indicia quae infirmitatibus praeeunt attentius discriminatur, varias eorum periodos exactius determinat, maiori certitudine exitum vel prosperum vel letalem praesagit, ac denique ad morbos debellandos felicius et cum spe victoriae enititur. Hoc idem in Ecclesia Christi contingit. Grassantibus enim haeresibus, ad luem errorum propulsandam, causas inquirit magisterium ecclesiasticum quae viros fucatae scientiae, « ubi, verbis utar S. Augustini, plurimum supervacaneae veritatis et noxiae curiositatis est » (1), a semita veritatis averterunt, profundius rimatur doctrinas quam custodiendam accepit, ut mediis potioribus utatur ad noctem discutiendam qua fides obnubilatur ab haereticis; in hisce mediis inquirendis suos thesauros perfectius agnoscit, aptius distribuit, adcuratius enumerat, clarius illustrat, attentius perpendit, ac depulsis tenebris, veritates fidei conceptis verbis disertissime prodit. Huius laboris, harum meditationum fructus, illud est quod progressus dogmaticus in sensu catholico audit. Si hoc iure vel insita vi privaretur sui muneris obeundi in certamine cum haeresibus, sine armis, sine fulcro, imbelles formulas opponeret Ecclesia rabiei adversariorum. Necessitas igitur declarativi progressus dogmatis per se liquet.

Cum autem Ecclesia depositum fidei defendat contra haereticorum insultus, doctrina quae eius custodiae commissa est roboratur. Miles in bello, militari disciplina eruditur, magisque in armis exercetur, pericula vilia habet, strenue dimicat, metum amovet, virilem animum educat, in rerum omnium inopia membra firmat, seseque privationibus assuescit. Praelium maiorem ipsi largitur vigorem physicum animique virtutem. Eadem ratione in decertando cum haereticis suas vires Ecclesia volvit, prudentior evadit in hostibus profligandis, ac doctrinam quam tuetur, aptioribus armis, validissimum tanquam aggerem eis opponit. Quo fit ut haec doctrina novum robur in dies acquirat, ac tergiversantibus haereticis aditum penitus occludat.

In tuendis veritatibus divinis contra adorientes haereses, triplex stadium dispescunt theologi catholici: *stadium quietis*, *stadium luctae*, *studium pacis vel definitionum*. In *quietis stadio* nullae exagitantur controversiae. Veritas in Ecclesia aut plurimos latet, aut a fidelibus usu recipitur, licet indistincte: fures locum non circumeunt in quo conditur ut eam sui iuris sibi faciant. In hoc temporis intervallo fides enutritur, cum nunquam deficiant in Ecclesia praeclara ingenia quae verbo Dei meditando sedulo incumbant. In secundo intervallo veritates

(1) *De Trinitate*, XIV, 1; *P. L.*, XLIII, col. 1037.

quae latebant in deposito fidei aperte ab haereticis impugnantur; ex controversiis dubia oriuntur; fideles alios aliae distinent sententiae; discordes animi pacem Ecclesiae in discrimen adducerent nisi quaedam suprema auctoritas, cui omnes pareant, contendentes unitatis vinculo iterum devinciret. Stadium habetur luctae, quod si diu permansisset, fidelium grex fideique depositum serius ocius pessumdaretur. Ad componenda dissidia in tertio intervallo magisterium Ecclesiae colligit undique suas vires, disputantes ad suum tribunal adducit, oppositarum rationum pondus discutit, ac demum sententiam pronuntiat cui omnes, nisi velint in humanarum opinionum anfractu desipere, assentire tenentur.

Non opus denique est verbis ad *realitatem* huius progressus demonstrandam. Tota historia ecclesiastica, a primis christiani oevi temporibus, hoc disertissime evincit, ac theologi orthodoxi ultro fatentur. Verba ipsa quae a Patribus Conciliorum invecta vel usitata fuerunt, perenne signum ac testimonium huius progressus nobis habentur. Plura ex hisce verbis quae novitatem praeseferunt, colligit Malinovsky, verbigratia, *Τρίας, μόνας, ἕνας, ὑπόστασις, οὐσία, ὁμοούσιος, θεάνθρωπος, θεόμβροτος, ἐνανθρώπησις, ἐνωμάτωσις, ἔνσαρκος παρουσία, θεοτόκος, θεομήτωρ* etc. (1). Quae verba non reperiuntur quidem in Sacris Scripturis, valde tamen progressum fidelium in fide foverunt aluerunt-que. Accuratio enim vocum iudicium est perfectioris doctrinae, et simul cum vocibus doctrinam profecisse ad suam declarationem quod attinet testatur S. Augustinus: « Nunquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfecte de poenitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores, nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant quae dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere coepit fratres infirmos » (2). Et pro re nata, animadvertimus concorditer ad profectum fidei declarationem adlaborasse Ecclesiam catholicam quae Orientem atque Occidentem amico foedere coniungebat. Compertum est enim vocem *ὁμοούσιον* quae arianam luem penitus extinxit, *romanam* originem praeseferre (3). Harnack censet Hosium, episcopum cordubensem, qui ut *πρόεδρος* concilio nicaeno I interfuit (4) quique iuxta Athanasium

(1) Op. cit., p. 28.

(2) *Enarr. in Ps.*, LIV. n. 22.

(3) Duchesne, *Autonomies ecclesiastiques; Églises séparées*, Parisiis, 1896, p. 68.

(4) Knöpfler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Friburgi Brisgoviae, 1898, p. 145.

ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο (1), auctorem fuisse ut hoc verbum a Patribus approbaretur (2). Quod primis novem saeculis in Ecclesia factum fuisse historia docet, cur post exhortum schisma non amplius repeti debet, ut contendunt theologi orthodoxi? ... Num haereses novae non exoriuntur? ... Num Ecclesia exuitur vi ius exercendi quod antiquitus ad fidelium utilitatem exercebat, vel revelatio christiana suis in singulis partibus tanta claritate fulget ut supervacaneum sit eam studiosius explicare? ...

9. Quomodo absolvitur in Ecclesia et per Ecclesiam progressus dogmaticus *secundum quid*? ... « Hoc inquam semper, ait Vincentius Lirinensis, neque quicquam praeterea. Haereticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturae chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, et plerumque, propter intelligentiae lucem, non novae fidei sensum novae appellationis proprietates negando » (3). Prius, ut diximus, Ecclesia suum fundamentum immobile atque immotum servat. Quod ipsa tradit, semper retentum est, semper auctoritate apostolica firmatum est (4). Haereditas est quam per successionem ex Apostolis ad nos transmissa fuit (5). Apostoli a Christo, Christus a Deo eam accepit, ideoque de mendacio praeiudicanda omnis doctrina quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum (6). Qui veram fidem possident, haeredes sunt Apostolorum (7), et si qua est Ecclesia quae apostolicae praedicationis fundamenta non possideat, ne quam labem perfidiae possit aspergere, deserenda est (8). Depositum custodiendum habuit Ecclesia, non innovandum. « Quid est depositum? ... ait Vincentius Lirinensis: id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti non quod excogitasti; rem non ingenii sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor

(1) *Hist. Arian.*, 42, *P. G.* XXV, col. 744.

(2) *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, II. p. 227.

(3) *Comm.*, XXII, *P. L.*, L, col. 669.

(4) S. Aug., *De Baptismo*, IV, c. 24; *P. L.*, XLIII, col. 174.

(5) *Ἀρχεῖ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ ἔχειν πατρόθεν ἤκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν, οἷόν τινα κλῆρον δ' ἀκολουθίας ἐκ τῶν Ἀποστόλων διὰ τῶν ἑφεξῆς ἁγίων παραπεμφθέντα.* Bas., *Contra Eunonium*, l. IV; *P. G.*, XL, col. 653.

(6) Tert., *De praescript.*, I, c. 21, *P. L.*, II, col. 38.

(7) Ib., col. 61.

(8) Ambr., *Expos. in Lucam*, VI, c. 68, XV, col. 1772.

debes esse sed custos; non istitutor sed sectator; non ducens, sed sapiens » (1).

Identitas igitur doctrinae quae ab Apostolis tradita est, servatur ac servanda in Ecclesia catholica. Quod in praesentiarum ipsa docet, Apostoli docuerunt, quia, animadvertit Heinrich, unitas et coniunctio immutabilis magisterii ecclesiastici cum doctrina apostolica reponenda non est in vocum similitudine, verum in identitate earum significationis (2). Sed posita identitate doctrinae, quae nullis variationibus est obnoxia, necessario admittenda est progressiva veritatum revelatarum explicatio. « In doctrina Christi et Apostolorum, ait S. Thomas, veritas fidei est sufficienter explicata; sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et ceteras doctrinas et Scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, ideo necessaria fuit temporibus praecedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores » (3). Ut haec fiat explicatio, revelationi immediatae a Deo factae per Christum adiungenda, ut Kuhn adnotat, revelatio Dei per Spiritum Christi (*die Offenbarung durch den Geist Christi*) qui Apostolos inspiravit suamque promisit Ecclesiae perennem assistentiam (4). Revelatio concipienda per magisterium ecclesiasticum tanquam *animatum ens*, cuius membra vivificantur continenter per Spiritum Christi, qui Ecclesiae adstabit in aeternum, quique identitatem doctrinae servans, profectum vitalem in ea producit. Ad revelationem quod attinet, officium magisterii ecclesiastici est « ut si quae sint implicita in revelatione explicet; si quae ambigua et minus diserta, definiat; si quae in alienum sensum detorqueantur, statutis verbis, conceptibus et formulis, defendat » (5). Neminem arbitror accuratius ac luculentius hanc doctrinam exposuisse, quam Vincentius Lirinensis: « Christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut *annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate*, incorruptum tamen illibatumque permaneat, et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit (6) . . . Fas est etenim ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis *excurrentur, limentur, poliantur*, sed nefas est ut mutentur, nefas ut de-

(1) *Comm.* XXII; *P. L.*, L, col. 667.

(2) « Nicht in der Aenlichkeit der Worte, sondern in der Identität des Sinnes besteht die unwandelbare Einheit der kirchlichen mit der apostolischen Lehre ». Op. cit., II, p. 34.

(3) *Sum. Theol.*, II, 2, q. 1, a. 10 ad primum.

(4) Op. cit., p. 136.

(5) Mazzella, *De Virtutibus infusis*, p. 281.

(6) *Comm.*, XXII; *P. L.*, L, col. 663.

truncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, *evidentiam*, *lucem*, *distinctionem*, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem (1) ... Christi Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, *accuret et poliat*; si qua iam expressa et enucleata, *consolidet et firmet*; si qua iam confirmata et definita, *custodiat*; denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est nisi ut quod antea simpliciter credebatur hoc idem postea *diligentius crederetur*, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea *instantius praedicaretur*, quod antea securius colebatur, hoc idem postea *sollicitius excoleretur* » (2). Diligentior igitur fides, instantior praedicatio, sollicitior credendorum cultus, en munera quae in custodiendis veritatibus revelatis Ecclesia sibi vindicat. Dum custodit, accurat, simul polit, consolidat, firmat, dilatat, sublimat, distinguit, clarificat, illustrat: dogmata non tantum habet, sed *intelligentiam ecclesiasticam* dogmatum, locutione adhibita ipsius Vincentii Lirinensis (3). Haec omnia elementa sunt illius progressus qui iam per plura saecula auctorem habuit magisterium ecclesiasticum tum in Oriente, tum in Occidente, posteriori autem aevo per catholicam tantum Ecclesiam ad bonum fidei continuatur.

10. Doctrinam theologiae catholicae fusius explicavimus, ut luculentius appareat inanitas obiurgationum quae in eam congeruntur a theologis orthodoxis. Ad horum sententiam quod attinet haec praenotanda sunt: 1) *Generatim* Theologia orthodoxa progressum dogmaticum *relativum*, *secundum quid*, *declarativum* tenet, docet ac tuetur; 2) Hunc progressum in praxi rejicit, licet abnuat hoc fateri idque fit, ni fallor, ex insito defectu constitutionis Ecclesiae orthodoxae quae supremi magisterii expoliatur auctoritate; 3) Singulatim a quibusdam theologis in odium catholicae veritatis progressus quocumque sensu accipiatur, exploditur; 4) Ex contradictione vigente inter theoriam et praxim, quo fit ut agnoscatur theorice quod practice negatur, calumniae et convicia profluunt in doctrinam catholicam.

11. Et primum quidem theologia orthodoxa generatim legitimam utilitatem ac necessitatem progressus dogmatici secundum quid profi-

(1) Ib., col. 669.
(2) Ib., col. 669.
(3) *Comm.*, II, *P. L.*, L, col 640.

tetur. Datur in Ecclesia, iuxta theologos orthodoxos perfectibilitas (усовершаемость), progressus (развитіе), explicatio (ἀνάπτυξις) dogmatum. Hunc progressum ita definit Malinovsky: точнѣйшее опредѣленіе и объясненіе или раскрытіе однихъ и тѣхъ же неизмѣнныхъ въ существѣ своемъ догматовъ (*accuratior definitio atque explicatio vel manifestatio quorundam in sua essentia immutabilium dogmatum* (1). Hac definitione theologi orthodoxi excludunt: 1) augmentum numericum dogmatum (умноженіе числа догматовъ); 2) alterationem essentialem veritatum a Deo revelatarum (измѣненіе самаго содержанія христіанскаго вѣроученія). Nemini datur ius, ait Macarius, augendi vel minuendi dogmatum seriem, vel quomodocumque alterandi aut immutandi; quot Deus olim revelavit, tot necesse est profiteatur catholica Ecclesia, quousque religio christiana vivet in orbe terrarum (2).

Hoc tamen non impedit quominus revelatio proficiat. Ad hunc profectum concinnandum, episcopus Sylvester obscuris verbis relationes explicat inter christianam conscientiam ac dogmata. Relatio unius ad alteram uniformis non est neque indirecta (3). Sicut vivens est conscientia quae de dogmatis eruditur, ita vivens atque interius est ligamen quod inter utrumque intercedit (внутреннее и живое соотношеніе). Dogmata et conscientia non se gerunt hostiliter ad invicem, amice vero coniurant et complentur. Ex hac mutua relatione sequitur dogma realiter esse pro conscientia humana, ut statuit Deus, *lumen dirigens*, quod abditiores ipsius latebras perlustrat, et claritate perfundit. Hoc semel non admisso, non secus ageret dogma in conscientiam atque lux in corpus; suos radios in impervium obicem iaceret, atque in abditis conscientiae ut semen in lapidis rimis sterile lateret. *Processum* igitur intimum et vitalem subeunt dogmata in conscientia humana, quae suapte natura non abstrahit ab adiunctis temporum locorumque. Cum sint elementa viventia conscientiae viventis tum Ecclesiae, tum singulorum fidelium, nequeunt ab Ecclesia custodiri ut cadavera sine motu, ut formulae peraridae, quae semper iisdem verbis repeti debent (4).

(1) P. 26.

(2) P. 13, 19.

(3) P. 29.

(4) Церковь отнюдь не считала своимъ долгомъ хранить ихъ (истины вѣры) только въ мертвенной неподвижности, ограничиваясь буквальнымъ повтореніемъ того что ей было вручено. P. 34. Adhibemus verba quibus utuntur scriptores orthodoxi, licet non semper accurata sint. Dogmata enim suapte natura nequeunt dici *formulae demortuae*. « Ogni vero — acute notat P. Pavissich — di natura sua include una relazione intrinseca con un intelletto che lo percepisce, lo racchiude, se lo immedesima, e lo fa suo pensiero: per conseguente partecipa della natura intellettuale

Doctrina revelata non est talis ut Ecclesia cogatur eam tantum custodire, fidelibus simpliciter tradens quod custodiendum suscepit (1). Sine dubio suis subditis indesinenter praecipit ut ab initio tradita rectae fidei dogmata retineant ac foveant, quin commoveantur et labefactentur, quin ullum alium circa ea sermonem habeant et proferant, cum haec dogmata accurata rectaque consideratione iampridem excussa sint ac constituta a sacris conciliis oecumenicis, Patribusque divinitus inspiratis, et in sancta Ecclesia definita ac sancita. Quidquam aliud istis addere non licet, nec quidquam omnino de illis detrahere (2).

Si revelatio assimilanda est a conscientia humana, fieri non potest quin ipsa proficiat. Sicut provehente aetate, unus atque idem homo suam scientiam adauget, ita successu temporum fideles eandem fidem diverso tamen cognitionis gradu sortiuntur. Quilibet fidelis, dum impensius acumine ingenii in veritates fidei scrutandas animum intendit, acquirit *μέτρον πίστεως*, Rom., XII, 3 in eoque iustitia Dei revelatur ex fide in fidem: *δικαιοσύνη θεοῦ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν*, Ib. I, 17. Per assimilationem ex parte conscientiae humanae, veritates fidei necessario varios induunt adspectus (они неизбѣжно должны подвергаться видоизмѣненіямъ), formulis haud semper iden-

---

e quindi vive di vita intellettuale; e secondo la forza e la potenza operatrice dell'intelletto da cui quel vero è assorbito, concorrerà ad attivarne la energia, servirà come seme intellettivo ad accrescerne la fecondità, e a stenderne la forza intuitiva all'acquisto di altri veri; ma in tutte queste funzioni dell'intelletto, esso vero rimane in sè, nella sua entità obbiettiva, quella cosa che era, che è, che sarà sempre, immutata sempre e sempre immutabile ». *Della evoluzione del Domma, Civiltà Cattolica,* 1906, t. III, p. 651.

(1) Церковь не ограничивалась однимъ только неподвижнымъ и мертвымъ его хранеміемъ, буквально повторяя лишь переданное на храненіе ученіе. Malinovsky, p. 27.

(2) *Διατελεῖτε ἐμμένοντες ἀμεταθέτως καὶ ἀπαρασαλεύτως τοῖς αὐτοῖς εὐσεβέσι τῆς ὀρθοδοξίας δόγμασιν, ὅροις τε καὶ ἐντάλμασι καὶ ἐπιτάγμασι πρός τε τὴν βασιλεύουσαν καὶ ἅπασαν τὴν τελοῦσαν εἰς τὴν ἐπικράτειαν αὐτῆς Ἐκκλησίαν, ὥστε δηλαδὴ μηδόλως διαλέξεις τινὰς ἄλλας ποιεῖν τέ ποτε καὶ προβάλλειν πρὸς τοὺς εἰρημένους περὶ τῶν θείων δογμάτων τῆς εὐσεβοῦς ἡμῶν πίστεως καὶ ὀρθοδοξίας, ἅτε προεξετασθέντων αὐτῶν τούτων τῶν ὀρθοδόξων δογμάτων καὶ διαταχθέντων πάλαι δι' ἀκριβείας μεθ' ὀρθῆς σκέψεως παρὰ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τῶν θεοφόρων ἁγίων πατέρων, παραδοθέντων τε καὶ προσβευομένων διηνεκῶς καὶ ἀπαραιτήτως παρὰ τῇ ἁγίᾳ καὶ καθολικῇ ἡμῶν Ἐκκλησίᾳ, ὡς διετάχθησαν καὶ ὡρίσθησαν· καὶ οἷς οὔτε προσθεῖναι ἄλλο τι ἔξεστιν, οὔτε μὴν ἀφαιρῆσαί τι ὅλως ἐκ τούτων.* Mansi, XXXVII, col. 539. *Epistola orientalium patriarcharum ad sacram synodum russicam* (1723).

ticis exprimuntur, modo accuratius et perfectius traduntur, modo confuse atque indeterminate latent in revelatione. Ecclesia quae a Iesu Christo Apostolisque suam doctrinam accepit conatur eamdem faciliori stylo et clariori expromere, sedulo elaborat ut formulis dilucidioribus proponatur pro temporum ratione, quae in ea continentur claritate perfundit, reciprocas veritatum revelatarum relationes patefacit, easque a mixtione noxiorum elementorum prohibet (1). Duplex igitur causa efficit ut fidei cognitio dogmatica progrediatur; prior causa directa reperitur in ipsa conscientia christiana quae legibus viventium obtemperans ex inferiori ad altiorem cognitionis gradum evehitur. Elaborata a conscientia, veritas divina nil admittit, immo fructus uberiores edit. Episcopus Sylvester citat ad hoc assertum confirmandum verba S. Basilii: « Animi omnino infantilis est puerique cui revera lacte est opus, ignorare magnum illud mysterium nostrae salutis; quod quemadmodum ad disciplinas discendas introduci solemus, ita in exercitatione pietatis, dum ad perfectionem inducimur, primum rebus quae facilius percipiuntur, et quarum cognitio nobis congruit, ceu primis quibusdam elementis instituti sumus; Deo qui nostra gubernat, quasi oculos in tenebris enutritos, ad magnum veritatis lumen, paulatim assuefaciendo, subveniente » (2).

Causa vero indirecta sunt haereses quae minitantur integritati revelationis divinae coguntque Ecclesiam suis definitionibus quasi vallo inexpugnabili depositum fidei sepire. Hoc iam effecisse veterem Ecclesiam pluribus exemplis e penu historiae depromptis demonstrant Macarius et Malinovsky. Saeculo IV explicata sunt dogmata quibus praedicatur in Ecclesia divinitas tum Filii, tum Spiritus Sancti atque hisce explicationibus ansam dederunt haereses Arii et Macedonii. Saecuto V idem egit Ecclesia catholica definiens contra Nestorium et monophysitas dogma de duabus in Christo naturis etc. (3).

(1) Церковь старалась выработать болѣе точныя и опредѣленныя формулы, сообразно съ обстоятельствами времени, выяснить нхъ внутреннюю сущность, уяснить взаимную связь, оградить отъ примѣси чуждыхъ истинѣ элементовъ. Malinovsky, p. 27.

(2) *Νηπίας φρενὸς παντελῶς τοῦτο, καὶ παιδός τινος ὡς ἀληθῶς γάλακτος δεομένου, ἀγνοεῖν, τὸ μέγα τῆς σωτηρίας ἡμῶν μυστήριον, ὅτι κατὰ τὸν εἰσαγωγικὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον, ἐν τῇ κατὰ τὴν εὐσέβειαν γυμνασία πρὸς τὴν τελείωσιν ἐναγόμενοι, τοῖς εὐληπτοτέροις πρῶτον καὶ συμμέτροις ἡμῖν κατὰ τὴν γνῶσιν ἐστοιχειώθημεν· τοῦ οἰκονομοῦντος τὰ ἡμέτερα ὥσπερ ὀφθαλμοὺς ἐν σκότῳ τραφέντας, τῷ κατ' ὀλίγον ἐθισμῷ πρὸς τὸ μέγα φῶς τῆς ἀληθείας ἀνάγοντος.* *Liber de S. Sancto*, XIV, 33; *P. G.*, XXXII, col. 128.

(3) Macarius, pp. 15-18; Malinovsky, p. 28.

Hic progressus, ex theologorum orthodoxorum sententia, subiectivus est, locum scilicet habet per successivam dogmatum *clarificationem* in fidelium conscientia; obiectivus vero progressus quo veritas ipsa evolvatur, sese pandat, novum conscientiae exhibeat elementum, rejicitur (1). Eum negare in religione christiana non licet (2); cavendum tantum est ne in depositum fidei novitates vel mutationes substantiales irrepant. Progressus vero quem agnoscit Ecclesia orthodoxa, in fidem christianam nullas adducit novitates vel mutationes, cum magisterium ecclesiasticum veritates revelatas vel accuratius et magis determinate definit, vel plenius et subtilius explicat (3). In explicatione igitur ac definitione veritatum revelatarum consistit progressus dogmaticus in sensu orthodoxo (4), qui potius dicendus est *detectio dogmatum* (раскрытіе догмати).

12. Haud opus est verbis ut demonstremus praecipua capita theologiae orthodoxae ad progressum dogmaticum quod attinet, cum doctrina catholica valde congruere. Tenet enim theologia ortodoxa.

α') Revelationem christianam completam esse per Iesum Christum atque Apostolos. Apostoli autem divinitus inspirati tanta plenitudine hauserunt Dei scientiam, ut nullus cum eis comparari possit.

(1) Е. L., Развивается-ли въ догматическомъ смыслѣ Церковь?... (*Utrum Ecclesia progrediatur in sensu dogmatum*). Странникъ, Petropoli, 1889, t. II, p. 20. Refellit auctor sententias Solovevi, inter recentiores philosophos russos clarissimi viri, qui progressum dogmaticum in sensu catholico tuitus est: Развитіе догматическое церкви въ связи съ вопросомъ о соединеніи церквей (*Progressus dogmaticus Ecclesiae suis in relationibus cum unione Ecclesiarum*), Православное Обозрѣніе, Mosquae, 1885, III, pp. 727-798. Animadvertimus Solovev, licet faveat sententiae catholicae, haud tamen semper eam rite exposuisse, quod ei culpae non est vertendum, cum praecisionem theologicorum terminorum ac definitionum apprime non calleret. In praecitato articulo videtur asserere: « Iesum Christum, ut Filium Dei, ut verbum incarnatum pro salute generis humani, fuisse antiquitus, in exordio nempe religionis christianae, unicum dogma (единственное догма) fidei, clare definitum et pro omnibus fidelibus absolute obligatorium », p. 756. In hoc dogmate continebantur omnes veritates dogmaticae et definitiones, quae deinceps clarius sese manifestarunt in conscientia Ecclesiae. At, primis temporibus religionis christianae haec dogmata particularia (частные догматы) manifestata non fuere per conscentiam totius Ecclesiae (для всецерковнаго сознанія), ib., p. 756. Quae verba insinuare videntur Apostolorum eorumque discipulorum fidem minus perfectam quam nostram fuisse, nisi Solovev intelligere voluisset veritates omnes christianae revelationis *generatim* et *implicite* contentas in dogmate de Redemptione per Iesum Christum Dei Filium.

(2) Отрицать развитіе въ христіанской религіи невозможно. Chostin, p. 164.

(3) Ib., p. 165.

(4) Macarius, p. 19.

nullusque inveniri homo qui eis in huius scientiae possessione antecellat (1). Hoc idem tuetur catholica theologia. Audiatur S. Thomas: « Ultima consummatio gratiae facta est per Christum: unde et tempus eius dicitur tempus plenitudinis, ad Gal. 4. Et ideo illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Ioannes Baptista: vel post sicut Apostoli: plenius mysteria fidei cognoverunt. Quia etiam circa statum hominis hoc videmus quod perfectio est in iuventute; et tanto habet homo perfectiorem statum vel ante, vel post, quanto est iuventuti propinquior » (2).

β') Asseritur non dari neque definiri posse dogma fidei quod non contineatur in Sacris Scripturis vel Traditione. Hoc idem sentit catholica Ecclesia, ut patet ex allatis conciliorum Tridentini et Vaticani testimoniis. « Theologi communiter negant, ait Card. De Lugo, aliquid nunc ab Ecclesia definiri de fide, quod iam antea a Deo revelatum non fuisset in Scripturis Sacris, vel per traditionem, vel alio modo; ideoque Ecclesiam et Pontificem in eiusmodi definitionibus solere prius scrutari diligenter sensum Scripturae, doctrinam S. Patrum, traditiones etc. ut appareat quid Apostoli ipsi de hac re senserint, et quid a Deo acceperint, fides enim catholica est simul apostolica, et ab apostolis haereditaria successione ad nos transmissa; *nec Deus veritates aliquas novas Ecclesiae nunc revelat ad fidem pertinentes, quas prius Apostolis ipsis non manifestaverit* » (3).

γ') Theologia orthodoxa concedit progressum dogmaticum relativum necessario admittendum, quatenus veritates revelationis ut *demortuus* thesaurus in deposito fidei non latent. *Conscientia christiana quae sibi dogmata assimilat*, regitur semper ac ducitur magisterio ecclesiastico quod causa est cur hic progressus paretur, perficiatur, a rectaque ratione non deficiat. Ad convenientiam necessitatemque huius progressus probandam, theologia orthodoxa eisdem utitur locis *Commonitorii* Vincentii Lirinensis qui a theologis catholicis communiter adducuntur ad eandem thesim fulciendam (4).

(1) Апостолы созерцали истину въ такой полнотѣ, какая врядъ ли доступна кому либо другому на землѣ, и въ отношеніи которой уже во всякомъ случаѣ никто не превзойдетъ ихъ. — Странникъ, loc. cit., p. 15.

(2) *Sum. Theol.*, 2, 2, q. 1, a. 7 ad quartum.

(3) Disp. III, sect. V, *Opera*, t. I, p. 199.

(4) Sylvester, pp. 35-38. Doctrinam Vincentii Lirinensis de progressu dogmatico fuse exponunt: Johannes Filevsky in opere quod commemoravimus, nec non in Православная богословская энциклопедія (*Encyclopedia theologica orthodoxa*), t. III, Petropoli, 1902, coll. 445-454; Celtzov, Древныя формы символа вѣры православной вѣры или такъ называемые апостольскіе символы (*Formae*

δ') Hic progressus qui consectarium est indefectibilis vitae Ecclesiae, quemque necessarium reddunt insurgentes haereses, nil aliud sibi vult nisi explicationem, declarationem, definitionem veteris fidei. Hoc idem tenetur a Catholica Ecclesia: « Nihil nobis revelatur ab Ecclesia, quod idem non fuerit Apostolis revelatum, nec fit nunc revelatio Dei immediata condistincta ab illa, sed solum possumus nos nunc magis *distincte percipere*, de quo obiecto in particulari locutus sit Deus, propter meliorem et magis distinctam applicationem ipsius obiecti, in particulari, quae nobis fit propter praesentiam ipsius obiecti, quod tunc non erat praesens, in quo nullum est inconveniens; quia cum hoc stat bene fidem etiam nostram de hoc obiecto in particulari fundatam esse in doctrina apostolica seu in revelatione Apostolis facta » (1). Hoc munus declarandae explicandaeque revelationis,

---

antiquae symbolorum fidei, aut vulgo dicta symbola apostolica), Petropoli, 1869, pp. 152-184; Petruchevsky, Ученіе Викентія Лиринскаго о преданіи (*Doctrina de Traditione a Vincentio Lirinensi proposita*), Kioviae, 1896. Versio russica Commonitorii (Памятныя записки) lucem aspexit in urbe Kasan, anno 1863.

(1) De Lugo, loc. cit., p. 201. Hanc doctrinam concinne exposuit et solemniter sancivit Concilium Vaticanum: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum *sancte custodirent et fideliter exponerent. — Constitutio de Ecclesia Christi*, c. 4, Denzinger, p. 489. Eadem reperiuntur in *Constitutione de fide catholica*, sess. III, c. 4: « Dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum ». Et concilium Vaticanum adducit verba Vincentii Lirinensis, *Crescat igitur* etc.; *P. L.*, L, col. 668; Denzinger, pp. 479-480. Cf. Wilmers, *De fide divina*, Ratisbonae, 1902, p. 231. Mirum quod asserit hac in re Malinovsky. Perperam enim docet « romanam theologiam profiteri possibilitatem mutationis qualificativae dogmatum eorumque quantitativi augmenti »: ею признается возможность и качественнаго измѣненія догматовъ и количественнаго ихъ наростанія въ церкви, p. 21. Principia fundamentalia huius theoriae, Malinovsky discooperit in opere dr. (sic) Newmann, *An essay on the development of christian doctrine*, Londini, 1844. De falsitate huius asserti Cf. *Civiltà Cattolica* (*Della evoluzione del dogma*), 1906, t. III, pp. 654-658. Adiungit *in praxi* Catholicam Ecclesiam favere huic doctrinae quin detur eius explicitam enuntiationem reperire in definitionibus dogmaticis vel decretis romanorum pontificum et conciliorum: haec igitur quaestio tantum a theologis catholicis tractatur, p. 21. Ex allatis locis tum concilii Vaticani, tum clarissimorum theologorum constat Ecclesiam catholicam doctrinam penitus contrariam quam Malinovsky sibi effingit ut partum theologiae romanae semper docuisse ac docere. Theoria romana progressus dogmatici, inquit Malinovsky, inducere potest in animum ut admittatur, genere humano magis exculto, religionem christianam penitus interire posse, ac nova religione substitutum iri. — P. 29. Candide fateor nescire criteria logica quibus utitur russicus theologus ut eruat ex doctrina catholica tam lepidas conclusiones!

iuxta theologos orthodoxos, semper adimplevit, adimplet nec non adimplebit, Ecclesia Christi ut ius officiumque necessarium pro fide sarta tectaque servanda. Summatim, clarissimi inter theologos orthodoxos non abnuunt, postquam completa est revelatio divina per Christum atque Apostolos, veritates fidei pro fidelibus indigere maiori determinatione atque explicatione, utramque vero perfici grassantibus haeresibus per magisterium ecclesiasticum infallibili Spiritus Sancti assistentia praeditum, utramque simul penitus excludere innovationem vel mutationem substantialem in credendis.

13. Professio tamen huius doctrinae, quam cum fide catholica convenire nemini obscurum est, multis implicatur erroribus quae cum ea pugnant. Oritur enim prima controversia inter theologos catholicos atque orthodoxos, cum agitur de illo magisterio ecclesiastico, aut potius de suprema illa auctoritate cui ius competit progressus dogmatici secundum quid absolvendi. Theologi orthodoxi tenent, peracto iam schismate, « munere detegendi immutabili in sua essentia dogmata defunctam esse semperque defuncturam Ecclesiam orientalem, quod factum fuisse affirmant per reprobationem solemnem novitatum (*sic*) Catholicae Ecclesiae haereseosque lutheranae, et calvinianae et futurum in oevum, quotiescumque defensio veritatis orthodoxae exiget ut dogmata definiantur atque explicentur » (1). Post nonum saeculum, verba, quibus utitur Vincentium Lirinensis ad progressum dogmaticum vindicandum, referri debent ad solas particulares Ecclesias regionum orientalium (2). *Ὀρθοδοξία* quam vocant, *vivum organum habet pro exprimenda sua infallibili doctrina, nempe vocem, consensum suorum pastorum* suorumque conciliorum. Vestigia premens septem conciliorum oecumenicorum sanctorumque Patrum nunquam ipsa cessavit, novis insurgentibus haeresibus erroribusque, clarius nec non exactius sua dogmata immutabilia proponere (3).

(1) Malinovsky, p. 28.

(2) *Ἀπὸ τοῦ ἑνάτου αἰῶνος, διε αἱ κατὰ τόπους ἢ μερικαὶ* (sic) *Ἐκκλησίαι τῆς Λύσεως ἀπεχωρίσθησαν ἀπὸ τῆς ἀρχαίας καθολικῆς Ἐκκλησίας διὰ καινοτομιῶν ἐν τοῖς δόγμασι, τῇ λατρείᾳ καὶ τῷ πολιτεύματι τῆς Ἐκκλησίας, οἱ λόγοι τοῦ Βιγκεντίου ἐφαρμόζονται μόνον εἰς τὰς κατὰ τόπους ἢ μερικὰς Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολῆς, αἵτινες, οὐδὲν οὔτε προσθεῖσαι, οὔτε ἀφαιρέσασαι, ἔμειναν πισταὶ ἐν τοῖς δόγμασι κλπ. τῆς πρὸ τοῦ σχίσματος ἀρχαίας καθολικῆς Ἐκκλησίας, οὖσαι δὲ ὁμόδοξοι καὶ ἀληθῶς ὀρθόδοξοι συνεχίζουσιν ἀληθῶς καὶ κανονικῶς τὴν ἀρχαίαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν.* — Zikos Rhosi, pp. 103-104.

(3) Церковь православная, въ продолженіе вѣковъ, имѣла и имѣетъ и живой органъ для выраженія своего непогрѣшимаго учительства; это голосъ всѣхъ ея пастырей, это ихъ соборы; въ то же время она никогда не переставала, во всемъ послѣдуя седьми вселенскимъ Соборамъ и древнимъ св. Отцамъ, подробнѣе и обстоятельнѣе раскрывать, по случаю вновь возникавшихъ ересей и заблужденій,

Ecclesia orthodoxa orientalis usque nunc vivit agitque non secus ac vivebat aque agebat antiqua Ecclesia universalis antequam Romana Ecclesia ab ea deficeret!...

Quae retulimus ex theologis orthodoxis errorem *doctrinalem* continent ac falsum assertum historicum. Macarius affirmat quod orthodoxa Ecclesia non secus ac primis saeculis, navat adhuc operam suis dogmatis immutabilibus detegendis, fideique veritatibus definiendis. Supponitur igitur eam potiri magisterio ecclesiastico quod auctoritatem exercet in cunctos fideles. Hoc magisterium ex iure canonico orthodoxo ὄργανον habet concilium tantum oecumenicum. Canones enim synodorum particularium, ut Berdnikov docet, vim obligatoriam induunt tantum pro illis Ecclesiis, quorum episcopi eis interfuerunt (1) et si quando extensi sunt ad universam Ecclesiam, hoc factum est per subsequentem approbationem et confirmationem conciliorum oecumenicorum, quae dederunt eis notam oecumenicitatis. Patet autem nullum concilium oecumenicum habitum fuisse in Ecclesiis orientalibus post suam scissionem ab Ecclesia romana. Ergo hoc magisterium iam inde a saeculo nono paralysi laborat in Oriente.

Lepidam quidem sententiam tuetur Pavlov, dum affirmat in praesentia nullam dari possibilitatem convocandi concilium universale *ob politicas difficultates*, ex quibus inimicitia et contentiones inter varios populos oriuntur (2). Concilium enim vaticanum, quod Pavlov vocat instrumentum pontificiae dominationis in Ecclesiam, episcopos ex dissitis, immo hostilibus inter se regionibus, in unum caritatis spiritum congregatos exhibuit. Sed, relicta controversia de possibilitate concilii oecumenici, satis est nobis *de facto* historia doceri nullum iam inde a saeculo nono concilium oecumenicum habitum fuisse apud Ecclesias orientales. Ergo licet nobis deducere, in tam diuturna temporis intercapedine, easdem Ecclesias magisterium dogmaticum non exercuisse.

свои неизмѣнные догматы. Macarius, p. 19. Prot. I. Solovev e contra asseveranter affirmat saeculo IX absolutam fuisse determinationem generalem doctrinae ab Apostolis acceptae: завершилось общецерковное утвержденіе принятаго отъ апостоловъ ученія. Ученіе православной церкви о священномъ преданіи (*Doctrina Ecclesiae orthodoxae circa sacram traditionem*) Вѣра и Церковь, Mosquae, 1906, t. II, p. 141.

(1) По своему свойству, правила мѣстныхъ соборовъ обязательны собственно для той помѣстной церкви, епископами которой онѣ постановлены. — Краткій курсъ церковнаго права православной церкви (*Compendium iuris canonici Ecclesiae Orthodoxae*), Kasan, 1903, p. 30.

(2) Въ настоящее время вселенскій соборъ представляется почти невозможнымъ по политическимъ обстоятельствамъ. Курсъ церковнаго права (*Institutiones iuris canonici*), Serghievo, 1902, p. 282.

Sublato enim concilio oecumenico, hoc magisterio fungeretur vel episcopus quidam iure primatus in totam Ecclesiam praeditus, vel concilium particulare, vel consensus unanimis omnium Ecclesiarum quae *αὐτοκέφαλοι* vocantur. Constat autem nullum dari supremum Pastorem in Ecclesiis orthodoxis. Peracto schismate, Constantinopolitani Patriarchae qui superbiae ambitionisque romanos Pontifices insimulabant, viribus enixis conati sunt, infelici tamen exitu, eius iura usurpare, eoque arrogantiae processerunt, ut teste Macario Ancyrano, romanam sedem in iure appellationis subiectam sibi effutirent (1). Hoc facinus praesertim molitus est Michael Cerularius qui nil antiquius habebat quam sceptrum potestatis pontificiae suis manibus in Oriente gestare (2). Constat item nullum concilium particulare hoc iure definitiones dogmaticas enucleandi potiri. Citavimus iam testimonium clarissimi viri Pavlov, qui maximus habetur inter canonici iuris in Russia cultores: iuvat ac testimonium proferre archimandritae Apostoli Christoduli, cuius compendium iuris canonici magni pretii apud Graecos aestimatur. Iste fatetur decreta conciliorum particularium potius consilium quam praeceptum exhibere, neque vim legis habere ut decisiones conciliorum oecumenicorum (3). Praeterea historice constat eiusmodi concilia veras definitiones fidei in Ecclesiis orientalibus nunquam dedisse post schisma exhortum. Concilia particularia russicae Ecclesiae quaestiones dogmaticas vix ac ne vix tetigerunt (4), et cum hoc fecerunt, contradictorias sententias pluries dedere. Hoc luculenter testatur synodus mosquensis a. 1620, quae praeside Philareto Romanov (1619-1633), statuit rebaptizandos Latinos, *indignos tanquam canes ac manifestos Dei adversarios*: недостойныхъ сущихъ аки

(1) Allatius, *De Ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione*, Coloniae, 1648, pp. 267-268; Ostroumov, Введеніе въ православное церковное право (*Introductio in ius canonicum orthodoxum*), Kharkoviae, 1893, pp. 450-455.

(2) Confer quae optime de Cerulario primatum pontificium inhiante scripsit cl. vir N. Suvorov in opere: Византійскій Папа; изъ исторіи церковногосударственныхъ отношеній въ Византіи (*Papa byzantinus: excerpta ex historia relationum inter civilem atque ecclesiasticam potestatem in urbe Byzantio*), Mosquae, 1902, pp. III-VI, 79-159.

(3) *Αἱ τοπικαὶ σύνοδοι πάντοτε ἔφερον χαρακτῆρα συμβουλευτικῶν μόνων σωματείων· αἱ ἀποφάσεις αὐτῶν, ἔχουσαι σημασίαν χειραγωγικῶν ἀρχῶν διὰ τοὺς παρευρισκομένους ἐπισκόπους, δὲν ἦσαν νόμοι ἐν τῇ ἐννοίᾳ ἐκείνῃ, ὁποίαν ἔλαβον αἱ ἀποφάσεις τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων.* — *Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου*, Constantinopoli, 1896, p. 50.

(4) Berdnikov, Краткій курсъ церковнаго права православной церкви (*Breve compendium iuris canonici Ecclesiae orthodoxae*), Kasan, 1903, pp. 183-195.

псовъ и вѣдомыхъ враговъ божіихъ (1). Sed concilia mosquensia a. 1656 et 1667 habita baptismum latinum validum declararunt, et consequenter latinos rebaptizandos non esse (2). In re igitur dogmatica sententias penitus discrepantes concilia particularia Ecclesiae russicae pronuntiarunt. Concilium item anni 1667 gravissimas poenas ecclesiasticas in patriarcham Niconem statuit, quem Macarius, antiochenus patriarcha (1648-1672) peiorem Satana declaravit: « Satanas enim veritatem interdum dixit, Nicon vero nunquam hoc ausus est » (3). Post mortem vero Niconis (1681), instante Theodoro Aleksieevitch (1676-1682) sententiam synodi abrogaverunt Patriarchae orientales, consiliis praesertim usi Dosithei patriarchae Hierosolymitani (4), illogice tamen declararunt iusta ac legitima, et immutabilia (*sic*) quaecumque in eadem synodo statuta fuerant (5). Silentio praeterimus concilia quaedam quarum sententiae in rebus ad constitutionem Ecclesiae pertinentibus, valde difficile esset probare testimoniis Sacrarum Scripturarum vel Traditionis. Exempligratia, concilium Mosquense anni 1660 statuit docuitque *Deum suam Ecclesiam tradidissae in potestatem russici regis* (6). Hoc tantum nobis sufficit demonstrasse ex historia, concilia russica particularia nullas edidisse unquam definitiones fidei contra insurgentes haereses, idest nunquam exercuisse magisterium illud ecclesiasticum, sine quo progressus dogmaticus *secundum quid* non potest concipi.

(1) Seraphimov (ep. Sergius), op. cit., pp. 128-132. Odiosis et contumeliosis verbis in Latinos, quibus scatent Acta huius concilii, iuxta praefatum scriptorem, ansam dederunt saevitiae Polonorum in orthodoxos qui tunc temporis sub ditione polonica vitam agebant. Cf. E. Birlitzky, Подъ польскимъ гнетомъ: Очерки и штрихи изъ жизни православныхъ бѣлоруссовъ въ XVIII вѣкѣ (*Sub iugo polonico Specimina et lineamenta vitae orthodoxorum in alba Russia saeculo XVIII*), Vilnae, 1908.

(2) Berdnikov, p. 249.

(3) Dobroklonsky, Руководство по исторіи русской церкви (*Institutiones historiae ecclesiae russicae*), t. III, Mosquae, 1889, p. 113.

(4) Matcenko, Досиеей, патріархъ Іерусалимскій, Душеполезное Чтеніе, Mosquae, 1878, t. II, pp. 34-36.

(5) *Ἀποφαινόμεθα, ὅτι τὰ λοιπὰ πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνης τῆς ἱερᾶς Συνόδου διαπραχθέντα μείνωσιν ἀμεταχίνητα καὶ ἀμετάτρεπτα, ὡς καλῶς καὶ νομίμως γεγονότα· ἡ γὰρ Σύνοδος ἀδιάβλητός ἐστιν.* — Dilikanis, *Πατριαρχικὰ ἔγγραφα*, t. III, Constantinopoli, 1905, pp. 199-200. Has litteras patriarchales datas fuisse sub Patriarcha Iacobo (1679-1683: prima vice) anno vel 1681 vel 1682 conjicit Dilicanis.

(6) Ему же царю свою церковь Господь преда. — Cf. Kartsev, Царь и церковные московскіе соборы XVI и XVII столѣтій (*Tzari et concilia ecclesiastica mosquensia saeculi XVI et XVII*), Богословскій Вѣстникъ, Mosquae, 1906, t. III, p. 495.

Num concilia constantinopolitana vel graeca id praestarunt, ut aiunt theologi orthodoxi, contra fidem catholicam et lutheranos errores?... Quae in conciliis russicis deprehendimus, de graecis conciliis affirmare opus est. Concilium Jassiense (1642) cuius acta subscriptiones ferunt Parthenii I constantinopolitani patriarchae (1639-1644) et Petri Moghilae (1633-1646) potius tribunal iudiciarium censendum est, quod solemniter reprobavit errores in Confessione fidei Cyrilli Lucareos contentos (1).

Datur quidem synodus Bethlehemitica vel Hierosolymitana anni 1672 quae fidem orthodoxam contra novatorum protestantium errores strenue ac rite defendit. Haec tamen synodus, quam nunquam convocatam fuisse cuiusque acta Dositheum tantum auctorem habuisse protestantes divulgarunt (2) pene ex latinis theologis totam fere hausit doctrinam qua lutheranas novitates profligavit (3), eamque indefectibili auctoritate praeditam non esse, luculenter testatur russica Ecclesia quae confessionem Dosithei, eius actis adiectam, nonnisi emendatam accepit.

Nefas igitur est reperire synodos particulares in Ecclesiis orthodoxis quae veras definitiones fidei promulgantes, *de facto* ostendissent magisterium ecclesiasticum apud eas extinctum non esse.

Ex hac impotentia ad progressum fidei adlaborandi deduxit Solovev « Ecclesias orientales nunquam proposuisse fidelibus credenda veluti dogmata obligatoria quae a theologis orthodoxis *errores Latinorum* appellantur nullasque, praeter eas quae a Septem conciliis oecumenicis proditae sunt, definitiones dogmaticas agnoscere ac possidere. Quidquid igitur contra Latinos ab hisce theologis effutitur, opiniones theologicas praesefert, quibus auctoritas magisterii infallibilis non suffragatur » (4). Progressus igitur dogmaticus secundum quid per synodos particulares non extitit in Ecclesiis orientalibus, ac docente experientia, neque in posterum dabitur.

(1) Michalcescu, op. cit., pp. 154-157. Idem asserendum de synodo constantinopolitana anni 1638 quae Cyrillum damnavit. — Ib. pp. 151-154.

(2) « Ce conciliabule n'est pas une confession de foi de l'Eglise de Jérusalem, mais un écrit forgé clandestinement et frauduleusement par l'ex-Patriarche Dosithée ». — Aymon, *Monumens authentiques de la Religion des Grecs*, Hagae Comitum, 1708, pp. 369-370.

(3) *Ἐν τῇ λατινικῇ θεολογίᾳ ἕλληνες θεολόγοι καὶ Πατέρες εὕρισκον πᾶν οὕτινος εἶχον ἀνάγχην πρὸς καταπολέμησιν τοῦ προτεσταντισμοῦ.* — Chr. Papadopulos, *Δοσίθεος, Πατριάρχης Ἱεροσολύμων, Νέα Σιών*, Hierosolymae, 1907, V, p. 123.

(4) Katolički List, Zagrabiae, 1886, p. 322. — Cf. Tondini, *Della riunione delle Chiese in relazione col sentimento nazionale russo e coll'ortodossia*, Romae, 1887, pp. 25-26.

Quidam scriptores orthodoxi contendunt hoc fieri per consensum et mutuas relationes Ecclesiarum quae *αὐτοκεφαλίᾳ* gaudent. Hic tamen consensus, hae mutuae relationes figmentum historicum exhibent. Quaenam enim sunt Ecclesiae quae unionem vel ligamen illud habent quod in eis causa sit *unitatis orthodoxae*?

Ostroumov et generatim scriptores slavi hisce accensent Ecclesiis, Bulgaricam Ecclesiam (1), quod blasphemiam gravissimam sapit pro Graecis orthodoxis.

Quomodo relationes mutuas fovere ad invicem possunt Ecclesiae *αὐτοκέφαλοι* quae continenter sese dilacerant, ac sese, fieri si posset, alia aliam, destrueret?... Reponitur, hunc consensum facilius obtineri posse, si primatus quidam concedatur quatuor Patriarchis Orientalibus, ac Patriarchae Constantinopolitano, appellatio aliarum sedium. Hoc tamen neque etiam dari aperte fatentur litterae encyclicae Anthimi VI, qui dissensione inter patriarcales sedes exhorta, appellationem proponit ad civile regimen Turcarum!... (2). Neque igitur consensus Ecclesiarum, neque Patriarcarum orientalium fuit vel erit medium aptum ad solvendas elucidandasque controversias fidei ab haereticis exagitatas, et consequenter magisterio ecclesiastico quod definitionibus dogmaticis *profectum fidelium in fide* foveat, caret *ὀρθοδοξία*.

14. Praecipua capita doctrinae catholicae de progressu dogmatum *secundum quid*, probantur, ut patet ex dictis, theologis orthodoxis. Haec eadem tamen, si cum latinis disceptandum est, perperam negantur. Ita Nicanor, archiepiscopus civitatis Odessae, asserit Ecclesiam orthodoxam prorsus reiicere theoriam progressus dogmatici (3). Ei competit ius tantum veritatis divinae custodiendae, quin in ea dog-

(1) Op. cit., p. 672.

(2) *Οἱ Πατριάρχαι τῆς Ἀλεξανδρείας, τῆς Ἀντιοχείας, τῶν Ἱεροσολύμων, εἰς τὰ παραδόξως συμπεσόντα καὶ δυσδιευθέτητα, γράφουσιν εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως, διὰ τὸ εἶναι ἕδραν Αὐτοκρατορικήν, ἔτι δὲ καὶ διὰ τὸ συνοδικὸν Πρεσβεῖον· καὶ ἡ μὲν ἡ ἀδελφικὴ σύμπραξις διορθώσει τὸ διορθωτέον, εὖ ἔχει· εἰ δὲ μὴ, ἀναγγέλλεται τὸ πρᾶγμα καὶ εἰς τὴν Διοίκησιν κατὰ τὰ καθεστῶτα. — Ἐγκύκλιος τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξους*, Constantinopoli, 1863, n. 14, pp. 25-26. Hanc vero appellationem ad turcicum regimen interdum factam fuisse pro rebus ad rectam sacramentorum confectionem pertinentibus, verbigratia utrum in Missae sacrificio aquae guttulae in vinum infundendae sint, narrat Pitzipios, *L'Église orientale*, Romae, 1855, pars prior, pp. 140-141, nota 4.

(3) Православная церковь совершенно отвергаетъ теорію развитія. — Бесѣда о томъ есть ли что еретическое въ латинской церкви (*Utrum sententiae haereticae reperiantur in latina Ecclesia: disquisitio*), Церковныя Вѣдомости, Petropoli, 1888, n. 24, p. 637.

matice explicanda proficiat (1). Magisterium igitur ecclesiasticum dogmata fidei sarta tectaque solummodo servare contendunt theologi orthodoxi. Neminem reperies qui hanc gloriam suae Ecclesiae miris laudibus non attribuat. Fideles incitantur ut scutum vel munimentum sibi censeant immaculatam fidem et sacra dogmata, ad apicem usque illaesa et sincera (2). Haec dogmata, hanc fidem quam a Jesu Christo, Apostolis, Synodis, Patribus accepit, Ecclesia orthodoxa intaminatam inconcussamque custodit (3), ab apostolorum temporibus illibatam tuetur (4). Fidem, quam habemus, conclamitat Anthimus VI patriarcha constantinopolitanus (1845-1848 : prima vice) intemeratam, ea est quam didicimus ex Evangeliis, ex ore Jesu Christi, quam nobis testati sunt Apostoli et concilia (5).

Servamus, inquit archiepiscopus Nicanor, immutatam eandem fidem, quam primis saeculis religionis christianae profitebatur Ecclesia (6). « Dogmata Ecclesiae nostrae, nimis asseveranter perstrepit Diomedes Kyriacos, antiquioris Ecclesiae dogmata sunt. Fatentur hoc adversarii nostri. Nihil unquam adiecit Ecclesia orthodoxa eis quae definierunt concilia oecumenica vel Patres; nihil unquam in eis immutavit. Doctrina Ecclesiae nostrae prisca illa est religio christiana quae sese primis saeculis explicavit cooperante sapientia Graecorum Doctorum. Immutatam atque inconcussam tuemur fidem octo priorum saeculorum, fidem illam veram ac genuinam, quam graece Apostoli in Graecorum terris praedicarunt » (7).

(1) Догматическаго развитія въ церкви нѣтъ, а есть только охраненіе истины. — Странникъ, loc. cit., p. 18.

(2) *Epist. Dogm. Syn. Const. ad orthodoxos Antiochenos a. 1722*, Mansi, XXXVII, col. 128.

(3) *Ὅσα παρέλαβε καὶ ἐδιδάχθη ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἀπὸ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους, ἱερὰς Συνόδους καὶ Θείους Πατέρας, καὶ ὅλας τὰς παραδόσεις τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας, ἐγγράφους τε καὶ ἀγράφους, τὰ ἐφύλαξε καὶ τὰ φυλάττει ἀπαρασάλευτα καὶ ἀνόθευτα.* — Ib., p. 205.

(4) *Ὀφείλει στέργειν καὶ ἀποδέχεσθαι καὶ πάσας τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις, ἐγγράφους τε καὶ ἀγράφους, καθὼς αὐτὰς ἡ ἀνατολιτικὴ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία ἄνωθεν ἔτι ἐξ αὐτῶν τῶν ἀποστόλων παρέλαβε καὶ διεδέξατο καὶ ἐνεργεῖ καὶ φυλάττει ἀπαρατρέπτως μέχρι τῆς σήμερον.* — *Ἔκθεσις πίστεως*, synodi Constantinopolitanae, a. 1723. — Ib., col. 897.

(5) *Ἡ πίστις καὶ ἡ ὁμολογία ἣν κατέχομεν ἀκαταίσχυντός ἐστι, διδασκομένη ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἐκ στόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν, μεμαρτυρημένη ὑπὸ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ὑπὸ τῶν ἱερῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων.* — *Ἐγκύκλιος* etc., p. 36.

(6) Мы сохраняемъ въ неизмѣнномъ видѣ ту самую вѣру, какую содержали отъ временъ апостольскихъ въ первые вѣка христіанства. — Церковныя Вѣдомости, 1888, n. 24, p. 636.

(7) *Τὰ δόγματα τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας εἶναι τὰ δόγματα τῆς ἀρχαίας Ἐκκλησίας. Καὶ αὐτοὶ οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν ὁμολογοῦσιν, ὅτι ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία οὐδὲν*

In Latinos vero mirum est quot convicia, quot probra congerantur tanquam in fidei adulteratores, corruptores, obstinatos, obcoecatos, insanabiles. Dogmata Ecclesiae catholicae sive in actis pubblicis Ecclesiarum orientalium, sive in theologorum scriptis vocantur saepe saepius perversa, insana (*τῆς λατινικῆς κακοδοξίας καὶ κακοφροσύνης δόγματα*), novitates illicitae atque evangeliis contrariae (*καινοτομίαι ἀθέσμοι καὶ ἀντιευαγγελικαί*), fraudes (*λατινικὴ ἀπάτη*) errores manifestissimi (*ψηλαφηταὶ πλάναι*), opiniones diabolicae (*σατανικαὶ ἐπίνοιαι*) (1). Latinis vehementer obiicitur dogmata piae fidei, traditiones ordinationesque sacras corrupisse, alterasse. Nova semper inhians, catholica Ecclesia, haec effutiunt, flocci fecit doctrinam Evangelii, canones apostolicos, concilia et Patres, dissonas a Christi doctrina tuita sententias (2).

Ob suam stultissimam obstinationem, a vera Ecclesia extorres Latini innumeras fere novitates excogitarunt in dogmatis traditionibusque (3). Anthimus VII romanos irridet episcopos, illicitarum novitatum vindices acerrimos, Romanamque Ecclesiam vocat Ecclesiam novitatum, alterationis operum Patrum (4), falsarumque interpreta-

---

προσέθηκεν, οὐδὲν ἠλλοίωσεν ἐξ ὅσων ἐθεσπίσθησαν ὑπὸ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων σοφῶν ἑλλήνων πατέρων. Ἡ διδασκαλία τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας εἶναι ὁ ἀρχέγονος χριστιανισμός, ὅπως ἀνεπτύχθη κατὰ τοὺς πρώτους αἰῶνας ὑπὸ τὴν ἐπίδρασιν τῆς ἑλληνικῆς παιδείας ὑπὸ τῶν διὰ μεγάλης σοφίας πεπροικισμένων ἐκκλησιαστικῶν διδασκάλων τῆς χριστιανικῆς ἀρχαιότητος... Κρατεῖ ἀναλλοίωτον καὶ ἀμετάβλητον τὸν ἀρχαῖον καὶ γνήσιον χριστιανισμὸν τῶν 8 πρώτων αἰώνων, τὸν χριστιανισμὸν τὸν κηρυχθέντα τὸ πρῶτον ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων εἰς τὰς ἑλληνικὰς χώρας καὶ ἐν ἑλληνικῇ γλώσσῃ. — Ἀντιπαπικά, Athenis, 1893, pp. 28, 46.

(1) Mansi, XXXVII. col. 129; Chrysostomos (archidiaconus). *Περὶ Ἐκκλησίας*, t. I, Athenis, 1896, pp. 53, 85.

(2) *Ὄχι μόνον τὰ δόγματα τῆς εὐσεβοῦς πίστεως, ἀλλὰ καὶ τὰς παραδόσεις καὶ τάξεις τῆς Ἐκκλησίας ἀνέτρεψαν καὶ διέφθειραν οἱ κατὰ πάντα καινοτομοῦντες λατῖνοι, ἐναντιούμενοι καὶ τῇ εὐαγγελικῇ διδασκαλίᾳ καὶ τοῖς ἀποστολικοῖς κανόσι καὶ εἰς τὰς ἱερὰς συνόδους, καὶ, ἁπλῶς εἰπεῖν, εἰς τοὺς Πατέρας τῆς Ἐκκλησίας.* — Mansi, XXXVII, col. 203.

(3) *Διὰ πεῖσμα καὶ πάθος ἄλογον ἐσχίσθησαν οἱ Λατῖνοι ἀπὸ τῆς καθόλου Ἐκκλησίας καὶ ἐπενόησαν τόσας καινοτομίας καὶ νεωτερισμοὺς εἰς τὰ τῆς εὐσεβοῦς πίστεως δόγματα καὶ παραδόσεις.* — Ib., col. 205.

(4) Iuvat meminisse facinus mutilandi et corrumpendi scripta Patrum pluries a Graecis in concilio florentino et quidem a Marco Ephesino perpetratum fuisse gravi cum suo dedecore. — Cf. Hefele, *Conciliengeschichte*, t. VI, pp. 145, 699; Pitzipios, op. cit., II, p. 53; opellam nostram *La polemica religiosa in Oriente*, Romae, 1898, pp. 132-133.

tionum Sacrae Scripturae, et definitionum synodalium (1). Huiusmodi alterationes, quae Christianae religionis faciem deturpaverunt, in sinu catholicae Ecclesiae, desipiens perstrepit Diomedes Kyriacos, causam habuerunt barbariem atque inscitiam populorum occidentalium (2).

Ad suas autem novitates tuendas catholica Ecclesia latinis theologis praecepit ut inveherent theoriam progressus dogmatici, quae praedicat « nova dogmata, cunctis antea ignota, oriri ac defendi posse » (3).

15. Pudet nos amplius iniurias nec non insolentes obiurgationes referre. Argumenta, quibus eis respondendum, breviter perstringemus: Animadvertimus doctrinam Ecclesiae catholicae in controversiis fidei sumendam esse ex eius definitionibus, actis decretisque dogmaticis, ac documentis pontificiis. Ecquis autem iactabitur sese in eis reperisse quod magisterium Ecclesiae catholicae interdum docuisset quae ab orthodoxis theologis ei appinguntur?...

α') *Theorice* catholica Ecclesia nunquam professa est progressum dogmaticum in eo consistere ut nova pro tempore dogmata effingantur. Contrarium quidem semper proposuisse ac tradidisse testatur historia impendioque nunc magis id proponit ac tradit contra modernistarum lugendos errores. Damnata est enim a S. Inquisitione decreto *Lamentabili* sequens propositio: « *Revelatio obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa* » (prop. 21).

Ecclesia igitur catholica mordicus tenet deposito fidei revelatae nihil addendum nihilque ab eo detrahendum, et quancumque reiicit doctrinam quae originem apostolicam non exhibet. Sexcenties ipsa repetit penitus respuere evolutionem illam quae in depositum fidei sibi commissum novum elementum in revelatione non contentum induceret (4).

(1) *Ἡ νῦν ῥωμαϊκὴ ἐστιν Ἐκκλησία τῶν καινοτομιῶν, τῆς νοθεύσεως τῶν συγγραμμάτων τῶν ἐκκλησιαστικῶν Πατέρων καὶ τῆς παρερμηνείας τῆς τε ἁγίας Γραφῆς καὶ τῶν ὅρων τῶν ἁγίων Συνόδων.* — *Ἐγκύκλιος ἐπιστολή*, n. 10, p. 16.

(2) *Ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία ἕνεκα τῆς βαρβαρότητος τῶν χρόνων τῶν μέσων αἰώνων καὶ τῆς τότε ἀμαθείας τῶν λαῶν αὐτῆς ἠλλοίωσεν ἐν πολλοῖς καὶ ἠσχήμισε τὸν χριστιανισμόν.* — *Ἀντιπαπικά*, p. 46.

(3) Шеорія развитія догматовъ проповѣдуетъ, что въ Церкви могутъ являться новые догматы, не существовавшіе прежде. — Bielaiev, О соединеніи церквей (*De unione Ecclesiarum*), Serghievo, 1897, p. 82. Plura ad hanc quaestionem pertinentia reperies apud Stoianov, Наши новые философы и богословы (*Nostri philosophi et theologi*), Вѣра и Разумъ, 1885, t. I, pp. 46-64, 98-118, 171-191, 432-459, 688-725; 1886, t. I, pp. 524-546, 670-701, 782-826; t. II, pp. 523-550.

(4) Perspicue haec Heiner adnotat: « Zu den der Kirche anvertrauten depositum fidei kommt nach dem Tode der Apostel keine neue Offenbarung mehr hinzu. Allerdings befindet sich die mit der Aposteln abgeschlossene Offenbarung nicht in einem Zustande toter Erstarrung, sondern in dem einer Entwicklung und

Probitatis igitur officium pro theologis orthodoxis censemus, sese in posterum ab his falsis atque iniuriosis obiurgationibus abstenturos. Si quidam fuerunt catholici theologi, et sunt adhuc, qui rite doctrinam catholicam non exposuere, si quidam in conatibus semper laboriosis theologicas controversias asperasque difficultates solvendi errorum scopulos offenderunt, pravae horum sententiae inique Catholicae Ecclesiae imputantur. Exploratum enim est Romanos Pontifices eos damnasse, eorumque libros reprobasse, ut iam contigit pro Antonio Günthero, ut contingit etiam hac nostra tempestate, qua lacrymabilis modernistarum audacia divinis veritatibus traditionibusque ausa est miscere humanarum opinionum deliramenta.

Theorice igitur progressus dogmaticus qui nova conderet dogmata, aeque reiicitur a Catholica Ecclesia quam a theologis Ecclesiarum orientalium.

β') Neque *practice* huic progressui, si pravo sumatur sensu, quem innuimus, Catholica favet Ecclesia. Compertum enim est explicitis theologiae orthodoxae testimoniis prioribus novem saeculis progressum aliquem in theologia ac dogmaticis fidei christianae doctrinis extitisse. Quaenam ipsius natura sit, fuse iam declaravimus. Si progressus hic necessarius olim statuitur, nostra etiam aetate necessarium esse et in posterum semper fore, supervacaneum duco demonstrare. Si primum concilium nicaenum sancivit verbum *ὁμοούσιον*, quod in Evangeliis ac primitiva in traditione non reperitur, nescio cur tam blasphemus videatur usus legitimus *τοῦ Filioque*, quod verbum in Ecclesia catholica rectam doctrinam portendit. Si Concilium Ephesinum solemniter definivit maternitatem divinam Beatissimae Virginis Mariae, nescio cur praeposita diligenti inquisitione veritatis, Ecclesia contra grassantes errores nequeat definire primatum Romanae Sedis, vel immaculatam Conceptionem Dei Genitricis. Num septimum concilium oecumenicum prohibuit pro re nata nova concilia oecumenica convocare, novas fidei definitiones edere?... *Practice* igitur legitimum ius exercet Catholica Ecclesia cum de fide credendum definit, quod licet in fide contentum controversiis theologorum in contrarias abeuntium sententias, et cavillis haereticorum, in conscientia christiana vel obnubilatur, vel dubiis ausam praebet. Perperam quidem id egisset Ec-

---

Ausgestaltung. Diese Veränderung führt aber vor allen nicht zu einer völligen Neubildung, so dass Lehren entstehen, die vorher in keiner Weise vorhanden waren. Die Kirche wacht vielmehr darüber, dass am depositum fidei nichts vermehrt, und sie weisst jede Lehre ab, deren apostolischer Ursprung sich nicht erweisen lässt ». — *Der neue Syllabus Pius 'X*, Moguntiae (2 ed.) 1908, p. 106.

clesia si doctrinam retro inauditam traderet, veluti propositionem immediate e coelo delapsam. Sed hoc falsum evincitur.

16. Exemplum liceat nobis depromere ex historia dogmatis primatus Romani Pontificis quod praesertim theologi orthodoxi mordent, ut plane inauditum, insolitum in fide christiana, ut figmentum diabolicum etc. Ne culpemur amicorum verbis uti pro tuenda nostra sententia, quid in hac re sentiat praeclarus historicus Ecclesiae byzantinae, Alexius Lebedev, audiamus: « Semper et immutabiliter episcopus romanus potiori quam ceteri patriarchae auctoritate praeditus nobis apparet. Ab incunabulis religionis christianae hoc iam deprehenditur. Episcopus alius qui fruatur eisdem iuribus, qui par ei habeatur, non est, nec potuit existere (1). Tribus prioribus saeculis haec conscientia auctoritatis in Romanis episcopis crescit in dies, vel potius in singulas horas. Hoc factum valde leve ac nugatorium esset si romani Pontifices seipsos extulissent, ceteris vel in eos insurgentibus vel silentio suam improbationem patefacientibus. Hoc autem non evenisse comperimus ex historia. Qui primores in hierarchia saeculi tertii feruntur, semper et ubique pandunt maximam venerationem, qua quidem ante suos oculos, cathedra romana exornatur (2).

Si scriptor igitur qui maximi apud orthodoxos habetur, luculenter probat ex historia, primis saeculis fidei christianae, nullis obstantibus, immo cunctis faventibus, primatum romanum viguisse, si primatus hic deprehenditur a Iesu Christo divinitus institutus, ac traditione apostolica transmissus et confirmatus, cur dicendum erit cum iactura fidei ipsum ut dogma promulgatum fuisse a Catholica Ecclesia?... Sicut dogma divinae consubstantialitatis Filii quae ubique gentium in orbe christiano agnoscebatur, definitum est a Concilio nicaeno ut Arianis sacrilegum occluderetur os, ita primatus romani Pontificis, quem *theorice* ac *practice* in primitiva Ecclesia omnes divinitus institutum

(1) Всегда и неизмѣнно выше другихъ патріарховъ былъ епископъ римскій. Такъ было съ самаго начала христіанской исторіи. Равнаго съ нимъ епископа не было и быть не могло. — Духовенство древней вселенской церкви отъ временъ апостольскихъ до IX вѣка (*Clerus antiquae Ecclesiae universalis ab aetate apostolica usque ad IX saeculum*), Serghievo, 1905, p. 228.

(2) Самочувствіе римскихъ епископовъ растетъ такъ сказать не по днямъ, а по часамъ. Но это было бы не такъ еще важно, если бы только сами папы превозносили себя, а другія лица или бы протестовали противъ нихъ, или бы награждали ихъ претензіи холоднымъ молчаніемъ. Но не такъ было на дѣлѣ. Другіе представители церкви III вѣка хоть и не всегда, но весьма часто съ своей стороны давали знать, что они не могутъ не раздѣлять мысли о высокомъ уваженіи, какимъ пользовалась и должна пользоваться каѳедра римскаго епископа. — Ib., p. 235.

profitebantur, per definitionem dogmaticam maiorem vim, maiorem claritatem consecutus est.

Idem de Filioque asserendum. Novitatis nota inuritur doctrinae quae per hoc verbum exprimitur. Audiamus virum infensum in catholicam fidem, lutheranae haereseos sectatorem: « Antiquiores christianorum graecorum Doctores processionem Spiritus Sancti non solum a Patre verum etiam a Filio credidisse, quae in illorum scriptis habentur testimonia haud obscure comprobant. Equidem minus negandum est, eos non semper distincte satis ac perspicue de hac re exposuisse, quum illa nondum in disputationem vocata esset, exstant tamen effata, ex quibus non sine causa colligitur, quod Spiritum Sanctum a Filio pariter ac a Patre procedere professi sint » (1). Nil igitur mirum, si controversiis exortis, Catholica Ecclesia satis clare ac distincte per dogmaticam definitionem proposuit doctrinam obscure in traditione ecclesiastica contentam. Nimia quidem arrogantia est theologiae orthodoxae quae asseveranter conclamat nullum vestigium huius dogmatis in traditione apostolica reperiri, quod uno ore falsum asserunt tum theologi catholici, tum protestantes et *veteres* quos vocant catholici. Num in Graecia tantum vel in Russia, theologi, qui post schisma exortum, proh dolor!, parum in scientiarum theologicarum progressum contulerunt, infallibilibus potiuntur criteriis theologicis, dono pollent speciali disquirendi veritates traditionis christianae, easque dijudicandi atque explicandi?...

17. At satis non videtur orthodoxis theologis cum catholicis dimicantibus affirmare nullum dari progressum in veritatibus revelatis per magisterium ecclesiasticum enucleandis: recensentur etiam inter eos qui perfricta fronte asseverant progressum quem nos vocamus, potius regressus nomen merere. Exploratum enim est, ita arguunt, cognitionem veritatum divinarum qua fruimur in praesentia, tam plenam, exactam, viventem, nobis non adesse sicut Apostolis eorumque immediatis successoribus. Formulae igitur dogmaticae testantur regressum, pauperiem rectae doctrinae quae in fidelium conscientias inducta, coegit Ecclesiam veritates fidei definire (2).

(1) Walchius, *Historia controversiae Graecorum latinorumque de processione Sancti Spiritus.* Ienae, 1751, p. 3.

(2) Наше сознаніе истины уже не такъ полно, отчетливо и живо, какъ это было у Апостоловъ и ихъ первыхъ преемниковъ. И такъ, наши догматы, т. е. наши догматическія формулы не суть слѣды какого — нибудъ развитія, прогресса, скорѣе напротивъ, — онѣ суть свидѣтели регресса, свидѣтели того, что истина стала блѣднѣть въ сознаніи вѣрующихъ и ее пришлось закрѣплять словесными опредѣленіями. — Странникъ, loc. cit., pp. 16-17.

Quid igitur faciendum ut fortiter huic regressui obstemus? ... Num relinquendae Institutiones Theologicae quae nunc discipulorum ad sacerdotium provehendorum manibus teruntur, ad *Λόγια Ἰησοῦ* vel ad *Pastorem* Hermae relabendum, comburendae tot laboriosae a theologis christianis exaratae disquisitiones, quia eo magis regredimur quo magis progredimur? ... Non dubitant quidem theologi catholici, quin Apostoli pleniorem quam nostra est scientiam divinitatis ex labiis Iesu Christi hauserint, eamque clarioribus conceptibus, afflante Spiritu Sancto, intellexerint. Sed nobis sermo non est de personis, verum de scientia. Charismatis peculiaribus exornati non sunt fideles post illam auream aetatem apostolicam. Cum de progressu dogmatico loquimur, comparationem non instituimus inter mentem Apostolorum, supernaturalis luminis radiis illustratam, ac labilem nostram, tenebris obvolutam, prope dixerim, oculum vespertilionis ad solem. Comparamus tantum theologiam quam Scriptores et Patres primitivae Ecclesiae nobis tradiderunt cum theologia quae, ductu magisterii ecclesiastici, per tot saecula elaborata nobis in promptu est. Si praecisionem enim terminorum inspexeris, investigationum profunditatem, formularum nitorem, argumentorum copiam nervosumque robur, concinnam partium distributionem, definitionum claritatem, eruditionis tum sacrae tum prophanae ditissimam supellectilem, confestim tibi persuasum erit theologiam nostrae aetatis, antiquioris oevi theologia excultiorem se praebere. Et quia excultior est, meo quidem iudicio, difficillimum reddit novarum haeresum ortum in Ecclesia, vel impedit quominus exortae iam haereses inter fideles serpant, vitamque diuturnam agant. Hoc autem fieri nequibat in Ecclesia primitiva ubi continenter haereses exoriebantur, turbasque fere innumeras in orbe christiano ciebant; nondum enim a theologis accuratiores termini reperti fuerant, ac, fide credendis nondum perspicue definitis, latum atque inoffensum haereticorum cavillationibus fraudibusque explanabatur iter. Si progressum hunc theologicum regressum appellare velimus, logice consequeretur quamlibet scientiam quo clarius exponitur, accuratius distribuitur, aptius exprimitur, eo magis in peius ruere, quod quantum a veritate aberret nullus est qui non videat.

18. Notam rationalismi inurit quidam scriptor orthodoxus theologis catholicis, quippe qui teneant « suas opiniones particulares per magisterium ecclesiasticum ad fastigium dogmatum interdum elevari posse ac debere » (1). In Perrone, Scheeben, Kuhn acriter invehit

(1) Op. cit., p. 171. — Quidnam sit sententia theologica particularis hisce verbis docet Svietlov: « Scientia fidei christianae duobus constat elementis inter

Chostin, eo quod doceant « conscientiam Ecclesiae mutabilem esse atque inconstantem, et consequenter *reflexiva* meditatione perfectum iri ». Hoc putidum rationalismum perolet, inquit praefatus auctor (1).

Harum obiurgationum falsitatem multis opus non est verbis ut demonstremus. Rationalismus enim, animadvertit Card. Zigliara, hoc unum enititur, iugum credendi excutere praetextu sequendi iura et dictamina rationis (2). Viribus humanae mentis tantum confisi, rationalistae superbe necessitatem revelationis denegant, veritatesque revelatas suo iudicio mensurandi sibi vindicant licentiam. Nil igitur magis obstat fidei christianae quam haec eorum placita quae ordinem supernaturalem funditus evertunt, Deumque hominibus moraliter subjici pervulgant. Ne rationalismi labe sordescat progressus dogmaticus in sensu catholico, tribus necesse est conditionibus satisfaciat: 1) ut admittat revelationem veritatum fidei christianae per Deum factam ac per Apostolos nobis transmissam fuisse; 2) ut teneat sensum dogmaticarum veritatum semper identicum in Ecclesia mansisse et fidelibus ab Ecclesia propositum fuisse (3); 3) ut nullimode permittat theologis iura scientiae vindicantibus aliquid eis addere vel ab eis detrahere (4). Si haec tria tradantur a catholicis theologis, quorum famam mordet Chostin, nullam habent firmitudinem quae in eos ipse congerit. Et quidem res ita se habet.

Ad Scheeben quod attinet, vel parvam rationalismi maculam in Institutionibus theologicis ab eo exaratis nefas est deprehendere. Apertis enim verbis ipse haec docet: « Exacta Christi Apostolorumque aetate revelatio christiana absoluta est; excluditur inde nova et plenior efformatio cuiuscumque doctrinae dogmaticae. Antiquorum dogma-

---

se coniunctis. Prius elementum divina est veritas quae dogmate continetur a Deo ipso per tramitem Ecclesiae fidelibus proposito; posterius vero humanum est et reperitur in intellectu nostro qui veritates revelatas accipit sibique assimilat. Ex horum elementorum connubio veritas exsurgit inferioris gradus, naturalis ordinis, quae *opinio theologica particularis* audit. — Ученіе церкви и богословствующій разумъ въ религіозно-христіанскомъ знаніи (*Doctrina Ecclesiae et ratio theologica in scientia religionis christianae*), Христіанское Чтеніе, 1895, t. II, pp. 428-429.

(1) Ib., p. 171.

(2) *Propaedeutica ad sacram Theologiam*, Romae, 1890, p. 16.

(3) Damnata est a concilio Vaticana sequens propositio: « Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S. — *Const. de fide cath.*, c. 4, Denzinger, p. 482.

(4) Ib., p. 479.

tum Ecclesia nobis spondet immutabilitatem » (1). Agnoscit igitur: 1) revelationem christianam expletam fuisse per Iesum Christum atque Apostolos; 2) eandem nullum admittere incrementum vel diminutionem. Praeterea ipse refellit sententiam quae affirmat depositum fidei initio continuisse facta et notiones primordias ex quibus tanquam ex germine effloruit synthesis dogmatica religionis christianae (2).

Quod rationalismum apud Scheeben efflat, ad sententiam Chostin, sequens est incisum: « Plurimum (dans la plupart des cas) decisiones dogmaticae dogma non gignebant » (3). Ergo dantur arguit Chostin, decisiones dogmaticae, quae licet rarius, dogma gignunt, nempe novum elementum in revelationem inducunt (4). At neminem latet cordatum hominem doctrinam alicuius auctoris interpretandam esse iuxta principia quae ab ipso statuuntur. Si pluries Scheeben enucleate tradit fidei christianae repugnare novorum dogmatum efformationem, inique tribueretur ei sententia quae novorum dogmatum possibilitatem astruit. In loco a Chostin citato, Scheeben loquitur diserte de dogmatis *explicitis*, de doctrinis dogmaticis clare agnitis, quae per dogmaticas definitiones tutae ab haereticorum vafritie fiebant. Sed, ut supra memoravimus, dantur veritates implicitae quae per definitiones dogmaticas dilucide exponuntur, e thesauris revelationis ad lucem meridianam extrahuntur. De hisce veritatibus ait Scheeben, quod definitiones dogmaticae gignunt dogma, non quidem hoc sensu quod ipsum efficiant, efforment tanquam aliquid novi, insoliti, sed hoc sensu quod ipsum patefaciant, fidelibus, prope dicam, in obtutu ponant. Sicut sol *generat* pro oculis visionem rerum iam existentium, quatenus suorum radiorum luce eas detegit, ita definitio dogmatica veritatem implicite in revelatione contentam gignit ut dogma quatenus eam, plurimos latentem, visibilem cunctis reddit. Sed haec visio clarior sibi non vult quod illa veritas dogmatica in revelatione antea non exstiterit, nunc vero existit.

(1) « Dans la communication de la vérité divine aux hommes il y a eu, jusq'aux apôtres, accroissement substantiel au moyen de révélations qui complétaient les révélations antérieures. Ce progrès s'arrêta dès que l'Église fut fondée et que la révélation, close, pour toujours, lui fut confiée à titre de dépôt. Ainse se trouve exclue désormais toute formation nouvelle et complète d'une doctrine dogmatique. Du reste l'infallibilité de l'Église, gardienne du dépôt, nous est une garantie qu'il n'y aura jamais transformation ou changement de l'ancien dogme ». — T. I, pp. 401-402.

(2) Ib., p. 405.

(3) P. 406.

(4) P. 172.

Falsum est etiam quod catholica Ecclesia suo lubito opiniones particulares huius vel illius theologi ad fastigium dogmatis attollit (¹). Ex adductis iam Cardinalis De Lugo locis abunde et liquido patet quaenam sit doctrina catholica in hac re. Ex opinionibus particularibus theologorum Ecclesia catholica dogmata non efficit, sed potius ex eis occasionem desumit ut dogmata in revelatione implicite contenta explicite definiat, nempe theologorum opiniones non sunt *causae efficientes* dogmatum sed *causae occasionales.*

Ex hisce enim opinionibus, quaedam dogmaticae sunt, scilicet, directe vel indirecte dogma ita attingunt, ut eis reiectis directe vel indirecte dogma ipsum negaretur; quaedam vero adiaphorae sunt, dogmatis scilicet substantiam non attingunt. Ad posteriores quod attinet, maximam catholica Ecclesia relinquit theologis libertatem discutiendi, dummodo caritas inter disputantes servetur. De prioribus vero directe curam sibi vindicat magisterium ecclesiasticum. Opiniones quae dogmata expresse definita, *explicita*, respiciunt, nullimode in dubium revocare possunt quae ad substantiam dogmatis pertinent: si hoc auderent, eo ipso damnarentur ab Ecclesia, quia non licet homini contra veritatem insurgere quae ut veritas divina per magisterium ecclesiasticum nobis proponitur. Opiniones vero quae dogmata implicite in revelatione contenta respiciunt, maiorem tolerantiam ex parte Ecclesiae sortiuntur, eo consilio ut veritas sapienter discussa clarior effulgeat. Haec tolerantia qua fit ut dubium ad tempus toleretur apud quosdam circa ipsius dogmatis in revelatione implicite contenti existentiam, sibi non vult magisterium ecclesiasticum indiscriminatim ipsum dogma nunc admittere, nunc negare. Magisterium ecclesiasticum semper tenet ipsum

(¹) Dr. B. Bolotov distinguit dogmata a *Theologumenis*, et *Theologicis opinionibus*. Dogma veritatem exprimit, *Theologumenon* probabilitatem; dogma ad necessaria pertinet, ad dubia vero Theologumenon: « Der Inhalt des Dogmas ist das Wahre, der Inhalt des Theologumenons nur das Wahrscheinliche. Das Gebiet des Dogmas sind die *Necessaria*, das Gebiet des Theologumenons die *Dubia* ». — *Thesen über das Filioque*, « *Revue Internationale de Theologie* », VI, 1898, p. 682. — Theologumena autem differunt a theologicis opinionibus quae nullam auctoritatem habent, sententias privatas exprimunt tantum, dum *Theologumena* vel tradita sunt a pluribus Patribus, vel doctrinas praebent quibus haec vel illa Ecclesia particularis adhaeret. Inter haec theologumena recenset auctor τὸ *Filioque*, quod proinde, licet ab Ecclesia occidentali teneatur, obstaculum non est unioni Ecclesiarum. Proprium enim *theologumeni* est ut *licitam* doctrinam alicuius Ecclesiae particularis exhibeat, cui falsitatis notam inurere nequeunt caeterae Ecclesiae. Hanc sententiam, quam Bolotov invexit ut faciliorem explanaret viam concordiae doctrinali inter orthodoxos ac veteres catholicos suo loco fusius discutiemus.

implicite in revelatione contineri, differt tamen in opportunum tempus eius definitionem explicitam. Si controversiae exacerbantur, si, contendentibus theologis, metus adest ne veritas ipsa obscuretur magis in fidelium conscientia, magisterium ecclesiasticum suum munus obit, ac solemniter declarat quid sentiendum: veritatem implicite in revelatione contentam, quam theologi quidam in dubium revocabant, explicite credendam per suam definitionem ut dogma fidei proponit (1). Ut liquet, hoc non denotat Ecclesiam opinionem particularem quorundam theologorum simpliciter dogma fidei declarasse, sed sibi tantum vult dogma implicite in revelatione contentum quod opinionibus particularibus inter se discrepantibus ansam praebebat, detegi per magisterium ecclesiasticum ut controversiis finis imponatur. Quod igitur, theologis in contraria abeuntibus, dubium atque anceps haerebat, per magisterium ecclesiasticum divina praeditum assistentia in tuto ponitur. Rationes vero quibus innixa dogma quoddam Ecclesia definit, nunquam est auctoritas theologorum, verum testimonium indefectibile vel Sacrarum Scripturarum vel Traditionis. Opiniones igitur particulares dogmata non efficiunt, licet definiendis dogmatis causam praebeant; theologi qui eas discutiunt argumentorum copiam ac testimoniorum segetem praestant Ecclesiae ut definiendum dogma fulciatur, sed definitio ipsa ad Ecclesiam *exclusive* pertinet, quae in ea promulganda, quin humana media despiciat, Spiritu veritatis regitur ac ducitur (2).

(1) Falsissimam censemus opinionem Rozanov, qui tenet principium definitionis dogmatum idem esse ac principium eorum existentiae. Si affirmetur ea a conscientia non concipi donec definiantur, consequeretur ea usque ad definitionis aetatem non existere: Начало формулировки догматовъ и есть начало ихъ существованія. Если они до этого момента не сознаются, значить и не существуютъ. — Записки Нет. Рел.-Фил. Собраній, pp. 441-442. Putidum subiectivismum haec verba redolent. Ex eis flueret *cognoscere* idem esse ac *veritatem creare*, intellectum nempe non esse *facultatem cognoscitivam* veri, sed facultatem *creativam* veri, quod *παράδοξον* facile refellitur a philosophis.

(2) Quae in defensionem Scheeben edisseruimus, defensionem Kuhn etiam continent, qui diserte explicavit sententiam catholicam de immutabilitate dogmatis: « Die dogmatische Entwicklung ist keine synthetische Erweiterung des Dogma durch Hinzufügung neuer Elemente und überhaupt keine Veränderung seines wesentlichen Wahrheitsbestandes », p. 165. — Controversia de progressu dogmatico acriter agitata fuit Petropoli in sessionibus comitiorum religiosorum et philosophorum anno 1903. Ut dogmaticam Ecclesiae orthodoxae theologiam a calumniis *adogmatistarum*, quos vocant, defenderet, P. Leporsky tuitus est: « quaecumque dogmata semper explicite in Ecclesia extitisse, licet interdum conscientiae non satis clare appareant, vel potius, obiectum nequeant esse reflexionis » (Всѣ они существуютъ въ церкви всегда *explicite*, хотя могутъ и не входить ясно въ сознаніе,

19. Magni pretii aestimatur, uti iam diximus, auctoritas Vincentiis Lirinensis apud theologos orthodoxos in eis quae ad traditionis enucleandam notionem spectant. Quidam praesertim locus Commonitorii citatur tanquam supremum authenticitatis dogmatum, quae ab Ecclesia proponuntur, criterium. Characteres enumerans quibus dignosci potest veritatem aliquam sine dubio in fidei deposito contineri, Lirinensis haec habet: « In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est ut *id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem,*

или, лучше сказать, могутъ не быть объектами рефлекціи). Rem exemplo illustrat. Non omnes sciunt mortales quod aerem ducunt. Si tamen malignum aera respirent, statim percipient per eum hominem respirare. Quod prius latebat, experientia detegit. Eodem modo extiterunt dogmata in Ecclesia quae *inobservata* diu mansere. Per progressum dogmaticum factum est ut huiusmodi veritates dogmaticae in clariori luce positae sint, quin haec mutatio in dogma ipsum ceciderit, quod est ac semper manet pura expressio facti revelationis, sed in formam, in modum huius expressionis: развитіе, какъ измѣненіе, — падаетъ не на самый догматъ, который есть и остается всегда лишъ выраженіемъ факта откровенія, а на форму, на способъ этого выраженія. — Записки Петербургскихъ религіозно-философскихъ собраній (*Acta comitiorum religiosorum ac philosophorum Petropoli habitorum*)' Petropoli, 1906, pp. 423-424. — Constat igitur verbis tantum Leporsky existentiam denegare dogmatum implicitorum in deposito fidei: de facto autem haec admittere. Etenim sive quod refert exemplum, sive tota eius argumentatio diserte probat quaedam dogmata, obscure in divina revelatione vel conscientia christiana contenta, per posteras definitiones, clare, scilicet *explicite*, proposita fuisse, quod quidem tuetur catholica Ecclesia. Argumentis etiam quae dixeris e penu theologiae catholicae deprompta, utitur in eisdem comitiis I. Slobodskoi ad vindicandum progressum dogmaticum: « Progressus dogmaticus (secundum quid), non solum possibilis est sed et necessarius: должно быть. Veritas obiectiva a Deo tradita vivit ac vivet in genere humano. Fermentum est quod posuit Christus in massa farinae: suam vim hoc fermentum explicavit tempore conciliorum oecumenicorum, semperque opus est ut explicet. Si progressus dogmaticarum formularum negetur, consequeretur historiam generis humani penitus exhaustam fuisse. — Ib., p. 444. Eadem profitetur A. Brilliantov, qui per definitiones dogmaticas veritates fidei in conscientia Ecclesiae clariores factas esse, ac fatetur opus antiquae Ecclesiae in definitionibus dogmaticis edendis continuari tantum in Occidente. — Ib., p. 449. Novae formulae, ait Temnovierov in lucem prodi possunt, quin hoc sibi velit nova dogmata per eas exprimi: Новыя формулы могутъ появиться, но онѣ не будутъ выражать новыхъ истинъ. Ib., p. 453. — Cf. B. Uspensky, Вопросъ о " догматическомъ развитіи „ на Пет. Рел. Фил. Собраніяхъ (*Controversia de progressu dogmatico in comitiis religioso-philosophicis petropolitanis*), Христ. Чтеніе, 1904 t. II, pp. 597-612; 757-786.

consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc una fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si, in ipsa venustate, omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur » (1).

Locum hunc Antimus VII in suam epistolam encyclicam refert, mirisque laudibus Lirinensem extollit, quippe qui veram fidei Ecclesiaeque catholicitatem *sapienter* nec non *orthodoxe* expressit (2) Canonem Lirinensem Sylvester episcopus vocat *principium directivum theologiae orthodoxae* (3); Filevsky, *principium directivum stricte ecclesiasticum ac theologiae orthodoxae criterium scientificum* (4); *normam ad rite percipiendam in Ecclesia universali doctrinam Jesu Christi atque Apostolorum* (5); Janychev, *antiquissimae regulam Ecclesiae, positivam simul ac fundamentalem* (6). Hoc principium, ait Bieliaev, libertatem, quin deprimat, nobis tutiorem spondet. Quicumque enim eo innititur, qui sibi conscius est doctrinam cui assentitur ubique, semper atque ab omnibus in Ecclesia creditam fuisse, neque subiectivismo indulget, neque factioni vel tyranno cuidam mancipatur (7). Canon igitur Lirinensis sincera est expressio methodi stricte ecclesiasticae qua uti debemus in agnoscenda vera religione christiana (8). Quamobrem continet germina latioris atque uberioris progressus disciplinarum theologicarum in Russia (9), quae tamen germina, aegre notat Filevsky, in theologia orthodoxa nondum fructus dederunt (10) Canon lirinensis impedit quominus revelatio censeatur *πανδοχεῖόν τι*

(1) C. II, *P. L.*, L, col. 640.

(2) *Πάνυ σοφῶς καὶ ὀρθοδόξως χαρακτηρίζει τὴν ἀληθῆ της πίστεως καὶ τῆς Ἐκκλησίας καθολικότητα.* — N. 24, p. 18.

(3) P. 112.

(4) Строгоцерковный руководіящій принцинъ и вмѣстѣ православно — богословскій научный критерій. — Op. cit., p. 59.

(5) Ib., p. 59.

(6) Положительное древле-церковное основное правило. — Церковный Вѣстникъ, 1894, n. 12, p. 181.

(7) Основный принципъ римскаго католицизма (*Principium fundamentale catholicismi romani*), Kasan, 1895, p. 63.

(8) Истинное выраженіе строго-церковнаго способа познанія христіанской религіи. — Ib., p. 60.

(9) Христіанское Чтеніе, 1895, II, p. 426.

(10) Эти начала не успѣли раскрыться въ православно-богословской наукѣ. — Op. cit., p. 60.

ex quo fas est cuique quidquid libet haurire (1). Ipse reprobatio est doctrinae catholicae de traditione, theoriamque progressus dogmatici penitus excludit. Aufert enim apostolicam dignitatem cuilibet novitati, expungit ex traditione apostolica quamlibet veritatem quae seriori aevo, deductionis logicae ac rationalis via obtenta est (2).

Ad explicationem orthodoxam huius canonis quod pertinet, haec animadvertenda censemus: α') Theologi orthodoxi nimis exaggerant auctoritatem Vincentii Lirinensis, qui tantum ecclesiastici scriptoris nomen meret, idque faciunt eo consilio ut Romani Pontificis in rebus fidei auctoritatem quam maxime deprimant. Catholicae Ecclesiae probatur quidem enucleata de Traditione doctrina, quam nobis Lirinensis tradit; absonum tamen esset a veritate Lirinensem ipsum ut fidei doctorem universalem extollere, eiusque canonem tanquam *unicam* traditionum discernendarum regulam proponere. Lirinensis lo-

(1) Преданіе еетъ то, что въ римской церкви выдается за преданіе. — Ib., p. 124.

(2) *Οἱ λόγοι οὗτοι ἐφαρμόζονται μόνον εἰς τὰς κατὰ τόπους ἢ μερικὰς Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολῆς καὶ τῆς Δύσεως, αἵτινες μέχρι τοῦ σχίσματος τοῦ ἐνάτου αἰῶνος ἦσαν ὀρθόδοξοι.* Zikos Rhosi. Op. cit., pp. 101. Animadvertimus rigidiores theologos orthodoxos reiicere etiam sensum quem canoni Lirinensis appingunt veteres catholici. Congressus, quem vocant, veterum catholicorum, Luceriae (Lucerna) habitus anno 1892 statuit dogma illud esse, iuxta canonem Lirinensem, quod universaliter, constanter et concorditer a cunctis Ecclesiis particularibus ut tale agnoscitur: « Als christliches Dogma nehmen wir an, was als solches durch die allgemeine, beständige und einstimmige Ueberlieferung der christlichen Einzelkirchen anerkannt worden ist ». — *Revue Internationale de Théologie*, Bernae, 1895, III, p. 832. Veteres igitur catholici dogma id credunt quod Ecclesia universalis antiqua (usque ad VIII saeculum) concorditer tenebat sive in Oriente sive in Occidente: qualitatem vero dogmaticam negant opinionibus particularibus theologorum, inter quas *Filioque* recensent. Hoc effugium invenerunt Döllingeriani ne cogerentur, ad communionem fovendam cum Ecclesia orientali, doctrinam amittere quae per Filioque exprimitur. Cf. *Revue Internationale de Théologie*, loc. cit., pp. 767-777; Kerensky, Старокатолицизмъ, его исторія и внутреннее развитіе преимущественно въ вѣроисповѣдномъ отношеніи (*Vetus-catholicismus, eius historia atque interior evolutio, praesertim sub aspectu confessionis fidei*), Kasan, 1894, pp. 192-194. Hanc tamen sententiam acriter damnat graecus theologus Zikos Rhosi, qui veterem cathicismum appellat *νέαν χριστιανικὴν αἵρεσιν*, p. 60, atque interpretationem canonis Lirinensis ab eo prolatam dijudicat: *ὅλως διάφορον τῆς περὶ γνησίας καθολικότητος καὶ παραδόσεως ἐννοίας τῶν λόγων τοῦ πρὸ τοῦ σχίσματος ἀκμάσαντος Βιγκεντίου τοῦ ἐκ Λειρώνης.* Ib., p. 490. — Cf. eiusdem scriptoris opusculum: *Ὁ Παλαιοκαθολικισμὸν ἐν σχέσει πρὸς τὴν γνησίαν καθολικότητα καὶ ὀρθοδοξίαν τῆς Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας.* Athenis, 1896. Sententia veterum catholicorum magisterium infallibile Ecclesiae post octavum saeculum periisse, missis ambagibus, declarat.

quitur ut theologus particularis, cuius verba rectae interpretationi Ecclesiae subiiciuntur. Infallibilitatis charismate eum exornare sincerae non est admirationis, verum praeiudicatarum opinionum signum, quarum ipsum doctorem per fas et nefas theologi orthodoxi conantur exhibere (1). Agnoscimus quidem veritatem relativam canonis Lirinensis; criterium tamen absolutum vel unicum traditionis in eo reperire, neque Lirinensis dixit, neque statuit Ecclesia, neque aliquod Concilium definivit.

β') Canonem lirinensem ad normam principiorum quae auctor statuit, non autem perperam, opus est interpretari. Lirinensis graphice depingit progressum dogmatum relativum in Ecclesia, quo fit ut in cognitione clariori veritatis revelatae quoad essentiam immutabilis conscientia christiana per magisterium ecclesiasticum edocta ab eoque directa pedetentim ad altioris perfectionis cognoscitivae gradum adsurgit, non secus atque homo qui ex pueritiae debilitate ad firmitudinem virilis aetatis labentibus annis progreditur. Datur igitur, saltem quoad veritates *quasdam*, aetas, ut ita dicam, puerilis, atque aetas virilis, quarum discrimen in eo consistit quod prior (loquimur de cognitione fidei christianae) veritates revelatas *implicite* in quibusdam fidei universalioribus dogmatis possidebat, posterior vero *explicite* fatetur. Si Lirinensis igitur admittit non semper eandem fuisse conditionem conscientiae christianae ad veritatum revelatarum cognitionis modum quod pertinet, idque factum esse, manente semper eadem fide, si pueritiam intellectualem in Ecclesia quoad veritates fidei olim extitisse ipse tenet, statuitque profectum necessarium esse requisitum revelationis christianae non quidem obiectivum, substantiale, sed subiectivum, accidentalem, liquido patet *quasdam* veritates fidei christianae non semper, ubique, atque ab omnibus *eodem modo* creditas fuisse. Si quis hoc deneget, nil ei reliquium est nisi ut profectum ipsum figmentum esse dicat, ex quo sequeretur a pueritia (excipimus semper apostolos eorumque primos discipulos peculiaribus charismatis exornatos) totam societatem christianam claram ac disertam veritatum omnium consecutam esse cognitionem quam nonnisi confirmata iam aetate adepta est. Pro Ecclesia igitur non secus esset ac si assereret

(1) De Vincentio Lirinensi fere nihil scribunt qui de antiqua litteratura christiana in Russia egerunt. Philaretus Cernigoviensis eius nomen tantum refert, et Commonitorium memorat, ut librum qui celebritate atque auctoritate pollet: Историческое ученіе объ отцахъ церкви (*Pralectiones historicae circa Patres Ecclesiae*), Petropoli, 1882, t. III, p. 8. Commonitorium, ait Harnack, « *hat nicht in das Morgenland hinübergewirkt* ». Op. cit., t. II, p. 106. Recentior igitur fama est qua donatur a theologis orthodoxis.

quispiam infantulum veritates cuiuslibet scientiae eadem agnoscere ratione ac vir iam adultus (1).

Mihi quidem alienum a veritate non videtur interpretationem canonis Lirinensis quam nobis tradit scriptor orthodoxus tueri: « Hic canon sibi vult quod fidelium Ecclesia nullibi ac nunquam docuerat aliquid contradictorium, quod ubicumque et semper ipsa docuerat et cogitaverat in hac vel illa re, idipsum sane quod docet et cogitat hodierna Ecclesia, scilicet Ecclesia est una atque eadem, columna et firmamentum veritatis ab initio et in praesentiarum » (2). Sed theologus noster non ignorat plures veritates non satis perspicue contineri in Sacris Scripturis vel Traditione; non ignorat magisterium ecclesiasticum semper munere functurum, grassantibus haereticis, veritates quae obscure latebant in deposito fidei vel satis non apparebant definiendi atque illustrandi. Si hoc pro Scripturis Sacris lubenter a theologis orthodoxis agnoscitur, nescio cur ab ipsis pro Traditione negari debeat.

Concedimus quidem Ecclesiam semper docuisse et cogitasse quae nunc docet et cogitat, sed ex ipsius Lirinensis verbis deducitur quaedam Ecclesiam ab initio implicite, in posterum vero explicite docuisse. De ratione autem implicitae veritatis est ut nota non sit omnibus. Canon igitur Lirinensis sibi vult, illud quod semper, ubique atque ab omnibus creditum est, doctrinam vere divinitus nobis traditam vel apostolicam esse. Si talis enim non esset, non explicaretur hic fidelium consensus universalis loco et tempore in ea tuenda. At de veritatibus

(1) Haud desunt scriptores protestantes qui fatentur analogiam progressus corporis humani qua Lirinensis utitur, logice progressum in sensu catholico exhibere: hanc tamen contendunt adversari canoni quem ipse statuit: « Allerdings dient diese Analogie im Grunde zur Widerlegung dessen, was Vincentius damit sagen will ». — Zöckler, t. II, p. 606; Cf. Mueller, *Symbolik*, Erlangae, 1896, pp. 107-108. Nullam e contra in doctrina Lirinensis adesse contradictionem patet, si ut revera est, canon lirinensis ad veritates explicitas fidei referatur. Praeterea non repugnat aliquid substantialiter identicum exteriorem formam magis minusve mutare, sicut humana membra, eodem manente principio substantiali eademque personalitate, ex tenella pueritiae compagine ad robur virilitatis accedunt. Pari ratione veritates divinae revelationis semper, ubique et ab omnibus creditae sunt substantialiter, accidentaliter vero diversimode, scilicet aliquando obscure, aliquando per definitiones Ecclesiae clarius.

(2) Выраженіе " всѣ, всегда и вездѣ знали эту истину „ означаетъ, что церковь вѣрующихъ нигдѣ и никогда не учила и не мыслила иначе, а вездѣ и всегда мыслила и учила по данному вопросу именно такъ, какъ мыслитъ и учитъ наша современная церковь; ибо Церковь естѣ одна и та же, столпъ и утвержденіе истины отъ начала и до нынѣ. — Странникъ, p. 23.

implicitis non eadem est ratio. Huiuscemodi veritates, usque dum implicitae manent, *catholicitatem* quam vocant, *temporis ac spatii* profecto non habent. Plurimos enim fideles latebant licet ab eis implicite in aliis crederentur. Neque hoc mirum, cum fidelibus non contingat *omnes omnino* veritates fidei catholicae addiscere explicite, quod fere totum vitae curriculum in studiis expleret. Ergo « potest aliquod doctrinae caput contineri in obiectiva revelatione, et potest etiam successu temporis, facta sufficiente explicatione et propositione, pertinere ad veritates fidei catholicae necesssario credendas, quod licet semper contentum in deposito revelationis, non tamen semper, ubique et ab omnibus explicite erat creditum aut necessario credendum. Quamvis ergo characteres in canone enumerati si adsint, evidenter demonstrent, doctrinam cui competunt, esse dogma fidei catholicae; non tamen si desint, eo ipso iam constat, doctrinam non contineri in deposito fidei, aut doctrinam hoc ipso quod aliquo tempore ob defectum sufficientis propositionis non erat explicite credenda, nullo tempore esse credendam » ([1]).

Sequitur ex dictis canonem Lirinensem habere quidem sensum *affirmantem*, innuere scilicet doctrinam quae tribus propositis notis exornatur, divinitus revelatam et apostolicam esse. Falso tamen ei attribueretur sensus *negativus*, scilicet quod tantum veritates fidei sint quae *semper*, *ubique et ab omnibus* creditae sunt. Hunc sensum negativum si admittant theologi orthodoxi sibimetipsis effugium auferunt ad suos errores tuendos. Quibus enim argumentis ab eis demonstraretur, verbigratia, processionem Spiritus Sancti a *solo* Patre, semper, ubique et ab omnibus in Ecclesia creditam fuisse?... Vel primatum romanum theorice nec non practice semper et ubique omnes reiecisse?... Non igitur improbandi catholici theologi, qui retento canone lirinensi, addunt ei alia criteria traditionum discernendarum ([2]). Ipse Lirinensis hoc ratum habet. Agnoscit enim non deesse casus, in quibus tres notae recensitae non reperiuntur. Quid tunc faciendum ut statuatur authenticitas cuiusdam veritatis fidei?... Lirinensis ita respondet: « Maiorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat qui diversis licet temporibus et locis in unius tamen Ecclesiae Catholicae communione et fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, et quidquid non unus aut duo tantum sed omnes pariter uno eodemque consensu fre-

([1]) Franzelin, *De Scriptura et Traditione*, p. 269.

([2]) Quinque regulas statuit Bellarminus, *De Verbo Dei*, lib. IV, c. 9; *Opera*, t. I, pp. 131-133; et quatuor *Melchior Canus*, *De locis theologicis*, l. III, c. IV; *Opera*, t. I, p. 176.

quenter, aperte, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum » (1). Provocat igitur Lirinensis ad testimonium Patrum quorum sententiae coacervandae ut veritas inde pateat (2). Sed hoc interdum non sufficit, cum Patrum scripta discrepantes exhibeant sententias. Tunc alia regula sumenda est, quam Lirinensis ipse indicat: appellatio ad Apostolicam sedem, « ut omnes luce clarius videant beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptae simul religionis integritatem » (3). Ius igitur discernendae veritatis revelatae illi competit Ecclesiae, quam Tertullianus felicem appellat, cum ei totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderint (4); quam Irenaeus maximam et antiquissimam vocat, ab Apostolis traditionem habentem et annuntiatam hominibus fidem (5). Haec sedes apostolica a cunctis agnoscitur tum traditionis custos, tum traditionis magistra, quae discernit quid semper, ubique et ab omnibus creditum fuerit, sive explicite sive implicite.

Hisce positis facile dissolvuntur quae nobis objiciunt theologi orthodoxi. Aiunt enim contra Latinos: « Si doctrina quaedam ad dogma pertinens contradicit doctrinae Ecclesiae primitivae, error censenda est ». Concedimus. « Si in Ecclesia praecedenti semper, ubique, et ab omnibus credita reperiatur, ut dogma fidei accipimus ». Concedimus item, *dummodo haec propositio non sumatur disiunctive*. Ut traditum ab Apostolis recipimus quidquid in primitiva Ecclesia reperitur, sive *explicite*, sive *implicite*. Si vero hoc sensu propositio sumatur ut sibi velit *explicite* tantum credita *semper*, *ubique*, *et ab omnibus* esse dogmata fidei, falsa dicenda est, ut iam demonstravimus. Quid enim Synodi fecerunt nisi ut veritates fidei *explicitas* magis *confirmarent*, *implicitas* vero *cunctis patefacerent?*... Quid nisi hoc ipsum agit in praesentiarum magisterium ecclesiasticum?... Et si magisterium ec-

(1) *Commonitorium*, c. III; *P. L.*, L., col. 641.

(2) Thomassinus, *Dogmata Theologica*, t. V, Parisiis, 1868, pp. 149-150. Rite animadvertit Matthaeucci hunc Patrum consensum, vel unanimem, testimonium moralis tantum certitudinis tribuere divinae revelationis. « Nam Patres non per modum judicii definitivi, sed solum per modum attestationis declarant quae sunt fidei ». Hoc judicium definitivum spectat ad magisterium Ecclesiae. — *Opus dogmaticum adversus heterodoxos tum antiquos tum recentes*, Venetiis, 1755, p. 498.

(3) *Comm.* VI; *P. L.*, L., col. 645.

(4) *De praescript.*, c. XXXVI; *P. L.*, II, col. 59.

(5) *Contra haereses*, l. III, c. III, n. 2; *P. G.*, VII, col. 849.

clesiasticum adhuc vivit cur deneganda ei munus antiquum obeundi facultas?... (1)

20. Scimus quidem doctrinae catholicae haec objici: « Theoria de implicitis veritatibus traditionem reddit fluxam, vagam, *elasticam*, ut voce utamur recentiori. Veritates implicitae nullam habent determinationem numericam, ideoque magisterium ecclesiasticum in traditione reperiet quidquid ei libuerit. Ut hanc reprehensionem non mereat,

(1) Nova prorsus est doctrina, quam ex canone Lirinensis deducit Filevsky: Всіакое догматическое преданіе есть вмѣстѣ съ тѣмъ и апостольское, и наоборотъ; всякое апостольское преданіе имѣтъ вмѣстѣ съ тѣмъ и дотматическое значеніе (*Quaelibet traditio dogmatica est simul apostolica ac viceversa*: *quaelibet apostolica traditio habet simul dogmaticum significatum*). Op. cit., p. 73. — Ecclesia igitur orthodoxa veritatis vindex est, cum sensum dogmaticum ritibus aetatis apostolicae affingit, ac speciale theologiae dogmaticae obiectum constituit formam ritualem sacramentorum. Incusat inde Filevsky theologos catholicos quippe qui « rebus tantum fidei et morum significatum tradant dogmaticum, ut suo lubito se gerant in provincia liturgica ac nova semper dogmata condant ». Haud quidem negamus ex ritibus Ecclesiae antiquissimis emergere interdum dogmata, ac traditiones rituales quae originem apostolicam praeseferunt, *rationabilem*, ut ait Hieronymus, *sibi observationem vindicare*, *Dialogus contra Luciferianos*, n. 9; *P. L.*, XXIII, col. 164. Sententia Filevsky qui tanti pretii facit traditiones rituales ut eis characterem dogmaticum indiscriminatim assignet, luculenter prodit vel apud viros excultos summo esse in honore *formalismum* illum ritualem, quem Golubinsky iam ab exordiis conversionis Russiae in populo viguisse, contempta neglectaque pietate interiori, dolet, Исторія русской церкви, t. I, p. II, Mosquae, 1904, pp. 870-872. — Eam mutuati sunt russici theologi e penu graecorum polemistarum qui ut Latinis numerosiora facinora tribuerent, vel leves discrepantias rituales sacrilegam apostolicorum dogmatum negationem appellitarunt. Non defuere in eorum agmine qui Papam atque episcopos haereticos edicerent, quia « ex pilis contextum non habent sacerdotalem vestitum, ob Christum qui ut Agnus immolatus fuit », ac generatim clerum latinum, quia « in Missae sacrificio hostiis utitur obolaris formae ». Cf. Cotelerius, *Ecclesiae Graecae Monumenta*, t. III, Parisiis, 1686, pp. 496, 504. — Meminisse iuvabit quae Photius in hac re sentit: Si transgressio ad fidem non refertur, neque violat decretum aliquod commune et universale, cum variae sint populorum consuetudines, nullus quidem cordatus iudex dicet nefas agere qui eas observant, vel errare qui eas negligunt: *Ἐν οἷς οὐκ ἔστι πίστις τὸ ἀθετούμενον, οὐδὲ κοινοῦ τε καὶ καθολικοῦ ψηφίσματος ἔκπτωσις, ἄλλων παρ' ἄλλοις ἐθῶν τε καὶ νομίμων φυλαττομένων, οὔτε τοὺς φύλακας ἀδικεῖν, οὔτε τοὺς μὴ παραδεξαμένους παρανομεῖν, ὀρθῶς ἄν τις κρίνειν εἰδὼς διορίσαιτο*, Epist.. III, 6. Haec verba citantur a Patriarcha Anthimo (in suis litterys encyclicis) qui docet unitatem fidei non violari per discrepantias liturgicas vel rituales: *Οὐδόλως ἐννοοῦμεν τὰς διαφορὰς τὰς ἀφορώσας τὸ τυπικὸν τῶν ἱερῶν ἀκολουθιῶν καὶ τὰ ᾄσματα ἢ τὰ ἱερατικὰ ἄμφια καὶ τὰ παραπλήσια, ἅπερ καὶ ποικίλλοντα, ὡς καὶ τὸ πάλαι, ἧκιστα παραβλάπτουσι τὴν οὐσίαν καὶ τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως*. N. 5, p. 6. Dogmaticam dignitatem cuilibet liturgico ritui adsignare idem est ac *nova* dogmata condere quod Filevsky vitio vertit Catholicae Ecclesiae-

deberet catholica Ecclesia veritatum implicitarum seriem statuere ». Firmitudine carent obiecta.

α') Magisterium ecclesiasticum liberum non est in *arbitraria* determinatione veritatum fidei. In dogmatis definiendis requirit substratum Sacrarum Scripturarum ac Traditionis, substratum scilicet divinum atque apostolicum. Historiam dogmatum Ecclesiae Catholicae si quis pervolutet, citius noscet quanta cura posita sit ab Ecclesia romana in colligendis testimoniis tum Sacrae Scripturae tum Traditionis quae dogma definiendum ad depositum fidei pertinere luculenter probant (1).

β') Rem exigunt adversarii quae *humanas* conditiones Ecclesiae prout *in terris* agit et vivit omnino superat. Num rogat aliquis physicos ut determinent omnes applicationes quae implicite continentur in principiis vel theoriis electricitatis, caloris etc.? Si hoc agere potuissent, nullus quidem daretur profectus in physicis disciplinis, cum physici omnes veritates quae in sua scientia traduntur ac tradentur calleant. Ad rem nostram quod attinet, proculdubio revelatio in Ecclesia completa est; eius tamen enuntiato quoad fideles perficitur ac perficietur, praesertim in erroribus debellandis, aiente Hilario Pictaviensi, « hoc esse proprium Ecclesiae ut tum intelligatur quum arguitur » (2). In veritatibus explicitis revelationis aliae adsunt veritates quae implicite creduntur, et novis haeresibus exortis, vel pro re nata, Ecclesia eas clarius proponit, accuratius definit, luculentius explanat. Postulare ut harum veritatum, quae innumerae sunt, elenchus redigatur idem est ac petere ab Ecclesia cognitionem praeviam omnium haeresum quae inter fideles temporis successu exorientur (3). Hanc cognitionem

(1) Hisce argumentis respondemus etiam obiurgationibus Filevsky qui effutit traditionem oralem, apud catholicos, locos communes praeseferre, ex quibus, quidquid sibi libeat, Romani Pontifices hauriunt, vas Pandorae quo utitur Romana Ecclesia ad cooperiendos *multigenos errores ac superstitiones!* Ученіе православной церкви о священномъ преданіи (*Doctrina Ecclesiae Orthodoxae circa sacram Traditionem*), Kharkoviae, 1902, pp. 630-632. — Cf. Th. Gusev, Усовершимость христіанства: ложныя возрѣнія (*Perfectibilitas religionis christianae: falsarum sententiarum trutina*). — Прав. Обозрѣніе, 1878, t. I, pp. 544-572; t. II, pp. 240-274.

(2) *De Trinitate*, l. VI, c. 4; *P. L.*, X, col. 202.

(3) Hoc argumentum evolvit Schell contra protestantes: « Der Grund der Unmöglichkeit, den Inhalt der katholischen Tradition bestimmt aufzuzählen, liegt nicht in der Unbestimmheit und Dehnbarkeit unseres Traditionsbegriffs, sondern in der Unfähigkeit des menschlichen Geistes, sich all möglichen Formen des Irrtums und alle möglichen Gesichtspunkte der theologischen Betrachtung, welche in der Zukunft die Stellungnahme des kirchlichen Lehrbegriffs herausfordern können,

Deus non dedit suae Ecclesiae, eique tantum praecepit ut custodiat depositum fidei contra veritatis adulteratores. Quamobrem Ecclesia cum munere custodiendi veritates fidei, munus etiam sibi vindicat eas definiendi, si haereticorum perfidia huiusmodi explicationem necessariam reddit. Traditionem igitur vel depositum fidei catholica Ecclesia fluxum ac mutabile non docet: hoc tantum per suas explicationes ac definitiones praecavet ne ab haeresi commissi sibi thesauri labefactentur.

CAPUT IV.

De necessitate, methodo ac divisione theologiae apud scriptores orthodoxos.

1. De christianismo *adogmatico* Tolstoi, Rozanov, ac Merejkovsky in Russia. — 2. Quid adogmatismi deliramentis respondeatur a theologis russis orthodoxis. — 3. Adversus adogmatistas russos demonstratur mysteria fidei neque rationi, neque voluntati, neque cordi repugnare. — 4. Demonstratur adversus eosdem revelationem mysteriorum vero profectui sive intellectus, sive voluntatis, sive cordis, inutilem non esse. — 5. De methodo in theologia adhibenda sententiae variae theologorum orthodoxorum. — 6. De methodo quam praeferendam ducit theologia catholica, ac de historia dogmatum relate ad theologiam. — 7. De celebrioribus scholis theologiae apud orthodoxos, praesertim apud Graecos, Russos et Romenos. — 8. Utrum opportunius sit in praesentiarum theologiae cathedras instituere in athenaeis civilis regiminis quam in academiis ecclesiasticis: orthodoxorum scriptorum de hac re variae sententiae. — 9. De praetenta scientiae theologicae libertate: rationes exponuntur quibus haec libertas iure ab Ecclesia catholica rejicitur. — 10. Tractationum divisio in theologia dogmatica orthodoxa.

1. De necessitate theologiae dogmaticae dicturi, non abs re censemus, breviter sententias exponere ac refellere Merejkovsky et Rozanov, qui viri humaniorum litterarum cultu maximam sibi in Russia famam compararunt. Neminem latet, ac Russi hoc idem fatentur, in excultis coetibus ad fidem christianam revocandis maxima laborare impotentia clerum orthodoxum. Dissidium inter *intelligentiam* quam vocant, atque Ecclesiam, tam altius in Russia suas malas egit radices

---

sich a priori auszudenken. Die Kirche und ihre Theologie kann auf jede Fragestellung hin den Inhalt ihrer Tradition feststellen; allein sie muss diese Fragestellung abwarten, sei es, dass sie durch häretischen Widerspruch oder durch die theologische Reflexion entsteht ». — Op. cit., t. I, p. 173.

ut vix ac ne vix spes ulla affulgeat id in posterum compositum iri (1). Ut incommodis quae ex hoc fluunt dissidio, quodammodo mederetur, praecitati viri, religionis quidem non expertes, at religionis quae sub tegmine Christi materialistarum ac rationalistarum placitis quam maxime indulget, socios sibi adiunxerunt, ac statuerunt in comitiis vulgo dictis religioso-philosophicis, Petropoli convocatis annis 1903-1904, theologis orthodoxis etiam accitis, controversias quae ad naturam, officia et munera christianismi in hodierna societate pertinent, qua par est gravitate exagitare. Diu ac perperam in hisce comitiis disceptatum est de dogmatum praesenti utilitate. Cum autem hae controversiae vehementer animos in Russia tenuerint, paucis ac fidelibus verbis quidquid ex eis praestitum est, juvat hic concinnare.

Merejkovsky acriter invehit in dogmata christianae fidei, quae theologorum orthodoxorum placitis, utpote contraria tum rationi, tum voluntati hominum, intellectum nostrum in perangustum quasi carcerem detrudunt (2). Dogmata vincula tantum nobis praetendunt: подъ догматомъ намъ предлагаютъ кандалы; et quum nullus detur homo, qui aequo animo patiatur sibi catenas injici, consequitur neque sua sponte genus humanum dogmatum catenas subire. Qui rationem volunt jure libertatis frui, dogmata fidei concipiunt, ut dissitas coelorum plagas, quae enixis viribus per crebras investigationes nobis attingendae sunt. Necesse est igitur ut plenissimam humana ratio sibi vindicet libertatem, alioquin incassum sperabit ad eas quandoque perventuram. Experientia tamen docemur contra evenire, quam expectandum foret. Statuti dogmatum fines vetant quominus ratio libere suis in conatibus moveatur, unde fit, ut a meta, ad quam pervenire studet, ipsa retrahatur. Mea quidem sententia, ait Merejkovsky, disciplinae theologicae supremum auctoritatis sceptrum non gestant, neque tribunal exhibent, ex quo nemini liceat ad graviores judices provocare (3). Si mihi constat theologiam viam claudere quasi pertinax obstaculum, quo prohibeor quominus Christum adeam, nihil aliud mihi relinquitur nisi obicem funditus destruam, ut faciliorem mihi

(1) Inter causas quae huic dissidio locum dedere, primas tenent, ait archimandrita Sergius, nunc archiepiscopus Finlandiae, ignorantia et morales lacunae cleri russici. — Причины разъединенія церкви и интеллигенціи (*Causae dissidii inter Ecclesiam atque coetus excultos*), Церк. Вѣдомости, 1902, n. 13, pp. 445-454. Idem scriptor egit, perfunctorie tamen, de mediis adhibendis ut *intelligentia*, quam vocant, in sinum Ecclesiae redeat: Возможные пути единенія интеллигенціи и церкви. Ib., nn. 15-16, pp. 521-527.

(2) Записки Пет. Ред.-Фил. Собраній, p. 426.

(3) Ib., p. 426.

aditum parem. Si dogmatum scientia murum extruit, qui nisi frangatur, meum caput minute concidet, meliori utar consilio murum ipsum diruens. Dogmata nihil inserviunt. Ex eis convenit inter omnes nullum commodum in mortalium genus manasse; ea neque ingenio hominum, neque voluntati, neque cordi lucem vel emolumentum afferre compertum est; iuvat igitur eadem despicere, ac fastidiose ex humanarum cognitionum complexu rejicere.

Ut res exemplis illustret, Merejkovsky in medium profert dogma Sanctissimae Trinitatis. Num hoc mysterium, quod sua sublimitate ceteris longissime praestat, vim vel parvam explicat in dirimendis controversiis quae nostra aetate mortalium animos mirum in modum angunt ac discerpunt?... Quidnam ex eo capies emolumenti, ut verbigratia, quaestiones ad indissolubilitatem matrimonii vel ad mutuas inter Ecclesiam ac civile regimen relationes spectantes, solvas?... Nil aliud nisi peraridas formulas nobis theologia decantat dum latebras huius mysterii summis laudibus extollit (1). Religio christiana in praesentiarum suis discipulis grammaticen sine vita, propositiones sine sensu praetendit (2). Quid igitur agendum?... Si dogmata quae priscis Ecclesiae temporibus florentem in societate christiana vitam agebant, in praesenti non secus se habent ac rigentis cadaveris membra, opus est ut eadem obliterentur, ut deleantur ad tempus. Ex hac enim temporaria oblivione ad vitam ea revocaret genus humanum, eisque novam formam ac speciem affingeret, novum sensum, novam significationem tribueret (3).

Religio christiana jam tres induit ad nostra usque tempora formas, nimirum catholicam, orthodoxam, et protestantem. Ecquis autem negabit nullam aliam formam in ea orituram quae tres ramos discerptos eidem inserat stipiti?... Nova quidem exorietur Ecclesia, cuius principia non erunt dogmata, sed unus tantum amor, juxta praeceptum a S. Iohanne Apostolo nobis traditum. Per hanc Ecclesiam a dogmatis abstractis explanaretur via ad socialia, moralia, atque esthetica dogmata, quae in orbe christiano invalerent. Christus jam venit in mundum, hoc omnes diserte scimus, sed Evangelium testatur ipsum reversurum. Ecclesia quam futuram dicimus, alterius adventus Christi Ecclesia vocabitur (4).

Theorias Merejkovsky subsequitur acriore stylo Rozanov. Hic dogmaticas investigationes, destructionem appellat religionis christia-

(1) Ib., p. 445.
(2) Ib., p. 468.
(3) Долженъ (*in dogmatis*) появиться какой-то новый смыслъ. — Ib., p. 518.
(4) Ib., p. 520.

nae: разрушеніе христіанства (1). Dogmatis elaborandis navabant operam in triviis byzantinis mercatores et caupones, scurrilitate usi plebeia. Dogmata contaminarunt auream Evangeliorum simplicitatem, ut primas deferrent humanis argumentis ac sophismatis (2), ideoque letalia sunt principia (смертное начало), lutum sine anima (неодушевленная глина), quidpiam lapideum, quod Deus vel Iesus Christus nunquam hominibus tradidit, tabulam quam vocant multiplicationis pro divinis veritatibus (3). Dogmata causa fuerunt cur haereses unitatem Ecclesiae confregerint; cur Evangelium nativum suum candorem amiserit; cur venenatum telum in corpus Ecclesiae mysticum infictum fuit; ac tanta christianae fidei jactura imputanda est Patribus Ecclesiae, qui pro eo ut verbis Christi uterentur ad pietatem colendam ac fovendam, eadem investigarunt, lance quodammodo appenderunt, perscrutati sunt non secus ac medicus qui membrorum artus rescindit, atque ita in partes dispescuerunt, ut coelestis eorum odor penitus evanesceret (4). Quo fit ut sine iniuria Patres Ecclesiae appellari possent haud logici praedecessores Kantii, vel indocti praedecessores Strauss. Subtilioribus abusi disquisitionibus in eis quae ad Trinitatis dogma spectant, Iesum Christum immutarunt in hominem eruditos textus aucupantem, ut ex eis *συλλογὴν* hominibus compararet ad rogos extruendos, libertatemque conculcandam atque obedientiam tyrannis praecipiendam. Theologiam dixeris similem formosae mulieri quae somno oppressa deambulat per loca aspera: красивая сомнамбула. ac theologos somniantes disputatores: быть богословомъ — значитъ спать и видѣть видѣнія (5).

(1) Около церковныхъ стѣнъ (*Circa muros Ecclesiae*), t. II, Petropoli, 1906, p. 456. Animadvertimus hunc librum qui perniciosas fideique christianae contrarias exhibet doctrinas, laudatum fuisse a Tareev in periodico theologico Academiae ecclesiasticae Mosquensis: Бог. Вѣстникъ, 1905, t. III, pp. 543-547. Acerbis verbis eum damnavit Миссіонерское Обозрѣніе, 1906, XI, pp. 547-562, quod theorias Merejkovsky etiam carpsit. Ib., pp. 732-748.

(2) Ib., p. 458.

(3) Ib., p. 459.

(4) Ib. pp. 462-463.

(5) Eandem fere sententiam licet mitiore forma tenet princeps Gregorius Trubetzkoi, ad cuius sententiam Ecclesiae considerandae sunt tanquam carceres Iesu Christi, quia quaelibet humana forma in vincula Spiritum conjicit: religio tamen christiana huiusmodi formas, quin eas destruat, in altare vivens Dei debet immutare. — Основная задача Россіи (*Problema fundamentale russicae nationis*), Московскій Еженедѣльникъ, Mosquae, 1907 (II), n. 50, p. 38. Veluti ex fonte theoriae quas memoravimus ex systemate religioso comitis Leonis Tolstoi derivant, qui saepe sepius vulgavit in suis libris dogmata fidei christianae sententias praebere a scriptoribus saeculi IV concinnatas, eademque nullum sensum temporibus nostris

2. Quidnam hisce obiurgationibus quae vehementer commovent animos in Russia, a theologis orthodoxis, suam fidem tuentibus, respondetur?... Proh dolor! Ex eorum labiis raro audiuntur verba quae

---

accommodatum praeseferre atque ab amore Christi homines prohibere. — *Il regno di Dio è in voi*, Romae, 1894, p. 87; Solonikio, Религіозно-философскія воззрѣнія гр. Л. Н. Шолстого и ихъ психологическій генезисъ (*Theoriae philosophicae et religiosae comitis Tolstoi, earumque psychologica genesis*), Вѣра и Церковь, 1902, n. 9, pp. 593-605. Doctrinam tolstoianam, quam potius buddhisticam quam christianam dixeris, validis refutarunt argumentis, A. Kozlov, Религія графа Л. Шолстого, его ученіе о жизни и любви (*Religio comitis L. Totstoi, eiusque doctrina circa vitam et amorem*), Petropoli, 1895; A. Gusev, О сущности религіозно-нравственнаго ученія Л. Шолстого (*De essentia doctrinae religiosae et moralis Leonis Tolstoi*), Kasan, 1902. Haec duo opera inter meliora adscribenda sunt, quae russici theologi ad tolstoiana deliramenta refellenda conscripsere. Adeunda etiam pro diligentiore examine tolstoiani adogmatismi sequentia opera: M. Ostroumov, Графъ Л. Н. Шолстой (*Comes L. Tolstoi*), Kharkoviae, 1887; Tzertelev, Нравственная философія гр. Шолстого (*Philosophia moralis comitis Tolstoi*), Petropoli, 1888; Eleonsky, О новомъ Евангеліи гр. Шолстого (*De novo Evangelio comitis Tolstoi*), Mosquae, 1889; P. Astafev, Ученіе гр. Л. Н. Шолстого въ его цѣломъ (*Synthesis doctrinae L. Tolstoi*), Mosquae, 1890; Butkevitch, Опытъ изъясненія ученія Господа нашего Іисуса Христа съ опроверженіемъ возраженій, указываемыхъ отрицательной критикой новѣйшаго времени (*Specimen explicationis doctrinae Iesu Christi, adiuncta refutatione obiectorum a nuperrimae aetatis critica negativa L. Tolstoi*), Kharkoviae, 1893, A. Orfano, Въ чемъ должна заключаться истинная вѣра каждаго человѣка: по поводу книги гр. Л. Н. Шолстого (*In quo necesse est ut consistat vera fides cuiuslibet hominis: crisis libri N. Tolstoi: Quaenam est mea fides*) Mosquae, 1887; D. P. Grigorev, Христіанскіе вопросы жизни (*Quaestiones christianae ad vitam hodiernam spectantes*), Petropoli, 1887; I. A. Karychev, Православно-христіанскій взглядъ на основанія, принятыя графомъ Л. Шолстымъ для своего лжеученія, изложеннаго въ его сочиненіи: въ чемъ моя вѣра (*Observationes cuiusdam christiani orthodoxi in principia fundamentalia falsae doctrinae quam comes Tolstoi exposuit in suo opere: Quaenam est mea fides*), Mosquae, 1891; Sopotzko, Плоды ученія гр. Л. Н. Шолстого (*Fructus doctrinarum L. Tolstoi*), Petropoli, 1896; Th. Preobrajensky, Ученіе Л. Н. Шолстого о смыслѣ жизни по суду христіанства (*Doctrina L. Tolstoi de significatione vitae, ante tribunal religionis christianae*), Mosquae, 1898. De russico adogmatismo nuperrime disputavit Paulus Stepanov, О значеніи догматическаго элемента въ христіанскомъ ученіи (*De vi elementi dogmatici in doctrina christiana*), Ученo-богословскіе опыты alumnorum academiae ecclesiasticae kioviensis, t. IV, Kioviae, 1907, pp. 63-124; cf. Alexius (episcopus), О " новомъ пути „ (*De « nova semita »*), Прав. Собесѣдникъ, 1903, t. II, p. 608. Auctor in sua oratione synthesin errorum scholae Rozanov et Merejkovsky breviter enucleat; Th. Titov, О новомъ христіанствѣ и новомъ пути (*De novo christianismo et nova semita*), Шруды К. Д. А., 1904, t. I, pp. 3-9; Tarieev, Христіанство и религія В. Розанова (*Christianismus et religio Basilii Rozanov*) Бог. Вѣстникъ, 1907, t. II, pp. 627-665).

obtrectatorum fidei christianae audaciam obtundunt. Huiusce lugendae, ut ita dicam, apologeticae impotentiae non dantur aliae causae quam scholasticae methodi contemptus, ac theologicorum studiorum in Russia, ne seminariis quidem exceptis, lamentabilis incuria. Quo fit ut russici theologi toti in rimandis veterum conciliorum canonibus vel exspiscandis Latinorum *novitatibus*, haud raro quidquid ad labantia fidei fundamenta restauranda pertinet, inconsulto praetermittunt. Non miror igitur, si theologus clari nominis, E. Akvilonov, tenet dogmatum thesaurum jam satis superque oevum suum egisse (1), quam tamen sententiam subsequenti argumentatione ipse infirmat. Declarat enim, tot saeculis jam elapsis, aurum illud, quod olim praebuere fidelibus dogmata Christi, suam naturam, suumque praetium adhuc retinere. Causis tantum historicis hoc tribuendum, quod in praesentiarum quamplurimi dogmata fastidiant. Ariditas dogmaticarum formularum improbatur, eodemque tempore asseritur aetate Patrum dogmata mirum in modum christianam vitam aluisse ac fovisse. Si hoc verum est, consequitur apud nostrates etiam pristinam illam vim ac momentum ea non amisisse, quia suapte natura mutationibus non sunt obnoxia. Ariditas quam carpunt, in cunctarum scientiarum principiis ac primoribus elementis fas est deprehendere. Si quis tamen ea non retrahatur a meditatione ac studio post breve tempus laetos atque uberes fructos colliget (2).

Potiusquam de ariditate formularum, quam adogmatistae fastidiunt, loquamur, ait archimandrita Antoninus, nobis deploranda est, siccitas, prope dicam, cordis, qua fit ut dives piarum cogitationum thesaurus parvipendatur. Cor enim, quod flagrat amore in Deum, absconditos mysteriorum sensus ad lumen divinitatis paulatim penetrat. Si dogmata catenis intellectum devincirent, quia principia fidei statuunt, pari diceretur ratione architectura, eo quod regulas tradit ne in condendis aedificiis artifices pulchritudinis, quam vocant *εὐρυθμίαν*, violent, impedire quominus aulae regiae extollantur. Falso exhibentur dogmata tanquam coelorum ab hominibus remotissimae plagae. Veritati sane consonum esset ea ut quaedam puncta in aetheris amplitudine disseminata considerare, quibus in terris mortalium genus, accensis quasi a Deo taedis, suo in itinere dirigitur (3).

Nulla datur religio, admonet A. Kireev, quae dogmatis careat, neque systema philosophicum quod super eis non fundetur. Sive in

(1) Для насъ сокровище догматовъ кажется слишкомъ изжитымъ. — Записки p. 519.

(2) Ib., p. 517.

(3) Ib., p. 480.

religione, sive in scientiis dogmata lapides censentur, quae in fundamentis positi, totum aedificium inconcussum sustinent. Si haec tollantur, aedificium ipsum praeceps ruit. Qui systemati cuidam sive religioso sive philosophico favet, tenetur eo ipso admittere principia quibus systema nititur. Asseritur fidei christianae dogmata invecta fuisse saeculo IV. Num ex hoc sequitur ea rationi repugnare?... Si quis e contra ea attente perpendet, citius perspectum habebit quam conformia sint supremis moralitatis legibus (1). In eis enim, ait episcopus Sylvester, Ecclesia suos interioris vitae inexhaustos fontes detegit. Ille qui praetentu civilis progressus ea rejicienda proponeret, hoc ipso patefaceret se leges ac conditiones quibus progreditur humanum genus prorsus ignorare. Germen nequit in parvam excrescere plantam, suo tempore fructus edituram, quin altas defigat terrae radices, nimirum quin immobili adhaereat solo. Quod de vitali germinum progressu asserimus, progressui scientifico applicari debet. Dubium nil confert ad incrementum et profectum scientiarum, ac rationis humanae hoc proprium est ut quam citius scepticismi jugum exuat, ut ex principiis certis ad novarum veritatum acquisitionem sibi viam muniat. Sine principiis quae per auctoritatem Dei revelantis credantur, non habetur fides, ac sine fide, jam actum est de progressu religioso.

3. Haec a theologis orthodoxis, rhetoricis potius pigmentis, quam stricta argumentandi ratione, edisseruntur ut suis obstent adversariis. Quidam inter eos, metu perculsi ne religio christiana tot telis confossa vita periclitetur, in eam sententiam devenerunt ut statuerent, ad salebras, quibus theologia implicatur, removendas, novam *animam* inspirandam formulis dogmaticis (2). « Quaedam propositiones vel veritates dogmaticae, quae olim societati certissimae ac firmiter constitutae videbantur, in praesentiarum exigunt ut novo induantur lumine, ut hodiernis scientiarum placitis nova methodo adaptentur » (3). Huius-

(1) Ib., pp. 508-509.

(2) Нужно одухотворить догматическія формулы. — Vvedensky, Къ вопросу о методологической реформѣ православной догматики (*Quaestio de reformatione methodica dogmaticae orthodoxae*), Serghievo, 1904, p. 8.

(3) Многіа догматическія положенія или истины, казавшіяся убѣдительными или твердо установленными для одного общества и для одного времени, въ настоящее время нуждаются въ новомъ освѣщеніи, или новомъ приспособленіи сообразно съ уровнемъ современныхъ знаніи. — Klitin, Современные вопросы западной богословской науки въ связи съ характеромъ ея преподаванія на университетской каѳедрѣ (*Quaestiones hodiernae scientiae theologicae occidentalis in relatione cum charactere methodi eas tradendi in cathedris universitatum*), Odessae, 1874, p. 14.

modi tamen concessiones supervacaneas penitus ducit theologia catholica quippe quae, Ecclesiae Romanae magisterio suffulta, jamdudum ac feliciter pravis rationalistarum doctrinis refellendis operam navavit. Quod ut pateat, eodemque tempore summa Romanorum Pontificum tum sapientia, tum sedulitas in falsis sententiis profligandis, comparatione praesertim instituta cum segnitie atque incuria Ecclesiarum orientalium in sana doctrina exponenda ac tuenda, luce clarissima effulgeat, breviter examini subijciemus propositos russorum adogmatistarum errores.

Adogmatistae russi tenent primum dogmata fidei christianae repugnare tum rationi, tum voluntati, tum cordi hominum. Antequam haec propositio refellatur, praenotanda: 1° Veritates fidei christianae, quas tam acriter praefati scriptores carpunt, ea sunt quae theologi *mysteria fidei* vocant. Ut docet concilium Vaticanum, « perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto etiam distinctum; principio quidem, quia in altero naturali ratione et altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » (1). Dantur etiam veritates fidei, quae licet dogmatis Ecclesiae adnumerentur, pertingi ac disquiri possunt a ratione humana post longum tempus et non sine circuitu errorum. De hisce proculdubio non loquuntur praecitati scriptores, qui jura rationis in rebus fidei maxime vindicant. Mysteria igitur tantum adoriuntur. — 2° Ut facilius cavillationibus praecludatur aditus, recta mysterii definitio tradenda est. Quin aliquid, ad etymon quod attinet, dicamus (2) sufficiat nobis statuere mysterium veritatem altissimam fidei exhibere, cuius existentiam suis viribus finitis intellectus humanus nunquam agnoscere potuisset, quaeque, postquam revelatio facta est generi humano, nobis adhuc impervia manet quoad suam intrinsecam essentiam aut rationem. Mysterium est, ut verbis utamur Patrum Ecclesiae, quod neque Angelus, neque Archangelus, neque ulla creata potestas noverat antequam fieret (3); quod humana probatione non habeat opus, neque humanis additio-

(1) *Const. de fide Cath.*, c. IV, *De fide et ratione*, Denzinger, pp. 477-478.

(2) Hettinger, *Lehrbuch der Fundamental-Theologie*, Friburgi, 1879, pp. 152-153; Schanz, *Der Begriff des Sakramentes bei den Vätern*, *Theologische Quartalschrift*, 1891, t. LXXIII, pp. 531-535.

(3) *Οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτε ἄλλη τις αὐτὸ κτιστὴ δύναμις ἤδει πρὶν γενέσθαι.* — S. Iohan. Chrys., *Hom. VII in Ep. I ad Cor.*, *P. G.*, LXI, col. 55.

nibus (1); quod sapientiam praesefert divinam, in quadam ineffabili atque incomprehensibili profunditate abditam (2); quod excedit ac supereminet divini eloquii facultatem ita ut perdifficile sit hominibus de eo loqui (3). Mysterium nobis exhibet igitur veritatem *planissime* divinam, quam neque in sua existentia, neque in sua essentia homo attingere potest, quia in eo, ut ait Cardinalis Franzelin, « tam notitia apprehensionis quam cognitio consensionis, seu tam idea quidditatis, quam iudicium veritatis est supra vires rationis » (4). De ratione mysterii est quod ex principiis naturaliter nobis notis non possit neque cognosci, neque probari, quod neque mediata, neque immediata fruatur evidentia, sed tantum per revelationem et fidem nobis aperiatur (5). Ut ait concilium Vaticanum « divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino » (6).

Ex dictis sequitur: α') quod cum talis sit mysteriorum natura, liquet ea non ex terrena sapientia genus humanum hausisse, sed directe atque immediate ex divina revelatione, aiente Apostolo: *Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου οὐδὲ τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων· ἀλλὰ λαλοῦμεν Θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην*, I, Cor., II, 6-7. β') Mysteria cum veritates fidei sint, relationes semper dicunt ad intellectum, sive divinum qui ea plenissime comprehendit ut veritas essentialis, sive ad intellectum humanum cui revelantur. Huius relationis

(1) *Τὸ γὰρ μυστήριον κατασκευῆς οὐ δεῖται, ἀλλ' ὅπερ ἐστί, τοῦτο μόνον ὃν καταγγέλλεται· ἐπεὶ οὐκ ἔσται μυστήριον θεῖον καὶ ὁλόκληρον, ὅταν καὶ παρὰ σαυτοῦ τι προσθῇς.* — Ib., col. 55.

(2) *Σοφία ἀληθῶς καὶ οὐκ ἀνθρωπίνη ποθέν θεία δὲ μᾶλλον καὶ ἐν ἀπορρήτοις τισὶ βάθεσί τε καὶ ἀκαταληψίαις κειμένη, τὸ Χριστοῦ μυστήριον.* — S. Cyr. Alex., *Adversus Nestorium*, l. III, *P. G.*, LXXVI, col. 112.

(3) S. Leon. M., *Sermo* XXIX, *P. L.*, LIV, col. 226.

(4) *Tractatus de Deo Trino*, Romae, 1895, p. 236. Cf. Granderath, *Spekulative Erörterung über die Existenz von Mysterien und die Möglichkeit ihrer Offenbarung, Zeitschrift für kath. Theologie*, 1886, t. X, pp. 497-499.

(5) « Der Begriff der übernatürlichen und übervernünftigen Wahrheiten oder der Mysterien ist dahin bestimmt, dass sie aus den Principien der natürlichen Vernunfterkenntniss nicht erkennbar und desshalb aus denselben nicht beweisbar, dass sie also weder unmittelbar evident, noch aus natürlich evidenten Wahrheiten der Erfahrung und der Vernunft durch Schlussfolgerung abgeleitet werden können, sondern nur durch die Offenbarung und den Glauben uns bekannt und gewiss sind ». — Heinrich, t. II, p. 753.

(6) *Const. De fide cath.*, c. IV, Denzinger, p. 478.

causa fit, ut licet incomprehensibilia, mysteria tamen *aliquatenus intelligantur*: « Profecto — ait card. Franzelin — nisi aliquo modo notionibus saltem analogicis apprehenderemus, quid sit illud, quod revelatur et credendum proponitur, neque fides explicita in talem veritatem locum habere posset: non enim vocabula sed res seu veritates verbis significatae sunt obiectum materiale fidei » (1). Haec est doctrina catholicae Ecclesiae, quae in Concilio Vaticano hisce verbis statuitur: « Ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, *aliquam* Deo dante mysteriorum *intelligentiam* eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » (2). Secundum igitur doctrinam Ecclesiae, mysteria realitatem aliquam divinam exhibent, non autem vacuum verborum sonitum; haec realitas autem, licet ab humano intellectu attingi non possit neque in sua existentia, neque in sua essentia, piam tamen rationis inquisitionem a curiositate atque audacia alienam non excludit. Eo ipso enim quod per revelationem nobis in sua existentia mysterium manifestatur, non secus ac quaelibet creata veritas, intellectum allicit ad profundiorem sui cognitionem, unde procedit *theologia mysteriorum*, si fas est eam ita appellare.

Hisce positis praenotaminibus probatur primum fidem in mysteria rationi non repugnare. Si quaedam enim repugnantia daretur haec procederet α') aut ex parte Dei relate ad rationem humanam; β') aut ex parte rationis humanae; γ') aut ex parte mysteriorum in seipsis; δ') aut ex parte mysteriorum relate ad alias veritates sive ordinis supernaturalis, sive naturalis. Atqui ex quatuor praecitatis capitibus satis liquet nullam dari repugnantiam in hoc quod per fidem teneantur mysteria. Ergo.

α') Ad primum quod attinet, repugnantia inter rationem ac mysteria oriretur ex eo quod vel neque mysteria dantur in Deo, unde figmenta haec censenda sint, vel ex eo quod Deus nequeat ac nolit homines ea docere. Utrumque est evidenter falsum. Vere enim de esse Dei dici potest *mysterium absconditum esse a saeculis et generationibus*: *τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν*, Col., I, 26. Si esse divinum omnes quas cogitare possumus, actu et supereminenter, possidet perfectiones, si revera ipsum est « supra omne id quod cogitari ab homine possibile est », consequitur infinitos in divina natura latere thesauros qui creatis oculis non objiciuntur. Si tot frequentissime in rerum natura deprehendimus

(1) Franzelin, op. cit., p. 236.
(2) Denzinger, p. 478.

mysteria, quae laboriosas sapientum investigationes fatigant ac fugiunt, si coelum et terra, si vita et viventia, si bruta animantia et lapides, tot involvuntur mysteriorum tenebris, ut perpetuum in oevum etiamsi mansissent generationes humanae, eas cunctas nunquam repellere possent, insaniret sine dubio qui nullam in natura divina obscuritatem pro nostris oculis exposceret. Concedimus quidem intellectum nostrum per creatas res adduci ad cognitionem Dei: quid tamen sit ipsum esse divinum, nos latet. Positivis conceptibus idipsum exprimere non valemus, nec nobis datur ineffabilem eius vitam penetrare. « Quemadmodum coecus natus, si ab aliis hominibus colores esse didicerit, de natura lucis et colorum alia quam quae ex notionibus indeterminatis entis, qualitatis et aliis huiusmodi deducuntur, atque ex proportionibus quibusdam cum aliis sensationibus concluduntur, vix intelligere valet, ita et multo quidem magis homo, qui ex solis creaturis in Dei cognitionem ducitur, multa, quae in Deo sunt, ignorare potest » ([1]). Si nequit igitur concipi esse divinum sine mysteriis, nulla est repugnantia ex parte Dei quod Deus ipse concipiatur a nobis mysteriis contectus. Deus enim, ait Origenes, « virtute sua omnia comprehendit, et ipse nullius creaturae sensu comprehensus est. Illa enim natura soli sibi cognita est. Solus enim Pater novit Filium, et solus Filius novit Patrem, et solus Spiritus Sanctus perscrutatur etiam alta Dei » ([2]).

Neque ex parte Dei invenitur repugnantia in eo quod homines doceat mysteria. Si enim mysteria dantur in esse divino, nihil impedire potest Deum, quominus suo erga nos amore haec eadem nobis revelet. Hoc enim neque sapientiae divinae contradicit, quae omnia disponit suaviter et fortiter ut finis creationis ultimus absolvatur. neque potentiae divinae, quae si lumen intelligentiae hominibus indidit, a fortiori hanc intelligentiam altioris luminis radio illustrare potest.

β') Neque ex parte hominis licet affirmare mysteria eius rationi repugnare. Convenit enim inter omnes intellectum humanum necessariis viribus non pollere ut ad cognitionem positivam *τοῦ* esse Dei assurgat, quod pulcherrimis verbis exprimit S. Augustinus: « Quo intellectu Deum capit homo qui ipsum intellectum suum quo eum vult capere nondum capit? . . . » ([3]). Posita igitur hac rationis impotentia in eis attingendis quae ad vitam Dei pertinent, eodemque tempore indesinente hominis conatu Deum per intellectum ac voluntatem magis

([1]) Ottiger, *Theologia fundamentalis*, t. I, Friburgi, 1897, p. 71.
([2]) *De principiis*, l. IV, P. G., XI, col. 409.
([3]) *De Trin.*, l. V, c. I, 2, P. L., XLII, col. 911.

magisque appropinquandi, nihil repugnat, si divinitus edocti, mysteriis assentimur. Repugnantia quidem daretur si statueretur in rebus divinis intellectum creatum nihil aliud accipere posse quam quod ei clarissime perspectum sit, illud scilicet quod evidentia immediata vel mediata fruitur. Sed hoc nequit supponi, quin eodem tempore tueamur evidentiam unicum esse veritatis criterium non tantum in rebus fidei sed in scientiis humanis, quod si exigatur, perpetua laboraret genus humanum ignorantia. « Multa possunt afferri — ait S. Augustinus — quibus ostendatur, nihil omnino humanae societatis incolume manere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum. Si auferatur haec fides de rebus humanis, quis non attendit, quanta rerum perturbatio, quam horrenda confusio subsequeretur » (1).

Praeter igitur evidentiam sive immediatam, sive mediatam, qua assentimur cuilibet veritati datur auctoritas, quae praesertim si procedit ex testibus fide dignissimis non secus atque evidentia haberi debet ut legitimum motivum veritatem aliquam nobis non perspectam tanquam firmam veritatem accipiendi. Hoc in omnibus contingit humanis scientiis cum nequeat homo temporis vel ingenii vel virium defectu continenter agere experimenta ut sibi certo constet singulas cuiusvis scientiae propositiones realitatem objectivam praeseferre, ac falsis elementis non misceri. Ecquis verbigratia ab eo qui chemiae studet exposcet ut sua propria experientia primum certior fiat de cunctis singularum substantiarum proprietatibus, quibus chymicus rimandis et perscrutandis operam navat?... Et si auctoritas humana quae saepenumero a vero deflectit, legitimum est criterium veritatis, cur hoc denegandum auctoritati divinae qua veritatibus fidei assentimur?... Opus nobis non est semper ut veritas quae nobis proponitur, evidens sit: requiritur tantum ut evidenter sit credibilis, quando lumen intellectus nostri par non est ei percipiendae ac noscendae ; requiritur nimirum ut ab eo nobis proponatur, qui doctior quam nos exhibetur, quique vel fallere vel falli non potest. Hoc supereminenter de Deo asserendo qui, tanquam auctor revelationis, nobis pandit quae nec oculus vidit, nec auris audivit, I, Cor., II, 9. Ex parte igitur hominis non datur repugnantia in eo quod humana ratio, divina innixa auctoritate, mysteriis fidei

(1) *De utilitate credendi*, c. XII, n. 24, *P. L.*, XLII, col. 84. Ne vouloir rien admettre dont on n'ait l'idée claire et distincte, c'est s'exposer à rejeter bien des vérités précieuses; car ni l'idée n'atteint tout le réel, ni l'idée claire n'est le seul mode de posséder la vérité. Bainvel, *Nature et Surnaturel*, Parisiis, 1903, p. 334. Fidem principium esse omnium nostrarum cognitionum: *ἁπάντων πραγμάτων ἡ πίστις προηγεῖται*, pluribus exemplis illustrat Theophilus Antiochenus in Libris ad Antolycum, I, n. 8, P. G., VI, col. 1036.

suum praebeat assensum. Si rejicienda essent mysteria eo quod nobis deest plena et perfecta eorum cognitio, cogeremur etiam rejicere ut falsa omnia mysteria quae in ordine rerum naturali reperiuntur, quod quidem asserere maximae esset insaniae (1). Ad rem S. Thomas: « Sicut maximae amentiae esset idiota, qui ea quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc quod ea capere non potest, ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur falsa esse suspicetur ex hoc quod ratione investigari non possunt » (2).

β') Neque objici potest repugnare homini ut Deum habeat magistrum in rebus fidei. Si frequenter enim utitur homo magisterio humano in scientiis addiscendis, a fortiori divino uti potest magisterio in acquirenda scientia de Deo. Repugnaret quidem hoc magisterium, si Deus rationem humanam ita sua ligaret revelatione, ut haec impediatur quominus suum actum eliciat. Contrarium tamen docet experientia. Vetamur proculdubio quominus curiose mysteria fidei inquiramus, sed ut revelationi assentiamur, ut quaerentibus rationem des fide quae in nobis est respondeamus, veritatem ipsius revelationis rite probamus, validissimis argumentis eam evidenter credibilem ostendimus, comprehensionem veritatum quae per eam nobis traduntur non vindicamus, sed principia quibus hisce veritatibus assentimur, tutissima demonstramus. Ut ita dicam in mysteriis fidei demonstrationem *intrinsecam*, quae rationem ipsius mysterii dissolvat, idque captui nostro accommodet exhibere non asserimus: contendimus tamen validissimam eorum demonstrationem extrinsecam concinnare, qua mysteria ut veritates altissimas a Deo ipso revelatas evidenter credibiles tenemus (3).

Falsum est igitur affirmare per mysteriorum revelationem intellectum nostrum impediri quominus agat. Mysteriis quidem ligatur non secus ac pro qualibet veritate creata contingit, quae ut veritas ab intellectu percepta nequit ab eodem ut falsum respui: sed si ligatur quoad assensum, non ligatur quoad actum intelligendi, neque in ordine supernaturali, neque in ordine naturali. Posita enim revelatione, intel-

(1) Cfr. Dévivier, *Corso d'apologetica cristiana*, Venetiis, 1906, p. 119.

(2) *Contra Gentiles*, I, 5.

(3) Tanqueray, I, p. 58; Suarez, *Disp. de fide*, IV, sect. III, t. XII, pp. 120-125. Les mystères de la foi restent incompréhensibles, sans doute, comme les mystères, ou si l'on prefère, comme les énigmes absolûment transcendantes de la science; ils sont de leur nature insondables, mais la raison peut s'assurer qu'ils ne renferment aucune contradiction logique, aucune incompatibilité réelle avec quelque certitude scientifique; Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne*, Parisiis 1903, p. 29.

lectus fide et gratia illustratus, profundiorem aggreditur, quantum vires humanae patiuntur, revelatarum veritatum, vel mysteriorum, disquisitionem, et magis in fide excultus haud raro aptior efficitur ad ipsas veritates ordinis naturalis excolendas atque investigandas. Etenim sine fide tollitur illud supremum principium quod scientias omnes pervadit, eisque firmissimum praebet fulcrum. Ex parte igitur hominis non datur repugnantia in hoc quod mysteriis assentiatur.

γ') Neque mysteria in seipsis considerata repugnant humanae rationi. Cum enim intellectus ad verum tendat, in eoque quiescat, ac suam perfectionem adipiscatur, illud contrarium censeri debet intellectui quod contrarium est veritati, scilicet quod est falsum. Sed adversarii quibus reluctamur, ultro concedunt mysteria veritates divinas praeseferre. Ergo si veritates sunt, intellectui humano non repugnant. Veritates quidem *supra rationem* sunt mysteria, sed ex hac thesi non sequitur ea esse *contra rationem*. Quidquid enim contra rationem est, directe opponitur principiis rationis, nimirum involvit contradictionem; quod autem supra rationem est, excludit demonstrationem vel probationem ex parte rationis, ratio scilicet hoc ipsum neque negare neque demonstrare potest quia non cognoscit. Relate ad primum, intellectus agit *repulsive*; relate ad secundum, intellectus non agit ut accipiat, quia quod supra rationem est, donec reveletur, non percipitur: postquam vero id per revelationem accepit, intellectus in idipsum agit *indirecte*, nempe per analogias e rebus creatis desumptas, et per fidem simplicem ac sine vafritie, ut ait Cyrillus Alexandrinus (1), conatur, quantum fieri potest, clariori luce ipsum perfundere.

δ') Denique non datur repugnantia humanae rationi ex parte mysteriorum, sive haec considerentur suis in relationibus cum ceteris veritatibus supernaturalibus, sive cum veritatibus naturalibus. Prioris enim ordinis veritates effluunt in homines ex divina revelatione, ex Deo scilicet immediate in nos derivant, atque in Deo vel umbra falsitatis nequit concipi. Atqui mysteria ex eodem divino fonte deducuntur eiusdemque divinae intelligentiae absconditas patefaciunt hominibus veritates. Ergo nequeunt concipi ut contrariae ceteris veritatibus ordinis supernaturalis (2). Si vis huius argumenti negetur, consequeretur

(1) *Ταύτῃ τοί φαμεν ζητημάτων, ἰσχνῶν, καὶ περιεργίας τῆς ἐπέκεινα νοῦ, δεδεῆσθαι μὲν οὐδαμῶς τὸ Χριστοῦ μυστήριον· πίστεως δὲ μᾶλλον ἁπλῆν καὶ ἀκακοῦργον ἐχούσης τὴν παράδοσιν.* S. Cyr. al., *Adv. Nest.*, l. III, P. G., LXXVI, col. 112.

(2) In mente nequit esse contradictio, nil enim infensius veritati contradictione. Atqui si veritas revelata adversaretur veritati alicui rationali, contradictio reperiretur in ratione increata, in mente divina, cum tam ratio quam revelatio,

duplex in divina essentia adesse principium, principium veri et principium falsi, idest principium boni et principium mali.

Esse igitur divinum putidam illam dualitatem exhiberet quam veteres haeretici Deo, causae efficienti tum boni, tum mali, affinxere. Cum igitur non detur oppositio inter mysteria et ceteras veritates supernaturales, mysteria ipsa, ut veritates, nequeunt repugnare rationi.

Idem probatur ad veritates naturales quod attinet. Rationi mysteria essent contraria si homo deprehenderet in eis aliquid quod principiis vel veritatibus certis ordinis naturalis contradicit. Hoc autem falsum evincitur. Suapte enim natura nequeunt mysteria opponi veritatibus ordinis naturalis quia ad altiorem ac penitus diversum veritatum ordinem pertinent. Nulla igitur potest fieri inter eas comparatio, et si haec excluditur, excluditur et repugnantia. Mysterium verbigratia Ssmae Trinitatis nullam habet relationem realem (posita revelatione, datur pro intellectu humano relatio analogica) cum veritatibus ordinis naturalis. Si deest relatio, deest ac repugnantia, et consequenter, cum hoc mysterium nulli veritati naturali opponatur, rationi ipsi ex parte veritatum naturalium non repugnare asserendum est (1).

Praeterea veritates tum supernaturales, tum naturales ex eodem fonte dimanant, ex divina scilicet intelligentia. Etenim, nisi divina immutabilis essentiam veritatibus utriusque ordinis aeternam firmitatem praeberet, consequeretur veritatem ipsam ab humano intellectu pendere, suam mensuram in humano intellectu reperire, et cum fluxae et caducae sint opiniones et sententiae hominum, harum instabilitas veritates ipsas inficeret. Illud quod hodie verum nobis videtur, cras a posteris ut falsum rejiceretur, quo in casu de acquirenda unquam veritate homo penitus desperaret. Si constat igitur unicum esse fontem veritatum utriusque ordinis, has inter atque illas non potest reperiri repugnantia, sicut ex eodem fonte non possunt simul aquae tum albi tum nigri coloris manare.

---

sint duo radii, duplex irradiatio et participatio eiusdem rationis increatae. Concedi ergo nequit veritatem revelatam contradicere posse veritati rationali, seu quod idem est, fieri nequit; ut quae ex fide et theologia vera sunt, ea secundum rationem et philosophiam sanam sint falsa. — *Contra Gentes*, I, 7.

(1) Ad rem De Groot: « Dogmata inter et scientias physicas datur nulla dissensio, quippe cum dogmata, v. g. SS. Trinitas et Incarnatio Verbi, sua celsitudine et indole, physicas disciplinas omnino exsuperent. Doctrinae vero religiosae, quas et ratio naturalis demonstrat, uti rerum mundanarum creatio, natura incorporalis animi, modernorum inventis nihil labefactatae sunt, nec ullo modo labefactari possunt, quandoquidem scientiae positivae, praecise ut tales, hasce veritates non attingunt. Sic mecanica et thermodynamica non primam rerum originem, sed earum, quae iam sunt, rerum evolutiones explicant ». — *Summa Apologetica de Ecclesia Catholica ad mentem S. Thomae Aquinatis*, Ratisbonae, 1906, p. 827.

2° Neque minus falsa est sententia adogmatistarum russorum qui fidei mysteria voluntati repugnare contendunt. Ut hoc fieret, necesse esset ut voluntas, quae potentia est ad bonum ordinata, malum aliquod morale in mysteriis detegeret. Si bonum enim est eius naturae ac impulsui conforme, malum est ab hisce difforme, et consequenter ei repugnans. Ecquis autem dicet veritates fidei altissimas malum morale voluntati humanae praeseferre?... Maximum enim hominibus bonum est ultimus finis: maxima perfectio voluntatis quae naturaliter ad summum bonum ducitur, est in eum praepete cursu ferri. Quidquid igitur ad summum bonum agnoscendum, ac vehementius appetendum confert, quin voluntati repugnet, eius vires mirum in modum adauget, corroborat, attollit. Hoc quidem praestant mysteria.

Nobis enim patefaciunt infinitos thesauros divinarum perfectionum, ineffabilem amorem Dei qui nobis eos revelavit, ideoque divinae veritatis clariorem nobis exhibent notitiam, ac vehementiorem reddunt voluntatis affectum in Deum. Si haec nobis praestant mysteria, consequitur ea esse quam maxime consona voluntati humanae quia quam maxime conferunt ad eius finalem perfectionem per summum bonum in mysteriis adumbratum, acquirendam.

3° Falsum denique evincitur ea repugnare humano cordi. Relate ad mysteria, cor humanum duplici modo se gerit. Datur cor *animale*, quod non percipit quae Dei sunt, quod cuncta fastidit quae ad Deum ducunt, quod deliciis affluens, fragilem in terris felicitatem sibi parare studet. Huic mysteria quidem repugnant non ex mysteriorum defectu, sed ex sua impotentia peramandi divina. Datur autem cor purum, quod meditatio Dei valde delectat; hoc purum cor Deum peramat indesinenter, totumque in eo est ut Deo perfectissime uniatur. Num ab hoc amore arcet mysteriorum revelatio?... Num aliquid nobilius censeri potest amore Dei in quem per clariorem divinarum perfectionum ex mysteriorum revelatione haustam cognitionem vehementiori fertur stimulo cor nostrum?... Si mysteria cordi censentur contraria eo quod flammas amoris erga Deum accendunt, affirmandum est majorem cognitionem Dei quam major sequitur amor in Deum, rationem mali includere; amorem Dei qui summum bonum est infinito dignum amore, adversari nobilitati humani cordis, eique amorem illum substituendum qui ad pristinum honorem *carnem* revocat.

Falso igitur opponitur dissidium a religione christiana invectum inter fidem ac scientiam. Iesus Christus, ut sua testatur diuturna saeculorum experientia genus humanum, revera est Deus veritas, *ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια*, Io. XIV, 6, Deus plenus veritatis, *πλήρης ἀληθείας*, Ib., I, 13, Deus qui non mentitur, *ὁ ἀψευδὴς θεός*, Tit. I, 2; *ὁ θεὸς ἀληθής*,

Rom. III, 4. Ipse nobis illam attulit veritatem quae nos liberabit, *γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς*, Io. VIII, 32, quo fit ut jam non simus amplius parvuli fluctuantes, circumlati omni vento doctrinae in nequitia hominum, *νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδαρκαλίας ἐν τῇ κυβίᾳ τῶν ἀνθρώπων*, Eph., IV, 14. Nihil unquam poterunt homines adversus hanc veritatem divinam, *οὐ γὰρ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας*, II Cor. XIII, 8. Quod tantum jactatur in detrimentum fidei dissidium inter Christum et rationem humanam, inter Ecclesiam et societatem excultam, inter theologiam et philosophiam, crassum est figmentum ad imbecilles tantum animos illaqueandos. Hoc quidem existeret dissidium si scite demonstraretur veritatem aliquam ordinis naturalis divinis mysteriis, verbigratia Ssmae Trinitati, repugnare. Ecquis autem huiuscemodi nobis pandet veritatem?... In eis quae ad mysteria pertinent munus rationis est simpliciter negativum. Ratio hoc tantum demonstrare potest, in rebus naturae nihil fieri ac nihil fieri posse quod per fidem in mysteriis effici comperimus. At nunquam ipsa ostendet in ordine supernaturali non evenire illud quod in ordine naturali fieri nequit. Ut hoc auderet facinus apprime cognoscere debuisset cunctas ordinis supernaturalis *ἐνεργείας*, quidquid in hoc ordine ac simul in ordine naturali est possibile, scilicet totam fuisset opus ut possideret scientiam tum rerum creatarum, tum divinarum. Hoc finitis nostrae rationis viribus nullimode convenire nemo inficias iverit. Cum igitur loquuntur adversarii de dissidio inter fidem et scientiam, sermo esse non potest de mysteriis quae sua sublimitate rationem humanam ita transcendunt ut eis diudicandis omnino impar sit.

Dissidium hoc respicit quaedam scientiarum placita, quasdam *hypotheses* potius quam *theses* quae certitudine absoluta apud ipsos scientiarum cultores non potiuntur, quaeque contradictionem magis apparentem quam realem cum veritatibus ordinis supernaturalis praeseferunt.

Quae tuiti sumus concilium vaticanum accuratissimis verbis expressit: « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit. Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur ». Fide autem in tuto posita, Ecclesia humanarum scientiarum libertati non invidet: « ipsa quidem non vetat, ne huiusmodi disci-

plinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent » (1).

Dissidium igitur non datur, inter fidem ac scientiam, neque ab Ecclesia affirmatur, quae tot produxit in qualibet scientiarum provincia clarissimos viros atque indesinenter producit. Si hoc dissidium a sciolis aetatis nostrae effingitur, iuvat recolere pulcherrima verba Leibnitii, cui nemo sane ignorantiae notam inurit: « Les mystères surpassent notre raison, car ils contiennent des vérités, qui ne sont pas comprises dans l'enchaînement des vérités que nous connaissons par la lumière naturelle; mais ils ne sont pas contraires à notre raison et ne contredisent à aucune des vérités, où cet enchaînement nous peut mener » (2).

4. At non solum contendimus mysteria fidei nostrae rationi nullimode repugnare, verum etiam ex eis cognitis maxima in rationem ipsam, et consequenter in scientias, quae conditores habent homines, commoda profluere. Mysteriorum revelatio, ut perpulchre docet S. Iohannes Chrysostomus, signum evidens est amicitiae Dei, quia inter homines hoc ducimus argumentum amicitiae, quod nemini priusquam amicis secreta revelamus (3). Et si mysteria a Deo per suum Verbum per suosque legatos edocemur, et si Deus infinita sapientia et amore genus regit humanum, nemo sane dicet Ipsum inutile perpetrasse opus, cum homines ad pleniorem sui notitiam per mysteriorum revelationem vocarit.

Concilium Vaticanum, de relationibus inter fidem et rationem agens, perspicue haec edisserit: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat » (4). Revelatio igitur christiana a theologis catholicis exhibetur tanquam donum coeleste quod in nobis cognitionem Dei per naturales vires acquisitam, supernaturalis luminis radiis mirum in modum adauget, ditat, atque

(1) *Const. De fide catholica*, IV, Denzinger, pp. 478-479.

(2) Hettinger, I, p. 154.

(3) *Τοῦτο δὲ ἐποίησεν ἡμᾶς τιμῶν ὁ θεός, ὥστε μεθ' ἡμῶν ἀκοῦσαι τῶν μυστηρίων. Καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς, οὓς ἂν ποιησώμεθα φίλους, τοῦτο τεκμήριον πρὸς αὐτοὺς εἶναί φαμεν τῆς φιλίας, τὸ μηδενὶ πρὸ αὐτῶν εἰπεῖν τὰ ἀπόρρητα.* — *In Ep. I ad Cor., hom. VII, P. G.*, LXI, col. 55.

(4) *Const. De fide cath.*, c. IV, Denzinger, p. 479.

amplificat. Per revelationem enim ingredimur, sit venia dicto, in profundiores τοῦ divini esse latebras, et non solum veritates speculativas quae ad divinam pertinent naturam, quaeque rationi humanae, ea sublata, aeternum imperviae mansissent, discooperimus, verum etiam Deum ipsum ut supremam veritatis legem tum in naturali, tum in supernaturali ordine, ut magistrum sapientissimum tum credendorum tum agendorum agnoscimus, quia doctrina quam ex eius labiis haurimus, lux est intelligentiae, ac simul dictamen voluntati et flamen cordi (1).

α′) Prima utilitas quam capimus ex mysteriorum revelatione in eo consistit quod Deus propius attingimus in eius ineffabili natura perscrutanda. Mysterium quod nobis exhibetur non modo non contradicit rationi, sed etiam ipsam rationem movet ad sui clariorem notitiam, quantum patitur humana infirmitas, per proprias investigationes assequendam (2). Falso nobis objiciunt adversarii cultu nos irretiri formularum quas sine methodo critica, superstitiose, clausis, ut ita dicam, oculis, amplectimur. Fatemur quidem mysteriis attingendis vel demonstrandis propria virtute intellectum nostrum parem non esse: posita tamen revelatione, mysteria nequeunt dici verba sine sensu nobis penitus inaccessa. Homo enim veritates divinae revelationis suum captum superantes, postquam eas accepit, parvo rationis lumine quominus magis illustret non impeditur. Si nexum terminorum in mysteriorum enuntiatione ignorat, eorum significationem tamen agnoscit; si humanis argumentis realitatem mysteriorum demonstrare, vel in horum essentiam inspicere, nequit, analogiis e rebus creatis deductis faciliorem saltem nobis munit viam ad ea perfectius apprehendenda. Mysteria igitur non praebent formulas, quae, ut colorès coeco, nobis proponantur. Veritates divinas in eis agnoscimus, eaque, ut veritates, humanus intellectus, suo munere defungens, illustrat, tuetur, aperit.

(1) « Die Offenbarung — ait Schell — ist Wahrheit im eminentesten Sinne, weil sie die Erkenntniss bereichert, und dem gläubigen Geiste die Tiefen der verborgenen Gottheit, des thatsächlichen Anfangs und Endzwecks der Welt erschliesst; aber nicht bloss Wahrheit, nicht bloss die theoretische Darstellung und Eröffnung einer neuen und erhabenen Welt für die Vernunft, sondern zugleich ein Gesetzt der Wahrheit, eine strenge Verpflichtung, sich durch den Glauben in diese höhere Welt einzubürgen und ihr gemäss das Leben in dieser niedern Welt zu gestalten ». Op. cit., t. I, p. 11.

(2) Quid enim prodest de Deo sentire recte — ait S. Cyrillus Hierosolymitanus — et turpiter fornicari? Quae vero contra utilitas pudicum esse laudabiliter, et impie blasphemia profari? Pretiosa igitur possessio dogmatum notitia est: *Τί γὰρ ὄφελος, εἰδέναι μὲν τὰ περὶ θεοῦ δόγματα καλῶς, καὶ πορνεύειν αἰσχρῶς; τί δ' αὖ πάλιν ὄφελος σωφρονεῖν μὲν καλῶς, καὶ βλασφημεῖν ἀσεβῶς; Μέγιστον τοίνυν κτῆμά ἐστι, τὸ τῶν δογμάτων μάθημα.* — *Catech.* IV, n. 2; *P. G.*, XXXIII, col. 456.

Rem confirmat tota historia theologiae christianae quae propemodum innumera exhibet volumina divina scientia referta, ubi mysteriorum fidei perpulchri ac reconditi sensus quantum nobis datur, luce perfunduntur humana. Revelatio igitur mysteriorum maximae utilitatis est ad profectum scientiae de Deo.

Ut haec utilitas negetur, oporteret asserere scientiam de Deo quo lenior est, eo magis officere progressui spiritus humani vel nihil ad eum conferre, quod quantum a veritate aberret, supervacaneum arbitror demonstrare.

β') Quidquid veritatem praesefert, qua intellectus suarum cognitionum ambitum distendit, novaque illustratur luce, praesertim in eis quae sunt maximi momenti pro vita interiori animae, utilissimum censendum. Atqui hoc praebent mysteria: veritates enim continent altissimas quae Deum proxime tangunt sive in sua divina natura, sive in suis relationibus supernaturalibus ad homines. Ergo mysteriorum revelata cognitio jure utilissima aestimanda est. Adversarii quibus obsistimus non audent disertis verbis declarare mysteria esse figmenta: hoc tantum contendunt ea eliminanda, quatenus conceptus abstrusos involvunt, qui vitae hominis *practicae* nullum afferunt emolumentum. Sed in confesso est veritatem, cuiuscumque generis ea sit, maxime iuvare ac perficere intellectum, ideoque mysteria, quippe quae veritates vel abstrusas, vel simpliciter speculativas exhibent, perfectioni cognoscitivae hominis, quin obstent, plurimum auxiliantur.

Monendum praeterea censeo vehementer errare adversarios nostros dum utilitatem cognitionis veritatum ex *practico* emolumento metiuntur. Hoc semel admisso, consequeretur quasdam scientias, quae plurimi penduntur, non secus ac mysteriorum cognitio, oblivioni tradendas, verbigratia, astronomiam, matheses quas vocant puras etc. Haud quidem spernendam utilitatem *practicam* ex scientiis dimanantem, tuemur ac praedicamus: omnia tamen quae homo conatur non semper ad mensuram materialis utilitatis perpendere debemus. Naturali enim impulsu homo studet propriam sibi atque intimam perfectionem acquirere, quae postulat ut veri possessione ditetur intellectus ac voluntas promptior atque expeditior efficiatur dum ad ultimum finem tendit. Sive unum sive alterum praestat revelatio mysteriorum, quae proinde humano generi utilissima comperitur.

γ') Veritates altissimae quae captum hominis pervadunt, licet plene ac perfecte non possideantur, utiles censendae sunt intellectui, quem attollunt ad superius perfectionis cognoscitivae fastigium. Atqui talia sunt mysteria quae de Deo veritates penitus impervias nos docent divinaeque essentiae inenarrabilia nobis pandunt arcana. Ergo.

Ad rem S. Thomas: « De rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio, summam perfectionem animae confert » (1). « Sicut oculus corporis plurima quae propter distantiam aut omnino non, aut imperfecte tantum percipit, ope telescopii bene videt, sic etiam fieri fortasse potest ut mens nostra multa, quae per se solam nunquam attingeret, ope divinae mysteriorum revelationis sat clare ac certo cognoscere valeat » (2). Inter homines magni habetur, qui scientia atque eruditione exornatus, ceteris in rebus naturae cognoscendis antecellit. Quanti igitur aestimandus est christianus, cui mysteria de Deo revelant quae nostros oculos latent ac mentem nostram fugiunt!

d') Utilissimum censeri debet illud quod nos iuvat in pleniore ac perfectiore Dei cognitione assequenda. Atqui hoc per mysterium exhibetur. Ergo. Minorem hisce verbis probat S. Thomas. « Tunc enim solum verum Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitare ab homine possibile est, eo quod natutalem hominis cognitionem, divina substantia excedit. Per hoc ergo quod homini de Deo aliqua proponuntur, firmatur in homine opinio quod Deus sit aliquid supra omne id quod cogitari potest » (3). Quo perfectius Deum cognoscimus, eo maius capimus emolumentum pro intellectu et voluntate. Deus autem nobis vel solo rationis lumine disserentibus exhibetur ut perfectissimum ens quod omnino superat vires mentis nostrae, cuius perfectiones infinitas negative potius quam positive apprehendimus. Si talis est natura divina, liquet, intellectum nostrum, finitum ac limitatum, naturali carere potentia ut Deum *in sua essentia* attingat. Esse igitur divinum non potest concipi a nobis ad eius intimam vitam quod attinet sine mysteriis. Quod posita revelatione, divinae essentiae arcana concipimus, hoc sibi non vult divinum esse suam immutasse infinitam naturam, ac finitum evasisse ut ab hominibus comprehendatur: hoc tantum innuit finitum nostrum intellectum per additum lumen supernaturale longe perfectiorem Dei cognitionem, quam ea quae per vires naturales acquiritur, adeptum esse. Per revelationem scilicet mysteriorum Deus nobis apparet qualis revera est in se, humanis inaccessus oculis, ac tanta simul erga nos bonitate affectus, ut radios quosdam suae lucis aeternae in nos immittat. Quo celsior igitur patescit nobis christiana religio, eo plenior mysteriis necesse est ut nobis exhibeatur. Nisi hoc fieret, quî asserere auderemus doctrinam cui assentimur, traditam nobis fuisse a Verbo

(1) *Summa contra Gentiles*, l. I, c. 5.
(2) Ottiger, t. I, p. 76.
(3) *Contra Gentiles*, l. I, c. 5.

Dei, qui eam in sinu Patris didicerit quique hominibus communicaverit?... (1). Immo, ut rite Scheeben animadvertit, religio christiana tanta vi non potiretur ut homines alliceret ad suarum veritatum cultum, si mysteriorum expertem eam deprehenderemus. Veritas enim quae facile acquiritur, quae novitatem non habet, quae cito exhauritur, quae speculatione non indiget, quae admirationem non ciet, mentem nostram, ad altiora semper nitentem, non allectat (2).

ε') Utilissimum illud censeri debet, quod nostras ad Deum relationes rite ordinat. Atqui hoc per mysteria efficitur. Ergo. Minorem probat S. Thomas: « Alia est utilitas revelationis mysteriorum, scilicet praesumptionis repressio quae est mater erroris. Sunt enim quidam de suo ingenio praesumentes.... aestimantes totum esse verum, quod eis videtur, et falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus quae omnino intellectum eius excederent » (3). Compertum enim est rationem humanam esse impatientem iugi. Propudiosum eius instinctum legibus obnitendi ac respuendi moderamen auctoritatis maxime nostra

(1) « Je grösser, je erhabener ungöttlicher das Christenthum ist, um so unergründlicher und geheimnissvoller muss nothwendig sein Inhalt sein. Wenn seine Lehre des eingeborenen Sohnes Gottes würdig ist, wenn der Sohn Gottes selbst aus dem Schosse seines Vaters herabgestiegen ist, um uns in dieselbe einzuführen, können wir da etwas anderes erwarten als die Enthüllung der tiefsten Geheimnisse, die im Schosse Gottes beschlossen liegen, etwas anderes als Aufschlüsse über eine höhere, unsichtbare Welt, über göttliche und himmlische Dinge, die « kein Ange gesehen, kein Ohr gehört hat, und die in keines Menschen Sinn aufsteigen konnten ». — Scheeben, *Die Mysterien des Christenthums*, 2ª ed., Friburgi, 1898, p. 2. Optime etiam Hooke: « Christus inscrutabili altitudine mysteriorum suae religionis dignitati consuluit. Solent siquidem homines parvi pendere et parum suspicere ea quae habent comprehensa, e contrario multum admirari illa quae non sine studio et labore assequuntur; et ideo inter scientias, illae praecipue hominum oculos in se convertunt, et habent eorum admirationem, non quas dignitas vel utilitas commendat, sed quae versantur circa res obscuras et reconditas, longiusque a vulgi sensu et intelligentia disiunctas. Imo solent etiam ista, quae olim summo studio sunt prosecuti, et summo labore sunt adepti, apud eos vilescere, ubi comparata sunt; sapienterque igitur factum est, ut illis involverentur tenebris dogmata, quae quandam ipsis maiestatem afferrent, et nostram foverent reverentiam. Si Christus solummodo reliquisset discipulis suis doctrinam, quam philosophando invenire potuissemus, et quam alii philosophi ante ipsum invenissent, famam adeptus fuisset magni philosophi, sed nequaquam viri divini, quam ipsi iure peperit scientia plusquam humana. — Hooke, *De Vera Religione*; Migne, *Cursus Theologiae*, t. III, col. 279.

(2) Ib., p. 3; *La Dogmatique*, t. I, p. 40.

(3) *Contra gentiles*, l. I, c. 5.

hac tempestate sub fucato nomine libertatis scientificae grassatur. Leges, quas veluti statutos limites praetergredi nefas est, in omnibus prostant scientiis, et consequenter a fortiori in scientia de Deo, quae sui obiecti infinita magnitudine ac perfectione ceteris quammaxime praestat. Repugnat ergo hominem, qui legibus ac limitibus in scientiis naturalibus disquirendis constringitur, effusis, ut ita dicam, habenis, se gerere in scientia de Deo (1). Ad profectum igitur intellectualem et moralem hominis multum conducit ut ipse conscius sibi sit suae infirmitatis atque impotentiae naturalis acquirendi plenissimam notitiam rerum divinarum. Per hanc conscientiam suae debilitatis, divino magisterio se praebet homo magis audientem, meritum fidei non amittit, ac quae sunt supra vires suas anxie quidem non quaerit.

ζ') Maximae utilitatis est quidquid faciliori gressu ad Deum ipsum conducit tanquam ad ultimum finem. Atqui hoc per mysteria exhibetur. Ergo. Quidquid enim homo conetur atque audeat ut vocem comprimat conscientiae quae ad Deum indesinenter clamat, angitur semper cogitatione alterius vitae quae mortem subsequetur. Utilissimum igitur erit ei Deum tanquam ultimum sibi finem perfectius agnoscere ut sua exuatur anxietate. Ad hanc Dei cognitionem maxime conferunt mysteria, quae abdita Dei pandunt consilia circa futuram nostram destinationem ad finem supernaturalem.

η') Utilissima ea sunt quae nobis motiva exhibent quibus excitatur voluntas ad maiorem in Deum amorem, in quo beatitudo nostra naturalis et supernaturalis consistit. Atqui hoc praestant mysteria. Ergo. « Ordo moralis, ait Wilmers, plurimum juvatur mysteriorum fide, verbigratia Trinitatis, quum non solum mutuus personarum amor nobis proponatur ut exemplum amoris nostri mutui, sed redemptio quae non concipitur sine personarum distinctione nobis exhibeat summum Dei erga homines amorem » (2).

θ') Neque solum voluntatem fovet mysteriorum scientia, sed cor ispsum ea valde delectat, quia divinam pulchritudinem patefacit. Quam pulchritudinem per mysteria nobis cognitam si quis aveat scire ac profundius investigare, praeclarum adeat opus P. Lingens S. J. qui accurate de ea disserit ad singula mysteria quod attinet (3). « Mysteriorum pulchritudinem infideles quidem non vident, ait S. Iohannes

(1) Ut luculenter probat P. Paluscsák, libertas scientifica quam vocant, nil aliud nisi *ἀναρχίαν* in scientias inducit. — *Die menschliche Freiheit und die Freiheit der Wissenschaft, Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie*, t. XIX (1905), p. 347.

(2) *De fide divina*, p. 317.

(3) *Die innere Schönheit des Christenthums*, Friburgi, 1895.

Chrysostomus, sed qui peritiam scientiae divinae per Spiritum Sanctum accepere, eam clare perspiciunt eaque maxume gaudent » (1).

Mysteria igitur neque rationi contraria, neque inutilia quoad intellectus, voluntatis et cordis profectum demonstravimus. Moram autem non facimus in refellenda sententia Rozanov qui mysteria fidei a Patribus IV saeculi conficta clamitat. Ex allatis enim testimoniis Patrum satis superque constat eos id strenue egisse ut divinis Traditionibus firmiter haererent (2). Hoc tantum animadvertimus argumenta quae adduximus diserte ostendere quanta vi potiatur magisterium Ecclesiae Romanae in profligandis crassis rationalistarum sententiis quantumque capiatur emolumenti ex Romanorum Pontificum actis ad veritatem christianam in tuto ponendam. Loci enim, quos ex constitutionibus dogmaticis concilii Vaticani attulimus, accuratis terminis et conceptibus doctrinam catholicam enucleant, eamque ita vallo muniunt ut nemini fas sit inoffenso pede eam invadere atque inficere. Hoc praetioso emolumento prorsus carent Ecclesiae orientales quae sese armis non instructas praebent in detegendis, explodendis ac damnandis pravis doctrinis in hodiernam late serpentibus societatem.

Hoc munus rarissime adimplent Ecclesiae ortodoxae (3) et si adimplent, studium illud ac diligentiam omittunt in sana doctrina

(1) *Οἱ μὲν ἄπιστοι, καίτοι γε ἀκούοντες, οὐ δοκοῦσιν ἀκούειν, οἱ δὲ πιστοὶ τὴν διὰ τοῦ Πνεύματος ἔχοντες ἐμπειρίαν, ὁρῶσι τῶν ἐναποκειμένων τὴν δύναμιν.* — *P. G.*, LXI, col. 56.

(2) *Ταῦτα ἡμεῖς στέρξωμεν, καὶ ἐν αὐτοῖς μείνωμεν, μὴ μεταίροντες ὅρια αἰώνια, μηδὲ ὑπερβαίνοντες τὴν θείαν παράδοσιν.* — S. Ioh. Dam., *De fide orthodoxa*, I, 1; *P. G.*, XCIX, col. 792. Pulcherrima etiam verba S. Leonis M.: « Succumbat ergo humana infirmitas gloriae Dei, et in explicandis operibus misericordiae eius, imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, haereamus ingenio, deficiamus eloquio; bonum est ut nobis parum sit, quod etiam recte de Domini maiestate sentimus ». — *Sermo LXII*, *P. L.*, LIV, col. 350.

(3) Ne inique calumniari videamur theologos orthodoxos, cum eos insimulamus impotentiae in novis contra fidem erroribus convellendis, iuvat in medium proferre verba Christi Andrutsi, qui plurimi aestimatur inter recentiores theologos graecos. Ipse affirmat veritati ex parte consonum esse quod lethargo in disciplinis theologicis excolendis laborat Ecclesia orthodoxa, quae sive praedicatione, sive doctis investigationibus ex veritatum christianarum thesauris uberrimos fructus non decerpit. Hoc vero imputandum non est principiis quibus regitur Ecclesia orthodoxa, sed causis historicis: *Τὴν ὀρθόδοξον Ἐκκλησίαν μέμφονται κοινῶς οἱ Εὐρωπαῖοι θεολόγοι ὡς στάσιμον καὶ νεναρκωμένην, ἀκινήτως προσκειμένην τοῖς παραδεδομένοις. Ἡ κρίσις αὕτη ἐν μέρει μόνον εἶναι ἀληθής... Ἐὰν ἐννοοῦσιν, ὅτι οἱ Ἀνατολικὴ Ἐκκλησία οὔτε ἐν τῇ πράξει ὁρᾷ καὶ ἐκμεταλλεύεται τὸν πλοῦτον τῶν χριστιανικῶν ἀληθειῶν διὰ τοῦ κυρύγματος καὶ τῆς ἄλλης ἱερατικῆς διακονίας, οὔτε ἐν τῇ θεωρίᾳ ἀναπτύσσει καὶ ἐξερευνᾷ θεολογικῶς τὰς ἀληθείας καὶ τὰ γεγονότα τῆς πίστεως, τοῦτο εἶναι ἀληθές, ἀλλὰ δὲν προέρχεται ἐκ τῶν ἀρχῶν*

tuenda quam adhibet Ecclesia romana. Compertum est, ut rem illustremus exemplo, aliquot annos in Russia comitem Leonem Tolstoi, reticente Ecclesia russica, doctrinas suas, quibus tum dogmata, tum revelatio supernaturalis, tum sacramenta fidei christianae rejiciebantur, libere pervulgasse. Reponunt quidam theologi orthodoxi hanc *incuriam*, fas sit nobis hoc verbo uti, ex illo charitatis spiritu promanasse, quo Ecclesia ortodoxa maiorem sibi conciliat affectum quam romana Ecclesia, religiosae intolerantiae maximis imbuta (1). Sed intolerantiae non est fidem christianam a calumniis adversariorum vindicare, ac sua in nativa luce proponere. Hoc non praestat Ecclesia orthodoxa quae authentico caret magisterio, cuius auctoritas legitima cunctis fidelibus videatur. Exempligratia, theoriae tolstoianae in Russia damnatae non sunt a quodam concilio, vel oecumenico vel particulari, sed tantum a septem metropolitis, archiepiscopis atque episcopis, quorum sententia, antequam promulgaretur, approbata et confirmata fuit a Constantino Pobiedonostzev. Quonam autem pacto septem episcopi per decretum ab auctoritate civili promulgatum e gremio Ecclesiae orthodoxae *universalis* ejicere possunt hominem quem coetus exculti orthodoxi in Russia maximi faciunt?... Aut dicendum erit hosce septem episcopos authentici concilii praeseferre auctoritatem, quod neque ferventiores orthodoxi affirmant, cum saepe dixerint synodum ortum esse ex violatione canonum (2); vel uni ex synodi petropolitanae episcopo

---

καὶ τοῦ πνεύματος τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, ἀλλ' ὀφείλεται ἐν μέρει εἰς ἱστορικοὺς λόγους, ὧν τὸ εὔλογον ἀνομολογοῦσι καὶ οἱ ἀπαθεῖς καὶ εἰδήμονες τῶν καθ' ἡμᾶς πραγμάτων κριταί. — Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907, p. 16. Et adhuc explicatius: « *Abhinc decem saeculis iam interrupta est theologica dogmatum elaboratio in Ecclesia orthodoxa* »; renatis autem scientiis, nequivit theologia orthodoxa navare operam, ut catholici ac protestantes egerunt, veritatibus fidei christianae latius ac profundius inquirendis: Ἡ θεολογικὴ τῶν δογμάτων ἐπεξεργασία, διακοπεῖσα ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ χιλιετηρίδος, οὐδ' ἐν τῇ ἀναβιώσει τῶν ἐπιστημῶν κατὰ τοὺς νεωτέρους χρόνους ἠδυνήθη εἰσέτι νὰ ἀναπτυχθῇ εἰς εὑρεῖαν καὶ πολυμερῆ ἔρευναν τῶν ἱερῶν ἀληθειῶν καὶ πραγμάτων καθ' ὃν παρὰ τοῖς Δυτικοῖς καὶ τοῖς Διαμαρτυρομένοις λόγον. — Ib.. p. ι' (10).

(1) Матвеев, Православная церковь въ отношеніи къ отлученнымъ вообще и къ гр. А. Н. Шолстому въ частности (*Ecclesia orthodoxa in suis relationibus ad excommunicatos in genere, et speciatim ad comitem Tolstoi*), Tobolii, 1901, p. 52. Eadem repetit πρωτοϊερεύς Iohannes Solovev: Посланіе св. Сунода о графѣ Л. Шолстомъ: опытъ разъясненія его смысла, и значенія по поводу толковъ о немъ въ образованномъ обществѣ (*Litterae Sanctissimae Synodi circa Leonem Tolstoi: tentamen explicationis eius significationis ac finis ad falsas refellendas sententias virorum excultiorum*), Mosquae, 1901, pp. 31-34.

(2) Nicodemus (Kazantzev), episcopus, О святѣйшемъ Сунодѣ (*De Sanctissima Synodo*), Бог. Вѣстникъ, 1905, t. III, pp. 191-211.

supremam auctoritatem atque infallibilitatem tribuendam, quod si fieret, principium catholicum, ut aiunt theologi ortodoxi, in russicam Ecclesiam inveheretur. Patet igitur, in certamine cum adogmatistis, vi destitui russicam Ecclesiam ad pericula propulsanda quae fidei christianae minitantur. Haec autem pericula nunquam imminent Ecclesiae Romanae quae indefectibili magisterio praedita exorientes errores statim explodit, et clarius illustrata fidei christianae dogmata suos filios docet (1).

5. Ad methodum theologiae quod attinet, praenotandum est theologos ortodoxos eam saepe unum atque idem facere cum fine quem sibi proponunt in theologicis disciplinis tradendis. Quaenam autem melior methodus adhibenda sit in veritatibus fidei inquirendi, non convenit inter eos. Quidam ex theologis russis graphice depingunt miserrimam fidelium sua in patria conditionem qui nomine tantum merent ut censeantur orthodoxi, cum prorsus ignorent dogmata fundamentalia religionis christianae (2). Theologia igitur eam usurpare tenetur methodum, qua facilius possit tutari vitam religiosam fidelium, sarta tectaque servare dogmata fidei, convertere in propriam sibi doctrinam quidquid boni per historicam veritatum christianarum elaborationem obtentum est, ac lolium illud extirpare quod scientias implicat vel maxime laudandas pro collatis in genus humanum beneficiis. Quapropter nostra hac aetate theologia munus gerere debet attenter perpendendi quidquid per excultam novarum generationum mentem ac praeclare facta invectum est, eique adlaborandum, ut meliores statuantur formae vitae religiosae, luculentius veritates a Iesu Christo patefactae clarescant, ac planior aperiatur via ad eas assequendas (3).

Ad tria Sergius Kuliukin revocat munera theologiae ortodoxae. Eius est: 1) Religionem generice sumptam tueri, tanquam factum

(1) Cl. A. Lebedev tuetur contra Tolstoi Ecclesiam infallibilem esse in damnandis sententiis fidei christianae contrariis. At, num potest dici huius infallibilitatis legitimum haeredem atque depositarium esse petropolitanam synodum quae tot vitiatur canonum violationibus?... Et si vox episcoporum Synodi, infallibilitatis expers, tantum sententias particulares expromit, cur hisce potius quam tolstoianis effatis credendum?... Ut liquet, theologorum orthodoxorum sententia de Constitutione Ecclesiae, magisterii ecclesiastici omne robur infringit. Cf. Lebedev, Взглядъ Графа Л. Н. Шолстого на историческую жизнь церкви Божіей (*Theoriae comitis L. Tolstoi circa vitam historicam Ecclesiae Dei*), Serghievo, 1904, pp. 40-44.

(2) Нашъ народъ вовсе не православенъ и не можетъ быть православенъ, потому что онъ не знаетъ основныхъ догматовъ религіи, не знаетъ ея существа. S. Glagolev, Задачи русской богословской школы, Бог. Вѣстникъ, 1905, t. III, p. 415.

(3) Ib., p. 428.

naturale, ad vitam spiritualem generis humani pertinens; 2) religionem christianam exhibere, tanquam religionem historice existentem; 3) illustrare et confirmare acceptam ab avis formam vitae christianae orientalis (1), scilicet demonstrare fidem ortodoxam principium esse unitivum slavicarum gentium (2). Hoc ultimum comma falsissimum evincit historia. Plures enim dantur slavicae tribus quae catholicam profitentur religionem, quin hoc eis prohibeat quominus slavice sese gerant, ac slavicas perament traditiones tum litterarias, tum nationales.

Non desunt autem inter theologos ortodoxos qui veterem Macarii methodum obsoletam censeant, nostraeque minus aptam aetati. Ad sententiam Macarii theologia dogmatica in hunc finem tendere debet, ut dogmata fidei christianae logice, plene, clare et firmissime exponat (3). Ad consecutionem huius finis requiritur: 1) Ut rite definiantur dogmata, terminis repetitis ex confessionibus fidei, scilicet, ut demonstretur quaenam sit fides Ecclesiae orthodoxae circa dogmata; 2) Ut statuatur doctrinam dogmaticam Ecclesiae contineri in Sacris Scripturis ac Traditione, scilicet opus est ut, selectis locis Sacrae Scripturae atque operum Patrum, constet dogma ab Ecclesia propositum derivare ex doctrina revelata; 3) Ut rationis humanae non despiciantur argumenta atque investigationes quibus dogmata clariori perfunduntur luce ac firmius teguntur; 4) Ut vocetur in auxilium theologorum historia dogmatum. Macarius docet Ecclesiam orthodoxam eadem omnino tradere dogmata quae professa est antiquioris aetatis Ecclesia: attamen formulae quibus dogmata expromuntur, saeculorum decursu mutationibus obnoxiae fuere. Exinde orta est dogmatum historia, qua proculdubio in theologia comparatur plenior intelligentia doctrinae dogmaticae. Cavendum tamen est ne in theologiae compendiis uberius quam par est explanetur; 5) Ut aperiantur denique relationes quae inter vitam nostram ac dogmata christiana intercedunt. Cum enim arctissimo teneantur vinculo veritates speculativae ac veritates practicae religionis christianae, optandum est ut investigationibus quae dogmata illustrant consectaria ex eis deducta ad vitam moralem quae pertinent, adiiciantur (4).

Liquet ex dictis Macarium non secus ac theologi catholici proponere ut munus praecipuum theologiae dogmaticae sit dogmata, quae ab Eccclesia traduntur, demonstrare in divina revelatione contenta esse,

(1) Современныя задачи русской богословской школы (*Hodierna problemata scholae theologicae russicae*), Странникъ, 1902, t. II, p. 73.

(2) Ib., p. 81.

(3) T. I, p. 26.

(4) Ib., pp. 29-36.

eaque contra adversariorum cavillationes tueri, atque humanis ratiociniis, quantum fieri potest, illustrare. Dogmatum historia praesertim hisce temporibus maximi facienda est a theologis: at nefas est eam in theologicis disciplinis ita primas tenere ut vix ac ne vix relinquatur locus dogmatis speculative inquirendis ac defendendis.

Haec tamen macariana methodus, quam veteres theologi orthodoxi mordicus tuebantur, recentioribus lacunosa videtur. Christos Andrutsos dolet compendia theologiae orthodoxae ex russica lingua in graecam versa exhibere tantum locos traditionis christianae sine methodo critica congestos, cathechismi potius explanationem quam theologicum systema (1). Vvedensky nigro notat lapillo macarianam scholam quae multos aggregat textus quin conveniens afferat emolumentum scientificae dogmatum investigationi. Praeoptandam igitur statuit methodum geneticam, « quae dat principium seligendi inter coacervatos ex divina revelatione locos eos qui potiores sunt, quique novis elementis ditant intellectum nostrum, extolluntque ad maiorem potentialitatis gradum » (2). Et ratio cur haec methodus inter ceteras excellit, ait Vvedensky, haec est quod per eam dogmata « in litterario et proprio sensu exhibentur ut veritates viventes, quae respondent quaesitis viventibus naturalis intelligentiae » (3).

Quapropter dogmatica ne repugnet temporum quibus vitam agimus, problematis atque aspirationibus, continenter tenetur *dogma iterum elaborare*, formularum ex traditione acceptarum nigrum convertens carbonem in pellucidas atque insita vi micantes lapides veritatum fidei (4).

Hanc methodum geneticam in suam dogmaticam Theologiam episcopus Sylvester conatus est inducere. Statuit enim opus esse ut semper theologus orthodoxus vocem audiat conscientiae Ecclesiae universalis quam conflavit processus historicus dogmatici progressus, quaeque

(1) *Ἡ ἁπλὴ ἔκθεσις τῶν δογμάτων ἐπὶ τῇ βάσει χωρίων τινῶν τῆς Γραφῆς καὶ τῆς παραδόσεως, ἀκρίτως πολλάκις παρατιθεμένων, ἄνευ ἐπεξεργασίας καὶ διασαφήσεως τῶν ἐννοιῶν, ἐξ ὧν ἀποτελεῖται τὸ δόγμα, ἄνευ καταδείξεως τοῦ ὀργανικοῦ τῶν δογματικῶν προτάσεων συνδέσμου, ὡς εἶναι αἱ ῥωσσικαὶ Δογματικαὶ, αἱ εἰς τὴν ἑλληνικὴν ἢ τὴν γαλλικὴν μετενεηγμέναι, ἀποτελεῖ μὲν μικρὰν ἢ διεξοδικὴν Κατήχησιν ἀναλόγων τῆς πληθύος τῶν παρατιθεμένων μαρτυριῶν, ὄχι ὅμως ποτὲ καὶ δογματικήν.* — Op. cit., p. 22.

(2) Op. cit., p. 11.

(3) При этомъ методѣ, и только при этомъ догматы въ буквальномъ и собственномъ смысли оказывались бы истинами живымъ запросамъ естественной мысли. — Ib., pp. 11-12.

(4) Догматика, идущая навстрѣчу современнымъ запросамъ, должна по этому постоянно какъ бы заново создавать догматы, претворяя темный уголь традиціонныхъ формулъ въ прозрачные и самосвѣтящіеся камни истинъ вѣры. — Ib., p. 8.

tantum ad lucem huius progressus clare ac distincte concipi potest. Munus igitur theologi hoc est ut detegat quid Ecclesia de hoc vel illo dogmate senserit, habita ratione processus historici quem sequitur quodlibet dogma in historia theologiae christianae; ut innuat atque eruat illud quod tanquam principium inservit progressui dogmatico quodque hunc progressum per definitas formulas dogmaticas absolvit (1). Cum autem processus historicus dogmatum nequeat rite cognosci nisi prius eius vestigia in monumentis antiquitatis christianae deprehendantur, theologus progressum dogmatum prosequi tenetur apud symbola fidei, conciliorum decreta Patrumque scripta. Sed processus historicus dogmatum radicem habet inconcussam, ex qua vitales haurit succos, divinam nimirum revelationem. Pertinet igitur ad munus theologi disquirere quomodo in divina revelatione veluti in germine dogmata contineantur, ac determinare eorum intimam naturam atque essentiam quae processu temporis varias formas exteriores induit, eadem semper manens. Vacandum igitur studio Sacrarum Scripturarum, praesertim Novi Testamenti (2).

Usus argumentorum quae divina praebet revelatio, non eximit tamen theologos ab officio utendi etiam humanarum scientiarum argumentis ad profectum theologiae. Denique cum omnes veritates fidei arcto vinculo connectantur, ac membra quodammodo sint unius corporis compaginis, deducitur systematica methodo theologiam tractandam. De singulis veritatibus seorsim agendum non est, sed in earum nexu com aliis veritatibus, quibus, sanguine cognatae, ut ita dicam, exhibentur (3).

Zikos Rhosis methodum philosophicam, quae simul analytica sit ac synthetica, praefert in theologia dogmatica (4). Ad sententiam Christi Andrutsi, methodus dogmaticae conformari debet fini quem ipsa sibi proponit. Finis dogmaticae est scientifica dogmatum inquisitio. Consequenter methodus dogmaticae talis esse debet ut ea theologus adiuvetur in suo fine attingendo. Haec igitur praestare debet: 1) systematicam veritatum divinarum expositionem; 2) earum explanationem; 3) earum historicam confirmationem; 4) earum defensionem (5).

6. Hanc sententiarum varietatem in statuenda methodo theologiae dogmaticae derivari arbitror ex eo quod apud orthodoxos parum usque nunc theologia fuit exculta, quique ei operam dederunt ab alienis plu-

(1) T. I, p. 46.
(2) T. I, p. 49.
(3) T. I, pp. 40-50.
(4) Op. cit., p. 118.
(5) Op. cit., pp. 21-25.

rima mutuati sunt. Prof. A. Lebedev candide fatetur protestantium placita reperturum quicumque vel leviter russicam theologiam eradet (1). Systemate, quod veritates cunctas fidei christianae apte disponat, ordinet, atque illustret ad lucem magisterii viventis atque indefectibilis prorsus carent Ecclesiae orthodoxae, ideoque haerent in methodo deligenda quam theologiae studiosi sequantur opus est.

6. Si comparatio instituatur inter theologiam catholicam ac theologiam orthodoxam ad methodum theologicam quod attinet, haec nobis occurrent notanda: α') *Methodum historico-criticam in theologia dogmatica tractanda prorsus respuendam non asserimus.* Tot enim dantur nostra aetate doctae investigationes ad progressum doctrinalem fidei christianae spectantes, quibus plenior evadit cognitio historica formularum dogmaticarum, ut eam penitus abiicere in dogmatis theologice inquirendis temere actum censemus. Non secus ac quaelibet scientia, adjunctis temporum theologia accommodatur, recentiores errores redarguit, ac mutatis civilis cultus conditionibus, quantum patitur nunquam amittenda stabilitas suae doctrinae, satisfacit. In periodo, quam patristicam vocant, Patres, maximi theologorum semper habendi, quippe qui profundae Sacrarum Scripturarum scientiae pietatem in Deum fervidissimam iungebant, biblica methodo usi sunt, ac traditioni proximiores apostolicae, christianam doctrinam auctoritatis testimonio fulciebant. Media vero aetate, cum studium invaluerit philosophiae aristotelicae, veritates fidei per summos theologiae scholasticae doctores in systematicum ordinem redactae sunt, ac methodo philosophica elaboratae. Nostris vero temporibus praeponderat in scientiis methodus historico-critica, quae documenta antiquitatis sedulo inquirit, eorumque authenticitatem vel demonstrat vel rejicit, valoremque ac momentum investigat. Si quaedam ex hac methodo commoda in theologicarum disciplinarum progressum dimanant, eaque sane dimanare nemo negabit, sine dubio inconsulto ageret theologus qui ea dedignaretur. Ut scientia, theologia novis culturae emolumentis in suum incrementum uti debet. Compertum est autem maxime dogmatum historiam conferre ad pleniorem fidei veritatum intelligentiam comparandam, quae per eam in variis periodis progressus dogmatici, quem relativum diximus, nobis exhibentur. « Haec enim — ut ait Schäzler — non solum recenset actus supremi magisterii, paulatim perficientes explicationem doctrinae revelatae, aut traditae, sed etiam diligenter narrat rerum

(1) Вообще о богословской русской науки, можно сказать: поскребите нашу богословскую науку и вы найдете протестантскую. — Взглядъ графа Шолстого, p. 49.

adiuncta quae singulis actibus illis occasionem dederunt, et errores iis profligandos, ac studia theologorum, tum quae praecesserunt singulas definitiones, iisque suscipiendis animos disposuerunt, tum quae eas subsecuta sunt, ut res deinceps accuratius exponeretur, et retunderentur obloquentes » (1). Non secus igitur atque historia ecclesiastica, quae locum tenet inter scientias theologiae *subsidiarias*, nostra aetate dogmatum historia ius sibi vindicat disciplinis theologicis haud parvum adiumentum afferendi.

β') *Nefas tamen esset, abdicata theologia dogmatica, theologum omnem impendere operam in formulis dogmaticis historice rimandis, praejudicata ductus persuasione fore ut ad hunc modum efficacius nuperi profligantur errores.* Hoc enim semper ante oculos habendum, tum theologiam dogmaticam, tum dogmatum historiam de objectis prorsus diversis agere, ideoque vehementer errare, qui una seposita, alteram unice pertractandam duceret. Proprium enim dogmaticae theologiae munus est veritates quae jam per definitiones dogmaticas claris terminis proponuntur, quae ultimum progressus dogmatici relativi momentum attigerunt, meditari, explicare, enucleare, defendere. Dogmatum ex adverso historia veritates fidei inquirit in earum elaboratione dogmatica, antequam per dogmaticam definitionem absolutam firmitudinem theologicam usurparent, exordium scilicet ac processum progressus dogmatici relativi enarrat, quo absoluto, a suo munere requiescit. Ex quo patet theologiam dogmaticam majorem quam dogmatum historia dignitatem nancisci, quippe quae non modo veritates fidei exponit, sed etiam eas explanat ac tuetur. Dogmatum historia conatus refert Ecclesiae ad haeresum tenebras circa dogmata depellendas, fideique veritates delitescentes suis ex umbris eruendas; theologia vero dogmatica victoriam Ecclesiae, inquam, decantat, quae multis exantlatis laboribus, per suas definitiones dogmata adeo inconcussa statuit, ut prorsus inutile ac nefas sit novas controversias exagitare ad demonstrandum ea doctrinam Dei revelatam praeseferre.

Ut rem paucis absolvam, dogmatum historia exordium ac processum historicum progressus dogmatici relativi tractat; theologia vero dogmatica a definito dogmate exorditur, postquam desiit processus historicus progressus quem memoravimus, ulteriusque progreditur in munere obeundo quod sibi proprium vindicat (2).

(1) Op. cit., p. 387.

(2) Die Dogmengeschichte ist gewiss eine unerlässliche Hilfswissenschaft der Dogmatik. Dabei bleibt jedoch der Unterschied zwischen Dogmatik und Dogmengeschichte aufrecht. Die Dogmatik hat die Dogmen in der Formulirung, wie sie heute sind, zu nehmen, zu erklären, zu begründen, und zu vertheidigen, hat

γ') Ex variis methodis quae nobis proponuntur, ea proculdubio praeferenda quae systematice cunctas exponit veritates fidei christianae earumque intimum nexum aperit. « Ordo enim scientificus, rite animadvertit Egger, qui ex nexu intrinseco veritatum desumitur, ceteris paribus longe praestat ordini, qui ex rationibus extrinsecis petitur. Cum enim veritates in suo nexu intrinseco perspiciuntur, mutuo sibi lucem affundunt, ita ut melius intelligantur et facilius addiscantur. Atqui hunc ordinem intrinsecum sequitur methodus systematica, dum et contra methodus biblica ad seriem Scripturae, methodus historica ad successionem factorum respicit. Quodsi igitur generatim in scientiis speculativis methodus systematica omnium optima est, eadem quoque in Theologia eligenda erit; sub iusta utique cautela, ne scilicet nexus ac ordo veluti a priori aut ex principiis philosophicis, sed ex principiis revelationis desumatur » (1). Theologiae, ut scientiae, apprime convenit in suarum partium structura id exhibere quod maxime confert ad eam firmandam atque exornandam, scilicet lucidus ordo. Rerum enim tractandarum ordo praecipue requiritur in scientiis sive ad commoditatem discentium, sive ad planiorem veritatum intelligentiam, sive ad earum profundiorem investigationem. Ex rerum tradendarum ordine fluit in scientias unitas illa qua fit ut partes omnes ad totum referantur, ac vinculo logico se teneant connexae. Inde liquet etiam methodo analyticae syntheticam methodum preferendam quae magis consona est tum perspicuitati, tum brevitati, tum firmitati tractationum.

Plura non adiungimus quae a proposito nobis fine viderentur aliena. Hoc unum contendimus, theologiam orthodoxam adhuc haerere in methodo seligenda quae aptior videatur, quam quidem difficultatem jamdudum removisset, si scholasticam methodum tanto odio prosecuta non esset abhinc quatuor saeculis, quin adhuc nostra aetate ab ea calumnianda deterreatur (2).

---

den Zusammenhang der einzelnen Dogmen unter sich klar zu legen. Die Dogmengeschichte zeigt, wie die Dogmen allmählig diese Formulierung bekommen haben, wie der kirchliche Lehrbegriff nach und nach sich zur heutigen Form ausgebildet hat. — Katschthaler, *Begriff, Nutzen und Methode der Dogmengeschichte, Zeitschrift für katholische Theologie,* 1882, VI, p. 514; Schäzler, *Die Bedeutung der Dogmengeschichte,* p. 165.

(1) Egger, *Enchiridion theologiae dogmaticae,* pp. 616-617.

(2) Cum Macarius doceat methodum systematicam adhibendam pro alumnis ecclesiasticorum seminariorum, methodum vero biblico-historicam pro ceteris qui ex instituto theologiam non addiscunt, Alexander Kudriavtzev opinatur methodum

7. De scholis theologicis in Ecclesiis orthodoxis breviter agam, eo praesertim consilio ut fontes innuam historicos ex quibus hauriendum ad fusiorem huius thematis tractationem.

Ad graecam Ecclesiam quod attinet, compertum est post lugendam byzantinae urbis excidionem a Turcis perpetratam, studia theologica fere ad nostra usque tempora prostrata jacuisse. Quatuor enim saeculorum spatio defuere scholae quae juvenes in spem sanctuarii succrescentes theologicis disciplinis vel leviter imbuerent. In urbe Constantinopoli, Patriarcha Gregorius IV (*α'* 1835-1840) *Commissionem ecclesiasticam centralem* (*κεντρικὴ ἐκκλησιαστικὴ ἐπιτροπή*) instituit, cui cura commissa est studia theologica instaurandi (1). Anno 1839 in ea urbis regione quae Phanar audit seminarium theologicum institutum est, quod tamen sequenti anno 1840, inopiae causa, suo munere destitit. Episcopus Porphyrius Uspensky († 1885) qui anno 1843 Constantinopolim invisit, crassam moerebat cleri graeci ignorantiam qui theologicis scholis in toto Oriente prorsus carebat (2).

Germanus IV (*α'* 1842-1845) in insula Khalki (*Χάλκη*) primum seminarium theologicum constituit (*θεολογικὴ σχολὴ τῆς μεγάλης τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας*) eique sedem posuit monasterium Sanctissimae Trinitatis, quod fere jam collapsum vetus traditio, dubia tamen, Photium conditorem fert habuisse (3). Monasterium hoc per *sigillum* patriarchale *σταυροπηγιακόν* effectum est, scilicet sub immediata Patriarchae iurisdictione constitit (4). Die 27 maii 1845 Meletius III primas edidit huius scholae constitutiones (*κανονισμὸς ὀργανικός*) quibus alumnorum vita tum moralis tum intellectualis usque ad annum 1853 recta fuit (5). Huiuscemodi constitutiones pluries renovatae,

---

biblicam praferendam eis qui disciplinas theologicas tradunt in universitatibus. Rationes tamen quas adducit parum firmae videntur. — Вступительная лекція по православному богословію (*Prolusio ad theologiam orthodoxam*), Odessae, 1874, pp. 19-22.

(1) M. Gedeon, *Πατριαρχικοὶ πίνακες*, Constantinopoli, 1890, p. 693.

(2) Книга бытія моего (*Liber vitae meae*), t. I, Petropoli, 1894, p. 178.

(3) Skarlatos Vyzantios, *Ἡ Κωνσταντινούπολις*, t. II, Athenis, 1862, p. 302; I. Sokolov, Состояніе монашества въ византійской церкви съ половины IX до начала XIII вѣка (*Status monachismi in Ecclesia byzantina a dimidio saeculi IX usque ad initium saeculi XIII*), Kasani, 1894, p. 50.

(4) Sokolov, Константинопольская церковь въ XIX вѣкѣ (*Constantinopolitana Ecclesia in saeculo XIX*), Petropoli, 1904, pp. 558-561; Appendix, p. 112.

(5) *Τὸ ἐσχάτως ἐκδοθὲν πατριαρχικὸν καὶ συνοδικὸν σιγιλλιῶδες γράμμα περὶ τῆς ἱερᾶς θεολογικῆς σχολῆς τῆς μεγάλης τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας τῆς ἐν τῇ κατὰ Χάλκην ἱερᾷ μονῇ τῆς Ἁγίας Τριάδος, ὁμοῦ δὲ καὶ ἔκθεσις τοῦ ὀργανικοῦ κανονι-*

emendatae adauctaeque fuere, nempe sub Patriarchis Germano IV (β′ 1852-1853) anno 1853 (1), Cyrillo VII (1855-1860) anno 1857, Gregorio IV (β′ 1867-1871) anno 1867, Ioachim II (β′ 1873-1878) anno 1874, et Ioachim III anno 1903 (2). Haec tamen schola, quam ut sacrarum disciplinarum asylum in Oriente summis laudibus Graeci extollunt, nihil in theologiae progressum contulisse fatendum est. Simillima seminariis catholicis minorum dioecesium, hisce maxime cedit ad sacerdotales virtutes quod attinet, ac potius quam schola theologica meret ut vocetur officina graecorum episcoporum.

Hierosolymis habetur schola theologica monasterii Sanctae Crucis in valle quam Graeci *vallem crucis* dicunt, Arabes vero *Der el-muṣallabî*. Hoc monasterium, ut vetus fert georgiana traditio, exstruxit, paulo ante suam mortem primus rex christianus Georgiae, Mirian (265-342), qui in hac re consilio favit Sanctae Ninae, illuminatricis huius regionis (3). Scholae theologicae in hoc monasterio erigendae primus auctor fuit Athanasius V, patriarcha Hierosolymitanus (1827-1845), qui mense novembri 1843 decisionem synodalem de hac re pro-

---

σμοῦ τῆς αὐτῆς σχολῆς, Constantinopoli, 1845. Prof. I. Sokolov fuse de hisce constitutionibus disseruit: Первый Уставъ Халкинской богословской школы (*Primae constitutiones scholae theologicae in insula Khalki*), Христ. Чтеніе, 1903, t. I, pp. 308-329. Cf. etiam M. Gedeon, *Αἱ ἀρχαιότεραι τῶν καθ' ἡμᾶς θεολογικῶν σχολῶν*, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, t. VIII, pp. 72-74.

(1) *Κανονισμὸς τῆς ἐν Χάλκῃ θεολογικῆς σχολῆς τῆς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας*, Constantinopoli, 1857.

(2) *Κανονισμὸς τῆς ἐν Χάλκῃ ἱερᾶς πατριαρχικῆς θεολογικῆς σχολῆς τῆς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας*, Constantinopoli, 1905. De Constitutionibus atque historia huius scholae egerunt Anthimus, metropolita Amaseensis, *Ἱστορικαὶ σημειώσεις περὶ τῆς κατὰ Χάλκην ἱερᾶς θεολογικῆς σχολῆς*, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, t. XXII (1902), pp. 364-365, ac prof. I. Sokolov, Богословскія и священническія школы на православномъ греческомъ Востокѣ (*Scholae theologicae atque ecclesiasticae in Oriente graeco-orthodoxo*), Христ. Чтеніе, 1906, t. I, pp. 778-792; 889-908; t. II, pp. 99-115; 234-243. Idem scriptor disserit de ceteris scholis graecis quae disciplinas theologicas tradunt. Ib., pp. 244-253; 391-413.

(3) Tzagareli, Памятники грузинской старины въ святой землѣ и на Синаѣ (*Monumenta antiquitatis georgianae in Terra Sancta atque in Sinai*), Petropoli, 1888, pp. 32-33; Gianachwili, Грузинскія обители внѣ Грузіи (*Monasteria georgiana extra Georgiam*), Tiflis, 1899, p. 9. Notamus hance traditionem unice inniti auctoritate metropolitae Timothei Gabachwili qui haec habet: *Primus rex christianus Georgiae, Miriam Khosroides, consiliis Ninae obtemperans, profectus est Constantinopolim Jerusalemque, ubi locum emit ad monasterium crucis aedificandum. -- Iter ad sancta et varia loca Orientis* (georgiano idiomate), Tiflis, 1852, p. 148. Timotheus tamen Gabachwili auctor est tam serioris oevi († 1764) ut valorem historicum eius assertis facile quispiam denegare possit: Cf. Кнакна-

mulgavit (1). Morte tamen correptus anno sequenti rem ad effectum perducere non potuit. Cyrillus II (1845-1872) propositum sui praedecessoris absolvit, ac theologicam scholam in praecitato monasterio aperuit anno 1855, eamque curis commisit docti archimandritae Dionysii Cleopa. In praesentiarum schola haec floret, ab ineunte anno 1904 praeclarum edidit periodicum *Νέα Σιών*, ac, quod laudandum censemus, dogmaticis concertationibus, « des étudiants français ont été parfois gracieusement invités » (2).

Apud liberos Graecos, Athenis, habetur sectio theologica (*facoltà teologica*) universitatis nationalis. Post excussum Turcarum jugum, Graeci instituerunt scholam in monasterio *Fontis vivificae* (*ἡ μονὴ τῆς Ζωοδόχου πηγῆς*) in insula Paros *διὰ τοὺς ἀφιερωθησωμένους εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ὑπηρεσίαν* (3). Inopiae causa condi nequivit Academia Ecclesiastica, cuius programmata et leges scripsit anno 1827 Constantinus Oeconomos (1780-1857), inter graecos theologos saeculi XIX facile princeps (4). Anno 1834 statutum est a Graecis universitatem condere, quae principio designata est nomine regis Othonis

---

NOV, Очерки по исторіи грузинской словесности (*Specimen historiae litteraturae georgianae*), t. III, Mosquae, 1901, pp. 299-305. Historia nationalis Georgiae regis Wakhtang VI, *Vita Georgiae*, nullam injicit mentionem huius traditionis: BROSSET, *Histoire de la Géorgie*, t. I, Petropoli, 1849, p. 130.

(1) CHRYSOSTOMUS PAPADOPULOS, *Ἡ ἱερὰ μονὴ τοῦ Σταυροῦ καὶ ἡ ἐν αὐτῇ θεολογικὴ σχολή*, Hierosolymis, 1905, p. 83. Continet hic liber fusiorem historiam tum monasterii Sanctae Crucis, tum scholae in eo constitutae.

(2) *La Palestine*, par des professeurs de N.-D. de France, Parisiis, 1904, p. 212; CHRYS. PAPADOPULOS, *Αἱ σχολαὶ τοῦ ἱεροῦ κοινοῦ τοῦ Π. Τάφου κατὰ τὸ σχολικὸν ἔτος*, 1903-1904, *Νέα Σιών*, 1904, t. I, pp. 362-375; I. SOKOLOV, Богословская школа Креста въ Іерусалимѣ: историческій очеркъ (*Schola theologica Crucis Hierosolymis: specimen historicum*); Сообщенія *Societatis imperialis orthodoxae palestinensis*, Petropoli, t. XVII (1906), pp. 409-459; BETH, *Die orientalische Christenheit der Mittelmeerländer*, Berolini, 1902, pp. 102-104. Primae constitutiones huius scholae editae fuerae a Cyrillo II, anno 1857, emendatius recusae Hierosolymis anno 1866: *Κανονισμὸς τῆς θεολογικῆς σχολῆς τοῦ Πατριαρχικοῦ θρόνου τῶν Ἱεροσολύμων, Κυρίλλου τοῦ Β΄*. Plures aliae dantur editiones quarum postrema vulgata est nomine Damiani patriarchae anno 1904. Typis etiam prodierunt in lucem 11 relationes annuae circa statum huius scholae (1894-1904), et sub Nicodemo Patriarcha (1883-1890) opusculum cui titulus: *Τὰ κατὰ τὴν πατριαρχικὴν θεολογικὴν σχολὴν τοῦ τιμίου Σταυροῦ, ἤτοι τὰ τὴν ἀνασύστασιν αὐτῆς θεσπίζοντα*, Hierosolymis, 1884.

(3) OECONOMOS, *Τὰ σωζώμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα*, t. II, Athenis, 1864, p. 68.

(4) *Σχέδιον ἐκκλησιαστικῆς Ἀκαδημίας διὰ τοὺς Ἕλληνας*. Ib., t. I, 1862, pp. 134-224.

(*τὸ πανεπιστήμιον τοῦ Ὄθωνος*) (1) quaeque solemniter inaugurata fuit anno 1837.

In theologica facultate studiis praefecti fuere Misaël Apostolides, archimandrita, ac duo laici, Kontogonis et Pharmakides: hic tamen anno 1839, cum in suspicionem venisset haeresi Theophili Kairis († 1853) se suffragatum esse (2), magisterio depulsus est (3). Hanc atheniensis universitatis scholam plures dedisse theologos eruditionis sane non expertes libenter concedimus: maxime tamen dolendum quosdam ex eis, etiam nunc temporis, praesertim fallacem historicum Diomeden Kyriakos, protestantium placitis addictos sese jactasse (4).

Athenis exstat etiam *Schola Ecclesiastica Rizaria* (*Ἐκκλησιαστικὴ Ῥιζαρείου σχολή*) quae erecta est munificentia fratrum Matthaei ac Georgii ex genere Rizariorum, Epirotarum (1843). Licet magnis fruatur proventibus, haec schola nihil contulit ad progressum theologicarum disciplinarum in Graecia (5).

Ad Russiam quod spectat, theologicis disciplinis sedulo navatur opera in quatuor Academiis Ecclesiasticis, quarum constitutiones, formas, regimen, ac variam fortunam alibi fuse narravimus (6). Ne igitur eadem repetere videamur, pauca tantum adnotanda censemus.

(1) Kyriakides, *Ἱστορία τοῦ συγχρόνου ἑλληνισμοῦ*, t. I, Athenis, 1892, pp. 330-331; Kurganov, Устройство управленія въ церкви королевства греческаго (*Institutio regiminis administrativi in Ecclesia regni Graeciae*), Kasan, 1871, pp. 423-426.

(2) Kyriakos, *Geschichte der orientalischen Kirchen*, Lipsiae, 1902, pp. 191-194.

(3) Церк. Вѣстникъ, 1906, n. 40, col. 1290.

(4) De seipso hic fucatae scientiae venditor scribit se liberum examen adamare in theologicis investigationibus, liberales Germaniae theologos plurimi aestimare, et propter liberum examen gratum habere protestantismum: « Meine katholische Richtung war immer freisinnig (!), aber meine Freisinnigkeit war immer eine gemässigte. Desshalb war ich immer ein Bewunderer der liberalen Deutschen Theologen, namentlich Holtzmanns, Reuss', Hausraths, Keims, Gieselers, Schweitzers, Pfleiderers, und besonders Hases ... Ich hege Sympathien zu dem Protestantismus wegen seines freien Geistes und seiner theologischen Wissenschaft ». — Rausch, *Kirche und Kirchen im Lichte griechischer Forschung*, Lipsiae, 1903, pp. 8-9. De historia *facultatis* theologicae in Atheniensi universitate nuperrime egerunt, Lukaras, *Ἡ θεολογία καὶ αἱ παρ' ἡμῖν θεολογικαὶ σχολαί, Νέα Ἡμέρα*, Tergesti, 1906, nn. 1624-1625; I. Sokolov, Богословскій факультетъ въ Аѳинскомъ университетѣ (*Theologica facultas in universitate Atheniensi*), Церк. Вѣстникъ, 1903, nn. 39-43, coll. 1259-62; 1289-92; 1322-26; 1354-59; 1395-97.

(5) K. Z., Описаніе богословскихъ училищъ на Востокѣ (*Descriptio scholarum theologicarum in Oriente*), Душеполезное Чтеніе, 1868, t. III, pp. 1-17; 66-71; Chassiotis, *L'instruction publique chez les Grecs*, Parisiis, 1881, pp. 277-283; Sokolov, in Ист. христіанской церкви, ed. Lopukhin, t. II, 1901, pp. 316-318.

(6) *La Chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo dottrinale*, Florentiae, 1908, pp. 574-669.

Ratione sive antiquitatis, sive famae litterariae, primum locum tenet in Russia Academia ecclesiastica kiovensis quae humile habuit exordium anno 1615, et praesertim a metropolita Petro Moghila sapienter ordinata est. Diu in studio disciplinarum theologicarum passa est influxum theologorum occidentalium, qua de causa kiovenses theologi in suspicionem vitiatae orthodoxiae apud patriarchas Mosquenses saepe venere (1).

Nostra aetate perantiquam servat famam, monasterium sodalitatis Epiphaniae vel Apparitionis Domini Nostri sedem habet (2), atque ab 1860 praeclarum edit periodicum *Studia Academiae Ecclesiasticae Kioviensis* (Труды К. Д. А.) (3).

(1) Tarasius (hieromonachus), Великороссійское и малороссійское богословіе XVI и XVII вѣковъ (*Theologiae magnae ac parvae Russiae saeculis XVI ac XVII*), Petropoli, 1903.

(2) Historiam huius monasterii conscripsit N. Mukhin, Кіево-братскій монастырь: историческій очеркъ, Kioviae, 1893.

(3) De fatis Academiae kioviensis tractarunt: Macarius (Bulgakov), Исторія кіевской духовной Академіи (*Historia Academiae ecclesiasticae kioviensis*, Petropoli, 1843 (*obsoletum opus, sine methodo critico conscriptum*); Askocensky, Кіевъ съ древнѣйшимъ его училищемъ-академіею (*Kiovia, et vetus eius schola-academia*), Kioviae, 1856 (2 volumina); Id., Исторія кіевской духовной Академіи по преобразованіи ея въ 1819 году (*Historia Academiae Ecclesiasticae kioviensis post eius reformationem anno 1819 absolutam*), Kioviae, 1863; I. Malychevsky, Историческая записка о состояніи кіевской духовной Академіи въ минувшее 50-лѣтіе (*Notitia historica de statu academiae ecclesiasticae Kioviensis in postrema quinquaginta annorum periodo*), Kioviae, 1869; S. Ternovsky, Изъ исторіи Кіевской Академіи въ первой четверти настоящаго столѣтія (*Excerpta ex historia Academiae kioviensis: 1800-1825*), Kioviae, 1883; Golubev, Кіевскій митрополитъ Петръ Могила и его сподвижники (*Petrus Moghila, metropolita kioviensis, eiusque praeclari sodales*), t. I, Kioviae, 1883, pp. 413-452; Id., Древнія и новыя сказанія о началѣ Кіевской Академіи (*Antiquae et recentes narrationes circa exordium Academiae Kioviensis*), Kioviae, 1885; Id., Исторія кіевской духовной Академіи: періодъ до-Могилянскій (*Historia academiae Kioviensis: periodus anterior reformatione moghiliana*), Kioviae, 1886; Id., Кіевская Академія въ концѣ XVII и началѣ XVIII столѣтія (*Academia kioviensis circa finem saeculi XVII et principium saeculi XVIII*), Kioviae, 1901; P. L., По вопросу о началѣ Кіевской духовной Академіи (*De initio Academiae kioviensis*), Kioviae, 1885; L. M., Къ матеріаламъ для исторіи кіевской духовной Академіи (*Documenta ad historiam Academiae kioviensis pertinentium*), Труды К. Д. А. 1888, n. 11, pp. 118-131; 1893, n. 1, pp. 77-92; Serebrennikov, Кіевская Академія съ половины XVIII вѣка до преобразованія ея въ 1819 году (*Academia kioviensis ex dimidio saeculi XVIII usque ad reformationem anni 1819*), Kioviae, 1897; Titov, Очерки изъ исторіи кіевской Академіи (*Specimina ex historia Academiae kioviensis*), Kioviae, 1897; N. Petrov, Кіевская Академія во второй половинѣ XVII вѣка (*Academia kioviensis in altero dimidio saeculi XVII*),

Academia ecclesiastica mosquensis successit academiae slavico-graeco-latinae, quae ortum habuit anno 1686 in monasterio mosquensi Epiphaniae, primosque habuit conditores germanos fratres Ioannicium ac Sophronium Likhudes, ex Graecia, a Ioachimo, patriarcha Mosquensi (1684-1690) accitos (1). Anno 1814 emigravit in vetus monasterium Sanctissimae Trinitatis, quod anno 1337 condidere Sergius ac Stephanus (S.) Radonejsky (2).

Ab anno 1843 usque ad annum 1892 in lucem edidit Прибавленія къ изданію твореній Святыхъ отцевъ въ русскомъ переводѣ (*Additiones editioni operum Sanctorum Patrum in russica versione*); anno vero 1892 edere coepit *Nuntium Theologicum* (Богословскій Вѣстникъ) qui commentarius periodicus breviter fama doctrinae percelebris in Russia evasit, maximique est momenti pro studio theologiae russicae orthodoxae (3).

Kioviae, 1895; Id., Значеніе кіевской Академіи въ развитіо духовныхъ школъ въ Россіи (*Momentum Academiae Kioviensis relate ad progressum scholarum ecclesiasticarum in Russia*), Kioviae, 1904; Vichnevsky, Кіевская Академія въ первой половинѣ XVIII столѣтія (*Academia kioviensis primo dimidio saeculi XVIII*), Kioviae, 1903; N. Petrov, Акты и документы, относящіеся къ исторіи Кіевской Академіи (*Acta et documenta ad historiam Academiae kioviensis spectantia*), t. I-IV, Kioviae, 1904, 1906, 1907; S. Golubev, Объяснительные параграфы по исторіи западно-русской церкви (*Παράγραφοι declarativae circa historiam Ecclesiae Russiae occidentalis*), Труды К. Д. А., 1906, t. III, pp. 495-544; Тн. Titov, Разъяснительные параграфы по исторіи западно-русской церкви (*Παράγραφοι dilucidantes historiam Ecclesiae Russiae occidentalis*), Ib., 1907, t. II, pp. 275-311.

(1) Horum theologorum vitam prolixiorem scripsit M. Smentzovsky, Братья Лихуды, Petropoli 1899.

(2) Golubinsky, Сергій Радонежскій и созданная имъ Троицкая лавра (*Sergius Radonejsky, atque aedificata ab eo λαύρα Sanctissimae Trinitatis*), Serghievo, 1892.

(3) Historiam Academiae ecclesiasticae mosquensis scripsere protoierevs Alexander Gorsky († 1875), О Духовныхъ училищахъ въ Москвѣ въ XVII столѣтіи (*Scholae ecclesiasticae mosquenses saeculi XVII*), Прибавленія etc., 1845, t. III, pp. 148-197; et praesertim protoierevs Sergius Smirnov († 1889), cuius opera magni praetii faciunt russici scriptores: Исторія московской славяно-греко-латинской Академіи (*Historia academiae slavico-graeco-latinae*), Mosquae, 1854; Историческая записка о Московской духовной Академіи по случаю празднованія ея 50-ти лѣтія (*Notitia historica de academia ecclesiastica mosquensi, recurrente quinquagesimo anno eius migrationis in λαύραν S. Sergii*), Mosquae, 1864; Исторія Троицкой лаврской семинаріи (*Historia seminarii λαύρας Ssmae Trinitatis in pago Serghievo*), Mosquae, 1867; Исторія московской духовной Академіи до ея преобразованія (*Historia academiae ecclesiasticae mosquensis usque ad eius reformationem*), Mosquae, 1870.

Academia ecclesiastica petropolitana instituta est anno 1797 in monasterio S. Alexandri Nevsky, condito a Petro Magno anno 1712. Ab anno 1821 edit praeclarum periodicum Христіанское Чтеніе (*Lectio christiana*), cui anno 1875 adiecit *Nuntium Ecclesiasticum* (Церковный Вѣстникъ). Prior commentarius continet praeclariora quae in provincia disciplinarum theologicarum russici scriptores, vertente saeculo XIX, exararunt (1).

Academia denique Kasanensis eodem anno instituta est ac petropolitana, vixitque primum usque ad annum 1818, quo tempore abolita fuit. Denuo instaurata anno 1842, claram famam sibi comparavit studia coranica excolendo, in lucemque edit ab anno 1855 Православный Собесѣдникъ (*Orthodoxus Collocutor*) (2).

Romenia habet tantum *facultatem* theologicam Bucharestiensem. Anno 1860 Jassii in Moldavia iam instituta fuerat *facultas* theologica, quae tamen magistrorum alumnorumque penuria, tribus annis vix expletis, abolita est. Anno 1881, efflagitante metropolita primate Callinico Miclescu (1875-1886) inaugurata est *facultas* theologica universitatis Bucharestiensis, eique pro studiis theologicis praefecti sunt viri protestantium placitis faventes. Instaurata anno 1884, regio decreta confirmata anno 1890, in praesentiarum paulo magis floret, octo scientiarum ecclesiasticarum magistris exornata. Ad progressum tamen verae scientiae theologicae nihil fere usque nunc contulisse

(1) Historiam academiae petropolitanae posteris reliquit Hilarion Cistovich († 1893): Исторія С.-Петербургской духовной Академіи (*Historia academiae ecclesiasticae petropolitanae*), Petropoli, 1857; Id., Пятидесятилѣтіе С.-Петербургской духовной Академіи (*Quinquagesimus annus fundationis academiae ecclesiasticae petropolitanae*), Petropoli, 1859: Св.-Петербургская Академія за послѣднія 30 лѣтъ (*Academia ecclesiastica petropolitana triginta postremis annis 1858-1888*), Petropoli, 1889.

(2) Blagoviechtchensky, Исторія старой казанской духовной Академіи (*Historia antiquae academiae ecclesiasticae kasanensis*), Kasan, 1876; Mojarovsky, Старая казанская Академія (*Antiqua academia kasanensis*), Mosquae, 1877; Znamensky, Исторія казанской духовной Академіи за первый періодъ ея существованія (*Historia academiae ecclesiasticae kasanensis: periodus prima eius existentiae*), Kasan, 1891-1892 (tria volumina); S. Ternovsky, Историческая записка о состояніи казанской духовной Академіи послѣ ея преобразованія (*Historica notitia de statu academiae ecclesiasticae kasanensis post eius reformationem: 1870-1892*), Kasan, 1892; Berdnikov, Краткій очеркъ учебной и ученой дѣятельности Казанской духовной Академіи за 50-лѣтъ ея существованія (*Parvum specimen vitae litterariae atque aeducativae academiae Kasanensis quinquaginta annis eius existentiae*), Kasan, 1893; Voznesensky et Kharlampovitch, Казанская духовная Академія, in *Encyclopaedia theologica orthodoxa*, t. VII, Petropoli, 1906, coll. 791-820; t. VIII, 1907, coll. 702-853.

affirmandum est, quod cuique patebit qui legerit commentarium periodicum ab ea in lucem editum ab anno 1874: *Biserica orthodoxă română* (Ecclesia orthodoxa romena) (1).

Nil dicam de scholis theologicis apud ceteros slavos orthodoxos, serbos, bulgaros, bosniacos etc. In confesso enim est apud eos studia theologica adeo decidisse, ut nullus fere theologus huius nomine dignus toto saeculo XIX reperiatur, vel theologicum opus quod sinceras mereat laudas (2) Serbicum regimen tantum 1907 statuit erigere *facultatem* theologicam in belegradiensi universitate, ac bulgarum sequenti anno 1908 idem propositum manifestavit pro universitate sophiensi (3). Mendacii non arguemur, asserentes ex russica theologia dimanare parvos illos rivulos qui in ceteras Ecclesias orthodoxas effluunt. Rariores commentarii qui heic habentur fere omnes suas tractationes ex russicis periodicis depromunt, ne graecis quidem ipsis exceptis. Munimen igitur *orthodoxiae* sive oeconomicum, sive politicum, sive theologicum Russiam

(1) Kolokoltzev, Устройство управленія румынской православной церкви со времени ея автокефальности (*Forma administrationis ecclesiae orthodoxae romenae ab initio acceptae αὐτοκεφαλίας*), Kasan, 1897, pp. 165-167; Kurganov, Наброски и очерки новѣйшей исторіи румынской церкви (*Notae ac dissertationes ad recentissimam historiam Romenorum ecclesiae spectantes*), Kasan, 1899, pp. 804-808; Arsenius, archiepiscopus Pskoviensis, Изслѣдованія и монографіи по исторіи молдавской церкви (*Disquisitiones et monographiae ad historiam ecclesiae moldavicae spectantes*), Petropoli, 1904, pp. 153-155; Chiricescu, *Trei instituțiuni bisericești din Romînia, Bis. Orth. română*, 1902 (XXVI), pp. 73-82; *Biserica orthodoxa şi cultele straine din regatul român*, Bucharestii, 1904, pp. cl-clii; Dobrescu, *Studii de istoria biserici române contimporane*, Bucharestii, 1905, pp. 185-186; Gibescu, *Istoricul mitropoliei ungro-vlahiei*, Bucharestii, 1907, p. 106. Revmus R. Netzhammer, archiepiscopus catholicus bucharestiensis, late grassantem influxum theologiae protestantium in clerum orthodoxum romenum adnotavit: *Ueber religiöse Verhältnisse in Rumänien, Katholische Kirchenzeitung*, Salisburgii, 1902, n. 18, p. 145.

(2) Исторія христ. церкви, ed. Lopukhin, t. II, p. 431.

(3) Церковныя Вѣдомости, 1907, n. 11, p. 515; 1908, n. 25, pp. 1198-1199; Celtzov, Церковь королевства сербскаго со времени пріобрѣтенія ею автокефальности (*Ecclesia regiminis serbici a tempore acceptae αὐτοκεφαλίας*), Petropoli, 1899, pp. 288-299; Hermogenes (episcopus Pskoviensis), Очеркъ исторіи славянскихъ церквей (*Specimen historiae ecclesiarum slavicarum*), Petropoli, 1899, pp. 61-62, 77-78; Voskresensky, Изъ церковной жизни православныхъ славянъ (*Excerpta ex vita religiosa slavorum orthodoxorum*), Бог. Вѣстникъ, 1904, t. I, pp. 731-734, et ibid. passim. In praesentia exagitatur apud Russos controversia de instituenda quinta academia ecclesiastica orthodoxa Vilnae, quae in theologiam polemicam adversus latinos acriter incumberet. — Titov, Два мнѣнія Макарія Булгакова по поводу устава духовныхъ Академіи 1869 года (*Duae sententiae Macarii Bulgakov spectantes ad constitutiones Academiarum ecclesiasticarum promulgatas anno 1869*), Труды К. Д. А., 1906, t. I, pp. 312-316.

evadere, qui perlegat recentiorem Ecclesiarum orthodoxarum historiam, confestim addiscet.

8. Abhinc pluribus annis disceptatur in Russia an magis iuvet docere theologiam in aulis universitatum, quam in monasteriis ac seminariis ecclesiasticis. Secundum constitutiones scholasticas anni 1873, russicae universitates tres adhibent magistros ad theologiam, historiam ecclesiasticam ac ius canonicum docendum. Necessitatem theologiae tradendae ex suggestu universitatis mordicus tuitus est protoierevs N. Serghievsky, professor theologiae mosquensis universitatis, qui suam sententiam hisce verbis enucleavit: « Theologia ad complexum studiorum, quae in universitate fiunt, requiritur: scientia enim est quae sibi proponit *ἁρμονίαν* demonstrare inter veritates fidei ac veritates rationis, quin vel hilum cedat veritatum in suo obiecto contentarum (1) ». Ei obstitit Iohannes Smolensky, tunc temporis rector Academiae petropolitanae, qui animadvertit universitates *laicas* hostili animo theologicas *facultates* accepturas: praeterea, hisce constitutis, academiae ecclesiasticae, munitissima orthodoxarum traditionum praesidia, citissime pessum irent (2).

Nuperrime statorem ac vindicem facultatum theologicarum universitatibus adnexarum sese praebuit protoierevs P. Svietlov, ea praesertim ratione ductus, quod si universitates omnium scientiarum seminaria sese iactent, nulla est causa quae moveat ad theologiam ex eis depellendam. Theologia enim veri nominis scientia est, ac dogmata fidei christianae lapides non sunt vacui sensu, vel principia demortua: in eis quidem miramur perantiqua monumenta religionis nostrae, ac discrimen esset maximum hanc divinae speculationis segetem effossam manere. « Suapte natura dogmata conceptus vel ideae non sunt, sed facta. Munus autem scientiae non est facta rejicere, etiamsi haec obvolvantur caligine. Ut suo defungatur officio, scientia tenetur facta examini subjicere, de eorumque veritate et consequentiis disceptare et iudicare. Dogmata, licet incomprehensibilia, methodo tamen scientifica historice evidenter credibilia nobis exhibentur. Iniuria

(1) О лучшемъ устройствѣ каѳедры богословія въ нашихъ университетахъ (*De aptiore methodo instituendae cathedrae theologiae in nostris universitatibus*), Прав. Обозрѣніе, 1865, n. 10, p. 191; Усовершенствованіе преподаванія боголовія въ университетахъ (*De novis institutis ad perficiendum studium theologiae in universitatibus*), Ib., 1865, n. 9, pp. 22-23; По вопросу о преподованіи богословскихъ наукъ въ унниверситетахъ (*Quaestio de tradendis theologicis disciplinis in universitatibus*), Ib., 1865, n. 12, pp. 111-113.

(2) О преподованіи богословія въ нашихъ университетахъ (*De tradenda theologia in nostris universitatibus*), Христ. Чтеніе, 1866, t. I, pp. 174-176.

osores fidei christianae ea calumniantur tanquam propositiones realitatis expertes, cum certo certius constet ea inniti doctrina Iesu Christi » (1).

Haec tamen a quibusdam russicis theologis, frustra praedicantur. Constat enim universitatum professores suis in comitiis semel atque iterum declarasse theologiam scientiis haud accensendam, ideoque e suggestu universitatis tradendam non esse (2).

(1) Мѣсто богословія въ семьѣ университетскихъ наукъ (*An theologia habeat ius sese adscribendi familiae scientiarum quae traduntur in universitatibus*). Христіанское Чтеніе, 1897, t. II, pp. 320-338; Id., Къ вопросу объ учрежденіи богословскихъ факультетовъ (*Quaestio de erigendis theologicis facultatibus*), Труды К. Д. А., 1906, t. II, pp. 667-688; « О необходимости богословскихъ факультетовъ при университетахъ или о реформѣ высшаго религіознаго образованія въ Россіи (*De necessitate facultatum theologicarum apud russicas universitates, vel de reformatione superioris culturae religiosae in Russia*), Kioviae, 1906; Id., Нужно ли богословіе въ университетахъ? (*An theologia necessaria sit in universitatibus*), Христ. Чтеніе, 1906, t. I, pp. 639-641; Id., О реформѣ духовнаго образованія въ Россіи (*De reformatione religiosae institutionis in Russia*), Церк. Вѣстникъ, 1906, nn. 5-7, coll. 134-136, 170-172, 197-200. Erudite ac dilucide hanc quaestionem evolvit cl. Dr. Nicolaus Glubokovsky in opere pro recta studiorum in seminariis ecclesiasticis ratione, etiam catholicis utilissimo: По вопросамъ духовной школы средней и вышей, и объ учебномъ комитетѣ при св. синодѣ (*Circa quaestiones ad scholam ecclesiasticam mediam et supremam pertinentes, ac de consilio scholastico apud Sanctissimam Synodum*), Petropoli, 1907, pp. 1-37; Cf. Журналы и протоколы засѣданій высочайше учрежденнаго Предсоборнаго присутствія (*Acta et relationes sessionum commissionis decreto imperiali institutae ad concilium parandum*), T. IV, Petropoli, 1907, sectio V, n. 13, pp. 58-77; n. 25, pp. 153-174. Ut eandem sententiam tueatur, graecus theologus Balanos docet, fidem quae relationem hominis ad Deum significat, idem non esse ac theologia quae scientifice investigat hancce relationem. Prior est aeterna et divina: posterior, ut quidquid humanum, erroribus obnoxia est, proficit, augetur, extollitur, et consequenter exigit ut moveatur, ut progressum aliarum scientiarum imitetur, ex eisque incrementum capiat: *Θρησκεία εἶναι ἡ σχέσις τοῦ θείου μετὰ τοῦ ἀνθρώπου, θεολογία εἶναι μόνον ἡ ἐπιστημονικὴ ἔρευνα περὶ τῆς σχέσεως ταύτης. Ἡ σύγχυσις τῶν δύο, θρησκείας καὶ θεολογίας, ἐπέφερε τὴν νέκρωσιν τῆς τελευταίας. Ἡ θρησκεία εἶναί τι αἰώνιον, θεῖον· ἡ θεολογία εἶναί τι ἀνθρώπινον καὶ ἐπομένως ὑποκείμενον εἰς πλάνην, πρόοδον, βελτίωσιν ἀνύψωσιν καὶ ὡς τοιαύτη ὀφείλει νὰ κινῆται, νὰ παρακολουθῇ τὴν σύγχρονον ἐπιστημονικὴν κίνησιν, νὰ ἀποδέχηται τὰ βέβαια πορίσματα τῶν λοιπῶν ἐπιστημῶν. — Εἶναι ἡ θεολογία ἐπιστήμη*; p. 11. Si theologia igitur scientia erroribus obnoxia est, cuinam competit ius detegendi ac reprobandi errores, quos theologi praesertim laici e suggestu universitatis venditare queunt? Huic quaestioni non respondet praecitatus theologus, qui theologis peramplam vindicat libertatem.

(2) *Αἱ θεολογικαὶ σχολαὶ δὲν ἔχουσιν ὡς μόνον αὐτῶν σκοπὸν τὴν καλλιέργειαν τῶν θεολογικῶν γραμμάτων, ἀλλὰ πρὸ πάντων τὴν μόρφωσιν χρηστῶν, ἐναρέτων, καὶ εὐσεβῶν κληρικῶν προωρισμένων νὰ διοικήσωσι τὰ τῆς Ἐκκλησίας καὶ νὰ ποιμάνωσι τὸ λογικὸν τοῦ Χριστοῦ ποίμνιον. Τὰ δὲ πανεπιστήμια εἶναι γνω-*

Non desunt tamen scriptores orthodoxi qui censeant omnino praeferendam methodum Ecclesiae catholicae in peculiaribus scholis ac seminariis erigendis pro theologicis studiis. Proprium enim est theologicarum scholarum non minus eruditos theologos educare quam sacerdotes pios as sanctos, qui suarum virtutum splendore, fideles ad Christum rite perducant (1).

Ad nostram sententiam quod attinet, praevidemus fere in cunctis excultioribus regionibus, ex universitatibus civilis regiminis serius ocius theologiam vel depulsum iri, vel sua sponte emigraturam. Constat enim eam torvis oculis aspici a doctoribus universitatum, rationalismi adsertoribus, despectam haberi, ac saepe saepius ea libertate spoliari, quae cum iuribus ecclesiastici magisterii conciliari possit. Fatemur quidem maius decus in theologiam redundari, si haec simul cum aliis scientiis in universitatibus tradatur. Sed ut hoc rite fiat, oportet agnoscatur potestas Ecclesiae pravas doctrinas, quae in eis divulgari possent, damnandi, ac magistros dimittendi qui sententiis a veritate catholica dissonis adhaererescerent. Si enim civile regimen sibi vindicat ius libertatem tuendi in scientiis, quae ad res naturales spectant, hoc eidem ius adimitur quoad theologiam, quae magisterio Ecclesiaeim mediate subiecta est, quaeque ab Ecclesia, suo munere defungente, relinqui non potest ludibrio humanarum opinionum. Quot autem sunt civilia regimina quae nunc temporis libenter tribuant Ecclesiae catholicae ius vigilantiae in professores universitarios theologiae?... Proh dolor!... nullum fere invenies quod Ecclesiam ab universitatum limine non prohibeat, vel novitatum insanae licentiae in disciplinis theologicis non faveat. Hoc praesertim in russicis universitatibus evenit, quapropter ne citius fundamenta fidei labantur in Ecclesiis orthodoxis, academiae

---

στὸν ποίους καρποὺς ἀπὸ θρησκευτικῆς ἀπόψεως μᾶς παρουσιάζουσι. — Lukaras, *Αἱ ἐν Εὐρώπῃ θεολογικαὶ σχολαί, Νέα Σιών*, 1905, t. IV, pp. 966-967. Hanc sententiam rejicit Balanos, qui reponit in Academiis rarius quam in Universitatibus theologos optimae notae educari, quod illustrat exemplo *facultatum theologicarum catholicarum* in Germania: ex hisce enim, ait Balanos, maius capit emolumentum Ecclesia catholica, quam ex seminariis et scholis ecclesiasticis Italiae, vel Galliae, vel Hispaniae. Op. cit., p. 21. Nunc temporis in Russia plures sive episcopi, sive scriptores illustres, aperte fatentur omnino necessarium esse ut scholae theologicae ad normam seminariorum atque academiarum Ecclesiae catholicae instituantur. Cfr. Glubokovsky, Объ организаціи школьнаго пастырскаго приготовленія и объ устройствѣ богословско-пастырскихъ училищъ (*De instituenda praeparatione pastorali cleri, deque erigendis scholis theologicis pro clericis*), Церк. Вѣдомости, 1908, n. 12, pp. 557-579. Copiosa de hoc themate russica bibliographia adjicitur huic tractationi.

(1) *La Chiesa russa*, pp. 605-606.

ecclesiasticae praeferendae omnino videntur *facultatibus theologicis* universitatum. Deficiente enim magisterio authentico in Ecclesiis orthodoxis, brevi theologicarum facultatum professores novis pravisque sententiis suffragarentur, ac protestantismo theologico latam munirent viam.

9. Ad methodum theologiae quod attinet, non desunt inter recentiores theologos orthodoxos qui veterum traditionum limites fastidientes, tueantur plenam libertatem cuilibet studioso theologiae iam tribuendam. Quidam dolent auctoritatem ecclesiasticam saepissime theologicis investigationibus obicem posuisse, vel eas saeviter abrupisse; quidam autem praedicant symbola fidei catenis onerare theologorum mentem eisque renuntiandum, ut progressus iter theologia arripiat; quidam denique, spe omni destituti, ad repellenda dicteria quae in theologiam iaciuntur, nil sibi reliquum putant nisi ut vela contrahant, ac fateantur theologiam neque scientiam esse, neque inter scientias unquam recensendam (1). Etiam in academiis ecclesiasticis russicis novitatum fautores libertatem scientiae theologicae crepant, eiusque independentiam a traditione ecclesiastica, ac licentiam docendi in scholis theologicis quidquid censoria virgula Ecclesia notaverit (2).

Si quis huiusce hostilitatis in magisterium theologicum rationes investiget, non minus ex rationalismi influxu in quosdam theologos orthodoxos eam effluere deprehendet, quam ex nimia severitate, qua censura religiosa diu saeviit in Russia. Conqueritur Glagolev in russica ecclesia illud evenire, quod orthodoxi catholicis objiciuntur, nimirum particulares sententias ad fastigium dogmatum elevari: у насъ частныя мнѣнія превращались въ догматы (3). « Crevit apud nos, dogmatum numerus » : догматы у насъ расли (4). Verbigratia, Macarius inter dogmata recenset interpretationem litteralem primi capituli Geneseos; synodus damnavit tanquam haereticos libros qui tenent, praeter orbem terrarum, reperiri adhuc astra quae a viventibus habitantur. Haec severitas censurae officit progressui theologiae, quae coacta est veteres tantum explodere errores, quin ei liceat novos profligare. Medelam huic malo proponit Glagolev symbolum fidei quod exigentiis ac dubiis aetatis nostrae apprime respondeat. Symbolum quod fidelibus

(1) Къ вопросу о свободѣ богословія (*Quaestio de libertate theologiae*). Странникъ, 1906, t. II, p. 465.

(2) Прав. Путеводитель, 1906, t. I, p. 66. Harum sententiarum falsitatem detegit S. Glagolev, О понятіи " научный „ въ приложеніи къ богословію (*De significatione epitheti « scientifici » theologiae adiuncti*), Вѣра и Церковь, 1903, t. V, pp. 220-240.

(3) Бог. Вѣстникъ, 1905, t. III, p. 429.

(4) Ib., p. 430.

qui octavo saeculo vixere suppetebat, nequit amplius satisfacere aequalibus nostris, et consequenter ad munus theologicarum scholarum in Russia pertinet id renovare.

Miramur sane in hac re quosdam commentarios orthodoxos acriter invehere in Ecclesiam catholicam, quippe quae libertatem theologicarum investigationum praeciderit (1). Historia enim russicae censurae innumera praebet documenta quibus demonstratur quam perniciosa fuerit synodalium censorum incredibilis atque arbitraria severitas in orthodoxorum theologorum scripta (2).

Pauca ad ea quae attulimus adnotamus. Quam proponunt *libertatem theologiae*, neque catholica Ecclesia, neque orthodoxae Ecclesiae, si cum suis principiis cohaerere velint, suumque officium rite absolvere, admittere queunt. Theologia enim peculiaris est scientia quae divinum simul atque humanum habet elementum. Divinum illud est quod nos ipsa docet, veritates scilicet a Deo acceptas; divinum illud, quod assensum nostrum fidei veritatibus elicit, auctoritas scilicet Dei revelantis. Humanum autem elementum in hoc consistit, quod humana est forma qua nobis revelatio communicatur, humana sunt organa quibus utitur Deus ad eam nobis tradendam (3). Hoc humanum elementum sibi usurpat theologia, cui munus non est veritates a Deo revelatas humanarum ratiocinationum ope demonstrare, cum huiusmodi veritates sine fidei lumine nobis imperviae sint. Ad eam non pertinet, ut Heinrich animadvertit, divinas veritates perficere, vel altius extollere certitudinem fidei divinae, sed fide inniti, ex eaque desumere suam supernaturalem perfectionem ac certitudinem. Theologia igitur fidem praesupponit, fides est quaerens intellectum, et consequenter terminos convellere nequit ab ipsa fide humano positos intellectui (4). Sicut in ceteris scientiis principia dantur, quae homini rejicere nefas est, ita in theologia principia inviolabilia exhibentur, ex quibus tota fluit speculatio theologica. Haec principia supernaturalia sunt, per revelationem ea accepimus, eaque nequeunt nostro mensurari intellectu.

(1) Cf. Бог. Вѣстникъ, 1906, t. III, pp. 186-187.

(2) *La Chiesa russa*, pp. 606-613. Haec meminimus ad convicia propulsanda quae plures theologi orthodoxi in Encyclicam S. S. Pii X de modernistarum erroribus iaciunt, quam viam stravisse effutiunt delatoribus ac delationi. Cf. Церковный Вѣстникъ, 1907, n. 37, col. 1202.

(3) Heinrich, t. I, p. 12-13.

(4) Hic recolenda perpulchra S. Anselmi verba: « Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam; quia nullatenus comparo illi intellectum meum, sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo, ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam ». — *Prosl.*, c. I; *P. L.* CLVIII, col. 227.

Libertas autem theologiae quam nobis decantant scioli rationalistae aetatis nostrae, vel de principiis intelligitur, vel de conclusionibus, quae ex principiis deducuntur. Si primo sensu accipiatur, absque dubio libertas haec ipsius theologiae negationem involvit. Qui principia enim cuiuslibet scientiae negat, eo ipso fundamenta diruit, quibus innititur haec scientia. Praeterea theologiae principia, ut veritates divinae, nequeunt ad normam intellectus humani mensurari, non secus atque intellectus divinus non potest ab humano capi intellectu. Ex eis tanquam ex statutis aeternum terminis, theologi suarum speculationum exordium sumere tenentur eaque neque rejiciendi, neque alterandi ius habent. Libertas igitur theologiae, si de principiis intelligatur, absurda sane censenda est.

Si vero haec libertas intelligatur de speculatione theologica ex principiis revelatis deducta, ita ut cuique liceat in evolvendis theologicis doctrinis, contradictoriis vel damnatis ab Ecclesia sententiis favere, eam non minus rejiciendam ducimus, quam quae supra commemorata est. Ut enim ait Concilium Vaticanum, fidei doctrina, quam Deus revelat, non est « veluti philosophorum inventum proposita humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsae tradita fideliter custodienda ». Si fidei igitur depositum Ecclesiae traditur custodiendum, a magisterio ecclesiastico hoc depositum dependet *quatenus per magisterium ecclesiasticum infallibiliter proponitur atque explicatur*, et consequenter a fortiori scientia de fide, magisterio ecclesiastico subjicienda est. Sicut in scientiis naturalibus, per praetentam libertatem scientificam, in conclusionibus ex principiis eruendis, nefas est logicis humanae mentis legibus refragari (1), ita in theologicis disciplinis logicae supernaturalis dictamina, cuius magistra est Ecclesia, flocci facere, qui vere theologus est, nunquam audebit (2).

(1) Optime scriptor gallicus: « La soi-disant liberté de penser n'est autre chose qu'un abus de langage qui ne répond a rien de réel. Que peut bien être, en effet, quand on y songe, une pensée libre ? L'esprit peut-il donc, sans se moquer de lui-même, se placer en face de la vérité dans l'attitude d'une véritable indépendence. Qu'est-ce qu'une liberté qui est obligé de se rendre dès l'instant qu'elle a trouvé ce qu'elle cherchait ? L'esprit vraiment libre serait l'esprit qui n'a pas encore rencontré le vrai, puisque du moment qu'il l'a trouvé, il cesse d'être libre vis-à-vis de lui». — Julien, *Le croyant garde-t-il la liberté de penser ?..· Revue pratique d'Apologétique*, t. III, 1907, pp. 33-34.

(2) Libertas scientiae christianae numquam potest ac debet infringere terminos veritatis, ut P. Pesch admonet: « Die christliche Freiheit der Wissenschaft ist in ihrem Wesen beschränkt und abhängig, weil sie sich als eine geschöpfliche aner-

Eo magis libertas nullis terminis definita reprobanda est in theologia, quo fortior est influxus theologiae in vitam religiosam ac moralem hominis. Ex effraenata enim huius libertatis licentia, praeclari scriptores rite ostendunt *ἀναρχίαν* in scientias induci (1), ac latum patere campum perniciosis doctrinis (2). *Ἀναρχίαν* vero quamplurima genuisse ac gignere mala in theologia christiana, abunde testatur historia theologiae protestantium. Exitiale hoc elementum brevi tempore religionem christianam, quae religio est universalis, in religionem nationalem immutaret, et paulo post religionem nationalem in religionem individualem converteret. Independentia igitur theologiae a magisterio ecclesiastico, triumphus, ut ita dicam, esset religionis individualis; tot in fidem induceret sententias quot sunt capita, et cum doctrina speculativa fidei suum influxum exerceat in vitam moralem hominis, moralitatem ipsam individualem afficeret. Sicut in scientiis quae rationi humanae subjiciuntur, ut contingit in geologia atque in physicis disciplinis, systemata atque hypotheses decidunt ac renascuntur, ita etiam doctrinae gravissimae, ad fidem ac mores pertinentes, relictae sine ullo moderamine theologorum disceptationibus, ancipites fierent, ac dubiis solverentur. Carentia magisterii ecclesiastici in diversas plane sententias homines adduceret, fidem imminueret, principio divino credendi substitueret principium humanum, ac denique theologiam ipsam, ad instar navis sine gubernaculo scopulis illisurae, in coenum errorum haeresumque projiceret (3)

10. Ad divisionem theologiae quod attinet, generatim recentiores theologi ortodoxi veterem illam graecorum Patrum adhibent distin-

---

kennt. Eine solche Schranke ist für sie am ersten Stelle die Wahrheit ». — *Der Kampf gegen den Liberalismus der Wissenschaft, Stimmen aus Maria-Laach,* 1873, V, p. 15.

(1) « Die unumschränkte Freiheit der Wissenschaft verleitet den aufgeblasenen oder wenigstens für den Stolz sehr empfänglichen Geist gar leicht zur Empörung. Sie schafft in der Wissenschaft eine Art Anarchie, welche die Wissenschaft früher oder später zum Bankrotte führt » — Paluscsák, *Die menschliche Freiheit und die Freiheit der Wissenschaft, Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie,* 1905, XIX, p. 347.

(2) *Stimmen aus Maria Laach,* 1873, IV, pp. 313-330; *Freiheit der Wissenschaft und Lehrauctorität der Kirche, Theologisch-praktische Quartalschrift,* Lincii (Linz), 1863, pp. 40-93; Bauer, *Die Freiheit der Wissenschaft und Lehrauctorität der katholischen Kirche,* ib., 1864, pp. 41-66; Kempf, *Das Verhältniss zwischen Glauben und Vernunftwissenschaft nach den Entscheidungen des Vatikanums,* 1890, pp. 48-56.

(3) Hurter, *Theologiae dogmaticae compendium,* Oeniponte, 1903, pp. 18-19.

ctionem, quae *θεολογίαν* scientiam de Deo in sua essentia aliter considerat atque *οἰκονομίαν*, quae scientia est de divina Incarnatione (1).

In confessione Metrophani Critopuli theologia simpliciter dicta, *ἁπλῆ θεολογία*, non eadem esse innuitur atque theologia quae tractat de oeconomia divina in mundo. Prior in id tendit ut cognoscamus unum et solum Deum, hoc est, unam Dei essentiam, principii expertem, ingenitam et non factam, aeternam, effectricem omnium visibilium et invisibilium, gubernatricem, procuratricem, et conservatricem omnis creaturae visibilis pariter et invisibilis (2).

Theologia simpliciter dicta tractat igitur de Deo in se deque relationibus Dei ad universum in genere, ad hominem vero specialiter. *Οἰκονομία* autem Deum considerat ut Redemptorem generis humani, in suis scilicet relationibus ad cunctos homines (3).

Deus quatenus in se inspicitur, sese exhibet unum in essentia ac trinum in personis, ideoque prior pars theologiae simpliciter dictae considerat primum Deum in se (*De Deo uno*); altera vero pars trinitatem Personarum divinarum scrutatur (*De Deo trino*). Ad secundam vero partem theologiae simpliciter dictae quod attinet, de Deo loqui possumus tanquam de *Creatore*, qui principium essendi rebus creatis impertitur, vel *Gubernatore* totius universi, qui conservat creaturas in esse easque ad suos fines assequendos disponit, ac denique *Consummatore* omnium, quae per Eum sui ultimi finis assequutionem sortiuntur. Exoritur inde triplex tractatus: 1) *De Deo Creatore*; 2) *de Deo gubernatore*; 3) *de Deo Consummatore*.

Priorem tractatum dispescit episcopus Sylvester in duas partes, cum Deus Creator sub duplici respectu considerari possit: 1) ut dator *τοῦ* esse cunctis creatis rebus; 2) ut dator *τοῦ* esse angelis et hominibus. Eadem distinctio valet pro secundo tractatu.

Sequens schema graphice demonstrat quaenam communis sit theologiae divisio apud scriptores orthodoxos:

(1) Petavius, *Dogmata Theologica*, t. I, pp. 1-3.

(2) *Τὰ τῆς ἁπλῆς θεολογίας εἶναι διδάσκει τὸ γινώσκειν ἕνα καὶ μόνον Θεόν, τοῦτ'ἔστι, μίαν οὐσίαν θεοῦ, ἄναρχον, ἀγέννητον καὶ ἀγένητον, ἄϊδιον, ποιητικὴν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων, κυβερνητικήν, προνοητικὴν καὶ σωστικὴν πάσης κτίσεως ὁρωμένης τε καὶ οὐχ ὁρωμένης.* — Kimmel, *Libri symbolici Ecclesiae orientalis* (2 ed.), II, p. 13.

(3) Macarius, I, p. 28.


Theologia simpliciter dicta
De Deo in se
De Deo uno in sua essentia
De Deo trino in personis
De Deo relate ad creaturas
De Deo creatore
De Deo creatore universi
De Deo creatore angelorum atque hominum
De Deo gubernatore
De Deo gubernatore mundi in genere
De Deo gubernatore angelorum atque hominum
De Deo Consummatore

Theologiam vero, quam oeconomicam vocant, dispescit Philaretus in quatuor tractatus. Deus enim considerari potest: 1) ut Deus Pater in consilio de redimendo genere humano; 2) ut Deus Filius, absolvens in mundo redemptionem hominis; 3) ut Deus Spiritus Sanctus complens sanctificationem hominis; 4) ut Consummator suae voluntatis in mundo (1).

Theologus graecus Rhosis theologiam vocat doctrinam de Deo deque attributis (*energiae*) divinis: *διδασκαλία περὶ Θεοῦ καὶ τῶν ἐνεργειῶν αὐτοῦ*. Attributa divina vel sunt *ad intra* vel *ad extra*, *absoluta* vel *relativa*. Haec postrema variis nominibus designantur. Habetur enim *ἐνέργεια δημιουργική* (*creatrix*), *συντηρητική* (*conservatrix*), *προνοητική* (*providens*), *ἀπολυτρωκή* (*redemptrix*), *ἁγιαστική* (*sanctificatrix*). Ex hisce variis attributis procedit distinctio tractatuum in Theologia (2).

Plura non addimus quia satis patet in theologiae orthodoxae divisione enucleanda nihil reperiri quod catholicae theologiae consonum non sit.

(1) T. I, p. 18.
(2) Op. cit., p. 32.

CAPUT V.

De Compendiis Theologicis in Ecclesia orientali graeco-russica.

1. De Theologia positiva, ac de causa qua theologi orthodoxi eam praeferunt tractandam. — 2. Libri *De Fide orthodoxa* S. Johannis Damasceni, eorumque versiones slavicae ac magna auctoritas in Ecclesiis orthodoxis. — 3. Disciplinarum theologicarum occasus in Oriente post exortum schisma. — 4. De conditione graecae theologiae post captam urbem Byzantium ac de causis eius στάσεως. — 5. Scriptores graeci qui institutiones theologicas saeculis XVII ac XVIII elaborarunt: Nicolaus Cursulas, Vincentius Damodus, Antonius Moschopulos, Eugenius Bulgaris, Athanasius Parius. — 6. Recentissimi theologi graeci: Zikos Rhosis et Christos Andrutsos. — 7. Dependentia antiquissimae theologiae russicae a theologia graeca. — 8. Antiquiores scriptores russi qui systematice theologiam dogmaticam exposuere: Cyrillus Trankvillion, Simeon Polotzky. — 9. Theologi scholae kioviensis, ac latinae theologiae influxus in eosdem, praesertim circa doctrinam Immaculatae Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis. — 10. Theologiae scholasticae catholicae cultus in academia kioviensi. — 11. Theophanus Prokopovitch atque influxus theologiae lutheranae in Russia per eum invectus. — 12. Theologi scholae mosquensis: Theophylactus Lopatinsky, Cyrillus Florinsky, Gabriel Petrov, Athanasius Volkhovsky, archimandrita Hilarion. — 13. Platon Levchin, metropolita mosquensis. — 14. Theologi russi saeculi XVIII: Macarius Petrovitch, Theophylactus Gorsky, Georgius Konissky, Samuel Mislavsky, Tikhon Sokolov, Hyacinthus Karpinsky, Apollos Baibakov, Sylvester Lebedinsky, Iuvenalis Medviedsky, Augustinus Vinogradsky, Methodius Smirnov, Irenaeus Falkovsky. — 15. Theologi russi saeculi XIX: Gregorius Postnikov, Philaretus Amphiteatrov, Polycarpus Goimannikov, Petrus Tarnovsky, Antonius Amphiteatrov, Alexander Gorsky. — 16. Macarius Bulgakov, metropolita mosquensis. — 17. Philaretus Gumilevsky, archiepiscopus cernigoviensis. — 18. Sylvester Malevansky, episcopus Kanevensis. — 19. *Πρωτ.* N. Malinovsky. — 20. De russicis compendiis theologicis quae minoris momenti habentur. — 21. De catechismis Russorum. — 22. De catechismis Graecorum.

1. Theologia, quam recentes scriptores orthodoxi maximi faciunt, quamque tractandam suis in scholis generatim tenent, ea est quae *positiva* audit. Eugenius Bulgaris hisce verbis eam definit: « Scientia quae versatur circa explicationem ac definitionem fidei, Scriptura ac traditione explanatae: eadem est ac Patrum theologia » (1). Huiusce

(1) *Ἡ θετική* (positiva) *θεολογία περὶ τὴν ἀνάπτυξιν καὶ ὑπερασπισμὸν τῆς πίστεως, ἀπό τε τῶν Γραφῶν καὶ τῶν παραδόσεων καταλογάδην καὶ μετ' ἐκφράσεως καταγίνεται, οἵα ἡ τῶν θείων Πατέρων.* — Op. cit., p. 13.

theologiae elegantiam atque ubertatem Petavius extollit. « Ad eruditae vetustatis expressa speciem, hoc est a dialecticorum dumetis liberioris ad campi revocata spatia, theologia positiva solam ad usum cultumque sui, nativam et domesticam copiam ostentat (1) ». Veritates fidei argumentis e Sacris Scripturis depromptis ipsa firmat, ac divinae revelationis genuinum aperit sensum, magis Patrum usa testimoniis quam speculationis ratiociniis: « suas discurrendo conclusiones probat per principia positiva, hoc est, per principia, quae non probantur, sed supponuntur et creduntur, qualia sunt ea, quae desumuntur ex verbo Dei scripto, vel tradito, nobisque per Ecclesiam proposito. Est enim Dei verbum *fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, ultra quod nemo potest aliud ponere,* et supra quod fundantur Theologiae nostra principia; fundatur consequenter et ipsa Theologia nostra » (2).

Speculationem quidem non rejicit theologia positiva, sed hanc speculationem potius *auctoritativam* dixeris quam metaphysicam. Sedulo enim ex Patrum scriptis excerpit quae aptiora videntur ad tuenda dogmata, ad demonstrandum Ecclesiam semper fideliter ea proposuisse, ad obscuriora traditionis christianae effata illustranda, ac Sacrarum Scripturarum sensum exegeseos patristicae ope dubiis exsolvendum. Hanc methodum peramant theologi orthodoxi, quia, ut iam ostendimus, progressum dogmaticum relativum verbis tenent, praxi autem negant. Continuitatem igitur cum abruperint magisterii ecclesiastici, eo devenerunt ut in Theologia auctoritati *unice* insistendum teneant. Quo fit ut apud eos saepissime theologicae disquisitiones coacervatos textus Scripturae vel Traditionis exhibeant, careantque vi logica ac probationum copia.

Hic nobis in animo non est historiam theologiae positivae in Ecclesiis orthodoxis enarrare. Hanc, si Deus incoeptis faveat, ex instituto tractabimus in *Nomenclatore theologiae orthodoxae*, quem Pragae edendum curamus. In praesentiarum praecipua tantum recensemus compendia systematica theologiae orthodoxae, ac pauca adiungimus quae ad eorum auctores vel praestantiam attinent (3).

(1) Op. cit., t. I, p. 1.

(2) Annato, *Apparatus ad positivam theologiam methodicus,* Venetiis 1767, p. 2.

(3) Conradus Grass, magister theologiae universitatis dorpatensis, in lucem edidit: *Geschichte der Dogmatik in russischer Darstellung,* Gütersloh, 1902. Hic liber continet tantum germanicam versionem capitulorum, quibus Macarius et Sylvester suis in theologicis institutionibus historiam dogmaticae christianae enuclearunt, et catalogum *ἀκρίτως* redactum theologicorum operum quae in Russia saeculo XIX prodiere. Catalogus valde imperfectus est, innumerisque deturpatur lacunis.

2. Fere usque ad saeculum decimum septimum, unicum theologicum compendium, quod rariorum theologorum Ecclesiae orthodoxae manibus terebatur, erat ἡ ἔκθεσις vel ἔκδοσις ἀκριβὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως S. Iohannis Damasceni (1). Hanc summis laudibus extollunt qui de historia disciplinarum theologicarum scripserunt in Russia. Iohannes Damascenus pater vocatur dogmaticae christianae; opus quod concinnavit clare atque apte dispositum exhibet systema veritatum fidei, methodo pulcherrima exaratum, exemplar quod omnes ab eo theologi intueri atque imitari nunquam desinent, compendium, ut vulgo aiunt, *classicum*, cuilibet aetati accommodatum. Doctrina quae in eo traditur plenissime conformatur doctrinae christianae antiquitatis. Damascenus loquitur, quod vetus docuit Ecclesia, quod concilia vel generalia vel particularia edixere, quod Patres vel probatissimi antiquitatis scriptores tradiderunt (2). Sua fidelitate spiritui antiquae Ecclesiae universalis, ait Malinovsky, expositio fidei S. Ioannis Damasceni meret ut appelletur *dogmatica antiqua ecclesiastica*, vel *dogmatica antiqua patristica*: догматика древне-церковная и древне-отеческая (3).

Apud Bulgaros, qui antesignani habentur rei litterariae slavicae, opus S. Iohannis Damasceni in slavicum idioma versum fuit a Iohanne, exarcha bulgaro, scriptore saeculi IX-X (4). Quaedam capitula in versione omissa sunt, quae Bulgarorum culturae religiosae inutilia censuit interpres, pluraque adiecta ex Patrum scriptis (5). Codex antiquissimus huius versionis, saecul. XI vel XII exstat in bibliotheca synodali mosquensi (6). Damasceniano opere copiose usi sunt scriptores russici qui tractatus polemicos exararunt, praesertim Ioseph Sanin († 1515), ex monasterio Volokolamsk in Просвѣтитель (*Illuminator*)

(1) Bardenhever, *Patrologie*, Friburgi, 1901, p. 513.

(2) Macarius, I, p. 44; Sylvester, I, pp. 115-117; Philaretus, Историческое ученіе объ отцахъ церкви, t. III, pp. 198-199.

(3) Malinovsky, I, p. 58.

(4) Kalaidovitch, Іоаннъ, ексархъ болгарскій: изслѣдованіе, объясняющее исторію словенскаго языка и литературы IX и X столѣтій (*Iohannes, exarcha bulgarus: disquisitio illustrans historiam linguae et litteraturae slavicae saeculi IX et X*), Mosquae, 1824, pp. 19-21.

(5) Palauzov, Вѣкъ болгарскаго царя Симеона (*Saeculum tzari bulgari Simeonis*), Petropoli, 1852, pp. 95-99; Jagić, Исторія сербско-хорватской литературы (*Historia litteraturae serbo-croaticae*), Kasan, 1871, pp. 84-85.

(6) Porfirev, Исторія русской словесности (*Historia russicae litteraturae*), Kasan, 1897, t. I, pp. 204-205). Textum huius codicis in lucem vulgavit Societas mosquensis historiae atque antiquitatum russicarum: Богословіе Св. Іоанна Дамаскина въ переводѣ Іоанна Ексарха Болгарскаго. По харатейному списку Московской синодальной библіотеки буква въ букву и слово въ слово, Чтенія, 1877, t. IV; Mosquae, 1878.

contra *judaizantes* russos (1) et Zinovius ex monasterio Otni (Отенскій), scriptor saeculi XVI in opere quod conscripsit adversus Theodosium Kosoi, haereticum rationalistam (2), cui titulus est Истины показаніе (*Veritatis demonstratio*) (3). Saeculo XVI eam vertit in palaeorussicam linguam princeps Andreas Mikhailovitch Kurbsky (4), et saeculo XVII hieromonachus Epiphanius Slavinetzky († 1675) qui eam inseruit syllogae cuidam operum Patrum, editae Mosquae 1665 (5). Novam versionem aggressus est archiepiscopus mosquensis Ambrosius Zertis-Kamensky (1708-1771), quae bis lucem aspexit (6). Alexander Bronzov, professor academiae ecclesiasticae petropolitanae, optimam recenter elaboravit versionem, quam perdoctis commentariis, notisque philologicis ac litterariis instruxit (7).

3. Peracto schismate, admirabilis illa cultura theologica, qua Graeci praeivere Latinis, ac tot tantisque thesauris litterariis Ecclesiam ditarunt, praecipite cursu in occasum inclinavit, ac brevi aruit. Dum in Occidente theologia scholastica divinae speculationis celsa aggrediebatur cacumina ac veritates fidei in unum coire systema nitebatur, easque strenue, philosophia in adiumentum accita, defendebat, sterili polemicae graeci theologi navabant operam, praeiudicata inducti persuasione fore ut per theologicas in Latinos contumelias, et sua Ecclesia pristinam gloriam acciperet, et sua patria, hostibus undique properantibus validum opponeret aggerem. Ab aetate S. Iohannis

(1) Просвѣтитель преподобнаго Іосифа Волоцкаго (*Illuminator beati Iosephi Volotzky*), Прав. Собесѣдникъ, 1859, t. III, pp. 153-170; Bulgakov, Пр. Іосифъ Волоколамскій, Petropoli, 1865, pp. 97-145; Khruchtchev, Изслѣдованіе о сочиненіяхъ Іосифа Санина, пр. игумена волоцкаго (*Disquisitio circa opera Ioseph Sanin, beati higumeni Volokolamskii monasterii*), Petropoli, 1878.

(2) Cfr. quae de eo scripsimus in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, Parisiis, 1908, coll. 1917-1920.

(3) Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы (*Conspectus litteraturae ecclesiasticae russicae*), Petropoli, 1884 (ed. III), pp. 157-158.

(4) Ib., p. 160.

(5) Sopikov, Опытъ россійской библіографіи (*Specimen russicae bibliographiae*), t. I, Petropoli, 1904, n. 247, pp. 22-23.

(6) Богословія или обстоятельное изложеніе православныя христіанскія вѣры, Mosquae, 1774, 1785; Sopikov, I, p. 17, nn. 152-153.

(7) Шочное изложеніе Православной вѣры, Petropoli, 1894. De doctrina theologica in libris *De Fide* orthodoxa S. Ioannis Damasceni contenta, pertractarunt, A. B., Первая система догматическаго богословія (*Primum systema theologiae dogmaticae*), Странникъ, 1864, t. IV, pp. 71-103; A. Tzarevsky, Св. Іоаннъ Дамаскинъ, какъ православный богословъ и церковный христіанскій пѣснопѣвецъ, (*S. Iohannes Damascenus, ut theologus orthodoxus atque hymnographus ecclesiasticus christianus*), Kasan, 1901.

Damasceni usque ad saeculum XV nullum reperies apud eos theologum qui vel e longinquo vestigiis instet summorum scholasticae occidentalis doctorum, ac theologicum systema concinne dispositum in lucem emittere sibi proposuisset. Ut scribit Christos Andrutzos, post auream illam Damasceni *ἔκθεσιν πίστεως*, dogmatis iam acceptis tradendis theologia graeca tantummodo operam navavit, quin sua ea illustraret speculatione, eisque vitam infunderet (1). Rarissima memorantur nomina theologorum qui systematice theologiam enuclearint, ut Euthymius Zigabenus (saec. XI-XII), Nicetas Akominatos (saec. XII-XIII), et Symeon Thessalonicensis (saec. XV) (2). Horum tamen opera, *Πανοπλία δογματική*, *Θησαυρὸς ὀρθοδοξίας*, *Διάλογοι ἐκκλησιαστικοί*, characterem polemicum potius habent quam systematicum, generatim carent diligentia ac studio in Patrum testimoniis disquirendis, ac fere obliterata permansere.

4. Post captam a Turcis byzantinam urbem, adhuc in peius res Graecorum ruerunt. Sub iugo Turcorum, libertate penitus amissa, clerus graecus in maximam ignorantiam adductus est, quam uno ore testantur qui ex variis Europae nationibus Constantinopolim appulsi, Orientem peragrarunt (3). Scholae deciderunt, magistri qui studiis vacarent theologicis, paucissimi extitere. Paucissimi etiam inter episcopos atque presbyteros qui culturae theologicae primos latices degustas-

(1) *Ἡ θεολογία περιορίζεται εἰς ἐπεξεργασίαν τῶν παραδεδομένων δογμάτων ἄνευ αὐτοτελείας καὶ ζωῆς.* — Op. cit., p. 30.

(2) Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, Monachii, 1897 pp. 83, 91, 112.

(3) De statu culturae religiosae ac disciplinarum theologicarum in ecclesiis graeca et russica recentioris oevi egerunt praesertim: Herberstein, *Rerum moscovitarum commentarii*, Antverpiae, 1557; Chytraeus, *Oratio de statu ecclesiarum hoc tempore in Graecia* etc., Francofurti, 1580; Crusius, *Turco-Graecia*, Basileae, 1584; Angelus Christophorus, *Status et ritus Ecclesiae graecae*, Francofurti, 1655; Smith, *De Graecae ecclesiae hodierno statu*, Oxoniae, 1676; Zialowski, *Brevis delinatio ecclesiae orientalis graecae*, Norimbergae, 1681; Fecht, *Kurze Nachricht von der Religion der heutigen Griechen*, Rostochii, 1711; Helladius, *Status praesens Ecclesiae graecae*, Altorfii, 1714; La Croix, *Etat présent des nations, et églises grecque, arménienne et maronite en Turquie*, Parisiis, 1715; Covel, *Some account of the present greek Church*, Cantabrigiae, 1722; Krook, *Exercitatio historico-theologica de statu Ecclesiae et religionis moscoviticae*, Lipsiae, 1722; Stuss, *Observationes selectae de Ecclesiae graecae sub imperio turcico statu hodierno*, Lipsiae, 1722; Elssner, *Neueste Beschreibung der griechischen Christen in der Türkei*, Berolini, 1737; *Kurzer Abriss der russischen Kirche nach ihrer Geschichte, Glaubenslehren, und Kirchengebräuchen*, Erfurti, 1788. Plura omittimus, quorum mentionem injicit Heineccius in *Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche*, Lipsiae, 1711, t. III. *Appendix*, pp. 54-84.

sent. Nec defuere Patriarchae qui maxima laborarent inscitia, impares vel divinis officiis persolvendis (1).

Cum vero paullulum a lethargo intellectuali excitati studiis iterum incubuissent, nonnullos habuere Graeci theologos, qui pro eo ut adlaborarent ad fide christiana suos concives rite erudiendos, polemicam adversus Latinos unice colendam autumarunt. Hinc exorta est, ut ait Lebedev, sterilis illa vitaeque expers litteratura theologica recentioris Graeciae, quae Latinos adoriebatur robiginosis longe praeteritorum saeclorum armis. Concertatio theologica Graecorum cum Latinis, pergit idem scriptor, arida fuit, *formalismo* penitus infecta atque inutilis. Insuper haec polemica haud raro scatuit absurditatibus cogitque nos pudere Graecorum qui falso sibi persuaserant se Latinos debellaturos, cum aniles fabellas atque ineptias eis opposuerint (2).

Neque tantum penuria scholarum offecit theologicorum studiorum instaurationi apud Graecos. Principium habet graeca Ecclesia, fatente graeco scriptore, quo praepeditur quominus proficiat in theologia elaboranda. Cum enim post exortum schisma omnino respuat theologicas disceptationes, ac teneat ius interpretandi atque examinandi dogmata non spectare nisi ad Ecclesiam universalem, foecunditatem litterariam n provincia theologiae ipsa excludit (3). Quo fit, ut lugenda inter mala schismate generata, non modo recensenda est *στάσις* vitae apostolicae, verum etiam et vitae litterariae in Oriente.

(1) Lebedev, Исторія греко-восточной церкви, Petropoli, 1903, pp. 260-263.

(2) Почти вся литературная дѣятельность церковныхъ представителей ограничивалась полемикой съ латинянами и протестантами, но полемика эта была безплодна и бездушна. Съ латинянами полемизировали такъ, какъ будто это были паписты IX-го, X-го вѣка ..... Борьба съ латинянами была суха, оффиціальна, формалистична — и въ сущности ни для кого не нужна. Мало того; полемика эта была иногда просто нелѣпа и заставляетъ краснѣть за Грековъ, разсчитывавшихъ обезоруживать папистовъ выдумками и бабьими баснями. — Op. cit., p. 20.

(3) « Le manque de fecondité théologique chez les Grecs tient à l'esprit même de l'Église grecque, qui repoussant toute innovation, n'admet plus les discussions dogmatiques après le septième Synode et depuis la scission de l'Église; le droit d'examiner et d'interpréter les dogmes ne pouvait appartenir, selon ses principes conservatifs, qu'à la totalité de la chrétienté, lorsqu'elle était réunie ». — Rangabé, *Histoire littéraire de la Grèce moderne*, t. I, Parisiis, 1877, pp. 217-218. — Cf. Ricaut, *Histoire de l'estat présent de l'Église grecque*, Amstelodami, 1698, pp. 25-26. — Optime animadvertit Fortescue maximum quo laborat defectum Ecclesiam orthodoxam in studiis theologicis, esse speculationis theologicae intermissum progressum: « The radical affliction from which the orthodox Church suffers is arrested development ». *The orthodox eastern Church*, Londini, 1907, p. 393. — Cum vero huncce progressum vehementer improbet graeca Ecclesia, historia testatur eam in doctrina, in constitutione hierarchica atque in liturgia

5. Primus omnium qui graeca lingua post captam urbem Byzantium theologiam systematicam exaravit, salutandus est Nicolaus Cursulas (*Κούρσουλας*, *Κούρζουλας*, *Κούρσολας*), alumnus collegii graeci S. Athanasii, Romae, ubi doctoris philosophiae ac theologiae diploma consecutus est anno 1625. Obiit in quodam monasterio montis Athos anno 1652 (1). Posteris reliquit Institutiones theologicas cui titulus: *Σύνοψις τῆς ἱερᾶς θεολογίας φιλοπονηθεῖσα εἰς ὠφέλειαν τῶν ὀρθοδόξων φιλομαθῶν παρὰ Νικολάου Κούρσουλα, Ζακυνθίου, διδασκάλου, φιλοσόφου καὶ θεολόγου*, Zacynthi, 1862 (duo tomi). Edidit Sergius Raphtanis, epirota. De hoc theologiae compendio sequens protulit iudicium Nicolaus Comnenus Papadopoli: « Extat hoc opus graece pereleganter expositum, habeturque passim a nostris, sed non satis intelligitur. Ita enim ad scholasticam pugnacemque theologiam omnia revocat, ut qui scholas a limine saltem non salutarunt, quae ferat, quove acumine dogmata, deductasque inde consecutiones confirmet, haudquaquam possint percipere, ea praesertim in parte qua de auxiliis divinis agit et libero arbitrio, novamque et inauditam graecis auribus *τῆς μέσης ἐπιστήμης*, scientiae mediae vocabulum, remque ipsam exponere nititur » (2).

Constantinus Oeconomus ei vitio vertit quod interdum ex negligentia auctoris leviter redoleat latinas sententias: *ἥ γέ μην σύνοψις περί τινα ζητήματα πνέει τι λεπτὸν ὀσμῆς δυτικῆς ἐξ ἀπροσεξίας τοῦ σοφοῦ συγγραφέως* (3). Quaedam enim non videntur clare explicita ad orthodoxam doctrinam de Processione Spiritus Sancti, de Immaculata Conceptione, deque Indulgentiis quod attinet (4). Contra praefatum scriptorem tenet Chiotis Cursulam a sententiis theologiae ortho-

---

permulta immutasse: « Antiquity pure and unchanged, and no modification for modern times, is their great cry. And yet their antiquity has already reached an advanced stage of development. It is certainly not that of the time of the Apostles. They accept the very definite decrees of seven councils, they print in their books the accurate analysis of the Athanasian Creed. Their hierarchy with Constantinople as the chief throne is quite a late development. Their sumptuous ritual, gorgeous vestments, and exact rubrics all represent, not the first age, but the palmy days of the byzantine Roman Empire. — Ib., pp. 392-393.

(1) Vitam huiusce theologi conscripsere P. Chiotis, *Σύνοψις θεολογίας*, t. I. pp. *θ'-λβ'*; ac Legrand, *Bibliographie hellénique du XVIIe siècle*, t. V, Parisiis, 1903, pp. 261-268. De eo breviter egimus in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. III, coll. 1983-1984.

(2) *Historia gymnasii patavini*, t. II, Paduae, 1726, pp. 290-291.

(3) *Περὶ τῶν Ο' Ἑρμηνευτῶν τῆς παλαιᾶς θείας Γραφῆς*, Athenis, 1849, t. IV, p. 223.

(4) *Σύνοψις*, pp. *κδ'-κς'*.

doxae vel minime non descivisse atque immerito censoria virgula notari (1). Opus theologicum Cursulae difficiliori stylo exaratum, ac methodo scolastica, praepositis quaestiunculis generalibus de theologiae natura, agit de visione, scientia, praescientia, voluntate, ac praedestinatione Dei, de Trinitate, de Angelis, de peccato originali, de fide, de Incarnatione, de Antichristo, de poenitentia. Plurimas controversias quae a scholasticis agitantur, tractat auctor cui haec laus tribuenda, quod iniuriis parcit in refellendis suis adversariis.

Clarum nomen in theologia sibi etiam comparavit Vincentius Damodus (*Δαμῳδός*), Khavriatae (*Χαβριάτα*) in insula Cephalonia natus (1679-1752), collegii Flanginiani Venetiis alumnus (2). Anno 1730 Theologiae dogmaticae compendium exaravit Scriptura Sacra, Traditionibus Apostolorum, synodis oecumenicis ac particularibus, Patribusque Ecclesiae innixa: *Θεία καὶ ἱερὰ διδασκαλία· ἤτοι ὀρθόδοξος δογματικὴ θεολογία τῆς ἁγίας, καθολικῆς, ἀποστολικῆς καὶ ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολικῆς, τῆς ὁποίας ἡ διδασκαλία θεμελιοῦται ἐν τῇ ἱερᾷ ἀποκαλύψει, ἐν τῇ θεοπνεύστῳ Γραφῇ, ἐν ταῖς παραδόσεσι τῶν Ἀποστόλων, ἐν ταῖς οἰκουμενικαῖς καὶ τοπικαῖς ὀρθοδόξοις Συνόδοις, καὶ ἐν τοῖς θείοις Πατράσι τῆς Ἐκκλησίας* (3). Graecus archimandrita Agathangelus Lontopulos harum theologicarum institutionum merita extollit. In hisce, ad eius sententiam, Vincentius Damodus revelatur vir apprime callens graecam scientiam sive sacram sive prophanam, versatissimus in philosophicis ac theologicis disceptationibus saec. XVII ac XVIII. « Ex sua *panoplia* dogmatica atque philosophica tela deligit iacitque in *Papistas*, Lutheranos, Zwinglianos omnesque suae aetatis haereses, opponens eis fidem orthodoxam, quam ope dialecticae firmissime corroborat » (4). Opus hoc quinque voluminibus constans asservatur in bibliotheca coloniae graecae urbis Vindobonensis. Auctor, positis prolegomenis, agit de Deo ac divinis attributis (cap. 32), de Trinitate (c. 25), de Incarnatione (c. 45), de Gratia (c. 11), de Sacramentis Ecclesiae (c. 68). Huic tractatui inserta est prolixa disputatio,

(1) *Σύνοψις* pp. *κζ'-λα'*.

(2) Mazarakis, *Βιογραφίαι τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν τῆς νήσου Κεφαλληνίας*, Venetiis, 1843, pp. 140-153.

(3) Demetracopulos, *Ἡ ὀρθόδοξος Ἑλλάς*, Lipsiae, 1870, p. 179.

(4) *Ὁ Δαμῳδὸς οὐ μόνον κλειδοχράτωρ καταφαίνεται τῆς ἑλληνικῆς παιδείας τῆς τε θύραθεν καὶ τῆς ἱερᾶς, ἀλλὰ καὶ ἐντριβέστατος περὶ τὴν φιλοσοφίαν καὶ τὰς θεολογικὰς ἔριδας τοῦ ΙΖ' καὶ τοῦ ΙΗ' αἰῶνος. Ἐκ τῆς θεολογικῆς καὶ φιλοσοφικῆς πανοπλίας του ἐξακοντίζει βέλη ὀλέθρια κατὰ Παπιστῶν, Λουθηρανῶν, Ζουϊγγλιανῶν καὶ πασῶν τῶν συγχρόνων καὶ προγενεστέρων αἱρέσεων, ἀντιτάσσων αὐταῖς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, ἣν πανταχοῦ ἐμπεδοῖ μετὰ τῆς δεινοτέρας διαλεκτικῆς. — Θεολογικὸν Βουλγάρεως*, p. *μθ'*.

De Primatu Romani Pontificis: *Περὶ τοῦ τεθρυλλημένου ζητήματος μεταξὺ τῆς ἀνατολικῆς, καὶ τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας, περὶ τοῦ πρωτείου, καὶ περὶ τῆς ἀρχῆς ἤτοι ἐξουσίας τοῦ Πάπα* (c. 22). Fuse disseritur etiam de *Filioque*, de *epiclesi*, etc. Opus usque nunc nondum typis commissum est, licet pluries a Graecis statutum sit id ipsum in lucem edere (1). In eodem pago eiusdem insulae ortus est Antonius Moschopulos (1713-1788), qui ductu Vincentii Damodi theologicis disciplinis vacavit operam, et compendium redegit theologiae dogmaticae et moralis, quod typis vulgandum curavit G. Solomos (2).

Principatum inter recentioris graecae Ecclesiae theologos tenet Eugenius Bulgaris, percelebris scriptor atque eruditus saeculi XVIII, natus in insula Corcyrae anno 1716, vita defunctus anno 1806 Petropoli in *λαύρᾳ* S. Alexandri Nevsky (3). Multa et perdocta in lucem edidit (4), inter quae merent peculiarem mentionem Institutiones Theo-

(1) *Θεολογικὸν Βουλγάρεως*, pp. ν'-οδ'.

(2) *Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, συντεθεῖσα παρὰ τοῦ ἀοιδίμου Κ. Ἀντ. Μοσχοπούλου Κεφαλῆνος, διδασκάλου τῆς φιλοσοφίας καὶ τῆς ἱερᾶς θεολογίας, καὶ ἐκδοθεῖσα δαπάνῃ Γερασίμου ἱερέως Σολομοῦ Κεφαλῆνος*, Cephaloniae, 1851. Citanda etiam ut theologiae compendia: 1) *Sacra tuba fidei apostolicae, sanctae, oecumenicae, ac orthodoxae graecanae orientalis Ecclesiae Christi, in usum multorum eruditissimorum varii ordinis ac dignitatis in Europa degentium virorum, qui penitiorem de nostra religione notitiam sibi impertiri desiderarunt; nec minus in emolumentum ac spirituale lucrum, tam nostrae graecanae Ecclesiae, quam ceterarum christianarum, in lucem edita a* THEOCLETO POLYIDE, *Polyaniae in Macedonia abbate et archiecclesiarcha in sancto monte*, 1736. Datur etiam versio germanica huius operis: *Die heilige Posaune des Glaubens der apostolischen, allgemeinen, heiligen und rechtgläubigen griechischen orientalischen Kirchen Christi*, Novi Brenoburgi, 1736. Opus continet doctrinam orthodoxam de Deo, sacramentis, symbolis, libero arbitrio et sanctis. De auctore disserit Stuss, in opuscolo: *De excommunicationis Graecorum hodiernae impactae et solutae miris effectibus*, Gothae, 1733; 2) Theophilus, episcopus Campaniae (*Καμπανίας*), *Ταμεῖον ὀρθοδοξίας περιέχον συνοπτικῶς, καὶ διαλαμβάνον περὶ Θεοῦ, περὶ πίστεως, περὶ ἐξηγήσεως καὶ χρήσεως τῶν ἑπτὰ Μυστηρίων, τῶν δέκα ἐντολῶν, καὶ τῶν ἀναγκαιοτέρων τῆς ἱερᾶς Ἐκκλησίας ἐθίμων*, Venetiis, 1789; Tripoli Arcadiae, 1860. Opus continetur 110 capitulis, in quibus de plurimis ad theologiam dogmaticam et moralem confuse disseritur; 3) Breve compendium theologiae dogmaticae et moralis conscriptum a hieromonacho Cyrillo, *ἐξ Λισινίτζης*: *Βιβλίον ὀνομαζόμενον ἱερὸν ἐγκόλπιον*, Iassii, 1843. Arroganter ait in prooemio auctor: *Ὅστις βούλεται νὰ γένῃ θεολόγος, ἂς ἀναγινώσκῃ τοῦτο τὸ μικρὸν βιβλιάριον*. — P. 2. Cf. *Wiederanfänge der theologischen Literatur in Griechenland, Theologische Studien und Kritiken*, t. I, 1841, pp. 7-53.

(3) Eugenii Bulgareos vitam inseruimus tomo III *τοῦ Dictionnaire de Théologiae Catholique*, coll. 1236-1241. Cf. VRÉTOS, *Biographie de l'archevêque Eugène Bulgari, rédigée sur des documents authentiques*, Athenis, 1860.

(4) Horum catalogum redegit Solovev, in Странникъ, Petropoli, 1867, t. III, pp. 1-19.

logicae, cui titulus *Θεολογικόν*. Hoc opus typis vulgavit archimandrita Agathangelus Lontopulos (1). In eo agit Bulgaris de theologia ac de locis theologicis (c. 12), de Deo divinisque attributis (c. 44), de Trinitate (c. 12), de Angelis (c. 8), de Creatione (c. 6), de Incarnatione (c. 25). Utitur stylo archaico, *classicos* imitatus Graeciae scriptores, et, quod cuique mirum videbitur qui perspectum habuerit odium graecorum theologorum in scholasticam, methodum scholasticam adhibet. Magistrum theologiae Eugenium Bulgarim habuit Athanasius Parius, ex insula Paros († 1813), qui conscripsit *Epitomen divinorum fidei dogmatum*, ubi plura congessit ex scriptis Bulgareos hausta (2). Auctor calumniis et maledictis non parcit in denigranda theologia catholica.

6. Ad nuperos theologos quod attinet, post renatam Graeciam, in graecum idioma ex russico translata sunt compendia theologiae archimandritae Antonii (3) et metropolitae Macarii (4). Anno 1903 Zikos Rhosis, professor theologiae dogmaticae atque ethicae christianae in universitate atheniensi, atque in schola ecclesiastica Rizaria, in lucem edidit primum tomum *systematis dogmatici Ecclesiae catholicae orthodoxae* (5). Is fatetur ab octavo iam saeculo theologiam in graeca Ecclesia satis excultam non fuisse: *δὲν ἐκαλλιεργήθη ἐπαρκῶς ἐν τῇ Ἀνατολικῇ Ἐκκλησίᾳ* (6). Praesertim, post captum a Turcis Byzantium, theologiae systematicae elaboratio praetermissa est. In praesentiarum

(1) *Θεολογικόν, νῦν τὸ πρῶτον ἐκδιδόμενον ὑπὸ τοῦ ἀρχιμανδρίτου Ἀγαθαγγέλου Λοντοπούλου, ἐφημερίου τῆς ἐν Βιέννῃ τῶν ὀρθοδόξων ὁμογενῶν Κοινότητος*, Venetiis, 1872.

(2) *Ἐπιτομὴ εἴτε συλλογὴ τῶν θείων τῆς πίστεως δογμάτων μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατ' ἐπιτομὴν φιλοπονηθεῖσα, ὑπὸ τοῦ ἐν Ἱερομονάχοις ἐλαχίστου Ἀθανασίου τοῦ Παρίου, καὶ ὅτι μάλιστα ἐπισταμένως καὶ ἐπιμελῶς θεωρηθεῖσα ὑπὸ τοῦ πανιερωτάτου καὶ σεβασμιωτάτου ἁγίου πρώην Κορίνθου Κ. Κ. Μακαρίου τοῦ Νοταρᾶ*, Lipsiae, 1806. — Cf. Démétracopulos, op. cit., pp. 197-198.

(3) *Δογματικὴ θεολογία τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς καὶ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, προτασσομένης εἰσαγωγῆς εἰς τὴν σειρὰν τῶν θεολογικῶν ἐπιστημῶν, συντεθεῖσα ὑπὸ τοῦ πρυτανέως τῆς ἐν Κιέβῳ ἐκκλησιαστικῆς Ἀκαδημίας ἀρχιμανδρ. Ἀντωνίου, διδάκτωρος τῆς θεολογίας, διορθωθεῖσα δὲ καὶ τὸ ἕκτον ἐκδοθεῖσα τῷ* 1856, *ἐν Κιέβῳ, ἐξελληνισθεῖσα δὲ ἐκ τοῦ ῥωσσικοῦ ὑπὸ Θεοδώρου Βαλλιάνου, συνταγματάρχου τῶν γενικῶν ἐπιτελῶν τοῦ στρατοῦ τῆς Ἑλλάδος*, Athenis, 1858.

(4) *Ἐγχειρίδιον τῆς κατὰ τὴν ὀρθόδοξον εἰς Χριστὸν πίστιν δογματικῆς θεολογίας, συγγραφὲν μὲν ῥωσσιστὶ ὑπὸ τοῦ πανιερωτάτου καὶ σοφωτάτου Μητροπολίτου Μόσχας κ. κ. Μακαρίου, ἐξελληνισθὲν δὲ ὑπὸ Νεοφύτου Παγίδα, ἀρχιμανδρίτου*, Athenis, 1883.

(5) *Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας ὑπὸ Ζήκου Δ. Ῥώση, καθηγητοῦ τῆς δογματικῆς καὶ χριστιανικῆς ἠθικῆς ἔν τε τῷ ἐθνικῷ Πανεπιστημίῳ καὶ τῇ Ῥιζαρείῳ ἐκκλησιαστικῇ Σχολῇ*, Athenis, 1903.

(6) Ib., p. ε'.

uberrima theologorum occidentalium, maxime protestantium, segete, juvari potest theologia orthodoxa in scientifica explanatione et methodica tractatione dogmatum fidei (1). Cum theologi munus non sit haec dogmata historice tantum tradere, liquet theologiam dogmaticam necessario characterem tum historicum, tum ecclesiasticum habere, philosophicum scilicet ac simul theoreticum. Dogmata versantur etiam circa veritates altissimas quae obiectum constituunt speculationis philosophicae vel metaphysicae. Hac de causa approbat quidquid recti varia systemata philosophica tradunt de Deo, mundo, materia, anima, eaque emendat sanis fidei christianae principiis eorumque lacunas implet (2). Consequitur inde dogmaticam Ecclesiae orthodoxae sibi proponere diligentem expositionem historicam dogmatum, simulque evolvere, explanare, ac demonstrare per theoreticam speculationem, eorum veritatem, methodice ordinare, ac principio quodam fundamentali ostendere *ἁρμονικὸν* nexum inter hoc ipsum principium et quodlibet dogma, ac denique dogmatum relationes ad varia systemata philosophica physicarumque disciplinarum inventa patefacere (3).

In prolegomenis sui operis sedulo inquirit auctor relationes theologiae dogmaticae ad ceteras scientias: deinceps agit de Dei existentia atque essentia, de Trinitate, de Creatione ac Providentia Dei, de Angelis, de Daemonibus, de Homine, de Anima, de Religione ac Revelatione, de Scriptura Sacra ac Traditione.

De hoc opere judicium ferens Christos Andrutsos animadvertit, auctorem in id praesertim tendere ut fidei christianae apologiam conscribat, obiectaque adversariorum refellet. Magis igitur quam dogmaticum, characterem apologeticum ac polemicum hoc systema theologiae prae-

(1) *Ἐκ τῆς μελέτης τῶν δογματικῶν συγγραμμάτων εἴτε τῆς λατινικῆς Ἐκκλησίας, εἴτε τῶν Διαμαρτυρομένων, καὶ μάλιστα τῶν διαμαρτυρομένων, τὰ μέγιστα δύναται νὰ ὠφελιθῇ ὁ ὀρθόδοξος θεολόγος ἐν τῇ ἐπιστημονικῇ ἐρεύνῃ καὶ μεθοδικῇ ἐκθέσει τῶν δογμάτων.* — P. ς'. De hoc opere scribit A. Dorner: Die Schrift zeigt sich von der spekulativen deutschen Theologie des vorigen Iahrhunderts auf das Stärkste beeinflusst. — *Eine neue griechische Dogmatik, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, t. XLVIII, 1905, p. 153; cf. etiam *Theologischer Jahresbericht*, t. XXIII, Berolini, 1904, p. 692.

(2) Ib., p. δ'.

(3) *Ἡ δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ὡς ἐπιστημονικὸν σύστημα δὲν πρέπει ν' ἀρχῆται εἰς τὴν ἀκριβῆ ἱστορικὴν ἔκθεσιν τῶν δογμάτων τῆς Ἐκκλησίας, ἀλλ' ὀφείλει καὶ ν' ἀναπτύξῃ, διασαφήσῃ καὶ ἀποδείξῃ, ὅσον ἔνεστι τὴν ἀλήθειαν αὐτῶν διὰ θεωρητικῆς ἐρεύνης, ἐκτεθεῖσα μεθοδικῶς ταῦτα, παράγουσα ἔκ τινος θεμελιώδους ἀρχῆς τὰ καθ' ἕκαστον δόγματα κατὰ τὴν πρὸς τὴν ἀρχὴν ταύτην καὶ πρὸς ἄλληλα ἑνότητα, καὶ δεικνύουσα τὴν σχέσιν αὐτῶν πρὸς τὰ διάφορα συστήματα τῆς φιλοσοφίας καὶ πρὸς τὰ πορίσματα τῶν φυσικῶν ἐπιστημῶν.* — Ib., p. ς.

sefert (1). Et revera non sine detrimento lucidi ordinis theologiae dogmaticae nectitur in hoc opere dogmatum historia atque apologia philosophica religionis christianae. Quo fit ut perspicuitate aptaque ad incipientium eruditionem methodo careant hae *Institutiones theologicae*, quibus sperabat auctor novam semitam studiosis in Graecia se monstraturum. Adde etiam quod, ut mos est fere communis graecis scriptoribus, fontes e quibus auctor noster attingit plurima, nequaquam citantur.

Anno 1907 Christos Andrutsos, qui duos annos theologiam symbolicam docuit in Khalkensi theologica schola, typis vulgavit novum compendium dogmaticae (2) quod multis disceptationibus inter amicos atque adversarios ansam praebuit. Dolet auctor Occidentem innumeris abundare compendiis theologiae, dum contra *Institutiones theologicae*, quibus utitur graeca Ecclesia, ex russico praecipue in graecum idioma translatae, neque scientiarum, neque studiosorum necessitatibus respondent. Ad suam methodum quod attinet, ipse declarat theologiae orthodoxae cavendum ne in protestantium scopulos incidat, ac simul ne Latinorum scripta in dogmatica elaboranda exemplaria sibi proponat. Auctor improbat protestantium vel perniciosam sententiarum licentiam qua fit ut quisque suis placitis philosophicis doctrinam Christi conformare studeat, vel formularum cultum, qui theologos protestantes in miserrimarum *Κατηχήσεων* conditores convertit. Orthodoxa theologia usurpat ut fontem ac normam dogmatum divinam revelationem, eo sensu quem ei affinxit Ecclesia infallibilis, ac *formalem usum* tantum tribuit rectae rationi in sua provincia, in quantum scilicet haec confert ad firmitatem dogmatum statuendam, cunctis adhibitis inquisitionis modis, vel ad eorum logicam ac systematicam expositionem enucleandam (3).

Neque methodum catholicam seligendam tenet auctor, ut theologia orthodoxa suis in principiis inconcussa permaneat. Communis est sive catholicis sive orthodoxis theologis sententia, definitiones dogmaticas ad Ecclesiam infallibilem pertinere. At catholica theologia, ipse ait, cum iam per concilium tridentinum essentialia fidei statuta possideat, atque organo infallibilitatis muniatur semper parato ad difficultates solvendas, nec non ditissima glorietur theologica speculatione, suis studiosis relinquit solummodo dispositionem et coordinationem sy-

(1) Op. cit., p. 31.

(2) *Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ὑπὸ Χρηστοῦ Ἀνδρούτσου*, Athenis, 1907.

(3) Ib., p. *θ'*.

stematicam theologicarum materiarum, quin praetergrediatur terminos ab autenticis definitionibus Ecclesiae positos. Contra Ecclesia orthodoxa, dogmata authentice definita a conciliis oecumenicis tantum accipit Trinitatem atque Incarnationem. In ceteris vero discutiendis utitur vel traditionis patristicae argumentis, vel synodorum particularium saeculi XVII decisionibus. Quo fit ut maximis laboret incommodis speculatio theologica orthodoxa. Definitiones enim dogmaticae saeculi XVII, potius negativae quam positivae dicendae, nequeunt eadem accipi auctoritate ac synodorum oecumenicorum definitiones, et consequenter tantum probandae, quantum traditioni respondent Ecclesiae. Theologi orthodoxi munus, sive in coordinandis et schematice transcribendis, sive in colligendis atque elaborandis dogmaticis veritatibus, perdifficile habetur. Saepissime deficientibus authenticis Ecclesiae declarationibus, opus est ut diligentius theologicae quaestiones discutiantur, iuxta spiritum Ecclesiae Orthodoxae qui manifestatur in praxi (1).

Quae verba attulimus ut pateat vel theologos orthodoxos perspectum habere lacunas theologiae orthodoxae ex defectu magisterii authentici promanare.

Duas sectiones in suo opere statuit auctor: una tractat de praesuppositis divinae Incarnationis; altera, de ipsa Incarnatione. In priori sectione agitur de Deo, de Creatione, de Providentia, de Mundo, de Peccato originali; in posteriore vero de Persona Christi, de gratia divina, de Sacramentis Ecclesiae, de iudicio universali, de fine huius mundi.

Theologia Christi Andrutsi, quae copiosis instruitur citatis scriptorum occidentalium, acerrimos invenit censores inter eos qui abominantur *heterodoxorum* influxum. Constantinus Dyovuniotis opusculum exaravit ut demonstraret generatim sententias auctoris multis commisceri erroribus easque depromptas fuisse ex Symbolica Möhler, adiectis explanationibus sive catholicorum, sive protestantium theologorum (2). Suspiciones heterodoxiae, quae in suum opus iniectae sunt, conatus est eluere Christos Andrutsos in suis Exercitationibus dogmaticis (3). Hasce

(1) *Τὸ ἔργον τοῦ ὀρθοδόξου δογματικοῦ, οὐχὶ μόνον περὶ τὴν οἰκοδομὴν καὶ τὴν διαγραφήν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν περισυλλογὴν και κατεργασίαν της δογματικῆς ὕλης περιστρεφόμενον, εἶναι ἐκ τῶν δυσχερεστάτων· πολλαχοῦ δὲ δι' ἔλλειψιν αὐθεντικῆς ἀποφάνσεως παρίσταται ἀνάγκη, ὅπως ἀκριβοῦνται τὰ πράγματα κατὰ τὸ ὀρθόδοξον πνεῦμα, τὸ ἐν τῇ Παραδόσει κρατοῦν καὶ ἐν τῇ πράξει ἐκφαινόμενον.* — Ib., p. ι'. Eadem fatetur N. Damalas: *Ἠδύναντο οἱ ξένοι θεολόγοι, οἱ περὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμῶν γράφοντες, νὰ ὁμιλῶσι περὶ σχετικῆς, οὐχὶ ὅμως καὶ περὶ νεκρώσεως τῆς Ἐκκλησίας. — Περὶ ἀρχῶν*, Lipsiae, 1865, p. 5.

(2) *Ἡ δογματικὴ τοῦ Χρηστοῦ Ἀνδρούτσου κρινομένη*, Athenis, 1907.

(3) *Δογματικαὶ μελέται· ὁ ὑφηγητὴς τῆς θεολογίας Κ. Δυοβουνιώτης ἐξεταζόμενος εἰς τὴν δογματικὴν καὶ εἰς τὴν λογικήν*, Athenis, 1907.

acerbe insectatus est prior in sua *Responsione* (1), cui reposuit Andrutsos in altero tomo *Exercitationum dogmaticarum* (2), ubi insinuat adversarium suum vulgasse tot probrosa, timore perculsus ne haberet aemulum in ambienda cathedra theologica universitatis atheniensis. In Graecia enim probra in aemulum, optima censentur media ut quis promoveatur ad clariora officia: *ἐν Ἑλλάδι ἡ διαφήμισις εἶναι τὸ ἄριστον μέσον εἰς προαγωγὴν ἐπιστημονικήν* (3). Hisce contentionibus theologicis adfuit etiam praecitatus Balanos, qui plurima notavit reprehensione digna in opere Andrutsi, quaedam praesertim e penu theologiae protestantis immediate hausta (4). Haec theologica concertatio perutilis est ad novas *tendentias* graecae theologiae dignoscendas: brevitati tamem consulentes, eius expositionem mittimus. Ex ea pronum est deducere illud, quod pluries innuimus, inter catholicam theologiam ac lutheranam theologos orthodoxos, authentici magisterii expertes, continenter nutare.

7. Ad russicam theologiam quod attinet, asserimus in russica Ecclesia, usque dum graecae Ecclesiae iurisdictioni haec submissa iacuit, studia theologica tantum acri polemicae adversus Latinos operam navasse. Excusso autem iugo Patriarchae Constantinopolitani, quod pedetentim factum est (5), per influxum catholicae theologiae scientiae sacrae in Russia florescere coeperunt. Hoc praecipue evenit in parva Russia, sub polonica dominatione. Kiovia facta est, ut ita dicam, Athenaeum russicae orthodoxiae, atque in Academia kioviensi, professores theologiae in erudienda iuventute latino utebantur sermone, methodoque scholasticae maxime addicti erant. Cultura theologica russicae Ecclesiae suos perillustres adsertores Kioviae nacta est; Mosquae contra diu rudis atque indoctus mansit clerus orthodoxus (6). Nobis animus non est historiam theologiae russicae hic enucleare: de prae-

(1) *Ὀφειλομένη ἀπάντησις*, Athenis, 1908.

(2) *Ἡ μετὰ τὰς ἐξετάσεις δικαιολογία τοῦ κ. Α. Ἀνδρουνιώτου, καὶ ἡ κρίσις τοῦ κ. Μπαλάνου*, Athenis, 1908.

(3) Ib., p. 5.

(4) *Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ κ. Χρηστοῦ Ἀνδρούτσου, Νέα Σιών*, 1907, t. V, pp. 669-705. De hac concertatione theologica disseruit M. Jugie, *Une nouvelle dogmatique orthodoxe; trois theologiens grecs en présence, Échos d'Orient*, XI, 1908, pp. 146-154, 257-264.

(5) Praeclarum de hac re opus extat in russica litteratura: Th. Barsov, Константинопольскій патріархъ и его власть надъ русскою церковію (*Patriarcha Constant., eiusque auctoritas in russicam Ecclesiam*), Petropoli, 1878.

(6) Dobroklonsky, Руководство по исторіи русской церкви (*Compendium historiae russicae Ecclesiae*), t. III, Mosquae, 1889, pp. 130-134.

cipuis solummodo *compendiis systematicis* a scriptoribus russis orthodoxis exaratis, breviter agere contendimus.

8. Primus omnium qui specimen systematicum theologiae dogmaticae orthodoxae in Russia meridionali conscripsit habetur archimandrita Cyrillus Trankvillion Stavrovetzky, magister scholae confraternitatis leopoliensis (1587-1591) (1), Cernigoviae defunctus anno 1646. In lucem edidit *Speculum Theologiae*, ex multis libris theologicis excerptum (2). In tres partes opus dispescitur. In prima sermo est de essentia Dei; in secunda de quadruplici mundo, invisibili (Angeli), visibili (coelum et terra), humano et diabolico; in tertia de tenebris et luce, ac de aeterna beatitudine. Suas theses probat auctor sive theologicis, sive philosophicis argumentis: scientias etiam naturales suum in auxilium vocat. Pluries catholicis sententiis, praesertim in eis quae ad epiclesin spectant, adhaesit (3).

In Russia vero septentrionali doctrinam dogmaticam Ecclesiae orthodoxae inter primos exposuit systematice Simeon Petrovsky Sitnianovitch, Polocensis dictus - Полоцкій - a natali urbe Polotia (Polotzk) - qui iuxta Philaretum obiit anno 1682: iuxta Pypin, 1680. Scripsit: *Coronam fidei catholicae, super fundamento symboli Sanctorum Apostolorùm, ex variis floribus theologicis contextam* (4). Constat opus 17 capitibus. Auctor incipit ab explicando quid sibi velit nomen *christiani*: qualitates deinceps veritatum fidei enumerat, de haeresibus disserit, atque articulos symboli apostolici suo ordine explanat. Non secus ac theologi occidentales, ut thesim probet, adducit primum te-

(1) Krylovsky, Львовское ставропигіальное братсво (*Confraternita σταυροπηγιακὴ leopoliensis*), Kioviae, 1904, pp. 261-262. Cf. quae scripsimus in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. III, col. 2580.

(2) Зерцало богословіи, изъ многихъ богословскихъ книгъ выбранное іеромонахомъ Кирилломъ Транквилліономъ, Pociaev, 1618, Unev, 1679, 1692, 1695. — Cf. Sopikov, Опытъ россійской библіографіи (*Specimen bibliographiae russicae*), t. I, Petropoli, 1904, nn. 387-390, p. 28.

(3) Dobroklonsky, III, p. 301; Eugenius (metr.), Словарь историческій о бывшихъ въ Россіи писателяхъ духовнаго чина (*Dictionarium historicum scriptorum ecclesiasticorum russorum*), t. II, Petropoli, 1827, pp. 335-336; Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы (*Conspectus historiae litteraturae sacrae russicae*), Petropoli, 1884, pp. 187-188.

(4) Вѣнецъ Вѣры Каѳолическія, на основаніи Символа Святыхъ Апостолъ изъ различныхъ цвѣтовъ Богословскихъ и прочихъ сплетенный. — Opus, anno 1670, conscriptum, asservatur in bibliotheca synodali mosquensi. Cf. Eugenius, op. cit., t. II, p. 216; Philaretus, p. 246. Analysin eorum quae in eo tractantur dederunt Gorsky ac Nevostruev, Описаніе славянскихъ рукописей московской синодальной библіотеки (*Descriptio codicum slavorum bibliothecae synodalis mosquensis*), t. II, Mosquae, 1862, 3, pp. 220-227.

stimonia Sacrae Scripturae, deinde Patrum auctoritatem, ac pro re nata, etiam philosophica argumenta. Scholastica methodo imbutus, subtiliores quaestiones, quae a scholaticis tractari solent, non dedignatur. Disserit verbigratia de loquela angelorum, de tempore et loco quo fiet iudicium universale, de verbis quae angelica tuba emittet, ut mortuos e suo somno excitet, cur Iesus Christus natus sit mense decembri, an potuerit loqui statim post suam nativitatem, cur quatuor clavis affixus fuit cruci, an Adam manserit tantum tres horas in Eden, an homines resurgent cum capillis et ungulis pluries in terris recisis, etc. Latinis traditionibus addictus, ut mos erat in kioviensi academia, interdum citata Scripturae Sacrae haurit ex Vulgata; saepe latinorum Patrum vel Scriptorum testimonia affert, praesertim S. Augustini, S. Hieronymi, Rabani Mauri, S. Anselmi Cantuariensis, Gersonii, et Bellarmini; apocryphorum locos inducit ex latinis fontibus; systemate astronomico utitur quod scholastici tuebantur; raro in Latinos invehit, eosque odio non habere demonstrat (1).

9. Praeclarissimi theologiae magistri saeculis XVII ac XVIII extitere in Academia ecclesiastica kiovensi. Dolendum quidem est eorum opera, quae segetem uberrimam conferrent ad historiam theologiae dogmaticae in Russia sub praevalente influxu catholicae theologiae, Kioviae delitescere in scriniis bibliothecarum Academiae ecclesiasticae, seminarii ecclesiastici, cathedralis S. Sophiae et monasterii S. Michaelis. Iuvat saltem quaedam nomina meminisse.

I. Krokovsky, alumnus collegii kioviensis, studuit Romae, in collegio S. Athanasii; ad sedem metropolitanam kioviensem evectus est anno 1708 (2). Mortem obiit anno 1718. Reliquit tractatus theologicos

(1) De Simeone Polocensi egerunt: B. Pievnitzky, Симеонъ Полоцкій, Прав Обозрѣніе, 1860, t. III, pp. 193-232, 327-356; I. Tatarsky, Симеонъ Полоцкій: его жизнь и дѣятельность: опытъ изслѣдованія изъ исторіи просвѣщенія и внутренней церковней жизни во вторую половину XVII вѣка (*Simeon polocensis: eius vita et res gestae: specimen disquisitionum ad historiam culturae et vitae intimae Ecclesiae altero dimidio saeculi XVII pertinentium*), Mosquae, 1886; L. Maikov, Очерки изъ исторіи русской литературы XVII и XVIII столѣтій (*Dissertationes in historiam russicae litteraturae vertentibus saeculis XVII et XVIII*), Petropoli, 1889, pp. 1-162; Porfiriev, Исторія русской словесности (*Historia russicae litteraturae*), t. I, Kasan, 1897, pp. 659-663; A. Pypin, Исторія русской литературы (*Historia russicae litteraturae*), t. II, Petropoli, 1907. pp. 325-343),

(2) Vitam eius enarravit Th. Titov: Русская православная церковь въ польско-литовскомъ государствѣ въ XVII-XVIII вв. (*Ecclesia russica orthodoxa intra limites regni polonici lithuanici saeculis XVII et XVIII*), t. II, Kioviae, 1905, pp. 456-470.

duodecim numero, universam theologiam complectentes. Macarius Bulgakov opinatus est I. Krakovsky, praelectiones dogmaticas, quas manuscriptas reliquit, tradidisse annis 1693-1697 (1). Petrov luculenter ostendit chronologiam Macarii falsam esse. I. Krakovsky cathedram theologiae in academia kioviensi tenuit annis 1689-1693 ideoque tractatus theologici, qui ei attribuuntur, auctorem habent Stephanum Iavorskum, metropolitam Riasanensem († 1722) (2). Hoc systema theologiae, quod incipit a tractatu Ssm̃ae Trinitatis, dogmaticam simul et moralem tradit, ac fuse decertat adversus catholicos et lutheranos (3). Innocentius Popovsky, rector Academiae kioviensis (1704-1707), scripsit *Cursum biennalem theologiae sacrosantae*, qui asservatur in bibliotheca cathedralis S. Sophiae (4). Memoratu dignum quod ipse doceat disertis verbis « Deiparam Virginem pro nullo unquam instanti contraxisse peccatum originale ». Hanc fidem, referimus eius verba, semper sacrosancta orientalis Ecclesia, imo et occidentalis, tenet. Si Beata Maria Virgo originali vitio fuisset deturpata, caderet hoc in magnam ignominiam et dedecus Christi. Si conceptio Deiparae non esset immaculata, erraret Ecclesia proponendo eam speciali festivitate colendam. « Praedicatur illibata conceptio Mariae in ecclesiis, colitur in sodalitiis, personat in publicis colloquiis, ubique apud omnem gentem triumphat (5) ». Ad quaestionem utrum omnes Adami posteri contraxerint peccatum originale, respondet: « Beatissima virgo non contraxit peccatum originale. Haec conclusio est de fide; ac licet non sit definita in conciliis, pie tamen tenenda est a catholicis tanquam proxima fidei dogmati » (6).

Christophoros Ciarnutzky, rector academiae kioviensis annis 1706-1710, *Theologiam scholasticam* elaboravit, quae undecim tractatus comprehendit: asservantur plures codices manuscripti in bibliothecis urbis Kioviae, quas memoravimus. De Beatissima Virgine expresse profitetur *eam praeservatam fuisse a macula originali*: adnotat tamen hanc sententiam sancitam non fuisse a conciliis oecumenicis (7). Iosephus

(1) Исторія кіевской Академіи, pp. 69-74.

(2) Op. cit., pp. 53-54; Православная богословская Енциклопедія, t. VII, coll. 177-180.

(3) A. Arkhanghelsky, Духовное образованіе и духовная литература въ Россіи при Петрѣ Великомъ (*Cultura ecclesiastica in Russia imperante Petro Magno*), Kasan, 1883, pp. 62-63; Philaretus, pp. 213-214.

(4) Vichnevsky, op. cit., pp. 20-21.

(5) Ib., pp. 227-228.

(6) Ib., p. 229.

(7) Ib., p. 229.

Volciansky, rector academiae (1721-1727), archiepiscopus mosquensis (1742-1745), posteris reliquit *Theologiam christianam orthodoxam pro diversitate materiarum in varios tractatus, disputationes et quaestiones divisam.* Decem tractatus opus comprehendit: 1) De Deo uno et trino; 2) De Deo Trino in personis; 3) De Angelis; 4) De homine in statu innocentiae; 5) De Incarnatione Dei; 6) De Sacramentis; 7) De tribus virtutibus theologicis; 8) De ultimo fine hominis et actibus humanis; 9) De peccatis; 10) De gratia. Ad Immaculatam Conceptionem quod attinet, profitetur omnes graecos doctores eam non agnovisse, atque huic sententiae adhaesisse veteres scholasticos ante Scotum. Suam sententiam expromens, ait incertum esse an Iesus Christus respectu beatissimae Virginis salvator et medicus fuerit solum praeservativus, praesertim si Ipsa nata est ex concupiscentia carnali (1). Hilarion Levitzky, rector Academiae (1727-1731) *Theologiam scholasticam* exaravit, duodecim tractatibus comprehensam, ubi tuetur Beatissimam Virginem praeservatam fuisse a labe originali (2). Ambrosio Dubnevitch, rectori Academiae (1731-1735), tribuitur *Cursus quadriennalis Theologiae christianae orthodoxae pro varietate materiarum in varios tractatus divisus.* Constat octo tractatibus. Assentit Immaculatae Conceptioni. Archimandrita Hilarion Negrebetzky, professor theologiae in academia kioviensi (1733-1735), theologiam scholasticam exaravit quae tractatus comprehendit: 1) De Deo optimo, maximo, uno in essentia, trino in personis; 2) De beatitudine et actibus humanis; 3) De Angelis; 4) De homine in statu innocentiae. Docet ortum Beatissimae Virginis immunem fuisse a peccato originali: hac de causa Ecclesiam diem festum statuisse ad eum commemorandum: « Et nos ergo ex eo, quod Ecclesia celebrat festum conceptionis, nil dubitamus conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officii, ad quod assumebatur » (3). Sylvester Kuliabka, rector Academiae (1740-1745), postea archiepiscopus petropolitanus (1750-1761), composuit *Theologiae sacrae Summam post quadriennalem theologicarum rerum solemnem hic pertractationem oculis deinceps animisque theologiae in Academia kijoviensi studiosorum subjectam.* In hoc opere, ad sententiam Philareti, excellit tum profunditate speculationis, tum claritate expositionis, qua de re meruit ut a discipulis appellitaretur *aureus, benedicendus magister* (4). De-

(1) Vichnevsky, op. cit., pp. 229-230, 250-251.

(2) Ib., p. 230.

(3) Ib., pp. 254-255.

(4) Op. cit., p. 329; P. Zaliessky, Сильвестръ Кулябка, архіепископъ Св.-Петербургскій, какъ духовный писатель (*Sylvester Kuliabka, archiepiscopus*

nique recensendi hieromonachus Barlaam Liachtchevsky, qui anno 1747 scripsit *Argumentatricem theologiam sanctam, pro varietate materiarum varios in tractatus divisam*, et Sylvester Liaskoronsky, rector Academiae (1746-1751), qui *Cursum Theologiae*, septem tractatus comprehendentem, exaravit. Hic a tuenda doctrina Immaculatae Conceptionis abstinuit, quin tamen eam diserte rejiceret. Haec enim habet: « Adverte, quod Scotus et alii dicunt Beatissimam Virginem ne originaliter quidem a primo instanti suae conceptionis peccare potuisse, sed haec doctrina non est definita ab Ecclesia » (1).

10. Ex dictis patet quantum theologia scholastica et catholica sub dimidium saeculi XVIII in academia kioviensi invaluerit. Ut scribit Pypin, in certamine adversus catholicam doctrinam, strenue dimicantibus Societatis Iesu sodalibus, *ὀρθοδοξία* Russiae meridionalis atque occidentalis penitus disiecta est. Scholae a sodalibus Societatis Iesu constitutae, quarum celeberrimae vilnensis et kioviensis habentur (2), praeiudicatas in catholicam fidem opiniones dissiparunt, ac perillustres russicae nobilitatis viros in sinum romanae Ecclesiae adduxerunt (3). Ut catholicismi progressui aggerem exstruerent, visum est orthodoxis eadem adhibere arma quibus sui adversarii utebantur, quaedam in iis tantum immutantes, ut ad suum usum converterent. Ad studium igitur scholasticae animum adiunxerunt, ac syllogismis aristotelicis suffulti, praetextos Latinorum errores profligare aggressi sunt. Iis tamen res male cessit. E coenosis enim fontibus potiusquam ex summis scholasticae occidentalis doctoribus, tractationum materiem hauserant theologi russi. Quo factum est ut defectus corruptae scholasticae sibi usurpaverint, in eisque theologicae investigationis fastigium collocarint. Scientia non sua sed aliena tumidi, dialecticis argutiis, nugatoriis ac persaepe ridendis quaestiunculis inutilem navarunt operam, et causa fuere cur in posterum cultiores theologi russi eam fastidiverint, atque

---

petropolitanus, ut scriptor ecclesiasticus consideratus), Труды К. Д. А., 1883, t. III, pp. 37-82; 1884, t. I, pp. 197-256; Rodossky, Описаніе 432-хъ рукописей, принадлежащихъ Св.-Петербургской духовной Академіи (*Descriptio 432 codicum manuscriptorum pertinentium ad bibliothecam academiae ecclesiasticae petropolitanae*), Petropoli, 1893, pp. 102-103.

(1) Vichnevsky, p. 231.

(2) De hisce scholis, ex quibus maximum coepit incrementum res catholica in Russia, fuse egerunt Lukaszewicz, *Historya szkół w Koronie i w W. Księstwie Litewskiem*, Posnaniae, 1849-1851; Baliński, *Dawna Akademia wileńska: próba jéj historyi od zalozenia w roku 1579 do ostatecznego jéj przekształcenia w roku 1803*, Petropoli, 1862.

(3) Op. cit., t. II, p. 317.

occasionem arripuerint inique calumniandi totam theologiam catholicam, perinde ac si istaec pedicis ac quisquiliis obruta esset.

Tota industria theologorum scholae kioviensis, cum suos tractatus componerent, in eo versabatur ut subtiliores quaestiones metaphysicae aristotelicae congererent, obiter maioris momenti controversiis delibatis. In compendiis theologiae ab eis traditis, passim huiusmodi occurrunt quaestiones: de Deo, utrum possit oculo corporeo videri; utrum possit loqui ambigua, et sic decipere homines; de Angelis, ubinam sint creati; in quonam coelo sint creati; in sidereo vel empyreo; de loco angelorum; de motu angelorum; de intellectu angelorum; utrum et quomodo angeli cognoscant Deum, vel seipsos, vel alios angelos; utrum cognoscant supernaturalia; de speciebus intelligibilibus angelorum: de inferno, utrum diametrus inferni, supputante Lessio, se extendat ad duo millia polonica; utrum in eo fontes adsint, saeviat hiems, torreat aestas; utrum planities reperiatur quae damnatorum deambulationi inserviat.

Neque hic tantum sistebant. Haud raro principia metaphysica Aristotelis accommodare conabantur mysteriis, quae tantum per revelationem innotescunt, eaque explicare, de quibus revelatio alte silet, omniaque aperire quae ineffabiliter latent in divina intelligentia. Verbigratia, theologus quidam kioviensis, Ch. Ciarnutzky, inquirebat « utrum satisfactio Christi per opera theandrica fuerit rigorose iustificalis », ac declarabat sensum huius quaestionis esse « utrum in satisfactione Christi, *secundum omnem rigorem aristotelicum*, servatae sint omnes leges seu conditiones perfectae iustitiae » (1).

Nec satis. Frivolis interdum ac trivialibus quaestiunculis, quae sonant irreverentiam in Deum, tractatus theologicos aspergebant. Serio enim disceptabant « utrum Filius Dei naturam asini, serpentis, columbae debuerit ac potuerit assumere; utrum Deus loco Christi potuerit suppositare mulierem; si Deus loco Christi suppositasset cucurbitam, quomodo illa fuisset concionatura, quomodo miracula editura, quomodo crucifigenda, etc. » (2). Absque iniuria igitur eis verba censemus accommodanda, quae de scholasticis sequioris oevi Melchior Canus habet: « Theologi adscriptitii, qui universas quaestiones theologicas absolvunt, et vanis, invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, edunt in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis

(1) Vichnevsky, pp. 216-217.
(2) Pypin, op. cit., t. III, p. 201.

Sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere e puerilibus disciplinis; scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur; nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum faeces in scholas inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum » (1). Kiovienses theologi sese iactabant suos magistros salutare S. Thomam Aquinatem ac Duns Scotum. Vestigiis insistentes catholicorum theologorum, Aquinatem epitheto Angelici designabant, suosque tractatus commentarios in Summam Theologicam appellitabant. Haud licet tamen inde deducere plenos haustus ex purissimo S. Thomae flumine hausisse. Summam Theologicam nonnisi ex obliquo cognovere. Doctrinam S. Thomae ipsi attingebant ex theologiae compendiis quae in scholis Societatis Iesu discipulorum manibus terebantur. Ex hisce compendiis profluxere etiam creberrima citata theologorum occidentalium, quorum nomina mendose ab iis referuntur. Tractatus theologicos scholae kioviensis qui perlegat, in iis frequenter commemoratos reperiet Caietanum, Gregorium Valencia, Amici, de Arriaga, Molina, Hurtado, Suaresium, de Lugo, Martinez, Perez, Pallavicinium, Comptonum, Toletum, Oviedo, Vasquez, etc. Nominum, quae commemoravimus, mendosae lectiones, ac diligentiae in citatis defectus clarissime ostendunt, theologos kiovienses prae manibus non habuisse scholasticorum opera, sed excerpta in compendiis catholicis 'tradita. Insuper, haec coacervantur excerpta, quin de iis ullum feratur iudicium, quin magistri academiae kioviensis ea proprio marte elaboraverint, vel inquisierint quaenam ex variis inter se pugnantibus sententiis maiori suffragio digna videretur. Si perpendatur etiam, plurima capita ex compendiis catholicae thologiae interdum ad verbum transcripta fuisse in tractatibus kioviensium theologorum, non foret alienum a veritate asserere unius saeculi spatio hosce theologos continenter populatos esse catholicorum opera.

Quidpiam tamen in hisce systematis habetur, quod ex theologia catholica depromptum non est, scilicet quaestiones controversae inter utramque Ecclesiam. Fortiter ac pugnaciter theologi kiovienses adoriebantur theologos sive catholicos sive protestantes. Haud raro in eorum scriptis tibi occurrent integri tractatus adversus Latinos. Quod autem magis mirandum est, in huiusmodi controversiis non modo aggerant locos Patrum occidentalium, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Hilarii Pictaviensis, Optati Milevitani, Arnobii, verum etiam ex ipsis Ecclesiae romanae conciliis, Lateranensibus vel Tridentino, sua depromunt argumenta. Hoc tam late dominante catholicae theologiae influxu fac-

(1) Op. cit., lib. VIII, c. 1, Tomus I, p. 428.

tum est, ut sententiae quaedam catholicae apud eos invaluerint. Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis, ut iam innuimus, suos vindices habuit in kioviensi academia, et quoad verba consecratoria, pluries theologi kiovienses catholicam sententiam tuiti sunt. Methodus vero theologiae tradendae ad normam scholasticae adamussim exigebatur. Studiorum theologicorum curriculum quatuor annis absolvebatur. Tractatus theologicos pro suo quisque lubitu diverso tradebat ordine. In quaestionibus enucleandis primum thesis ponebatur, deinde variae theologorum sententiae recensebantur. Conclusiones thesim sequebantur ad quarum demonstrationem argumenta suppeditabant S. Scripturae; haec confirmabant testimonia Patrum ac theologorum clari nominis: denique obiectiones proponebantur ac dialecticis distinctionibus solvebantur.

Ad alumnorum ingenia exercenda, disputationes scholasticae *sabbativae, menstruae ac finales* invectae fuerant. Solemnibus ac publicis concertationibus, quae ad finem anni scholastici indicebantur, mos erat ut adesset metropolita kioviensis, interdum Magnus Dux Kioviae, optimates ac praelati.

Hisce tamen lacunis, cum ex catholico fonte suum ortum duxisset, theologia scholae kioviensis maxime contulit in progressum sive intellectualem sive moralem cleri russici. Viri qui a Russis orthodoxis, tum sanctitatis, tum doctrinae fama, summa veneratione coluntur, ut Petrus Moghilas et S. Demetrius Rostoviensis, latinum, ut ita dicam, lac avide biberunt, eoque nutriti sunt. Cum vero hic influxus latinae theologiae locum cessit magistris lutherana doctrina infectis, studia theologica in Russia funditus obsolevere (1).

11. Inter Academiae kioviensis theologos sub initium saeculi XVII maximam famam sibi comparavit Theophanus Prokopovitch, sive eruditionis copia, sive insanarum novitatum studio, quo factum est ut iure meritoque antesignanus lutheranizantis theologiae in Russia habeatur. Natus Kioviae anno 1681, fidem catholicam in iuventute amplexus est, habitumque suscepit ordinis S. Basilii, ac Romam profectus, humanioribus ac theologicis studiis in urbe vacavit, ac latinum idioma apprime didicit. In patriam reversus, non solum romanae Ecclesiae prodi-

(1) B. Pievnitzky, О судьбахъ богословской науки въ нашемъ отечествѣ (*De fatis scientiae theologicae in nostra patria*), Труды К. Д. А., 1869, nn. 11-12, pp. 139-210; N. Petrov, Профессоръ богословія въ старой кіевской Академіи арх. Сильвестръ Суходольскій и его историческое разсужденіе о догматической богословіи (*Archimandrita Sylvester Sukhodolsky, professor theologiae antiquae academiae kiovensis, eiusque historica disquisitio de theologia dogmatica*), ib., 1898, IV, pp. 12-53.

tor evasit, sed etiam infestissimos inter eius hostes sese adscribens, iniuriis et calnmniis in eam quam maxime furiit. Quadriennio theologiam docuit in Academia kioviensi (1707-1711). Renuntiatus episcopus plescoviensis anno 1718, Petro Magno consiliator ac praecipuus adiutor adstitit in renovanda russica Ecclesia, seu potius in ea subigenda iugo civilis regiminis. Archiepiscopus novogrodensis creatus anno 1725, quo titulo supremam adeptus est dignitatem in russica Ecclesia, cessit e vivis anno 1736 (1).

Theologicae Institutiones, quas Th. Prokopovitch posteris reliquit, diu post eius mortem in lucem prodiere, curante Samuele Mislavsky. Hosce tractatus totum opus comprehendit: 1) *De Processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772; 2) *Introductio in theologiam*, Regiomonti, 1773; 3) *De Deo*, ib., 1774; 4) *De Trinitate*, ib., 1775; 5) *De creatione et providentia*, ib., 1775; 6) *De homine innocente*, Mosquae 1776; 7) *De homine lapso*, ib., 1776; 8) *De gratuita peccatoris per Christum iustificatione*, Breslaviae, 1779. Novae editiones totius operis tribus voluminibus contentae, Lipsiae prodierunt bis anno 1782 et 1792. Tractatum de homine lapso infectum reliquit auctor, eique editor adiecit e proprio penu decem capitula multaque in ceteris tractatibus emendavit vel auxit vel immutavit (2).

Quidam ex tractatibus Prokopovitch ex latino idiomate in russicum translati fuere a Matthaeo Sokolov, et Iacobo Evdokimov (3).

(1) Fuse de eius vita et scriptis egerunt: I. Cistovitch, Θеофанъ Прокоповичъ и его времія (*Theophanus Prokopovitch eiusque aetas*), Petropoli, 1868; P. Mo. rozov, Θеофанъ Прокоповичъ, какъ писатель: очеркъ изъ исторіи русской литературы въ эпоху преобразованія (*Theophanus Prokopovitch ut scriptor: specimen historiae russicae litteraturae in aetate reformationis*), Petropoli, 1880; Samarin, Стефанъ Яворскій и Θеофанъ Прокоповичъ (*Stephanus Iavorskius et Theophanus Prokopovitch*), Mosquae, 1880 (Opera, t. V. Haec dissertatio edita fuit prima vice Mosquae, anno 1844). Bacmeister, *Russische Bibliothek*, t. IV, Petropoli, 1777, pp. 256-267, 509-540.

(2) Philaretus; Обзоръ, pp. 291-292; Cerviakovsky, Матеріалы для исторіи православнаго богословія въ Россіи: " Введеніе въ богословіе „ Θеофана Прокоповича (*Documenta spectantia ad historiam theologiae orthodoxae in Russia: « Introductio in theologiam » Th. Prokopovitch*), Христ. Чтеніе, 1876, t. I, p. 35.

(3) Исторія о началѣ и продолженіи раздора между греками и римлянами о исхожденіи Св. Духа; православное христіанское ученіе о благодатномъ человѣка грѣшнаго чрезъ Христа оправданіи; православное христіанское ученіе о хулѣ на Духа Святаго; особенное разсужденіе о грѣхѣ смертномъ, и простительномъ, выбранныя изъ богословской его системы, и переведенныя съ латинскаго студентомъ Матвѣемъ Соколовымъ, Mosquae, 1773; Богословское ученіе о состояніи неповрежденнаго человѣка, или о томъ каковъ былъ Адамъ въ Раю, перев. съ латинскаго Яковъ Евдокимовъ, Mosquae, 1785. — Cf. Sopikov, op. cit., nn. 12, 783; 12, 796, t. III, pp. 94-95; Rodossky, Описаніе книгъ гражданской печати XVIII столѣтія,

Scriptores russi id praecipue laudant in theologicis tractatibus Prokopovitch, quod per eos nova explanata est via studio theologiae in Russia. Methodum ipse adhibuit, qua « reiectis frivolis abstrusisque scholasticae disceptationibus, theologia scientifico apparatu coepit exornari » (1). Quaenam vero haec sit methodus, Prokopovitch ipse diserte exposuit in famosa illa *Ordinatione Ecclesiastica*, quam efflagitante Petro Magno, conscripsit. En eius verba:

« Munus theologi est ut precipua fidei nostrae enarret dogmata et legis divinae praecepta; ut Sacram Scripturam lectitet, discatque canones qui ad exquisitam et genuinam Sacrae Scripturae vim intelligendam faciant, ut demum ad dogmata confirmanda, ex Scripturis petat testimonia. Subsidium porro huic conatui sedula Sanctorum Patrum lectione comparandum est, et quidem eiusmodi Patrum, qui data opera de dogmatibus ex disceptationum, quae in Ecclesia exortae fuerunt, occasione, cum oppositis haeresibus conflictantes scripserunt. Eiusmodi praesidiis, praesertim vero Sacrae Scripturae lumine adiuti, theologicae scientiae doctores non ludent operam. Quanquam theologiae doctori a recentioribus etiam heterodoxis doctoribus licebit interdum mutuari subsidia, non tamen oportet illum placitis eorum adhaerere, nec narratiunculis eorum acquiescere. Hoc non obstante eorum manuductioni, quibusnam illi ex Scriptura et ex antiquis Patribus desumptis documentis, praesertim ad dogmata nobis et heterodoxis communia propugnanda utantur, potest insistere, caute tamen fidem eorum allegationibus adhibebit, sed Scripturam ipsam, ipsosque Patrum libros, utrum textus allegatus inveniatur, et utrum in eodem sensu, in quo adfertur, positus sit, consulet. Frequenter etenim hi domini hallucinantur, testimonia, quae nusquam reperiuntur, adducentes. Non raro etiam textum sincerum detorquent. Habe vel unicum pro exemplo hoc Domini verbum ad Patrem: « Ego oravi pro te ne deficiat fides tua ». « Dictum est Petro, quoad solam ipsius personam in individuo (!). Romanenses vero ad suum Pontificem detorquent, colligentes inde Papam non posse, quamvis velit, in fidei articulis peccare. Doctoris igitur theologiae est ea, non quae ex aliorum commentis hauserat, sed quae exquisite novit, docere; immo opportuno tempore discipulis etiam ille indicabit in libris ut illis pariter constet, et dubium, vera ne an falsa doceat, tollatur » (2).

принадлежащихъ библіотекѣ С.-Петерб. духовной Академіи (*Descriptio librorum novi alphabeti litteris exaratorum vertente saeculo XVIII, atque in bibliotheca academiae ecclesiasticae petropolitanae asservatorum*), Petropoli, 1899, nn. 277, 474.

(1) Arkhanghelsky, op. cit., pp. 75-77.

(2) Mansi, T. XXXVII, coll. 57-58.

Ut scholasticae, vel potius catholicae theologiae dominationi in Russia finem imponeret, protestantium theologiam suam in patriam adferendam Th. Prokopovitch duxit. In theologicis disquisitionibus innititur praesertim auctoritate theologorum protestantium, Quenstedti, Pfeifferi, Gerhardi, Hollasii etc., commercium epistolare iniit cum Buddeo, ac philosophicis argumentis praetulit investigationes historico-philologicas. A methodo suorum aequalium deflectens, theologiam dogmaticam a morali separatim tradidit (1).

Posita distinctione inter veritates fidei ac veritates morales, theologiam totam in duas praecipuas sectiones dividit: 1) *De fide seu credendis*; 2) *De agendis*. Quoad credenda Deus considerat vel *ad intra* vel *ad extra*. Deus *ad intra* considerari potest in sua *essentia*, in suo *esse*, in suis *attributis*, in suis *Personis*. Quoad vero actus *ad extra*, cum actus exterior Dei fiat per *decretum divinum*, de hoc decreto agit Prokopovitch, et consequenter de *actione Dei creativa et conservativa*. Effectus divinae creationis, terminus actus creativi *mundus* est sive *visibilis*, sive *invisibilis*. Cum autem Providentia ad utrumque mundum se extendat, agit Theophanes *de relationibus* Dei ad *spiritus*, ad *homines*, atque ad *mundum*. In tractatu de providentia peculiares sunt quaestiones de *homine lapso*, de *peccato originali*, de *incarnatione*, de *redemptione*, ac de *mediatione divina*. Fructus vero redemptionis ab illis tantum accipiuntur qui gratiae obicem non ponunt, quapropter in theologia oriuntur quaestiones de *iustificatione* ac de *reprobatione*. Modi ad gratiam acquirendam statuuntur *fides* ac *sacramenta*. Fructus vero gratiae sunt *iustificatio, adoptio divina, sanctificatio,* et *glorificatio*. Subiectum denique praedestinationis est *Ecclesia Christi*, quae a Prokopovitch in suo quadruplici statu consideratur: *ante legem, sub lege, sub regimine gratiae,* et *in regno gloriae* (2).

Ut patet, conatur auctor noster logico nexu colligare varias partes theologiae dogmaticae, ac per dependentiam unius tractatus ab altero unitatem illam in ea efficere, quae ad scientiae dignitatem iure meritoque requiritur. Qua in re, quidquid ipse in scholasticam oblatret, scholasticam methodum, quae veritates theologicas in systema coordinat, evidenter sequitur.

Ad studium theologiae auctor noster praeviam exigit cognitionem linguarum graecae et hebraicae. Scriptores russi ei laudi vertunt quod suae aetate docuerit systema astronomicum copernicanum, si physicis

(1) Macarius, I, p. 58; Sylvester, I, pp. 122-123.
(2) Arkhanghelsky, pp. 67-74.

ac mathematicis argumentis rite demonstratum fuisset, Sacrae Scripturae auctoritati non contradicere. Contrariae favebat sententiae Stephanus Iavorsky, eique diu theologi russi adhaesere (1).

Cum e theologia lutherana persaepe theologicam materiam Prokopovitch sumpsisset, mirum non est sententias vel aperte protestantes vel protestantismum redolentes eum in suos tractatus induxisse (2). Hoc fatentur scriptores russi qui de eo egerunt. Reliquiarum cultum irridet Prokopovitch, ab eoque ut fideles avertat, narrat exuvias S. Stephani Protomartyris simul reperiri Venetiis ac Romae, caputque S. Iohannis Chrysostomi in basilica S. Petri Romae coli atque idem in sacrario patriarchali mosquensi asservari (3). In catholicos theologos, praesertim in Bellarminum, invehit, ac tuetur Sacram Scripturam et liturgiam in vulgarem sermonem vertendam. Plus minusve ad protestantium sententias accedit, cum agit de cultu sacrarum imaginum, de auctoritate Ecclesiae, de iustificatione, de Sacra Scriptura ac Traditione. Unicum fontem divinae revelationis innuere videtur Sacram Scripturam, Traditione contempta, licet quidam scriptores russi ab hac falsa sententia eum expurgare conentur.

Propensio Th. Prokopovitch ad sententias lutheranas, adversarios in eo concitavit e schola kioviensi. Cum Petrus Magnus ad sedem Plescoviensem eum vellet promovere, Theophylactus Lopatinsky et Gedeon Vichnevsky, ex eius operibus undecim propositiones excerpsere quas iudicio graecorum theologorum Sophronii atque Iohannicii ex genere Likhudorum (*Λειχοῦδαι*) subiecerunt. Uterque respondit praedictas theses haeresim praeseferre, inauditas esse in orientali Ecclesia, amentiae atque impietatis hyperbolem continere (4). Sed instante Petro Magno, cui Prokopovitch gratissimus erat, accusatores coacti sunt suam sententiam corrigere, ac declarare nullam heterodoxam doctrinam in eius scripta irrepsisse (5).

(1) Pypin, t. III, p. 201.

(2) Prokopovitch, ait P. Gagarin, « im Folge jenes übermässigen Hasses, den er gegen den Katholicismus hegte, offen sich auf die Seite des Protestantismus neigte, und dass von da an die russische Theologie unzweifelhafte Merkmale des protestantischen Einflusses gezeigt hat. — *Das theologische Lehrsystem in der russischen Kirche,* Monasterii, 1857, p. 52.

(3) Cerviakovsky, Источники введенія въ Богословіе Θеофана Прокоповича (*Fontes « introductionis ad Theologiam » Th. Prokopovitch*), Христіанское Чтеніе, 1878, t. I, pp. 348-351.

(4) Smentzovsky, op. cit. p. 372.

(5) Cistovitch, Θеофанъ Прокоповичъ, pp. 29-32, 705; Pekarsky, Наука и литература при Петрѣ Великомъ (*Scientia atque humaniores litterae imperante Petro Magno*), t. I, Petropoli, 1862, pp. 481-482.

Supervacaneum arbitror adjicere Th. Prokopovitch odium capitale in Latinos fovere ac theologos catholicos telis obruere. Contra Bellarminum, in sua *Introductione ad theologiam*, 140 paginas conscripsit. Incredibile est dictu quot probra ac dicteria projiciat in theologiam ac theologos catholicos. Saepissime apud eum huiusmodi verba occurrunt: scabies, prurigo, theologastri, scioli, virus evomere, cerebrosi, animalia balantia, stupidi, asini spurcissimi, asinorum synodus (concilium florentinum), stolidae pecudes, scutica digni nebulones, theologia asinina, improbi palpones, obsoleti paedagogi, male feriati, triviales, semibarbari, angulares homines, semiverbii, etc. (1). Quae probrosa verba adduximus ut pateat inique theologos catholicos a scriptoribus orthodoxis acerbioris styli in theologicis controversiis pertractandis insimulari. Nullus enim theologus catholicus, quantum nobis cognitum est, tot congessit in suis scriptis convicia ad suos adversarios refellendos, quot Th. Prokopovitch profudit in Latinos (2).

12. E schola Academiae mosquensis tres praesertim citantur praeclari theologi: Theophylactus Lopatynsky, Cyrillus Florinsky, et Gabriel Petrov. Primus, alumnus academiae kioviensis, anno 1706 creatus est rector academiae mosquensis, 1723 episcopus Tverensis, et postmodum archiepiscopus Pskoviensis ac Riasanensis. Mortem obiit anno 1741. Opus theologicum conscripsit cui titulus: *Scientia sacra, disputationibus theologicis SS. Ecclesiae Orientali, Scripturae, Conciliis et Patribus consentaneis, speculative et controverse illustrata in colle-*

(1) Тікномікоv, Шрактаты Θеофана Прокоповича о Богѣ единомъ по существу и троичномъ въ лицахъ (*Tractatus Theophanis Prokopovitch de Deo uno in essentia et trino in personis*), Petropoli, 1884, pp. 12-13.

(2) De theologia Th. Prokopovitch optime disseruerunt Tikhomirov in op. cit., Cervianovsky in praecitatis articulis atque insuper in articulis sequentibus: Священное Писаніе, какъ начало богословія по ученію протестантовъ ортодоксаловъ XVII вѣка и по " введенію въ богословіе „ Θ. П. (*Sacra Scriptura ut principium theologiae secundum doctrinam protestantium orthodoxorum saeculi XVII atque « Introductionem in Theologiam » Th. P.*, Христіанское Чтеніе, 1876, t. II, pp. 101-153; Ученіе Θеофана Прокоповича объ источникахъ богословія въ связи съ протестанствомъ XVII вѣка (*Doctrina Th. P. de fontibus theologiae in suis relationibus ad protestantismum saeculi XVII*, ib., t. I, pp. 291-330; Ученія Θ. П. о Св. Писаніи въ символическомъ и церковно-историческомъ отношеніи (*Doctrina Th. P. de Sacra Scriptura sub aspectu symbolico atque ecclesiastico-historico*), ib., 1877, t. II, pp. 2-42; О методѣ " Введенія къ богословіе „ Θ. П. (*De methodo « Introductionis ad Theologiam » Th. P.*), ib., 1878, t. I, pp. 321-351; Тернovsky, Матеріалы для исторіи русской религіозной и церковной жизни (*Documenta ad historiam vitae religiosae atque ecclesiasticae Russiae spectantia*), Шруды К. Д. А., 1865, I, pp. 139-159, 287-310, 595-613; II, 538-564; III, 260-279 (*Litterae Th. P.*).

gio Petro Alexiewiano mosquensi annis 1706-1710. Plura exstant exemplaria in bibliotheca academiae mosquensis. Methodum sequitur scholasticam in dogmatica tractanda, quam simul cum theologia morali tradit, de sacramentis in hac disserens. Quaestiones ac solutiones plerumque ex *Summa* S. Thomae Aquinatis haurit. Perpulchris hisce versibus suum opus absolvit:

> Haec ex parte Deo, partim sibi dedicat auctor,
> Apta et vera Deo, falsa et inepta sibi.
> Desque sibi veniam, erranti non sponte, precatur,
> Soli sed laudem, lector amice, Deo (1).

Alumnus itidem fuit academiae kioviensis Cyrillus Florinsky, qui anno 1736 mosquensem academiam ut praefectus rexit, ac cessit e vita anno 1744, dum navaret operam constituendo seminario laurae Ssmae Trinitatis et S. Sergii. Exaravit *Theologiam positivam ac polemicam traditam in mosquensi academia* ann. 1737-1740. Asservatur in huiusce academiae bibliotheca. Cum moderatione utitur scholastica methodo. Plures enim in suis tractatibus intermisit subtiliores quaestiones, quae otiosae ei visae sunt. Hac de causa censet Philaretus, sive ratione acuminis mentis, sive ratione excellentioris methodi, hunc theologum Theophylacto Lopatinsky antecellere. Contra latinos, protestantes atque incredulos vehementer pugnat (2).

Gabriel Petrov, alumnus academiae mosquensis, creatus est episcopus tverensis anno 1763, et archiepiscopus petropolitanus anno 1770. Obiit a. 1801. Scripsit: *Theologiam christianam orthodoxam, pro diversitate materiarum in varios tractatus et paragraphos divisam, in imperiali mosquensi academia traditam et explicatam.* Asservatur in bibliotheca academiae mosquensis. Mordicus vestigiis instat Th. Prokopovitch, cuius elucubrationes haud raro ad verbum transcribit in suo opere. Philaretus hoc idem opus optimum habet inter systemata theologica huius aetatis. Dotes quibus exornatur sunt claritas expositionis, acumen solutionum, eruditio historica, rectaque explanatio locorum Sacrae Scripturae (3).

(1) Arkhanghelsky, pp. 64-67; Dobroklonsky, t. IV, p. 244; Philaretus, Обзоръ, pp. 303-306; Smirnov, Славяно-греко-латинская Академія, Прибавленія etc., Mosquae, 1853, pp. 259-285; N. Pokrovsky, Ѳеофилактъ Лопатинскій, Православное Обозрѣніе, 1872, t. III, pp. 684-710.

(2) Philaretus, Обзоръ, pp. 309-311; Smirnov, Исторія троицкой лаврской селинаріи, pp. 6-15.

(3) Обзоръ, pp. 380-381; Macarius, Сказаніе о жизни и трудахъ преосв. Гавріила митрополита новгородскадо и с.-петербургскаго (*Narratio de vita et*

Hisce theologis quos memoravimus, accensendos ducimus theologiae magistros seminarii Laurae S. Sergii. Athanasius M. Volkhovsky, qui primus fuit rector huius seminarii (1), exaravit Institutiones Theologicas quibus hic titulus: *Summa Theologiae, salutarem fidei orthodoxae doctrinam sincere et perspicue proponens, ab improbe in eam congestis tum infidelium blasphemiis, tum haereticorum calumniis et cavillationibus vindicans, pro varietate materiae in varios tractatus dispertita, et pio studentium usui dicata.* Ad divisionem, res tractatas, atque expositionem quod attinet, hoc opus potius transcriptio quam imitatio censendum est Theologiae Prokopovitch. Methodo scholastica in proponendis solvendisque quaestionibus utitur auctor. Scholasticam theologiam ipse necessariam ostendit Ecclesiae, non quidem *absolute*, sed *secundum quid*. Haec enim maximam confert utilitatem Ecclesiae, sive in explananda fide *orthodoxa*, sive in repellendis pravis haereticorum sententiis; per scholasticam methodum, obiectum theologiae rite proponitur, ordinateque exponitur, quo fit ut clarissima luce perfundatur. Per eam voces et conceptus fundamentales in cunctis quaestionibus clarescunt, controversiae diluuntur, sententiae orthodoxae concinne enucleantur, argumentisque ita muniuntur, ut earum negatio difficilis exhibeatur adversariis; per eam denique obiurgationes infidelium ac fucata haereticorum sapientia evanescunt ac dissolvuntur. Haec quae adduximus confirmat auctor noster auctoritate Clementis Alexandrini, Basilii atque Augustini (2). Theses mere scholasticae in hoc opere non deficiunt: verbigratia demonstratur « attributa divina tam inter se, quam cum essentia divina idem realiter esse ac distingui sola distinctione rationis ratiocinatae » (3). Contra Th. Prokopovitch, qui animam humanam ex parentibus *per traducem* derivari docuerat, ostenditur eam immediate a Deo creari, qua in re argumentorum copiam haurit ex scriptis Callixti et Gernleri, aliorumque theologorum protestantium. Conclusiones morales non secus ac Th. Prokopovitch

---

scriptis Revmi Gabrielis, metropolitae novogrodensis et petropolitani), Petropoli, 1857; I. Pokrovsky, Гавріилъ, митр. Нов. и С.-Пет., какъ церковно — общественный дѣятель (*Gabrielis, metropolita Novogr. et Petropolitanus, eiusque gesta ad bonum Ecclesiae ac civilis societatis*), Христіанское Чтеніе, 1901, t. II, pp. 482-510, 687-718; N. Izvekov, Изъ писемъ Гавріила митрополита Новгородскаго и С.-Пет. (*Litterae Gabrielis, metropolitae Novogrod. et Petrop.*), ib., pp. 718-720; Православная богословская энциклопедія, t. IV, Petropoli, 1903, coll. 16-18.

(1) Smirnov, Исторія тр. лаврской семинаріи, p. 37.

(2) Ib., p. 41.

(3) Ib., p. 43.

singulis quaestionibus adnectit (1). Eodem plane titulo archimandrita Hilarion († 1772), qui rexit seminarium Laurae Ssm̃ae Trinitatis ann. 1766-1770, theologiam conscripsit fere totam desumptam ex operibus metropolitae Platonis, Quenstedti, Sylvestri Kuliabki, et Gabrielis Petrov. Tribus voluminibus opus constat, quod in Academia mosquensi asservatnr (2).

Inter theologos scholae mosquensis principatum facile tenet Platon Levchin, rector seminarii laurae S. Sergii (1761), archimandrita eiusdem laurae (1766), episcopus Tverensis (1770), metropolita mosquensis (1775). Vita defunctus est anno 1812 (3). Annis 1761-1763 composuit *Theologiam christianam super fundamentum Verbi Dei exstructam ad praxin pietatis et promotionem fidei Iesu Christi unice directam, et in seminario quod est ad Lavram SS. Trinitatis et S. Sergii traditam.* Conspectum operis tradit Smirnov (4). In eo componendo, Platon ductores habuit Quenstedtum et Prokopovitch. Relictis disceptationibus mere scholasticis, tractandas suscepit quaestiones tantum maioris momenti. Terminos scholasticos adhibet in inquirendis ac tuendis veritatibus fidei. Traducianismum Prokopovitch confutat, animamque a Deo oriri iuxta *Confessionem Orthodoxam* demonstrat (5).

(1) Smirnov, op. cit., p. 45; Philaretus, Обзоръ, p. 352; Vengherov, Критико-біографическій словарь русскихъ писателей (*Lexicum critico-biographicum scriptorum russorum*), t. I, Petropoli, 1889, pp. 852-853.

(2) Smirnov, op. cit., pp. 263-265, 487.

(3) Ad eius vitam scriptaque quod attinet praecipui fontes sunt: Духовное завѣщаніе митроп. Платона (*Testamentum spirituale metrop. Platonis*), Petropoli, 1813; Изображеніе жизни и дѣяній М. Моск. Платона (*Delineamenta vitae gestorumque M. mosquensis P.*), Mosquae. 1822; Sneghirev, Жизнь М. М. П. (*Vita M. mosq. P.*), Mosquae, 1837, 1856; B. Novakovsky, Біографическіе очерки: Платонъ, М. М. (*Specimina biographica: Platon, M. m.*), Petropoli, 1882; Nadejdin, М. М., Платонъ Левшинъ, какъ проповѣдникъ (*M. m. Platon Levchin, ut praedicator*), Kasan, 1883; Neciaev, Платонъ М. М., въ его отношеніяхъ къ единовѣрію (*Platon, M. m. eiusque relationes ad schismaticos russos qui nomen dederunt Ecclesiae orthodoxae russicae*), Прав. Собесѣдникъ, 1900, t. I, pp. 207-235; 1903, t. II, pp. 38-92; Lysogorsky, М. М. Платонъ Левшинъ, какъ противораскольничій дѣятель (*M. m. Platon Levchin, tanquam bellator adversus schisma*), Rostovii ad Tanain, 1905. Autobiographiam conscripsit etiam Platon, quam in lucem jam editam a Pogodin (1849) et Sneghirev (1856) *πρωτοϊερεὺς* S. Smirnov tertia vice vulgavit in periodico mosquensi Душеполезное Чтеніе: Автобіографія И. М. М, 1887, t. II, pp. 369-416; t. III, pp. 3-38. Prodiit etiam in lucem: *Fasciculus litterarum, quas variae conditionis extranei, praecipue Russi, eruditione et doctrina praeclari viri dederunt ad Em̃um D. Platonem, archiepiscopum mosquensem*, Petropoli, 1776.

(4) Op. cit., pp. 242-245.

(5) Kimmel, I, pp. 93-94.

Anno 1765 in lucem edidit *Doctrinam orthodoxam, seu compendium theologiae christianae*, quod opus scripsit pro principe Paulo Petrovitch, cuius magister extitit quoad veritates et praecepta fidei (1). Mirum est quam magnam celebritatem statim ac typis vulgata fuit, haec epitome theologica apud orthodoxos sibi comparaverit. Plurimae brevi temporis intervallo editiones sive slavicae sive russicae, exhaustae sunt. Opus statim versum est in idiomata latinum, graecum, gallicum, germanicum, ac postmodum etiam in anglicum, hollandicum, armenum et georgianum (2).

Versionem latinam concinnavit Damascenus Semenov Rudnev, archiepiscopus Novogrodensis († 1795). Eius versio prodiit in lucem Petropoli (a. 1774) hoc titulo: *Orthodoxa doctrina seu compendium theologiae christianae, in usum serenissimi principis ac D. D. Pauli Petrowicz, principis hereditarii omnium Russiarum* (3). In graecam linguam idem opus transtulit ex gallica versione concinnata a Simeone Mattheev (Petropoli, 1776) atque ex germanica (Rigae, 1770) Diamantios Corai (1748-1833): *Ὀρθόδοξος διδασκαλία εἴτουν σύνοψις τῆς χριστιανικῆς θεολογίας παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ πανοσιωτάτου ἐν ἱερομονάχοις Κυρίου Πλάτωνος*, Lipsiae, 1782; Corcyrae, 1827; Monachii, 1834; Athenis, 1836, 1851. Anno 1782 lucem etiam aspexit Vindobonae altera versio eiusdem operis cuius titulus prolixus ita se habet: *Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ἤτοι χριστιανικὴ θεολογία ἐν συνόψει, συγγραφεῖσα εἰς κατήχησιν τῆς Καισαρικῆς Ὑψηλότητος τοῦ μεγάλου δουκός, καὶ αὐτοκρατορικοῦ διαδόχου πασῶν τῶν Ῥουσσιῶν Παύλου Πετροβίτζ παρὰ τοῦ τῆς αὐτοῦ Καισαρικῆς Ὑψηλότητος διδασκάλου, τότε μὲν ἱερομονάχου, καὶ μετὰ ταῦτα ἀρχιμανδρίτου τῆς μονῆς τῆς Ἁγίας Τριάδος· νῦν δὲ ἀξιοπρεπεστάτου Μητροπολίτου Μόσκβας, Πλάτωνος τοῦ θεολογικωτάτου, μεταφρασθεῖσα ἐκ τῆς ῥουσσικῆς διαλέκτου εἰς τὴν γαλλικὴν καὶ ἐξ αὐτῆς εἰς τὴν ἡμετέραν*, Vindobonae, 1782. Huius versionis auctorem censet Papadopulos Vretos Georgium Vendoti († 1795) (4). Versio quam concinnavit Corais eruditis adnotatiunculis ac prooemio exornatur.

In tres partes opus dispescitur. Prima agit de cognitione naturali Dei: hic sermo est de esse atque attributis Dei, de imagine Dei in

(1) Православное ученіе, или сокращенная христіанская богословія, Petropoli, 1765, 1791; Mosquae, 1780, 1880, etc.

(2) *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IV, col. 26.

(3) Ib., t. III, col. 1772.

(4) *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, t. I, n. 299, pp. 104-106; Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, pp. 561-563; Demetracopulos, *Προσθῆκαι καὶ διορθώσεις εἰς τὴν νεοελληνικὴν φιλολογίαν Κ. Σάθα*, Lipsiae, 1871, pp. 93-94.

homine, immortalitate animae, Providentia divina, cultu exteriori et interiori, vita futura, natura corrupta, necessitate gratiae. Secunda pars tractat de revelatione, idest, de Sacra Scriptura, Ecclesia et Traditione, de Trinitate, Angelis, salute aeterna hominis, de Iesu Christo eiusque meritis atque operibus, de sacramentis, resurrectione mortuorum, atque aeternitate praemiorum ac poenarum. In tertia parte exponitur doctrina moralis religionis christianae.

Scriptores orthodoxi magis quam par est huius compendii merita decantant. Laudatur praesertim claritas et perspicuitas expositionis (1). Iuvat tamen meminisse, ut Gass animadvertit, Platonem inter lutheranizantes theologos russicae Ecclesiae adscribendum (2), praesertim in iis quae ad Ecclesiam ac Scripturam Sacram pertinent. Asserit quidem Platon tres in praesentiarum haereses Ecclesiam vastare, *papisticam* (sic), calvinianam et lutheranam (II, c. 28): attamen lutheranismum redolere eius doctrinam ostendit ipsa definitio Ecclesiae ab eo tradita qua Ecclesia dicitur tantum *Congregatio credentium in Christum*: *ἡ συνέλευσις τῶν πιστευόντων εἰς τὸν Ἰησοῦν Χριστόν* (II, c. 4).

14. De ceteris theologis qui in russica Ecclesia vertente saeculo XVIII floruere, brevitati consulentes, pauca tantum hic tradimus. Macarius Petrovitch, genere serbus ex Hungaria, rector seminarii tverensis († 1766), theologicum systema russice ac latine conscripsit, quod russice tantum lucem aspexit (3). Eugenius metr. optimam materiarum in hoc opere dispositionem, claritatem styli ac sedulam argumentorum selectionem laudat (4).

Theophylactus Gorsky, rector mosquensis academiae, episcopus pereslaviensis anno 1776, archiepiscopus colomensis anno 1788, vita defunctus hoc eodem anno, typis vulgavit systema theologicum inscriptum: *Orthodoxa orientalis Ecclesiae doctrina de credendis et agendis usibus eorum qui studio Theologiae sese consecrarunt addixe-*

(1) Philaretus, Обзоръ, p. 404; Kyriakos, *Geschichte der orientalischen Kirchen*, p. 240.

(2) « Dieser in deutsche und griechische Sprache weit verbreiteter Katechismus tritt dem Romanismus scharf gegenüber, während er hier und da protestantischen Gedanken Raum giebt ». *Symbolik der griechischen Kirche*, Berolini, 1872, p. 89

(3) Церкви восточныя православное ученіе, содержащее все что христіанину своего спасенія ищищему знать и дѣлать надлежитъ (*Ecclesiae orientalis doctrina orthodoxa, continens omnia quae christiano suam salutem aeternam quaerenti convenit scire et facere*), Petropoli, 1783, 1790.

(4) Op. cit., t. II, pp. 23-24; Philaretus, p. 337; Ghennadi, Справочный словарь о русскихъ писателяхъ (*Lexicon notitias praebens de russicis scriptoribus*), t. II, Berolini, 1880, p. 278.

runtque adornata accommodataque, Lipsiae, 1784; Petropoli 1818, 1827; Mosquae, 1831. Institit vestigiis protestantium, ac praesertim Buddei: attamen methodo scholasticae penitus non renuntiavit (1). Philaretus eum virgula censoria notat quia de agendis disserens commentarium tantum exhibet decalogi. Scripsit etiam: *Dogmata christiana fidei orthodoxae, theologice proposita atque explicata* (2).

Georgius Konissky, praefectus et rector kioviensis academiae, archiepiscopus moghilensis († 1795), vir percelebris etiam in historia politica Russiae, systema theologicum exaravit, quod ineditum asservatur, neque ad finem perductum (3). In eo nitet exquisita eruditio et criticum acumen (4).

Samuel Mislavsky, praefectus et rector academiae kioviensis, episcopus bielogrodensis anno 1768, metropolita kioviensis anno 1783 († 1796), in lucem edidit: *Dogmata praecipua fidei orthodoxae catholicae et apostolicae Ecclesiae orientalis, nec non maxime necessaria creditu pro adipiscenda aeterna salute* (5). Iam diximus eum emendasse atque absolvisse opus theologicum Th. Prokopovitch (6).

Tikhon Sokolov, praefectus novogrodensis seminarii, episcopus ladogensis anno 1761, voronejensis anno 1763 († 1783), inter sanctos russicae Ecclesiae adscriptos anno 1861 (7), scripsit *De vero christia-*

(1) Philaretus, pp. 357-358. Gagarin locos collegit ex hoc compendio qui manifeste demonstrant haud raro sententias lutheranas amplexatum esse Theophylactum Gorsky. — Op. cit. pp. 53-57.

(2) Догматы христіанскія православныя вѣры, въ богословскомъ ученіи предложенныя и изъясненныя, Mosquae, 1773 (russice, germanice et latine); Petropoli, 1792 (gallice). Excerpta hoc volumen exhibet praecitati operis.

(3) Grigorovitch, Сочиненія Георгія Конисскаго (*Opera G. K.*), Petropoli, 1835; Избраніе Георгія Конисскаго во епископа Вѣлоруссій (*Nominatio Georgii Konissky ad sedem episcopalem Albae Russiae*), Странникъ, 1868, t. I, pp. 83-92; Pavlovitch, Георгій Конисскій, архіеп. Могилевскій, Христіанское Чтеніе, 1873, t. I, pp. 3-46; Ghennadi, t. I, pp. 206-207; Прав. богол. Энц., t. IV, coll. 228-234. Hic fontes uberiores innuuntur eius vitae.

(4) Philaretus, pp. 366-369.

(5) Догматы православныя вѣры каѳолическія и апостольскія церкви восточныя первѣйшіе, и къ вѣрованію ради полученія вѣчнаго спасенія самонужнѣйшіе, Kioviae, 1760 (russice et latine).

(6) Philaretus, pp. 375-377; Serebrennikov, op. cit., pp. 14-15; Rojdestvensky, Самуилъ Мислављскій, митр. Кіевскій, Kioviae, 1877,

(7) Ignatius (archim.), Краткія жизнеописанія русскихъ святыхъ (*Breves descriptiones vitae sanctorum russorum*), t. II, Petropoli, 1875 (XVIII saeculo), pp. 51-81; Lebedev, Св. Тихонъ Задонскій, его жизнь, писанія и прославленіе (*S. Tikhon ex monasterio Zadonsk, eius vita, opera et canonizatio*), Mosquae, 1890.

nismo (1), opus in sex partes divisum. Versionem exhibet theologicarum institutionum, quas tradidit in seminario novogrodensi, plurimis explicationibus notisque adiectis. Hoc opus permagni faciunt russi, eo quod theologiam potius cordis quam mentis praeseferat (2).

Hyacinthus Karpinsky, archimandrita († 1798), in lucem edidit: *Compendium orthodoxae theologicae doctrinae, ab archimandrita, qui nunc praeest monasterio S. Cyrilli Bieloiezerensis Hyacintho Karpincki concinnatum*, Lipsiae, 1786; Mosquae, 1790, 1810. Tractat de Sacra Scriptura, de Deo, de operibus Dei, de Providentia, de Incarnatione, de gratia Dei, de bonis operibus, de praeceptis Domini, de Ecclesia, de Sacramentis, ac de novissimis. In supplementis agit de traditione, de cultu sanctorum, crucis, imaginum ac reliquiarum, de observantia festorum ac ieiuniorum, de ecclesiis, de monachismo, ac de precibus pro defunctis. Eugenius metr. sententias auctoris correctionibus indigere asserit, ut possit vere orthodoxum hoc theologiae compendium haberi (3).

Apollos Baibakov, rector academiae mosquensis, episcopus Orelii anno 1788, atque Archangelopoleos anno 1798 († 1801); plura vulgavit opera theologica, inter quae memoratu dignum volumen inscriptum: *Fides, spes atque amor: structura theologicae doctrinae* (4), quod opus expositio est systematica veritatum sive theoreticarum sive practicarum fidei christianae. Quaedam ex praelectionibus theologicis quas tradidit in seminario laurae S. Sergii, russice typis vulgatae sunt (5).

Sylvester Lebedinsky, rector kasanensis academiae, episcopus pereiaslavensis anno 1799, archiepiscopus astrakhanensis anno 1807, vita defunctus anno 1808, edidit latine: *Compendium theologiae classicum didactico-polemicum, doctrinae orthodoxae christianae maxime consonum*, Petropoli, 1799; Mosquae, 1805.

Iuvenalis Medviedsky, hieromonachus et catechizator seminarii S. Sergii († 1809), typis mandavit opus inscriptum: *Theologia christiana pro cupientibus maximum profectum in pietate* (6). Hoc opus est primum systema theologiae scientificum russica lingua exaratum (7).

(1) О истинномъ христіанствѣ, Petropoli, 1785, 1803.

(2) Dobroklonsky, t. IV, p. 245.

(3) Op. cit., t. I, pp. 215-217; Philaretus, p. 378..

(4) Вѣра, надежда и любовь, ученія богословскаго составъ, Mosquae, 1782.

(5) Богословскія разсужденія, читанныя въ семинаріи Шроицкой лавры подъ предводительствомъ ректора Аполлоса, Mosquae, 1781. Cfr. Smirnov, pp. 266-275; Ghennadi, t. I, pp. 38-39.

(6) Богословія христіанская, для желающихъ въ благочестіи высшаго успѣха, Mosquae, 1806.

(7) Philaretus, p. 398; Eugenius metr., t. II, pp. 279-280.

Augustinus (Vinogradsky), rector mosquensis academiae, episcopus dmitrovensis anno 1804, archiepiscopus mosquensis (1818), latinae pöeseos eximius cultor, *Dogmaticam theologiam* latine conscripsit, quae latet adhuc inedita in academia mosquensi (1).

Methodius Smirnov, rector seminarii laurae S. Sergii, episcopus voronejensis anno 1795, archiepiscopus pskoviensis anno 1814 († 1815), theologicas institutiones composuit, tribus tomis comprehensas atque in bibliotheca academiae mosquensis asservatas: *Sacra theologia, sive institutiones Theologiae, sacra Scriptura potissimum fundatae et studiosis litterarum in lavrensi schola traditae.* Materiarum copiam hausit ex operibus metr. Platonis, Th. Prokopovitch ac Th. Gorsky. Usus est etiam scriptoribus protestantibus, praesertim Hollasio et Breithaupt. Carpit methodum scholasticam; hanc tamen penitus abolendam non censet, quia multa ex ea ad progressum theologiae effluunt commoda. Prolegomenis inseruit synopsin historiae theologiae (2).

Irenaeus Falkovsky, rector academiae kioviensis, archiepiscopus mohiloviensis anno 1821 († 1827), typis mandavit opus inscriptum: *Christianae orthodoxae theologiae olim a Theophane Prokopowicz adornatae compendium, adiectione sex ultimorum librorum iuxta delineationem eiusdem Theophanis completum*, Mosquae, 1802, 1810; Petropoli, 1827. Philareto videtur hoc opus sive methodo, sive doctrinae praestantia, sive claritate expositionis, optimum inter compendia theologiae a theologis russis exarata (3).

15. Saeculo XIX scholastica theologia in Russia penitus oblivioni data est. Qui praeclari hac aetate habentur inter theologos russos, scientiae germanicae lubentius latices hauserunt. Horum longum cum producere possem agmen, praecipuos tantum recolere mihi est animus.

Gregorius Postnikov, professor academiae ecclesiasticae petropolitanae, episcopus Reveliae (Revel) anno 1822, ac metropolita novogro-

(1) Sneghirev, Біографическія черты изъ жизни архіепископа Августина, Mosquae, 1824, 1841, 1848; Авг., Сочиненія, ediderunt Korablev i Siriakov, Petropoli, 1856, pp. I-XLII.

(2) Smirnov, op. cit., pp. 275-289; Lebedev, Два піонера церковно-исторической науки у насъ (*Duo antesignani historiae ecclesiasticae apud nos*), Бог. Вѣстникъ, 1907, t. II, pp. 104-121.

(3) P. 429; Serebrennikov, pp. 19-21; Chtchegolev, Пр. Иринея Фальковскаго, епископа Чигиринскаго, бесѣды, съ біографическими замѣчаніями объ Иринеѣ (*Reverius Irenaeus Falkovsky, episcopus cighirinensis, sermones, adiuncta notitia biographica auctoris*), Труды К. Д. А., 1867, t. I, pp. 124-136, 274-280, 317-285; Bulachev, Пр. Ириней Фальковскій, епископъ Чигиринскій, Kioviae, 1883; N. Petrov, Автобіографическія записки преосв. Иринея Фальковскаго, Труды К. Д. А., 1907, t. II, pp. 456-479.

densis (petrop.) anno 1856 († 1856), praelectiones theologicas scripsit, quae usitatissimae in seminariis fuere. Ex iis quaedam tantum editae sunt in *Lectione christiana*, nempe, *De mediis cognoscendi Dei*; *Doctrina de Deo in quantum unus est*; *Idea primitiva Dei*; *De attributis divinis in genere*; *Proprietates essentiae divinae*; *Intelligentia divina eiusque proprietates*; *Voluntas Dei*; *Requisita divinae essentiae, ut consectaria eius perfectionis*; *Doctrina de Ssma Trinitate*; *Determinatio huius doctrinae facta per Ecclesiam*; *Fundamentum doctrinae Ssmae Trinitatis*; *Distinctio realis divinarum Personarum earumque realis existentia*; *Divinitas trium personarum divinarum* (1).

Philaretus Amphiteatrov, rector academiae mosquensis, anno 1819 episcopus urbis Kalugae, anno 1837 metropolita kioviensis († 1857), ineditas reliquit praelectiones theologicas habitas alumnis seminarii laurae S. Sergii. Ductum sequutus est Irenaei Falkovsky. Positivam adhibet methodum ac pro viribus conatur theologiam russicam ab extero influxu liberare. Considerationes morales singulis quaestionibus adnectit (2).

Archimandrita Polycarpus Goimannikov († 1837) praelectiones theologicas ineditas reliquit quas in academia mosquensi tradidit. Occidentales theologos non fastidivit, ac *Theologiam Dogmaticam* Mariani Dobmayr O. S. B. interdum populatus est. Methodum historicam praesertim adhibuit; hac de causa conqueritur Philaretus eum viam stravisse ceteris theologis russis, qui despecta theologica expositione veritatum fidei, toti in eo fuerunt ut humanarum opinionum commenta verbose discuterent (3).

Petrus Ternovsky, presbyter, mosquensis universitatis professor (1798-1874), in lucem edidit: *Theologiam dogmaticam, aut amplam expositionem doctrinae fidei Ecclesiae catholicae orthodoxae* (4). Ut Philaretus adnotat, hoc opus magni momenti non est, ac pro clericis imbuendis scientia theologica non sufficiens censeri debet (5).

Antonius Amphiteatrov (1815-1879), rector kioviensis academiae, episcopus cighirinensis anno 1858, archiepiscopus kasanensis anno 1867,

(1) Христіанское Чтеніе, 1822, VI, 50, 64, 166, 176, 183, 213; Cistovitch, Исторія С.-Пет. дух. Академіи, pp. 280-281; Philaretus, pp. 487-488.

(2) Philaretus, pp. 378-379; Sergius (archim.), Высокопреосв. Филаретъ Амфитеатровъ, митроп. Кіевскій и Галицкій и его время (*Excell. Philaretus Anfiteatrov, metrop. Kioviae et Galiciae, eiusque aetas*), Kasan, 1888, 3 tomi.

(3) Smirnov, Исторія московской духовной Академіи, pp. 82-88.

(4) Богословіе догматическое, или пространное изложеніе ученія вѣры православныя каѳолическія церкви, Mosquae, 1838, 1839, 1844.

(5) P. 487; Странникъ, 1874, t. III, pp. 157-158.

opus conscripsit quod aliquot annos in seminariis russicis maxime involuit: *Theologia Ecclesiae catholicae orthodoxae orientalis, adiecta generali introductione ad cursum disciplinarum theologicarum* (1). Hoc opus translatum est in graecam linguam (2) et in bulgaricam (Kiscinev, 1896). Nomen quod acquisivit, non meret. Catechismum potius exhibet quam Institutiones theologicas (3).

Scriptores ecclesiastici russi permagni faciunt praelectiones theologicas quas duodecim annorum spatio in academia mosquensi tradidit *πρωτοϊερεὺς* Alexander Basilevitch Gorsky († 1875), eiusdem academiae rector, vir insignis eruditionis, quam opera in lucem edita testantur. In suis praelectionibus theologicis hausit multa ex scriptis Staudenmayer et Kuhn, Philippi et Kahnis. Cum historiam ecclesiasticam apprime calleret, tractationi cuiuslibet quaestionis praemisit synopsin historicam theseos demonstrandae. Tractat de Deo ac divinis attributis, de Trinitate, de Deo Creatore, de Angelis, de Homine, de Genitrice Dei, de Iesu Christo, de Sacramentis, De sortibus ultimis hominis, mundi atque Ecclesiae (4). Theologos protestantes ac rationalistas scholae tubingianae persaepe refellendos aggreditur. Quod praelectiones theologicae Gorsky in lucem non prodierint, culpam contulit A. Lebedev in nimiam severitatem censurae ecclesiasticae russicae (5).

16. Macarius Bulgakov maximus habetur inter russos theologos qui saeculo XIX floruere. Natus anno 1816 in pago Surkovae (gub. Kursk), curriculum studiorum explevit in academia kioviensi, atque anno 1850 creatus est rector academiae petropolitanae (1850-1857). Episcopus (titularis vel vicarius) Vinnitzae consecratus anno 1851, ad sedem tamboviensem translatus est anno 1857, ad kharkoviensem anno 1859; archiepiscopus Lithuaniae anno 1868, ad sedem metro-

(1) Догматическое богословіе православной каѳолической восточной церкви съ присовокупленіемъ общаго введенія въ курсъ вогословскихъ наукъ, Kioviae, 1848, 1856; Petropoli, 1849, 1857, 1862; Mosquae, 1852.

(2) *Δογματικὴ θεολογία τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς καὶ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, προτασσομένης εἰσαγωγῆς εἰς τὴν σειρὰν τῶν θεολογικῶν ἐπιστημῶν, ... ἐξελληνισθεῖσα ἐκ τοῦ ῥωσσικοῦ ὑπὸ Θεοδώρου Βαλλιάνου*, Athenis, 1858.

(3) Прав. Собесѣдникъ, 1879, t. III, pp. 317-393; Sergius (archim.), Антоній Амфітеатровъ, архіепископъ Казанскій и Свяжскій (*Antonius Amphiteatrov, archiepiscopus Kasanensis et Sviajskensis*), Kasan, 1885-1886, tomi 2.

(4) Smirnov, *Hist. Academiae M.*, pp. 22-23.

(5) Прот. А. В. Горскій въ воспоминаніяхъ о немъ московской духовной Академіи (*Πρωτ. A. B. Gorsky, in eius commemoratione facta ab academia ecclesiastica mosquensi 11 et 22 octobris 1900*), Serghievo, 1906, p. 207; Popov, Ректоръ М. Дух. Академіи, А. В. Горскій, Serghievo, 1897.

politanam mosquensem evectus est anno 1879. Obiit die IX Junii 1882 (1). Celeberrimus historicus russicae Ecclesiae, Macarius typis vulgavit *Introductionem in theologiam orthodoxam* (2), *Theologiam dogmaticam orthodoxam* (3) ac *Manuductionem* (*Synopsin*) *ad studium theologiae christianae orthodoxae dogmaticae* (4).

Statim ac prodiit in lucem, macarianum opus miris laudibus elatum est. Archiepiscopus chersonensis, Innocentius Borisov († 1857), eo usque in admiratione processit, ut assereret litteraturam occidentalem nullum opus exhibere quod ei comparari possit. In macariana theologia fides orthodoxa in tota sua plenitudine et potissimis argumentis exponitur ac defenditur (5). In Ecclesia orthodoxa, theologia Macarii censeri debet unicum ac perfectissimum opus, quod superare perdifficile est (6).

Non idem tamen sentiunt hodierni scriptores russi. Vvedensky nigro lapillo notat confusam locorum Traditionis abundantiam, qua fit ut musivum opus librum dixeris (7). Alii formularum ariditatem, verbositatem, *μονοτονίαν* expositionis, extrinsecum tantum nexum partium vel tractatuum carpunt (8). Archiepiscopus volhyniensis Antonius, theologiam macarianam, ut scolasticae methodi pedissequam ducit. Eadem fere in seminariis atque academiis obsoleta est.

Ad nostram sententiam quod attinet, opera theologica Macarii merent quidem ut a defensoribus fidei catholicae agnoscantur. Exhibent enim eruditionem occidentalem ad apologiam doctrinae Ecclesiae orientalis accomodatam. Ex genuinis fontibus non hausit Macarius onerosam illam notarum ac citationum segetem, quae eius volumina replet.

(1) Тн. Titov, Макарій Булкаковъ, митрополитъ Московскій, и Коломенскій. Историко-біографическій очеркъ (*Macarius Bulgakov, metropolita mosquensis et colomensis: specimen historico-biographicum*), t. I (1816-1857), Kioviae, 1895; t. II (1857-1868), Kioviae, 1898. Plura capitula ad tertium tomum spectantia lucem iam aspexerunt in Шруды К. Д. А.

(2) Введеніе въ православное богословіе, Petropoli, 1847; ed. VI, 1897; *Introduction à la Théologie orthodoxe*, Parisiis, 1857.

(3) Православное догматическое богословіе, t. I-V, Petropoli, 1849-1853; ed. V, Petropoli, 1895, tomi 2; *Théologie dogmatique orthodoxe*, Parisiis, 1859-1860. Datur etiam versio rumenica ab episcopo Gerasimo Timus elaborata.

(4) Руководство къ изученію христіанскаго православно-догматическаго богословія, Petropoli, 1869, 1898. Datur versio germanica (D. Blumenthal), Mosquae, 1875, et graeca (archim. Neophytus Paghidas), Athenis, 1883.

(5) Высоконреосв. Макарій, митрополитъ Моск. и Коломенскій, Mosquae, 1882, pp. 19-29.

(6) Ib., p. 41.

(7) Op. cit., p. 8.

(8) Прав. бог. энц., t. IV, col. 1148.

Hanc fere totam praedatus est in libris scriptorum sive catholicorum sive protestantium. Citata, prout in eius opere habentur, perdifficile est reperire, quia perperam et mendose afferuntur. In controversiis cum catholicis, locos praesertim Patrum haud raro inhoneste mutilasse, vel corrupisse, vel in alienum sensum detorsisse, mirabili qua pollebat christianae traditionis scientia, luculenter ostendit cardinalis Franzelin. Macarianam methodum, qua theses theologicae primum argumentis Sacrae Scripturae, deinde Traditionis, denique rationis humanae demonstrantur ac firmantur, quam proxime accedere ad methodum scholasticam facile patet.

17. Philaretus Gumilevsky, alumnus tamboviensis seminarii ac mosquensis academiae, episcopus Rigensis anno 1848, kharkoviensis anno 1848, archiepiscopus cernigoviensis anno 1859 († 1866), vir sane eruditus in omni genere disciplinarum, typis mandavit *Theologiam dogmaticam orthodoxam*, duobus tomis comprehensam (1). Theologis catholicis maxime usus est, praesertim Brenner, Klee und Perrone. Hoc tamen eum non deterruit ab acerbis dicteriis iaciendis in catholicam doctrinam. En verbigratia quid in exordio tractationis *τοῦ Filioque* scribit: « Nuperrime romani theologi non tam audacter, ut olim, corrumpunt locos Sanctorum Patrum ad suam praeiudicatam sententiam tuendam. Attamen iesuita Perrone sese revelat fanaticum defensorem falsi dogmatis romani, non secus ac iesuita Bellarminus. Examini subjiciemus locos explicatos a Perrone, posthabitis eius dialecticis argutiis, quae sive intelligentiae, sive conscientiae cuiuslibet theologi christiani repugnant » (2).

18. Sylvester Malevansky, Volhyniensis, alumnus kioviensis academiae, archimandrita anno 1862, rector kiov. academiae anno 1883, consecratus episcopus urbis Kanev anno 1885, anno 1878 in lucem edidit primum tomum *Speciminis theologiae dogmaticae orthodoxae, adiecta historica expositione dogmatum*: alter tomus lucem aspexit anno 1881 (3).

Hoc opus maxima dignum est aestimatione inter institutiones theologicas quae lingua russica conscriptae sunt. Methodum positivam

(1) Православное догматическое богословіе, Cernigoviae, 1854 (I ed.); 1865 (II); Petropoli, 1882 (III).

(2) Plura de Philareto scribit S. Smirnov in *Historia mosquensis academiae*, pp. 20-23, 70-72, 112-114, 422-425: Филаретъ, архіепископъ черниговскій, Tambovii, 1880. De Theologia Philareti fuse disserit A. Lebedev, in Странникъ, 1865, t. I, 2, pp. 17-36; I. Listovsky, Филаретъ, архіепископъ Черниговскій, Cernigoviae, 1895.

(3) Опытъ православнаго догматическаго богословія (съ историческомъ изложеніемъ догматовъ), Kioviae, 1892-1898 (tomi quinque). Praeclarus hic teologus

adhibet auctor, ac sedulo versatur in testimoniis Sanctorum Patrum inquirendis atque explanandis. Opera Patrum, quae saepe citantur iuxta *Patrologiam* Migne, apprime cognoscit auctor. A styli acerbitate abstinet in controversiis. Macarianae theologiae hoc opus longe praecellit (1).

19. Minoris praetii aestimatur opus dogmaticum nuperrime in lucem editum a N. Malinosvky, inspectore stavropolitani seminarii, ac postea rectore seminarii podoliensis. Huiusce operis usque nunc duo tomi in lucem prodiere (2). Compendium pro seminariorum alumnis scripsit etiam *πρωτοϊερεὺς* Malinovsky (3). Acumine theologico ac patristica eruditione Sylvestri ipse non pollet: claritate tamen expositionis praecellit. Adde quod singulis capitibus russicam bibliographiam thematis evolvendi adnectit, licet frequenter diligentia in citatis careat.

20. Praecipuos attulimus scriptores qui in studio theologiae dogmaticae clarissimi habentur. Recensitis iam operibus, haec minoris momenti adnumeranda ut plenior habeatur notitia litteraturae theologicae russicae. Ad propaedeuticam theologiae dogmaticae pertinent haec opera: 1) *Περὶ ἀρχῶν ἐπιστημονικῶν τε καὶ ἐκκλησιαστικῶν τῆς ὀρθοδόξου θεολογίας*, Nicolai Damalas, atheniensis theologi († 1892) (4); 2) *Introductio genetica in theologiam dogmaticam* (5), *πρωτοϊερέως* Th. Sidonsky († 1873) (5); 3) *Introductio in theologiam orthodoxam*,

---

natus est die 2 ianuarii 1828 in pago Andruscevka (Volhyniensis eparchiae). Studiorum curriculum explevit in academia ecclesiastica kiovensi, ac vitam monasticam amplexatus est die 27 maii 1856. Die 5 martii 1898, propter infirmam valetudinem, abdicavit officium rectoris Academiae kioviensis, atque in monasterium kioviense S. Nicolai sese contulit. Obiit die 25 novembris 1908. Cf. Церковныя Вѣдомости, 1908, n. 48, pp. 2361-2364.

(1) Vvedensky, Сравнительная оцѣнка догматическихъ системъ преосв. Макарія и архимандр. Сильвестра (*Critica comparativa systematum dogmaticorum Macarii atque archimandritae Sylvestri*), Mosquae, 1886 (Excerptum ex Чтенія общества любителей духовнаго просвѣщенія). Quaedam ad vitam auctoris spectantia Труды К. Д. А., 1898, t. I, 545-558; 1899, t. I, pp. 143-212.

(2) Православное догматическое богословіе, t. I, Kharkoviae, 1895; t. II, Stavropoli, 1903.

(3) Очеркъ православнаго догматическаго богословія, Kamenetz-Podolsk, 1904.

(4) *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IV, col. 25.

(5) Генетическое Введеніе въ православное богословіе, Petropoli, 1877. Cf. Rojdestvensky, По поводу изданія богословскихъ лекцій о. Сидонскаго (*Circa editionem praelectionum theologicarum P. Sidonsky*), Христіанское Чтеніе, 1876, t. II, p. 290. De vita et scriptis huius praeclari philosophi ac theologi egerunt M. Vladislavlev, in Журналъ министерства народнаго просвѣщенія, 1874, t. CLXXI, sectio IV, pp. 50-55; N. B., Пр. Ѳ. Ѳ. Сидонскій и его философскіе взгляды (*Πρωτ. Th. Sidonsky, eiusque theoriae philosophicae*), Вѣра и Разумъ, 1907, n. 7. sect. II, pp. 230-256; A. Rodossky, Биограф. словарь, Petropoli, 1906, pp. 436-439,

auctore I. Piatnitzky (1). Praelectiones theologicas conscripsere: Innocentius Borisov, rector kioviensis academiae, archiepiscopus chersonensis anno 1848 († 1857), cuius laudatur praesertim eloquentia in dogmatis fidei exponendis ac tuendis (2); Iohannes Sokolov, rector kasanensis (1864) et petropolitanae academiae (1865), episcopus urbis Vyborg anno 1865, atque urbis Smolensk anno 1866 († 1869), praelectiones theologicas habuit in academia petropolitana, quae permagni aestimantur tum acumine philosophicae analyseos, tum sapore, quo asperguntur, mystico (3); Iustinus Poliansky, alumnus kioviensis academiae, episcopus urbis Mikhailov anno 1884, episcopus riasanensis anno 1894 († 1903) conscripsit *Doctrinam fidei christianae orthodoxae seu theologiam dogmaticam* (4), quod opus apparatu scientifico caret: ob styli claritatem et simplicitatem expositionis censetur ad studia in seminariis perficienda maxime accommodatum; Alexander Bieliaev, professor academiae mosquensis († 1903), composuit opus inscriptum: *Amor Dei: specimen expositionis praecipuorum dogmatum fidei christianae ex principio divini amoris* (5), in quo conatur auctor totum systema veritatum theologicarum ad unitatem reducere in principio amoris divini.

(1) Вѣденіе въ православное богословіе, Stavropoli, 1893.

(2) Praelectiones Innocentii editae sunt in Сборникъ изъ лекцій, бывшихъ наставниковъ Кіевской духовной Академіи, Kioviae, 1869. De vita et scriptis Innocentii Borisov fuse prae ceteris tractarunt Nicolaus Barsov, Матеріалы для біографіи И. Б., архіепископа Херсонскаго (*Documenta spectantia ad vitam J. B., archiep. chersonensis*), Petropoli, 1884; *πρωτ.* T. Butkevitch, Инн. Б. бывшій архіепископъ Херсонскій, Petropoli, 1887.

(3) Praelectiones Iohannis editae sunt in Христіанское Чтеніе, 1874-1877. Nuperrime in volumen eas collegerunt ac typis mandarunt scriptores ephemeridis Церковный Голосъ hoc titulo: Богословскія академическія чтенія преосв. Іоанна, епископа Смоленскаго, Petropoli, 1906 (tomi 2). Analysin huius operis dedit A. Katansky in Церк. Вѣдомости, 1907, n. 33, pp. 1403-1408. Altera editio iam lucem aspexerat anno 1897. Cf. N. Romansky, Преосв. Іоаннъ, еписк. Смоленскій, его жизнь и проповѣдническіе труды (*Reverendus Iohannes, episcopus Smolensk, eiusque vitae scriptaque oratoria*), Mosquae, 1887; P. Prokoscev, Каноническіе труды Іоанна, еп. См. (*Opera canonica Iohannis, episcopi Sm.*), Kasan, 1895; I. Pokrovsky, Прав. Бог. Энц., t. VII, coll. 141-156.

(4) Православно-христіанское вѣроученіе, или догматическое богословіе, Chersone, 1886-1887 (tomi 2); recusum in Sylloge operum omnium, Mosquae, 1895, tt. III-V. De operibus Iustini egit A. Vvedensky, О трудахъ преосв. Іустина, епископа Рязанскаго и Зарайскаго, Бог. Вѣстникъ, 1896, t. II, pp. 472-486; A. D. Bieliaev, in Журналы Совѣта Московской духовной Академіи (1889), Mosquae, 1890, pp. 55-80. Cf. Церковныя Вѣдомости, 1903, n. 42, pp. 1634-1635; S. Troitzky, Прав. Бог. Энц., t. VII, coll. 593-595.

(5) Любовь божественная, опытъ раскрытія главнѣйшихъ христіанскихъ догматовъ изъ накала любви божественной, Mosquae, 1880; ed. II, 1884.

ex quo omnia effluunt dogmata (1); Alexius Gorodkov, inspector seminarii toboliensis, in lucem edidit *Theologiam dogmaticam excerptam ex operibus Philareti, metropolitae mosquensis* (2), opus mirae quidem patientiae, quod iisdem verbis Philareti, quantum fieri potuit, doctrinas theologicas in eius innumeris scriptis contentas colligit, in unumque conflat systema.

Πρωτ. Eugenius Popov sex voluminibus edidit *Theologiam dogmaticam orthodoxam.* Auctor themata evolvenda dispescit in orationes (conferenze), ac facili utitur eloquio, scientifico apparatu posthabito (3). Praelectiones dogmaticae Metrophani Iastrebov († 1906) (4), eduntur in Trudy academiae kioviensis (5).

Brevissima denique compendia theologiae dogmaticae exhibent: N. Thavorov, *Praelectiones circa veritates dogmaticas fidei christianae orthodoxae* (6); Sergius Nikitsky, *Fides orthodoxa ecclesiae orthodoxae orientalis graeco-russicae iuxta libros symbolicos* (7) (auctor systematice colligit atque ordinat textus dogmaticos ex conciliorum canonibus, litteris patriarchalibus, confessionibus Ecclesiae orientalis, et catechismo Philareti depromptos); N. Anitchkov, *Praelectiones theologiae christianae iuxta doctrinam Novi Testamenti* (8); A. Kudriavtzev, *Parvum compendium theologiae orthodoxae* (9); P. Gorodtzev, *Specimen doctrinae fidei christianae orthodoxae* (10); A. Rudakov, *Theologia dogmatica orthodoxa* (11); N. Tikhvinsky, *Praelectiones*

(1) Прав. Бог. Энц., t. II, coll. 1273-1277.

(2) Догматическое богословіе по сочиненіямъ Филарета, митрополита московскаго, Kasan, 1887. Incredibilis est incuria scriptorum ecclesiasticorum russorum in operibus citandis, quo fit ut scriptores exteri fere nunquam eis fidere possint. Ita Прав. Бог. Энц. asserit hoc opus editum fuisse Kioviae, anno 1887, t. IV, col. 538; ac Ternovsky, Mosquae!, Историческая записка о состояніи казанской духовной Академіи, p. 578. De praecitato opere disseruit E. Budrin, Прав. Собесѣдникъ, 1887, t. II, pp. 481-508.

(3) По православно-догматическому богословію: общенародныя бесѣды, Perm, 1880-1885, ed. III.

(4) Митрофанъ Филипповичъ Ястребовъ, Труды К. Д. А., 1906, t. III, pp. 383-400.

(5) Изъ лекцій по догматическому богословію, Труды К. Д. А. 1907, t. III, pp. 589-602; 1908, t. I, pp. 2-23, 147-161, 362-377; II, 179-207.

(6) Чтенія о догматическихъ истинахъ православно-христіанской вѣры, Kioviae, 1882, 1890.

(7) Вѣра православной Восточной греко-россійской церкви, по ея символическимъ книгамъ, Mosquae, 1889-1890 (tomi 2).

(8) Уроки христіанскаго богословія по новозавѣтному богословію, Tver, 1889.

(9) Краткій курсъ лекцій по православному богословію, Mosquae, 1889.

(10) Очерки христіанскаго православнаго вѣроученія, Petropoli, 1893.

(11) Православное догматическое богословіе, Petropoli, 1894.

theologiae dogmaticae christianae (1); K. Bretkevitch, *Compendium theologiae dogmaticae orthodoxae* (2); A. Pokrovsky, *Specimina doctrinae fidei orthodoxae christianae* (3); B. Dobrotvorsky, *Theologia dogmatica orthodoxa* (4); I. Vinogradov, *Doctrina de veritatibus fundamentalibus Ecclesiae orthodoxae* (5).

21. Hisce de compendiis systematicis theologiae adnotatis, quaedam videtur nobis opportunum addere de praecipuis catechismis orthodoxis, quorum propositum est breviter et enucleate ad rudiorum informationem veritates fidei exponere. Statutum ecclesiasticum Petri Magni iam necessitatem ostenderat habendi « compendiosos aliquos, rudioribus tamen intellectu faciles et perspicuos libellos, omnia ad instituendum populum necessaria complexuros » (6). Ad normam *statuti*, concinnandi erant tres catechismi, aut potius partes unius eiusdemque catechismi: *Primus* qui contineret « principalia salutaria nostrae fidei dogmata, simulque divina Decalogo comprehensa praecepta » ; *Secundus* peculiaria unicuique officia; *Tertius*, « collectos variorum Sanctorum Doctorum intellectu faciles, ut de principalibus dogmatibus, ita, et quidem maxime, de peccatis et virtutibus, et tandem de peculiaribus uniuscuiusque officiis sermones » (7). Plures post promulgationem Statuti Ecclesiastici conditae sunt leges, praesertim imperante Nicolao I (1825-1855) quibus catechismi studium in academias et seminaria invectum est, et presbyterorum officia in docendis pueris praecepta fidei christianae determinata (8).

Ante aetatem Petri Magni saeculo XVII catechismos scripsere vel edidere in Russia: Laurentius Ziganii Tustanovsky, *πρωτοιερεύς*

(1) Чтенія по православному христіанскому богословію, Iaroslav, 1894-1895 (tomi 2).

(2) Записки по православному догматическому богословію, Elisabetgrad, 1895.

(3) Очерки православно-христіанскаго вѣроученія, Samara, 1896.

(4) Православное догматическое богословіе, Serghievo, 1896.

(5) Ученіе объ основныхъ истинахъ православной церкви: краткій курсъ богословія, Mosquae, 1906.

(6) Mansi, XXXVII, col. 28.

(7) Ib., col. 30.

(8) Dobroklonsky, t. IV, pp. 238-239; Neciaev, Практическое руководство священнослужителей (*Manuale practicum personarum ecclesiasticarum*), Petropoli, 1895, pp. 104-106; Kalachnikov, Алфавитный указатель дѣйствующихъ и руководственныхъ каноническихъ постановленій... Св. Пр. Сунода (*Catalogus alphabeticus vim habentium, directivarum decisionum S. Synodi*), Petropoli, 1902, nn. 574-598, pp. 140-150.

urbis Koretz (Volhynia) (1). Hic tamen catechismus, ait metropolita Macarius, licet a mosquensibus theologis emendatus, nequit haberi ut fidelis expressio doctrinae fidei orthodoxae (2). Petro Moghilae tribuitur Catechismus, cuius alii auctorem ferunt Isaiam Trophimovitch Kozlovsk: cum hic catechismus inter libros symbolicos recenseatur, de eo disseremus, cum nobis sermo erit de theologia symbolica. Simeon Polotzky ineditum reliquit *Catechismum vel quaestiones ac responsiones catecheticas de fide christiana, spe et amore* (3). Demetrius, metropolita Rostoviensis, vir apud Russos sanctitate et doctrina percelebris (4) conscripsit: *Breves quaestiones et responsiones de fide et de aliis rebus christianis scitu necessariis* (5) ubi agit de symbolo, conciliis, veritatibus theoreticis fidei, sacramentis et virtutibus.

Post aetatem Petri Magni institutiones catecheticas quae prae ceteris laudantur, elaborarunt metropolitae Plato et Philaretus. Prior in lucem edidit *Catechismum parvum pro pueris docendis fidem orthodoxam* (6), nec non *Catechismum compendiosum pro personis sacris* (7), qui plurimas editiones habuere.

Philaretus Drozdov, rector academiae petropolitanae, anno 1817 episcopus Revaliae, 1819 archiepiscopus Tverensis, 1820 iaroslavensis, 1821 mosquensis, 1826 metropolita († 1867), quem Russi fere ut sanctum et suorum theologorum doctissimum venerantur, ex mandato synodi petropolitanae, in lucem edidit: *Cathechismum christianum*

(1) Катихизисъ, именуемый великій, Mosquae, 1627; Катихизисъ, по литовски оглашеніе, русскимъ же языкомъ нарицаемся бесѣдословіе, избранный отъ божественныхъ писаній, евангельскія проповѣди, апостольскихъ ученій, и святыхъ богоносныхъ отецъ, въ вопросахъ и отвѣтахъ, Grodno, 1788 (*ed. schismaticorum russorum, qui a veteribus ritibus sectandis nomen accipiunt*). De hoc catechismo fuse agit Th. Ilinsky, Болшой катихизисъ Лаврентія Зизанія, Труды К. Д. А., 1898, t, I, pp. 157-80; II, 75-87, 229-67, 599-607; III, 264-300; 1890, I, 393-414.

(2) Исторія русской церкви, t. XI, Petropoli, 1903, pp. 50-59.

(3) Dobroklonsky, t. III, p. 179.

(4) Eius vitam mira eruditione enarravit Schliapkin, ut iam innuimus.

(5) Вопросы и отвѣты краткіе о вѣрѣ, и о прочихъ ко знанію христіянину нужнѣйшихъ, Сочиненія (*Opera*), t. I, Mosquae, 1895, pp. 43-85. Scripsit etiam Demetrius: Зерцало православнаго богословія (*Speculum theologiae orthodoxae*), Petropoli, 1805, 1807.

(6) Катихизисъ краткій для обученія малолѣтныхъ дѣтей православному закону, Petropoli, 1766; Vindobonae, 1773.

(7) Катихизисъ сокращенный для священно и церковно-служителей, Mosquae, 1776. Citatur etiam apud Sopikov, *Catechismus brevis pro scholis popularibus* (Катихизисъ сокращенный, изданный для народныхъ училищъ), Mosquae, 1783; Petropoli, 1783, 1784, 1789 etc. Eum composuit Iankovitch de Mirievo. Sopikov, n. 5136, t. III, p. 129; Ghennadi, t. II, p. 123.

(*maiorem*) *Ecclesiae orthodoxae catholicae orientalis graeco-russicae, examinatum atque approbatum a Sanctissima Synodo, editumque iussu celsissimae maiestatis Imperatoris* (1). Hoc opus ab initio tanquam heterodoxam sapiens doctrinam in suspicionem incidit; breviter tamen tantam celebritatem consecutum est, ut quadraginta annorum spatio, 90 editiones habuerit. In germanicam (2) et graecam (3) linguam translatum, in cunctis graecis et russicis scholis in usum venit, ac prodiit etiam in lucem georgiano, arabico, polonico, tatarico etc. idiomatis (4). Concinnavit etiam Philaretus *Catechismum minorem* (Primitiae, aut prima elementa doctrinae christianae), qui innumeras editiones habuit, ac plures versiones in georgianum, finnicum, tataricum idiomata etc. (5).

Catechismus maior Philareti permultos commentatores nactus est qui eum notis, explicationibus, exemplis illustrarunt, quos inter ut recentiores, meminisse iuvabit, S. Sollertinsky (6), P. Pesotzky (7),

(1) Христіанскій катихизисъ православныя каѳолическія восточныя грекороссійскія церкви, разсмотренный и одобренный Св. Пр. Сунодомъ, и изданный по высоч. его Имп. Велич. повелѣнію, Mosquae, 1823. Quoad vitam auctoris, Cf. I. Smirnov, et C. Dobronravin, Высокопреосв. Филаретъ, митрополитъ московскій, и коломенскій, Странникъ, 1868, t. II, pp. 5-58, 65-86; D. Dmitrevsky, Филаретъ, митрополитъ московскій, какъ канонистъ (*Philaretus, metr. Mosq., ut canonici iuris cultor*), Mosquae, 1893; A. Smirnov, Дѣтство, отрочество, юность, годы ученья и учительства въ троицкой лаврской семинаріи митропол. Филарета (*Infantia, adolescentia, ac iuventus metropolitae Philareti, eiusque curriculum studiorum et magisterium in seminario laurae Ssmae Trinitatis: 1782-1808*), Mosquae, 1893; Id., Филаретъ, архіеп. Шверскій, Ярославскій и Московскій (*Philaretus, archiep. Tverensis, Iaroslavensis, et Mosquensis: 1819-1826*), Mosquae, 1896; Id., Петербургскій періодъ жизни митрополита Филарета (*Periodus petropolitana vitae metropolitae Philareti: 1808-1819*), Mosquae, 1900; M. I. Zviezdinsky, Духовно-просвѣтительная дѣятельность Филарета, Митрополита Моск. въ имп. Моск. университетѣ (*De influxu religioso ac intellectuali Philareti, metrop. Mosquensis, in universitate imperiali Mosq.*), Вѣра и Церковь, 1907, t. I, pp. 404-445.

(2) *Ausführlicher christlicher Katechismus der orthodox-katholischen orientalischen Kirche*, Petropoli, 1840.

(3) *Χριστιανικὴ κατ' ἔκτασιν Κατήχησιν τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς καὶ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, Odessae, 1841.

(4) Странникъ, 1868, t. II, pp. 36-39.

(5) Начатки христіанскаго православнаго ученія, Mosquae, 1828.

(6) Пособіе къ преподаванію Пространнаго христіанскаго катихизиса (*Auxilium ad docendum catechismum maiorem christianum*), Petropoli, 1884, 1907 (2 tomi).

(7) Пособіе къ изученію пространнаго христ. катихизиса (*Auxilium ad studium catechismi maioris christiani*), Petropoli, 1905.

S. Petrovsky (1), A. Nevsky (2), D. Dmitrevsky (3): prolixiores commentarios ediderunt I. Titov (4), et A. Tzarevsky (5).

Denique fidei Ecclesiarum orthodoxarum orientalium dogmata et doctrinas ad normam catecheticarum institutionum exposuit gallice Franciscus Renatus Guettée, presbyter catholicus blesianae (Blois) dioeceseos in Gallia, qui proh dolor! eiurata Sancta Matre Ecclesia catholica, russicae Ecclesiae (1862) nomen dedit, ac vires sui ingenii atque eruditionem in catholicis scholis sibi comparatam, in vituperandam suae infantiae suique sacerdotii fidem contulit (6).

22. Inter graecos plures extitere catecheses a saeculo XVII. Prima, cuius nobis injicienda est mentio, inscribitur: *Χριστιανικὴ κατήχησις εἰς δόξαν τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ Παπρός, Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ Ἁγίου Πνεύματος, καὶ τιμὴν καὶ βοήθειάν τε τῶν φιλοθέων Ῥωμαίων*, Wittembergae, 1622 (7). Auctor huius catecheseos est Zacharias Gerganus ex Arta, qui duos annos studiis vacavit in Germania, ac protestantium erroribus imbutus, Constantinopolim rediit, ubi a Patriarca Cyrillo Lucari suffultus, ad sedem metropolitanam Artae ac Naupactae evectus est (8). In suo opere acerbissime aggreditur catho-

(1) Сокращенное изложеніе истинъ православной христіанской вѣры, надежды и любви: пособіе при изученіи прост. катих. прав. христіанской церкви (*Brevis expositio veritatum fidei orthodoxae christianae, spei atque amoris: auxilium ad studium catechismi maioris Ecclesiae orthodoxae christianae*), Odessae, 1905.

(2) Уроки пространнаго православно-христіанскаго катихизиса (*Praelectiones maioris catechismi christiani orthodoxi*), Tver, 1906.

(3) Пособіе къ изученію пространнаго христіанскаго катихизиса православныя каѳолическія восточныя церкви (*Auxilium ad studium maioris catechismi christiani Ecclesiae orthodoxae catholicae orientalis*), Mosquae, 1906.

(4) Уроки по пространному христіанскому катихизису пр. каѳ. вост. церкви (*Praelectiones iuxta cathechismum christianum maiorem Ecclesiae orthodoxae orientalis*), Mosquae, 1904 (tomi 2).

(5) Уроки по закону божію, способствующіе усвоенію Простр. христ. катих. прав. Церкви), *Praelectiones in legem divinam, aptae ad diligentius studium maioris catechismi Ecclesiae orthodoxae*), Iurev, 1901.

(6) Defunctus est vita anno 1892. Vladimirus ab orthodoxis vocatus fuit. Cf. Прав. бог. Энц., t. IV, coll. 357-59. Opus quod memoravimus gallice inscriptum est: *Exposition de la doctrine de l'Église catholique orthodoxe*, Parisiis, 1866; russice: Изложеніе ученія православной каѳолической церкви и разногласій съ нимъ другихъ христіанскихъ церквей (P. Artzybyscev), Kasan, 1869.

(7) Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII siècle*, t. I, pp. 159-170; Demetracopulo, *Προσθῆκαι καὶ διορθώσεις*, etc., pp. 47-49; Id., *Δοκίμιον περὶ τοῦ βίου καὶ τῶν συγγραμμάτων Μητροφάνους τοῦ Κριτοπούλου, Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας*, Lipsiae, 1870, pp. 15-16.

(8) Lebedev, Исторія греко-восточной церкви подъ властію Шурокъ, Petropoli, 1903, pp. 674-678.

licos, *haeretischismatopapicolas* « qui in forma luporum Germaniam invadunt, ut eam in profunditatem naufragiosi gurgitis praecipitent », et graecos « qui graecae religioni addictos privatim papismum fovent ». Doctrinas lutheranas, quae in hac opella traduntur (1), refellit non sine iracundia Matthaeus Caryophyllus, archiepiscopus iconiensis (2). Ab eo Gerganus vocatur non Artae, sed Astartae Sidoniorum simulacri alumnus, serpens qui veneno duplici factus est basiliscus (3).

Matthaeus Muttis (*Μούττης*), archidiaconus cypriacae orthodoxae Ecclesiae, edidit catechesin cui titulus: *Ἱερὰ κατήχησις, πάνυ ὠφέλιμος τοῖς τῶν Ἑλλήνων παισί, καὶ πᾶσι τοῖς βουλομένοις εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἐλθεῖν*, Hafniae (Copenhagen), 1638 (4).

Nicolao Bulgari, corcyrensi, tribuitur opus quod maxima etiam in praesentiarum gaudet apud Graecos aestimatione: *Κατήχησις ἱερά, ἤτοι τῆς θείας καὶ ἱερᾶς λειτουργίας ἐξήγησις καὶ ἐξέτασις τῶν χειροτονουμένων ὁμοῦ καὶ μετὰ πολλῶν ἄλλων, πρὸς ὠφέλειαν τῶν πιστῶν καὶ μάλιστα συντεινόντων*, Venetiis, 1681, 1799, 1818; Corcyrae, 1852 (5). Hancce catechesin Nicolaus Comnenus Papadopulo vocat « opus egregium doctum, eruditissimum, vernacula lingua eleganter conscriptum, numerosae opibus eruditionibus, ex recentissima Graecia collectis, locuples » (6). Non sine influxu latinae theologiae suam catechesin concinnavit auctor noster.

Graecis institutionibus catecheticis anteactae aetatis, adhuc adnumerandae: *Εἰσαγωγικὴ ἔκθεσις περὶ τῶν τριῶν μεγίστων ἀρετῶν πίστεως, ἐλπίδος καὶ ἀγάπης*, auctore Bessarione Macry, hieromonaco, adiecta editioni snagoviensi *Confessionis orthodoxae* (1699) (7); *Προαγωγὴ τῆς χριστιανικῆς κατηχήσεως, ὁποῦ φανερώνει τὸ μεγάλον χρέος ὁποῦ ἔχει κάθε χριστιανὸς νὰ ἦναι τέλεια κατηχημένος εἰς τὴν πίστιν του*, auctore Timotheo Kyriacopulo, chiensi, Venetiis, 1759 (8); *Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, περιέχον συνοπτικῶς καὶ διαλαμβάνον περὶ Θεοῦ,*

(1) Heineccius, *Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche*, Lipsiae, 1711, I, p. 193.

(2) Fuse de eius vita et scriptis egimus in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, t. II, coll. 1813-1815.

(3) *Ἔλεγχος τῆς ψευδοχριστιανικῆς κατηχήσεως Ζαχαρίου τοῦ Γεργανοῦ ἀπὸ τὴν Ἄρτην*, Romae, 1631, pp. 4, 8.

(4) Legrand, op. cit., t. I, pp. 360-362.

(5) Ib., t. II, pp. 366-380; Papadopulo Vretos, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, t. I, pp. 37-38 (n. 110); *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, coll. 1241-1242.

(6) *Historia gymnasii patavini*, t. II, Venetiis, 1726, p. 317. Opus N. Bulgareos translatum est in anglicam linguam, Londini, 1893.

(7) Bianu et Hodoș, *Bibliografia românéscă veche*, t. I, pp. 378-389.

(8) Papadopulo Vretos, t. I, p. 81.

περὶ πίστεως, περὶ ἐξηγήσεως καὶ χρήσεως τῶν ἑπτὰ μυστηρίων, τῶν δέκα ἐντολῶν, καὶ τῶν ἀναγκαιοτέρων τῆς ἱερᾶς Ἐκκλησίας ἐθίμων, μετά τινων σὺν αὐτοῖς χρειωδεστέρων πρὸς ἀσφαλῆ ὁδηγίαν καὶ εἴδησιν ἑκάστου φιλοευσεβοῦς ἀναγνώστου, auctore Theophilo episcopo *Καμπανίας*, Venetiis, 1780 (1); *Μικρὰ κατήχησις, ἤτοι σύντομος χριστιανικὴ διδασκαλία, ἐρανισθεῖσα ἐκ τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας εἰς χρῆσιν τῶν τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας τέκνων*, auctore Nicolao Darvari (2); *Χριστιανικὴ διδασκαλία περιέχουσα τὰ ἀναγκαιότερα ἄρθρα τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, εἰς τὰ ὁποῖα πρέπει νὰ διδάσκονται οἱ παῖδες*, Venetiis, 1812 (per plures annos haec catechesis usitatissima fuit in scholis graecis) (3); *Κατήχησις ἢ ὀρθόδοξος διδασκαλία τῆς χριστιανικῆς πίστεως*, auctore Constantino Oeconomo, viro celeberrimo inter graecos theologos saeculi XIX, Vindobonae, 1813 (4).

Nostra aetate in scholis graecis prae ceteris invaluere institutiones catecheticae quas elaborarunt M. Khamudopulos, I. Mesoloras, I. Moskhakis, et Diomedes Kyriacos.

(1) Papadopulo Vretos, t. I, p. 103. Cf. p. 146.

(2) Ib., pp. 136-137.

(3) Ib., p. 155.

(4) Sathas, pp. 731-736; Destunis, О жизни и трудахъ Константина Экономоса (*De vita et scriptis Constantini Oeconomi*), Странникъ, 1860, t. III, pp. 1-23.

CAPUT VI.

De Theologia scholastica ac de usu rationis in rebus fidei.

1. Objurgationes theologorum orthodoxorum in scholasticos scholasticamque methodum producuntur. — 2. Demonstratur in hisce objurgationibus congerendis theologos orthodoxos praecipuam regulam artis criticae violare, nec non theologos catholicos defectus scholasticae *sequioris oevi* silentio non praeterire. — 3. Fontes protestantes ex quibus theologi orthodoxi calumnias in scholasticam hauserunt: harum calumniarum iniquitas testimoniis recentiorum theologorum protestantium comprobatur. — 4. De scholasticae definitionibus ac de discrepantia, quae in eis enucleandis reperitur inter veteres ac recentes theologos orthodoxos. — 5. De natura theologiae scholasticae: eam a positiva tantum accidentaliter differre ostenditur: quod in ea peculiare habetur detegitur. — 6. Utilitas theologiae scholasticae, praesertim ad fidem christianam tuendam vindicatur. — 7. De origine theologiae scholasticae: ostenditur eam producere theologiam Patrum, praecursorem habuisse Leontium Byzantinum, magistrum autem ac legislatorem S. Iohannem Damascenum. — 8. De barbaro, quo utuntur scholastici, stylo: novitas vocum, ubi necessitas progressus scientifici instat, pluribus argumentis legitima demonstratur. — 9. De quaestiunculis otiosis ac nugatoriis a scholasticis exagitatis: quomodo in hac re veteres theologi orthodoxi scholasticos a culpa vindicarunt: quid de hac criminatione sentiendum. — 10. De usu dialecticae in theologia: obiectiones theologorum orthodoxorum refelluntur: dialecticae usus ex Sacris Scripturis, Patribus atque ratione perutilis demonstratur ad theologicarum disciplinarum progressum. — 11. De usu philosophiae in theologia: ad sententiam catholicam philosophiae munus in theologia non est veritates fidei per diuturnam sedulamque investigationem tam clarissima luce perfundere ut eas ratio humana penitus perspectas habeat ut veritates rationales. — 12. De scholasticorum sententia *philosophiam ancillari theologiae*: quid de ea sentiant theologi orthodoxi: eandem a Patribus et scriptoribus Graecae Ecclesiae scholasticos hausisse probatur. — 13. Veritas huius effati argumentis ex ratione depromptis confirmatur. — 14. Rectae consecutiones, quae ex eo deducuntur, explanantur. — 15. Pravae consecutiones, ex eo ab adversariis erutae, refelluntur. — 16. Doctrina catholica quae per adagium scholasticum exprimitur, disertis verbis a theologis etiam orthodoxis asseritur. — 17. Utilitas philosophiae ad profectum theologicarum disciplinarum argumentis auctoritatis ac rationis ostenditur. — 18. Demonstratur quam maxime conferat philosophia ad praeambula fidei illustranda. — 19. Ostenditur philosophiam perutilem esse theologis ad veritates fidei rectius ordinandas ac profundius investigandas. — 20. Philosophiae necessitas pro theologis vindicatur, ad resistendum eis quae contra fidem dicuntur. — 21. Scholastica purgatur a calumnia rationalismi, qua interdum a scriptoribus orthodoxis proscinditur.

1. Scriptores orthodoxi qui de fatis theologiae scholasticae in Occidente disseruere, generatim dicteriis eam insectantur, in eaque praecipuam causam malorum, quae scissum torquent christianum orbem, reponendam censuerunt. Haec dicteria, quae jam a scriptoribus byzantinae aetatis, in scholasticos jacta fuere, cum percrebuit in Russia lutheranae theologiae influxus, acerbiora evaserunt, atque in praesentiarum nullus fere est theologus orthodoxus qui methodum scholasticam maledictis non insectetur.

Ad sententiam episcopi Sylvestri ac Malinovsky, ante schisma exortum, theologia occidentalis, non secus atque orientalis, in scrutandis veritatibus fidei rectum prosequebatur iter. Peracta vero separatione Ecclesiarum, paullatim occidentales theologi traditiones antiquitatis christianae posthabuere, cuius lugendae jacturae non aliud datur motivum nisi *defectio* Romanae Ecclesiae ab Ecclesia universali. Per hanc defectionem, ait Sylvester, theologia occidentalis coacta fuit nova inquirere principia a christiana veritate aliena, novam adhibere methodum, quae magis faveret conatibus nova invehendi in depositum fidei. Per theologos novatores, philosophia scholastica ad supremum fastigii honorem evecta est.

Essentia scholasticae, ait Sylvester, in eo consistit ut placitis philosophicis argutiisque dialecticis abutatur in dogmatis pertractandis: veritates, quae per divinam revelationem nobis innotescunt, conatur ipsa in metaphysicas abstractiones convertere (1). Iuxta Malinovsky, finis ultimus theologiae scholasticae est fidem ad cognitionis naturalis gradum avocare, scilicet dogmata fidei humano intellectui pervia declarare. Ad hunc finem assequendum, theologi scholastici vestigia premunt veterum haereticorum, quos Patres Ecclesiae non semel vehementer criminantur, eo quod ad suos errores tuendos dialecticis cavillationibus abutantur.

Theologi scholastici, inquiunt praecitati scriptores, intimum sensum veritatum fidei flocci faciebant, ut vim totam converterent ingenii ad formas dialecticas. Praecipuum theologiae munus censebant subtiles distinctiones ac subdistinctiones multiplicare, dexteritatem ostendere in novis cavillationibus excogitandis, sophismatis convellere adversariorum rationes, in futilibus, minutissimis, absurdis, perridiculis quaestiunculis proponendis ac solvendis insudare. Dogmatum sublimitas dabatur pabulum humanae curiositati sciolorumque controversiis. Ad veritates fidei demonstrandas, tutandas, aperiendas, potius adhibebantur subtilitates ac tricae dialecticae, quam loci Sacrarum Scripturarum ac

(1) Op. cit., t. I, p. 127.

documenta Traditionis. Pro eo ut Patres Ecclesiae vocarentur ad controversias theologicas solvendas, testes adducebantur veritatis christianae Aristoteles, Cicero, Virgilius, Ovidius ceterique ethnici scriptores, quorum effata maiori apud eos potiebantur auctoritate quam sententiae Basilii et Chrysostomi, imo Prophetarum atque Apostolorum. Cum igitur haec theologia rationi curiose exquirenti tantum cibum praestaret, nil mirum si diu vixerit sterilis ad pietatem fovendam, ad cor christianum supernaturali doctrina nutriendum (1).

Ep. Sylvester cum horreat tot praeclaros ac pios viros, qui methodum scholasticam adhibuerunt, corruptores atque irrisores fidei appellitare, eos a culpa vindicare studet, cum pro tuenda fide christiana quidpiam praesidii speraverint ex philosophia aristotelica. Nequit asseri prava mente scholasticos theologiam christianam dialecticis argutiis inquinasse. Nihil eis potius fuit quam progressus theologicarum disciplinarum, ac luculenta eorum sedulitatis atque ingenii monumenta prostant innumera, quae sua mole terrent animos, volumina. Fidenter theologi, quos a schola dicimus, aristotelicam methodum in theologiam invexerunt, quin animadverterent per eam maximum detrimentum fidei christianae importatum iri. Aristotelica philosophia, aetate quae media inter antiquius et recentius oevum intercessit, permagni aestimabatur. Nil igitur mirum, si brevi temporis lapsu omnes scholas pervasit in Occidente, si praeclari magistri, fidei tuendae studio, eam extulerunt ut validissimum aggerem ad veritates dogmaticas communiendas. Spes tamen eos fefellit. Aristotelica enim principia in provincia dogmaticae christianae sibi primas usurparunt. Veritates fidei per ea imminutae sunt, ad gradum naturalium veritatum deiectae, non secus atque humanarum scientiarum placita discussae ac pertractatae, quamobrem lucem divinam quodammodo amiserunt, et pro eo ut clariores fierent, crassiores nebulas exhalarunt. Theologiam fere totam scholastici ad verbosas contentiones atque altercationes, ad cavillationes leves ac nugatorias, ad curiosas subtilitates redegerunt. Exinde factum est, ut, scientia fidei christianae tot inutilium quaestiuncularum pondere oppressa ac depravata, pietatis spiritus in fidelium animis paullatim extingueretur, ac lata sterneretur via pseudoreformationi religiosae, quae per lutheranam haeresim Romanam Ecclesiam depopulata est (2).

(1) Пытая пытливость разума, такое богословіе ничего не давало вѣрующему сердцу и потому оставалось безжизненнымъ и безплоднымъ. — Malinovsky, t. I, p. 68.

(2) Sylvester, pp. 128-129.

Neque haec tantum mala deplorandum est ex theologia scholastica profluxisse. Constat enim per eam in fidem christianam invectas fuisse complures sententias, quae magis magisque exacuerunt dissidium inter orientalem atque occidentalem Ecclesiam. Theologorum privatae opiniones, quae in scholis disceptationum effraenae libidini ansam praebebant, ad fastigium dogmatum elatae sunt, verbigratia sententiae purgatorium atque indulgentias spectantes. Insuper scholasticis tribuenda frequens atque inhonesta Traditionis ac Patrum alteratio, ut catholicae sententiae, praesertim *τὸ Filioque*, confulcirentur (1).

Vehementioribus adhuc increpationibus scatent graecorum theologorum scripta, qui, ne delibatis quidem theologiae scholasticae prolegomenis, eam cachinnis contumeliisque obruunt. Audiatur prae ceteris Eugenius Bulgaris: « Nefas est nobis relinquere graecos Patres, ac sequi vestigia Thomae Aquinatis, Iohannis Scoti, Guilelmi Durandi, ceterorumque scriptorum quorum nomina penitus ignota sunt in ecclesiastica Hierarchia ac vilia... Apud latinos theologos non datur unitas fidei. Veritas enim una est, ac dissidium non oritur, ubi lux affulget Spiritus Sancti, Eiusque inspiratio. Latini theologi ac magistri in multis inter se discrepant decertantque. Quot capita apud eos, tot sententiae: Thomistae, Scotistae, Adiaphoritae, Iesuitae: quoties inter se iurgia consarcinantes, obstinate conclamant ergo (*τὸ ἄρα*), toties digni essent ut proferatur in eos maledictio (*ἀρά*). Mendacium enim multimodum est, ac sibimetipsi nunquam consonum. Diceres theologos nostros speciem praeseferre linguarum illarum quae veluti flammae die Pentecostes Apostolis apparuerunt, quaeque omnes concorditer eandem fidem testabantur. Theologi contra Latini ad memoriam revocant confusionem linguarum quae in turri babelica aedificanda superborum mortalium consilia disiecit: hic petram clamabat, ille autem aquam. In uno tantum unanimiter se gerunt Latinorum magistri, in conviciorum scilicet telis jaciendis adversus nos » (2).

(1) Malinovsky, p. 69.

(2) *Δὲν ἠμποροῦμεν ἡμεῖς νὰ ἀφήσωμεν... τόσους καὶ τόσους θεοφορήτους ἄνδρας, καὶ θεσπεσίους Πατέρας... καὶ νὰ ἀκολουθήσωμεν τὸν Ἀκυνάτην Θωμᾶν, Ἰωάννην τὸν Σκότον, Δουράνδον Ὄλεμον, καὶ τί ἠξεύρω ἐγὼ πόσους ἄλλους, εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν Ἱεραρχίαν ὀνόματα παντελῶς ἀφανῆ καὶ ἀγνώριστα... Ἡ ἀλήθεια εἶναι μία, καὶ δὲν χωρεῖ ποτὲ διαφωνία ὅπου χωρεῖ ὁ φωτισμός καὶ ἡ ἐπίπνοια τοῦ θείου Πνεύματος. ἐξ ἐναντίας οἱ θεολόγοι καὶ διδάσκαλοι τῶν Λατίνων εἰς πολλότατα ἀνάμεσόν τους ἀπῴδουσι καὶ διαμάχονται· ὅσαι κεφαλαὶ παρ' αὐτοῖς, τόσαι γνῶμαι· ὅσα τάγματα, τόσα συστήματα· Θωμισταί, Σκοτισταί, Ἀδιάφοροι, Ἰησουῆται, καὶ τόσαις φοραῖς κατ' ἀλλήλων φιλονεικοῦντες προφέρουσιν ἀνενδότως τὸ ἄρα, ὅσαις φοραῖς ἦτον ἄξιοι νὰ προφέρῃ τις ἐναντίον τους τὴν ἀράν· διότι*

Elias Tantalides, graecus theologus in catholicam fidem iniquissimus Romanam Ecclesiam aggreditur, eo quod scholasticam philosophiam adhibuerit. « Haec philosophia suapte natura garrula est ac litigiosa. Philosophi, qui eam coluerunt, ultro sese sapientes iactabant; acres in controversiis, ad quaestiunculas inanes animum adiungebant, nihil unquam certi ex suis disceptationibus inferentes. Dialectica sophistica, cui addicti erant, ut plumbea regula impendebat eorum voluntati. Ex ea maxima profecta est iactura, scilicet methodus syllogizandi, quae totam infecit theologiam eiusque venerandam faciem ac naturam in alienam immutavit » (1).

Protosyncellus Chrysostomus (nunc temporis metropolita urbis *Ἀράμας*) Romanam Ecclesiam maledictis prosequitur, quippe quae aureis ac pretiosis antiquitatis christianae dogmatis praetulit vilia atque adulterata theologiae scholasticae sophismata (2). Inter haec sophismata recenset auctor dogma Primatus Romani Pontificis quod a scholasticis theologis declarat excogitatum ac propugnatum: *ἐπενοήθη καὶ ἐλέχθη ὑπὸ τῆς σχολαστικῆς θεολογίας* (3).

Apud catholicos, adnotat N. Bieliaev, theologia formalem tantum ac dialecticum characterem exhibet. In notiones, quas tradit, vetat inquirere. Theologi munus est ut effata theologica in unum conflet systema. Methodus, quam adhibet catholica theologia ad suum finem assequendum, in eo consistit ut propositiones theologicae analysi sub-

---

τὸ ψεῦδος εἶναι πολυσχιδές, καὶ πρὸς ἑαυτὸ ἥκιστα σύμφωνον· τοὺς θεολόγους ἡμῶν τοὺς βλέπεις ὡσὰν τὰς γλώσσας ἐκείνας τὰς πυρίνας τῆς Πεντηκοστῆς, ὁποῦ ὅλαι συμπνέουσιν εἰς τὸ κήρυγμα μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως· τοὺς θεολόγους τῶν Λατίνων ὡσὰν τὰς γλώσσας τῶν ἀνθρώπων τοῦ Πύργου τοῦ Βαβυλωνικοῦ, ὁποῦ ἡ μία ἐφώναζε πέτραν, καὶ ἡ ἄλλη νερόν· εἰς ἕνα μόνον συμφωνοῦσιν οἱ γενναῖοι αὐτοὶ τῶν Λατίνων διδάσκαλοι, εἰς τὸ νὰ κινοῦν τὰς γλώσσας των ἐναντίον μας. Στηλιτευτικὴ ἐπιστολὴ κατὰ Λατίνων, Tantalides, Παπιστικοὶ Ἔλεγχοι, t. II, Constantinopoli, 1850, p. 281.

(1) *Ὑπῆρχε καὶ ἕτερον κακὸν κατὰ τὴν Ἑσπερίαν, ἡ σχολαστικὴ λεγομένη φιλοσοφία, ἤδη καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς σπαργάνοις αὐτῆς σπερχνὴ καὶ κωτίλη· οἱ δὲ σχολαστικοὶ λεγόμενοι φιλόσοφοι ἦσαν γένος ἀνθρώπων δοκησισόφον, ὀξεῖς εἰς ἔριδα, ἀείποτε λεπτοσυζητοῦντες καὶ μηδέποτε μηδὲν συμπεραίνοντες βέβαιον· ἐπειδὴ ἡ σοφιστικὴ διαλεκτικὴ αὐτῶν ἦν ὡς κανὼν μολύβδινος λιγυζόμενος κατὰ τὴν αὐτῶν βούλησιν, καὶ τὸ χείριστον. ὅτι τὴν τοιαύτην ἔφοδον τοῦ συλλογίζεσται ἤδη ἤρξαντο εἰσάγειν καὶ ἐν αὐτῇ τῇ θεολογίᾳ, ἥτις παρ' αὐτοῖς ἀρτίως ἀπώλεσε τὸν γεραρὸν αὐτῆς χαρακτῆρα.* Ib. t. I, pp. XII-XIII.

(2) *Προυτίμησεν ἡ μεγάλη καὶ φοβερὰ αὕτη ἀντίπαλος τῆς Ἀνατολῆς ἀντὶ τῶν διαχρύσων καὶ πολυτίμων δογμάτων τῆς ἀρχαιότητος τὰ ὑπόχαλκα καὶ παράσημα τῆς σχολαστικῆς θεολογίας σοφίσματα. — Περὶ Ἐκκλησίας*, t. I, Athenis 1896, p. III.

(3) Ib., I, p. 59.

jiciantur, disjiciantur, distribuantur in varios ordines, in varias classes dispescantur, colligantur denique et coagmententur inter se, reducanturque ad formam syllogisticam, legibus, ut summatim dicam, logicae deductivae penitus subjiaceant. Quo fit ut Romanae Ecclesiae theologi solummodo curent exteriorem systematis structuram. Adde quod haec theologia mancipatur unice Papis, ut Bellarminus hisce verbis candide fatetur: « *Si autem Papa erraret, praecipiendo vitia, vel vrohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, et virtutes mala, nisi vellet contra conscientiam peccare* » (1).

Alter Bieliaev, Alexander, professor mosquensis Academiae, vehementer dolet duobus saeculis atque amplius ex Occidente provectam fuisse in Russiam demortuam, ac formalismo infectam theologiam scholasticam. Qui theologiam docuerunt in Russia scholam ecclesiasticam sacrasque disciplinas latinis barbarismis commacularunt, obliti latinum idioma, ipsis Latinis iam inutile, Russis omnino infructuosum atque extraneum sese praesetulisse. Theologi russi falso sibi persuaserunt, disciplinas theologicas non secus ac litteraturam et philosophiam latino idiomate, potiusquam russico, uberiores fructus daturas (2).

(1) Основной принципъ римскаго католицизма, pp. 65-66, 79. Mirum est qua perfricta fronte interdum textus catholicorum theologorum a scriptoribu orthodoxis in alienum et pravum sensum detorqueantur. Praecitatus Bellarmini locus *hypothesim* tantum exhibet, quae in opere τοῦ Bieliaev transformatur in *thesim*. Bellarminus ponit ut principium quod Papa non potest errare in rebus morum. Si enim erraret, cum Ecclesia teneatur iudicio acquiescere Summi Pontificis, sequeretur Ecclesiam ipsam erraturam, scilicet sequeretur Deum in necessariis deesse Ecclesiae, quod repugnat, *De Romano Pontifice*, lib. IV, c. 5, *Opera*, t. I, Neapoli, 1856, p. 484, sequeretur Romanum Pontificem, *ex hypothesi* praecipere posse vitia, ac prohibere virtutes, eiusque perversas sententias Ecclesiam accepturam, quod absurdum est. Prava interpretatio huiusce clarissimi argumenti nescio utrum ignorantiae an malitiae tribuenda sit.

(2) Болѣе двухъ вѣковъ мы пересаживали съ Запада чуждое Русскому народу и православію безжизненное и слишкомъ формальное схоластическое богословіе; обезъяннически подражая Западу, мы наводнили нашу духовную школу и науку варварскою латынью, не нужною даже и самимъ латинянамъ, а намъ совсѣмъ чуждою и безполезною; какъ будто догматику и другія богословскія, а также словесныя и философскія науки можно лучше изложить и основательнѣе изучить на латинскомъ, а не на русскомъ языкѣ. — О соединеніи церквей, p. 183. In theologiam scholasticam acriter etiam invehit πρωτοϊερεύς Ivantzov Platonov: « In suis argumentationibus occidentalis scholastica theologia mediae aetatis fulcrum non habebat ad sublimiores fidei quaestiones solvendas: carebat enim praestanti Sacrarum Scripturarum historiaeque ecclesiasticae cognitione, firmo sensu theologico optimaque christiana directione. Ipsa nitebatur praesertim vacua et subtili dialectica, et pro re nata, scienter veritate contempta, inserviebat politicae romanae hierarchiae. Hac de causa pro eo ut veritates fidei puriores efficeret clarioresque,

2. Antequam scholasticam a calumniis, quas memoravimus, vindicemus, quaedam nobis praenotanda sunt. Probra quae scriptores orthodoxi in eam congerunt fideliter adduximus, cum nihil magis consonum sit honestati litterariae quam adversariorum obiecta ad amussim producere, ut pateat hisce veritatis catholicae defensores minime terreri. In scholasticis redarguendis scriptores orthodoxi a vero deflectunt, dum toti in eo sunt ut eorum defectus nobis ante oculos constituant, silentio praetervehentes quae sibi compararunt praeclara merita in fidei dogmatibus inquirendis ac tutandis. Osores theologiae scholasticae non secus agunt ac censores litterarii qui de scriptis eximii cuiusdam poetae vel philosophi iudicium ut ferant, rimantur, dissecant, perpendunt, scrutantur solummodo opera quae hic vel ille, senio iam confectus, ac debilitatus ingenio, typis vulgavit. Huic methodo si quis in critica litteraria pertractanda addictus esset, proculdubio inique agere diceretur.

Praeclaros auctores ex scriptis, quae florescentibus ingenii atque aetatis viribus, produxere dijudicandos esse, nullus est sane cordatus homo qui non fatebitur. In hisce enim splendet insita anima vis, dotesque litterariae quibus eximios quosque viros exornatos fuisse deprehendimus. Hanc animi vim, hasce dotes litterarias penitus silentio praeterire, perinde ac si nunquam extitissent, summa esset iniustitia.

---

tenebris eas obnubilavit. Cum sibi proposuissent finem suis argumentis ac meditationibus confirmandi quidquid ut fidei Ecclesiae doctrina accipiebatur, theologi scholastici nullam posuerunt distinctionem inter dogmata essentialia fidei, sententias particulares theologorum, figmentaque superstitionis atque *ἐγωϊσμοῦ* quem vocant, inter traditiones veteris *ὀρθοδοξίας* universalis ac novitates romani pontificatus. Haec et illa iubebant in unum affabre exstructum systema coire, argumentisque, quantum fieri poterat, corroborare. Ubi deficiebant firmae veraeque rationes, scienter falsae excogitabantur ac pro veris venditabantur. Ad novas tuendas sententias vetera citabantur testimonia in alienum sensum detorta, vel quae christianos antiquioris Ecclesiae penitus latuissent. Veterum scriptorum locos pro suo lubito quisque interpretabatur, codices antiqui depravabantur arbitrariis additionibus emendationibusque, eventus, quorum memoriam apud historicos luderes operam si quaereres, enarrabantur, sub nomine denique perillustrium Ecclesiae magistrorum falsa ac fallaciis plena in lucem edebantur opera. Nil igitur mirum si theologia scholastica occidentalis mediae aetatis tantam praebuerit confusionem ac mixtionem veritatum fidei christianae errorumque ac praeiudicatarum ad lubitum sententiarum, ut nemo est qui valeat eas cunctas ad invicem implicatas separare ac discernere: Западное схоластическое богословіе среднихъ вѣковъ образовало въ себѣ такое смѣшеніе истинныхъ христіанскихъ понятій съ произвольными вымыслами и заблужденіями, что человѣку, запутавшемуся въ немъ, рѣшительно не было возможности отдѣлить одно отъ другаго. — О западныхъ вѣроисповѣданіяхъ (*De confessionibus fidei occidentalibus*), Mosquae, 1906 (ed. IV), pp. 10-11.

Hoc idem agunt qui scholasticos systematice aspernantur, qui ad periodum extremae senectae, qua fractis iam nervis theologia scholastica fatiscens dissolvebatur, vitio quidem non scholae, sed hominum, animum intendunt, eiusque mirabilem ac foecundissimam iuventutem clausis oculis negligunt admirari. Quaelibet scientia, pro rerum humanarum more, periodos varias praetergreditur. Ex vacillantibus primaevae pueritiae gressibus pedetentim ad vigorem adolescentiae properat, adolescentiaque peracta, nervos suos firmat ac roborat, sanguinem ditat, viribusque novis praepollet. Haec tamen felix aetas, quae omnes explicat humani ingenii virtutes, caduca est tum in singulis hominibus, tum in singulis scientiis. Conditiones societatis civilis immutantur; ingenium novarum rerum semper cupidum ad alia curiose se vertit; inhiantes libidines mortales transvorsos agunt, illudque quod prius plurimi deperiebant, contemnitur; mens humana earumdem rerum studio semper addicta, fatigatur, ab eisque ulterius inquirendis refugit. Ex cunctis hisce causis proficiscitur antiquioris culturae despectus, ac novae, licet interdum deterioris, ac debilioris, inconsultum studium. Quae hactenus memoravimus, scholasticae theologiae historiae accomodantur (1). Ad perfectionis fastigium evecta saeculo XIII per doctores illos quos praeclaris epithetis rite condecoravit posteritas, arescente in animis pietate, torpescentibus magistrorum ingeniis, ac percrebrescente hostili in eam influxu aetatis illae quae a renatis litteris nomen habet, paullatim ipsa demissius incessit, nativum colorem infecit, senilibus rugis frontem exaravit, ac denique gelu mortis diriguit, quandoque iterum ad vitam reversura.

Osores theologiae scholasticae in ea senio deturpata lineamenta lubenter inspiciunt, dum iuvenilem eius pulchritudinem ne mirentur, oculos detorquent. Quos enim scriptorum orthodoxorum verbis recensuimus defectus ac lacunas, in scholastica tantum sequioris oevi fas est detegere. Adde quod nihil novi per eiusmodi criminationes theologis catholicis panditur. Aberrationes scholasticorum sequioris oevi nobis apprime innotescunt. Theologi Ecclesiae catholicae distinguunt inter veram scholasticam, quam debitis extollunt laudibus, ac depravatam scholasticam, quae ut verbis utar clarissimi scriptoris O. S. A. « gravissimas controversias ex veris theologiae principiis non dirimit,

(1) Ad rem Emus Gonzalez: « La renaissance philosophique, fécondée et animée par le principe chrétien, est ce qui constitue la Philosophie scholastique, mouvement qui, comme tous les mouvements de ce genre, est d'abord imparfait, intermittent, hésitant; ensuite, vigoureux, expansif, énergique; enfin, atteint de décadence et de décrépitude. — *Histoire de la Philosophie*, t. II, Parisiis. 1890, p. 123.

de multis disputat quae prorsus inutilia sunt, supervacanea est, ridicula, non modo inutilis, sed neque theologiae nomine digna ». Hic vero occasus scholasticae imputandus est illis theologis « qui proprio indulgentes ingenio, atque humana tantum ratiocinatione freti, adeo purissima fidei principia christianamque deturparunt moralem, ut et scandali mensuram implentes, innumera eorum portenta in eorum libris invenerint et condemnaverint nobilissimi catholici orbis academiae » (1).

Celeberrimus inter catholichos theologos Melchior Canus gravissimis verbis pluries conquestus est mala ex scholasticis sequioris notae in theologiam catholicam invecta: « Intelligo fuisse in schola quosdam theologos adscriptitios, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidam, sed fere e puerilibus disciplinis, scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedum Theologi qui sophismatum faeces in scholas inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum » (2). Et alibi: « Hoc vero saeculo fuisse etiam in academiis multos, qui omnem ferme theologiam disputationem sophisticis ineptisque rationibus transegerint, utinam ipsi non fuissemus experti. Egit autem diabolus, quod sine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adversum ingruentes ex Germania haereses, oportebat scholae theologos optimis esse armis instructos, ea nulla prorsus haberent, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt a plerisque ac merito irrisi, quoniam verae theologiae, solidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, easque ipsas utinam sequerentur » (3).

Prudentiores scholastici persaepe vitia improbarunt quae theologiam per effraenam disceptandi libidinem pervaserunt. Imo, nisi brevitati consulerem, ex Romanorum Pontificum actis plurima nobis praesto essent documenta quae ostendunt Romanos Pontifices ingravescentes in diem theologiae scholasticae defectus saepe doluisse ac reprobasse, ac media indicasse vel adhibuisse ut licentiae pseudo-scholasticorum occluderetur adytus.

(1) Marcellius, *Institutiones theologicae*, t. I, Fulginii, 1847, pp. 386-387.
(2) *De locis theologicis*, l. VIII, c. 1; *Opera*, t. I, p. 428.
(3) Ib., l. IX, c. 1, t. I, p. 464.

Iuvabit hic tantum meminisse litteras Gregorii IX (1227-1241) ad universos doctores ac magistros theologiae parisienses missas die 7 iulii, anno 1228. Hosce omnes Romanus Pontifex graviter increpat « quod elatiori spiritu ostendendae philosophiae causa Scripturarum difficultates et inexplicabilia dogmata enodare contendebant, atque qui nimis ratiocinationi humanae addicti fidem evacuabant, naturae tribuentes quod soli gratiae tribuendum sit ». Praecipiebat inde, ut in explicandis aperiundisque Scripturarum oraculis sanctissimorum Patrum doctrinam, non philosophorum fucatas rationes adhibere studeant » (1). Constat igitur defectus scholasticae *sequioris oevi* non latuisse neque Romanos Pontifices, neque cordatiores theologos qui enixe adlaborarunt ut eisdem catholicam purgarent theologiam atque ad pristinum saeculi XIII splendorem revocarent.

3. Fontes precipui, ex quibus recentiores theologi orthodoxi tot convicia, tot criminationes in scholasticam hauserunt, scriptorum protestantium famosi libelli extitere. Constat enim antiquos theologos academiae kioviensis, ut iam innuimus, methodum scholasticam in theologia tradenda peramasse eamque, ut par erat, sedulo coluisse, ac tantum per Teophanem Prokopovitch, lutheranis placitis addictissimum, in eam bellum denunciatum fuisse. Lutherus theologiam scholasticam aiebat falsam esse Scripturae et Sacramentorum intelligentiam eamque exulem fecisse veram et sinceram theologiam (2). Exercitus Papae, Lutheri verba transcribimus, sunt magistri pontificii, praedicatores, parochi, confessores, sed prae omnibus theologi scholastici. Horum munus est ut legibus romanae sedis miserrimum fidelium gregem subjiciant. Nil aliud est theologia scholastica nisi verbosa, vana, crassa, mendax,

(1) Potthast, *Regesta Pontificum Romanorum*, t. I, Berolini, 1874, n. 8231 p. 709. En Romani Pontificis verba: « Cum theologiam secundum approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant, et non carnalibus armis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivum in obsequium Christi omnem reducere intellectum, ipsis doctrinis variis et peregrinis abducti redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam, videlicet documentis terrenis coeleste, quod est gratiae, tribuendo naturae. — Bulaeus, *Historia Universitatis parisiensis*, t. III, Parisiis, 1666, p. 129. De vitiis corruptae scholasticae loquitur idem scriptor in tomis I (Parisiis, 1665), pp. 348-349; et II, p. 670.

(2) Binder, *Scholastica theologia in qua disseritur de eius causis, origine, progressu, ac methodo legendi scholasticos, cum annexa expositione quomodo doctrina Christi ab Apostolis fideliter tradita, aliquot centuriis custodita, tandem romani antichristi tyrannide et fraudibus, ferme penitus extincta fuerit.* Tubingae, 1614, p. 14. Prolixus titulus aequum auctoris animum patefacit in ferendo iudicio de Scholasticis !

diabolica, maledictis obruenda loquacitas, monachorumque somnia: ea utuntur ad animas auxilio destitutas proculcandas (1). Theologi qui propria ratione in res divinas inquirunt easque suo metiuntur iudicio, instrumenta Satanae dicendi sunt (2). Per eos factum est ut romana theologia vacuum praeseferat nomen, umbram, inquam, quae nullam praestat realitatem (3). Ac Luthero concinunt theologi lutherani, qui sexcentis minutulis locis e scholasticorum sequioris oevi penu decerptis, totam theologiam scholasticam demonstrare contendunt « verbosam fuisse ac sophisticam loquacitatem, nihil habentem succi de fide et moribus » (4).

Hisce theologis adstipulantur acrioris ingenii viri qui post renatas litteras, exaggerato politioris dictionis cultu, *plebeium* atque humilem latinitatis scholasticae stylum fastidivere, et scholasticam aversati sunt eo quod tullianis elegantiis non uteretur. Satis est quae Erasmus in scholasticos congessit producere: « Doctrina evangelica olim credebatur, non disputabatur, et pia simplicitas hominum sacrorum voluminis oraculis erat contenta: nec egebat variis praescriptis ultro prompta caritas, omnia credens, nusquam haerens. Mox theologiae patrocinium capessebant humanis instructi disciplinis, sed ferme his quas hodie rhetoricas vulgus appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi coepit philosophia, primum platonica, mox aristotelica; coeptum quaeri de multis, quae vel ad mores, vel coelestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quae res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo succrevit, ut plerique, neglecta linguarum et politioris litteraturae

(1) *Exercitus Papae* « sind die päpstliche Lehrer, Prediger, Pfarrherr, und Beichtväter sonderlich aber die *Theologi scholastici*. Denn solch verdampt Volk thut nicht mehr, denn treibt nur die unträglichen obgenannten Gesetze des Papst in das arme Volk... Denn die *scholastica Theologia* nichts ist, denn eitel erdicht, erlogen, verflucht, teufelisch Geschwätze und Münchenträum, und doch damit die armen Seelen unter sich treten ». *Deutung der zwei greulichen Figuren, Papstesels zu Rom und Mönchkalbs, zu Freyberg in Meissen gefunden, Sämmtliche Werke*, t. XXIX, Erlangae, 1841, p. 4.

(2) Alle Theologen die mit Vernunft und Spekuliren in göttlichen Sachen umbgehen und davon urtheilen, sind des Teufels, *Tischreden*, n. 1242. Ib., t. LIX, 1854, p. 181.

(3) Die Theologie unterm Papstthum war nur ein blosser Name und Schein, da nichts hinter ist. Ib., n. 2790, t. LXII, p. 256.

(4) Binder, p. 14. — Cf. Sarcerius, *De scholasticae theologiae vanitate*, Francofurti, 1541; Heumann, *De origine, appellatione, natura, atque asophia theologiae et philosophiae scholasticae*, Jenae, 1719; Hampden, *The scholastic philosophy considered in its relation to christian theology*. Londini, 1837; Hase, *Handbuch der protestantischen Polemik gegen die römisch-katholische Kirche*, Lipsiae, 1871, p. 528.

peritia, immo neglectis divinis voluminibus, in curiosis, supervacaneis et immodicis quaestiunculis, velut ad Sireneos scopulos, consenescerent. Iam ars esse coepit theologia potius quam sapientia, theatrica verius, quam ad veram pietatem accommoda; hanc praeter ambitionem avaritiamque vitiarunt et aliae pestes, adulatio, contentio ac superstitio. Quibus rebus tandem eo ventum est, ut Christus ille purus propemodum esset obrutus humanis argumentationibus et limpidissimi quondam evangelicae doctrinae fontes Philistaeorum scrobe oppleti » (1).

Quae humaniorum litterarum vindices ac protestantes theologi adducunt exempla ad calumniandam scholasticam, ex faece potius scholasticae quam ex genuino fonte hausta sunt. Vitio nequeunt verti cunctis doctoribus scholasticae lacunae defectusque qui sequioribus saeculis eam depravarunt. Quicumque enim clarissimorum inter scholasticos volumina diligenter evolvat, quae sua magnitudine maximam admirationem movent, brevi ditissimos in eis verae speculationis christianae thesauros condi deprehendet. Ne pro domo nostra perorare dicamur, fucum veritati facientes, verba scriptoris erga fidem catholicam iniquissimi in medium proferimus, ut constet perillustres .e theologis protestantibus viros, qui ab initio scholasticae averso animo operam navare coeperunt, cum eam profundius attigerint, miratos esse tot christianae sapientiae divitias in ea delitescere: « Semler, inter critices theologicae conditores celeberrimus, *scholasticos ab iis contemni ait, qui ad exscribendos eorum libros uti illis non potuissent.* Christophorus Doederlein, supernaturalismi, qui dicitur, contra rationalistas propugnator spectatissimus, se quoque horruisse aliquando illorum barbariem fatetur, postquam vero eorum scripta perlustraverit eo se deductum esse, *ut eorum eruditionem, subtilitatem, ambigua discernendi studium, argumentorum copiam et perspicuitatem atque tractationis ordinem admiratus, magnorum atque ingeniosorum hominum elogio per iniuriam eos defraudari sibi persuaserit.* Eodem fere tempore Tennemann, Kantii discipulus, quum universae philosophiae historiam critice exponeret, duo magni operis volumina in accuratam scholasticorum systematum descriptionem insumpsit. In quibus pervestigandis aeque post illum ii omnes fere germanici scriptores laboraverunt, quorum industria et acumine Victor Cousin factum esse significat, ut philosophiae historia nova prorsus et summi momenti disciplina evaserit... Denique horum omnium laboribus diligentissime usi praestantissimi historiae ecclesiastici scriptores germanici nisi sunt, ut etiam scholasticorum

(1) Schlottmann, *Erasmus redivivus sive de Curia romana hucusque insanabili*, t. I, Halis, 1883, p. 131.

philosophiam ac theologiam earumque mutuum inter se connexum et recte comprehenderent et iuste dijudicarent. Quibus viam praeivit vir etiam adversariis reverendus, simplici et alta pietate christiana, incorrupto veri studio, ingenio ad investigandam interioris hominum indolis historiam aptissimo insignis, Augustus Neander. Is quoque Aquinatem inter summos ponit post Augustinum Ecclesiae doctores, qui adhibitis sui quisque temporis ad excolendum intellectum praesidiis in divinae revelationis mysteria quam altissime penetrare et christianae doctrinae cum omni humana scientia concordiam demonstrare studuerint » (1).

Memoratu etiam digna quae nuperrime Seeberg in Encyclopedia theologica protestanti vulgavit, ut scholasticam apud suos despectam a calumniis in eam illatis strenue vindicaret. Ad eius sententiam « scholastici sibi proposuere finem attingendi supremum humanae cognitionis fastigium, huncce finem ut assequerentur usi sunt mirabili acumine ingenii cunctisque ad scientiam sibi parandam mediis quae eis praesto erant (2). In theologia scholastica reperitur talis ac tanta austerae speculationis plenitudo, ac pro rebus gravissimi momenti explanandis tam ingens studii desiderium, amor, atque alacritas, ut nulla detur aetas historiae theologiae, quae tot divitias intellectuales exhibeat » (3).

Non absonum igitur est a veritate asserere scholasticam tantum comtempsisse qui poene eam delibarint: *quae ignorant, blasphemant*. Haud quidem contendimus obtegendos defectus serioris scholasticae, ut iura veritatis justitiaeque tutemur, cum lectissimis scriptis sapientiaque refertis praeclaros doctores scholasticos theologiam christianam ditasse asseveramus. Protestantes, ut iam innuimus, qui partium studio non favent, a receptis apud suos veterum theologorum sententiis in scholastica dijudicanda discessere. Hoc idem exemplum ut sequantur scriptores orthodoxi peroptamus. Aetas enim nostra, quae honestatem litterariam permagni facit, ea est ut etiam adversariorum

(1) Schlottmann, t. II, p. 180.

(2) Die Scholastik hat die höchsten Ziele menschlicher Erkenntniss sicher in das Auge gefasst und sie mit einem staunenswerten nie rastenden Scharfsinn, und mit treuer Verwertung aller ihr zu Gebot stehenden Erkenntnissmittel sich um die Erreichung jener Ziele bemüht hat. — *Realencyklopädie für protestantische Theologie*, t. XVII, Lipsiae, 1906, p. 707.

(3) Wenigstens auf der Höhe der Scholastik ist eine solche Fülle ersten strengen Denkens und ein solches Mass begeisterter Hingabe an eine grosse Sache in der Scholastik vorhanden gewesen, wie man es nicht in allen Zeitaltern der Geschichte der Theologie findet. — Ib., p. 707.

res nonnisi aequa lance perpendere concupiscat. Calumniae, quae in scholasticam iactae sunt, ad illud iam pertinent oevum, quo exagitatis ex turbis religiosis animis, scriptores protestantes theologos catholicos probris conviciisque superare studebant. At, in praesentia, cum pacem deperiamus, cum nervis omnibus in id tendamus ut, sepositis veterum dissensionum causis, scissam totius orbis christiani unitatem restituamus, obsoletis calumniis parcendum est (1).

4. Nullus fere ex recentioribus theologis orthodoxis vel naturam scholasticae assecutus est, vel rectam eius definitionem enucleavit. Ex antiquioribus theologis graecis Eugenius Bulgaris ac Nicolaus Cursulas non tantum scholasticae munus rite determinarunt, verum etiam eius utilitatem ad sacrarum scientiarum profectum fideique defensionem tuiti sunt.

Prior breviter eam definit illam theologiae speciem quae methodo determinata formisque regulis dialecticis magis consonis veritates fidei exponit: *ἡ δὲ σχολαστικὴ διαλεκτικώτερον καὶ ἐν ὡρισμένῃ μεθόδῳ τὰ τῆς πίστεως ἐκτίθησιν, οἵα δὴ ἀπὸ τοῦ ιβ΄ εἰσχωρῆσαι λέγεται* (2). In eo fortasse minore diligentia usus est Bulgaris, quod scholasticae originem ad saeculum XII amandat. Hoc tamen assertum paullo post ipse infirmat, cum patrem scholasticae statuat S. Iohannem Damascenum. Fusius adhuc iura ac merita scholasticae vindicat Nicolaus Cursulas, qui in Lutherum et Calvinum eam calumniantes invehit. Theologia scholastica, ad Cursulae sententiam, semper servat methodum, ordinem, distinctionem quaestionum atque argumentorum, formam syllogisticam, quam tradit ars rite ratiocinandi, diligentem ac logicam rerum cognitionem, de quibus fides aliquid affirmat vel negat; hoc modo tutatur explicationem eorum quae ad fidem pertinent contra consequentias atque obiectiones adversariorum, ac tali munere defungitur ineleganter, sine verbosa eloquentia, sine ornatu: fidei simplicitatem semper ante oculos habens, simpliciter et ipsa loquitur (3).

(1) Episcopus Sylvester, licet inique sese gerat in dijudicanda scholastica, summis tamen laudibus effert S. Thomam Aquinatem: « Sive exteriorem aptamque systematis structuram respexeris, sive peritiam in methodo dialectica adhibenda ad veritatis inquisitionem, sive subtilitatem acumenque ingenii in logicis formis usurpandis ab obiectiones adversariorum solvendas, per praeiudicatas sententias diluendas, dicendum erit tam celsos Thomam Aquinatem attigisse vertices speculationis christianae ut celsiores nequiverit attingere theologia mediae, quam vocant, aetatis ». T. I, p. 49.

(2) Op. cit., p. 13.

(3) *Ἡ σχολαστικὴ θεολογία ἀεὶ πάντα ταῦτα τηρεῖ, τὴν μέθοδον, τὴν τάξιν, τὴν διαίρεσιν τῶν ζητημάτων καὶ ἐπιχειρήσεων, τὸν σχηματισμὸν τῶν συλλογισμῶν, ὃν ἡ ὀρθὴ ἐκδιδάσκει τέχνη, τὴν λελογισμένην καὶ ἀκριβῆ τῶν πραγμάτων*

Moschopulos haec habet: « Scholastica dicitur recentior theologia quae primum agnoscit auctorem Petrum Lombardum, theologia nempe, quae, petita in auxilium dialectica, prolixe supernaturales fidei veritates evolvit, bellumque haereticis indicit. Hoc genus theologiae, licet absolute necessarium non sit Ecclesiae, valde tamen ei utile est » (1).

Ut patet ex citatis locis theologi graeci anteactae aetatis non verentur fateri maximum adiumentum ex usu methodi scholasticae in theologiam christianam redundasse. Nec verbis tantum extulere scholasticam, sed etiam factis: complures enim fas est reperire in eorum compendiis quaestiones e penu scholasticorum depromptas, scholasticisque argumentis, doctorum occidentalium auctoritate adhibita, propositas ac solutas. Recentiores autem theologi russi, aliam omnino viam ingressi, scholasticam definiunt ex defectibus, qui in eam sequiori aevo irrepsere. Antonius scholasticam vocat id genus theologiae quod ariditatem, abstractiones, uniformitatem, inelegantes terminos, dialecticas subtilitates exhibet, quod summatim res fidei exponit *ex intellectu et propter intellectum* (2).

Ad sententiam Dobrotvorsky theologia scholastica ea est per quam dogmata christiana, quae romana profitetur Ecclesia, deteguntur ac demonstrantur iuxta exigentias philosophiae aristotelicae ac regulas dialecticae (3). Qua in definitione illud praesertim arguendum quod auctor *demonstrationem dogmatum* ut finem theologiae scholasticae tuetur. Omnes enim scholastici optimae notae conceptissimis verbis tradidere humanum intellectum, perquam excultum, ingenita laborare impotentia in velamine concerpendo mysteriorum Dei.

De theologia scholastica disserentes, scriptores quidam catholici iudicium protulerunt ad sententiam theologorum russorum proxime acce-

---

γνῶσιν, περὶ ὧν ἡ πίστις ἀποφαίνεταί τι ἡ ἀποφάσκουσα ἢ καταφάσκουσα· ὡσαύτως τηρεῖ τῶν πρὸς τὴν πίστιν αὐτὴν ἀνηκόντων τὴν ἑρμηνείαν ἐκ τῶν παρεπομένων ἢ μαχομένων, καὶ ταύτην οὐ κομψῶς καὶ δι' εὑρείας λόγων γινομένην, ἀλλ' ἀφελῶς καὶ ἁπλῶς πρὸς τὸ ἁπλοῦν τῆς ἀληθείας ἀεὶ ἀποβλέπουσα. — Op. cit., t. I, p. 6.

(1) *Σχολαστικὴ νεωτέρα λέγεται, ἡ θεολογία, ἥτις γινώσκει ἀρχηγὸν Πέτρον τὸν Λόμβαρδον..., ὃς τῇ βοηθείᾳ τῆς διαλεκτικῆς, ἀναπτύσσει διεξοδικῶς τὰ θεῖα τοῖς αἱρετικοῖς. Ὅθεν, εἰ καὶ ἀπολύτως οὐκ ἔστιν ἀναγκαία, ἀλλὰ τῇ Ἐκκλησίᾳ πάνυ ὠφέλιμος.* — *Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας*, Cephaloniae, 1851, p. 6.

(2) Op. cit., p. 21.

(3) Періодъ схоластики, въ который христіанскіе догмати, содержимые римскою церковію, раскрывались и доказывались примѣнительно къ требованіямъ философіи Аристотеля, въ особенности ея діалектики. — Православное догматическое богословіе (*Theologia dogmatica orthodoxa*), Serghievo, 1897, p. 11.

dens. Liebermann hisce verbis eam definit: « Quando artificiose magis, quam theologice de divinis asserit, et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit cuius non velit rationem reddere, tunc scholasticae nomen obtinet » (1). Quae verba certo reprehensione digna, paullo post idem auctor explicat, ut praeiudicatae opiniones, quae ex eis prima fronte deducuntur, diluantur. Ait enim theologiam scholasticam eo potissimum fine in scholis receptam esse, ut christianae veritates, quae antea ex Scripturis et Patrum libris multo labore eruendae erunt, in unum doctrinae corpus collectae traderentur, idque pressiore stylo, et dialecticorum more, adhibito ad tuendam fidem disputationis disciplina et disserendi artificio. Quae certe docendi ratio, dummodo se in suis finibus contineat, in inquirendo sobria sit, et a vana rimandi libidine aliena nihil habet quod ab aequo rerum aestimatore reprehendatur (2). Durius etiam quam par esset scholasticam improbavit Petavius, ut contentiosam, subtilem, cui praeferenda sit elegantior et uberior altera, quae ad eruditae vetustatis expressa speciem, hoc est a dialecticorum dumetis liberioris ad campi revocata spatia, solam ad usum cultumque sui, nativam et domesticam copiam ostentat » (3).

5. Dum scholasticae naturam penetrare aggredimur, imprimis animadvertendum est plures suis praeiudiciis indulgentes, latam invexisse distinctionem inter utramque theologiam, positivam et scholasticam, immo ex duobus ramis eidem trunco insertis, iisdem succis vitalibus enutritis, eosdem fructus proferentibus, conati sunt scholasticae osores aliam atque aliam arborem efficere. Theologiam positivam a scholastica tantum *accidentaliter*, voce scholastica usi, differre asserimus. Si enim inter utramque diversitas poneretur, haec vel ex obiecti diversitate, quod utraque suscipit tractandum, vel ex principiis quibus utitur, ex diversis in utraque fontibus derivatis, promanaret. Constat autem sive obiectum utriusque theologiae spectes, sive principia, ex quibus utraque suas eruit conclusiones, inter se nullum exhibere discrimen. Ergo *essentialiter* theologia scholastica a positiva non differt. Etenim de eodem supremo obiecto, de Deo, pertractant tum theologia scholastica, tum theologia positiva; eadem dogmata

(1) Op. cit., t. I, p. 3.

(2) Ib., p. 15. Ianssens qui definitionem scholasticae a Liebermann traditam probrosam ac levem declarat, silentio fortasse praeterire non debuisset eam ab eodem theologo paullo post infirmari, ut patet ex allatis superius verbis. Cf. op. cit., t I, pp. 1, 4, 7.

(3) *Dogmata theologica*, t. I, p. 1.

tradenda, elucidanda, vindicanda proponunt; easdem fidei veritates evolvunt, ita ut in utraque provincia fidei eisdem determinentur limitibus, eandem exhibeant immutatam inviolatamque materiarum segetem.

Neque ex parte principiorum differentia essentialis astruenda est. Principia quibus utitur theologia scholastica revelata sunt non secus ac principia theologiae positivae. Differrent quidem haec principia si in theologia scholastica sumerentur ut lumine naturali rationis humanae demonstrata vel demostranda, in theologia vero positiva ut nobis cognita tantum per altius lumen divinae revelationis. In hoc enim casu, posterior theologia diceretur scientia supernaturalis ratione principiorum supernaturalium, prior vero naturalis ratione principiorum naturalium, ideoque daretur inter utramque elementum essentiale distinctionis. Sed hoc nefas est asserere, cum praeclari inter scholasticos disertissimis verbis semper docuerint dogmata fidei, veritates altissimas per lumen divinae revelationis cognitas, rationi esse impervias.

Aliud est affirmare humanum intellectum ope ratiocinii in clariorem explicationem, in profundiorem investigationem, in efficaciorem defensionem harum veritatum conferre, aliud vero iactare per dialecticam methodum, quod divinitus ut mysterium fidei accepimus, lapsu temporis non secus ac veritas creata et naturalis, nobis plene manifestum fieri. Hosce conatus ut sacrilegos inutilesque damnarunt scholastici. Cum igitur obiectum in se spectatum idem sit in utraque theologia, cum idem sit numerus veritatum fidei, ac principia eadem eiusdemque naturae, falsum venditaret qui theologiam scholasticam toto coelo a positiva differre statueret. Datur quidem inter utramque differentia, sed differentia *accidentalis*, *methodica*, ut ait Berti: « Scholastica ea est theologia quae ad syllogisticae artis regulas sese accuratius accommodat, neque a positiva diversa est, nisi methodo disputandi » (1).

Haec methodus disputandi efficit ut speciem quandam exteriorem sibi propriam exhibeat theologia scholastica, qua distinguitur a positiva.

Scholastica enim, ut ait Gregorius Valentia, ita vocatur « prout explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant, et quarum perspicientia velut clarissimum quoddam lumen iuvat, ut tenebrae quas haeretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facillime dispici atque dis-

(1) Op. cit., t. I, p. 3.

pelli possent » (1). Maiorem igitur ordinem systematicum exhibet theologia scholastica quam positiva; haec ditiorem contra eruditionem, tum Scripturariam, tum Patristicam sibi vindicat. In illa praeeminet inquisitio rationis humanae lumine fidei illustrata, ac fidei obtemperans; in ista elementum traditionis maiori vi praepollet. Ista efficacior est ad fidem exponendam fidelibus, qui intellectum suum in captivitatem redegerunt in obsequium Christi; illa ad fidem tuendam a calumniis adversariorum magis instructa agnoscitur. Ista locos ac testimonia congerit; illa obiectum fidei funditus investigat. Proprium est theologiae scholasticae mutuam statuere connexionem inter fidem ac scientiam, inter Deum revelantem atque hominem ratiocinantem. Connubium hoc sibi non vult rationem Deitatis iura usurpare, inaccessum sibi speculationis campum invadere, divina suo iudicio metiri. Doctores scholastici qui optimi recensentur, hoc nunquam ausi sunt. Totus eorum labor in eo fuit ut veritates fidei in unum coalescerent systema, ut, insolescentibus adversariis, aptissima methodo eas traderent ac tuerentur, ut rationem humanam suum munus eas investigandi quantum posset adimpleretur (2). Si scholastici dicerentur a recto tramite descivisse eo quod rationem fidei obsequentem ad fidei depositum illustrandum adhibuerint, neque Patres Ecclesiae a culpa vacuos fuisse oporteret asserere, quippe qui veterem philosophiam non dedignati, eadem usi sunt ad ethnicos scriptores refellendos.

6. Cum igitur de theologia scholastica disserimus, absonum est a veritate eam proponere ut dialecticarum argutiarum congeriem, subtilitatum ridendarum cumulum, futilium quaestionum acervum. Ex duobus enim elementis constat quod peculiare est theologiae scholasticae, scilicet: 1) ex apta partium dispositione; 2) ex usu philosophiae aristotelicae (3). Ut Kleutgen animadvertit, ratione suae indolis theologia scholastica dicenda est immediate subsequi theologiam positivam (4).

(1) *Commentarii theologici*, Q. I, punctum I, t. I, Ingolstadii, 1591, p. 8.

(2) Optime igitur definit scholasticam cl. Kleutgen: « Die Scholastik bei ihrem Entstehen ist eine Theologie; in welcher die einzelnen Lehren des christlichen Bekenntnisses zu einem Ganzen verbunden, also systematisch behandelt seien, und zugleich von der Philosophie sehr viel Gebrauch gemacht werde. Op. cit., t. III, p. 21.

(3) Gonzales, t. II, p. 124.

(4) Die Scholastik beginnt erst dort wo die positive Theologie aufhört; indem sie den Inhalt welchen die positive Theologie auf jene Weise aus den Quellen der Offenbarung ermittelt hat, mit der Spekulation bearbeitet, sowohl um weitere Erkenntnisse zu gewinnen, als auch um die schon gewonnenen tiefer und vollständiger aufzufassen. Op. cit., t. III, pp. 30-31.

Haec enim ex divina revelatione ac traditione materiam elaborandam haurit, coacervat: illa vero hanc materiam elaborat systematice, ordinate disponit, argumentative evolvit, convenienter distribuit, clarius illustrat, profundius inquirit, efficacius tuetur.

Si haec officia, quae scholasticae tribuuntur, ut crimina vituperationem merent, nescio quibus armis depositum fidei contra adversarios defendi queat. Etenim non arma tantum nobis necessaria sunt: opus est etiam ut eis rite utamur, ut modum sciamus quo adhibenda ut nos obtegere hostesque repellere valeamus. Alioquin in fide tutanda ageremus ut exercitus, qui agminibus incompositis, ac militibus imperitis ad pugnam progrederetur. Haud quidem praepollens numerus, vel arma miro artificio constructa hunc exercitum a clade prohibere possent, si copiae confuse sese gerant in proelio, atque armis utendis impares sint (1).

Theologia igitur scholastica merito dicenda est complere positivam ac perficere, quatenus affabre struit aggerem lapidibus ab altera congestis. Hi lapides suam naturam non amittunt cum ad regulas artis militaris validum murum ad hostes arcendos constituunt, sed potius tutius ac firmius exhibent propugnaculum. Eodem sane modo theologia scholastica, quin theologiae positivae adversetur, eam validiorem ad praeliandum efficit, eique novas addit virtutes. Si quis hoc neget, tenetur asserere systematicum ordinem maxime scientiarum profectui officere, easque depravare.

7. Ad scholasticam quod attinet inquirere possumus, vel eius originem, vel stylum, vel res tractatas, vel methodum. De singulis breviter agendum, ut obiectiones in eam quorumdam theologorum orthodoxorum rite solvantur.

α') Quoad originem scholasticae, vehementer falluntur qui hancce ex *romanensium*, ut aiunt, fontibus, scatuisse conclamitant, fideique

(1) Ad rem Annatus: « Eo fere modo sufficit theologia positiva, sine scholastica theologia, quo militi sufficiunt arma, sine bellandi peritia: arma enim tam offensiva quam defensiva, ex Scriptura, Traditione, et Ecclesiae auctoritate deprompta, ministrat quidem Theologia positiva. Sed Theologi manus docet ad praelium, et digitos eius dirigit ad bellum scholastica, versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum scire docens. Atqui militi non sufficiunt arma sine bellandi peritia; miles enim rudis et imperitus, hoc est bellandi peritia destitutus, quantumvis omni armorum genere munitus, ad primum saepe cadit hostis aggressum; ergo nec theologo sufficit sine scholastica positiva Theologia, cadetque saepe varios in errores, quantumvis positivae munitus armis, sine scholastica dirigente, Theologus, sicut multi imperiti alii, qui naufragaverunt circa fidem, erraverunt ab utero, et locuti sunt falsa ». *Apparatus ad positivam theologiam*, pp. 4-5.

nativum candorem brevi tempore infuscasse. Constat enim ex historia theologiam scholasticam non solum antiquiorem ortum habuisse quam ei affingitur, verum etiam non latino sed potius graeco lacte in pueritia enutritam fuisse, donec vires nitoremque iuventutis, a latinis magistris exculta, feliciter attigerit. Quae asserimus, graeci quidem theologi affirmant suo testimonio, quapropter scholasticam vituperari idem est atque iniuriam inferre Graecae Ecclesiae, qui eam excoluit, perficiendamque tradidit Ecclesiae Romanae. Obiectionem diluens eorum qui praetexunt recentem originem scholasticae, Kursulas rite animadvertit quod « methodus scholastica nova non est. Eusebius enim narrat iam inde a priscis temporibus institutam fuisse Alexandriae scholam, cui praefuere viri tum divinae eloquentiae, tum divinarum litterarum studio peritissimi » (1). Ad suos discipulos curatius fide christiana imbuendos, usi sunt hi praeclari magistri methodo quae eorum indoli magis consona erat. Cum autem illa aetate invalesceret in scholis philosophia peripatetica, mirum non est si ex ea veritates christianas exponendi ac tuendi artem hauserunt (2). Neque tantum in schola alexandrina, sed ubique gentium veteres Patres ac Doctores Ecclesiae scholasticam methodum ad refellendos haereticos usurparunt, quo fit ut hoc sensu tantum ea recentior vocari possit, quatenus media aetate perfectionis apicem tetigerit (3).

Et revera quicumque Patrum scripta pervolutet, eos dialecticam argumentaque philosophica adhibuisse in ethnicis debellandis erroribusque profligandis facile deprehendet, ac per methodum discursivam saepe saepius inanitatem obiectorum in fidem christianam detegisse. Haec imprimis patebunt legenti opera Irenaei, Iustini et Clementis Alexandrini.

Sine dubio nobis non est animus affirmare Graecorum Patrum scripta ad normas severioris dialecticae exarata fuisse. Quod in maturo iam scientiarum progressu laudamus ac miramur, nimiae esset

(1) *Hist. Eccl.*, lib. V, c. 10, P. G. t. XX, col. 453-446.

(2) *Τίς δ' ἂν ἀπορήσειε μὴ οὐχὶ τοὺς τοιούτους οὕτω σοφοὺς διδασκάλους κεχρῆσθαι, μεθόδῳ καὶ τέχνῃ ἐν τῇ αὐτῶν διδασκαλίᾳ πρὸς τὴν τῶν ἀκροατῶν κατάληψιν καταλλήλῳ; καὶ ταῦτα περιπατητικοὺς ὄντας φιλοσόφους τοὺς πλείους, ὧν ἡ σχολαστικὴ μέθοδος ἰδία καθ' ὃν εἴρηται τρόπον.* Op. cit.. t. I, p. 7.

(3) *Τί δέ; οὐχ ὁρῶμεν καὶ αὐτοὺς τοὺς πάλαι πετέρας τὸ παράπαν σχολαστικοὺς ἐν οἷς καταλελοίπασι λόγοις; τοιγάρτοι καινὴ τὸ παράπαν οὐκ ἔστιν ἡ μέθοδος αὕτη, κἂν φῶμεν αὐτὴν ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς ἐσχάτοις χρόνοις ἀρχὴν λαβεῖν πρὸς ἐτῶν που τετρακοσίων, εὐμεθοδωτέραν μέντοι καὶ πρὸς κατάληψιν των σποράδην παρὰ τῶν πάλαι εἰρημένων ἑτοιμοτέρων, καὶ πληρεστέραν, καὶ τελειοτέραν.* Ib., p. 7.

arrogantiae in earum ortu, primisque, ut ita dicam gressibus, flagitare. Cum enim nondum in unum systema veritates omnes fidei christianae coivissent, liquet, strictiorem disputandi rationem quam scholastici serius sibi vindicarunt, ab eis adhiberi non potuisse. Hoc tamen non obstat quominus dicamus « viguisse semper aliquam sive perfectam vel imperfectam, accuratam vel non accuratam, scriptam vel non scriptam, methodicam res divinas tractandi viam. Ergo et aliqualis qualiscumque fuerit, scholastica theologia, viguit, licet illis temporibus nondum scholastica dicta est » (1). Ut ait Gregorius de Valentia « Patres Ecclesiae definiebant, dividebant et argumentabantur, et contra falsas philosophorum opiniones ex principiis etiam verae philosophiae disserebant. Posito etiam quod methodus scholastica nova esset, respondetur non omnem doctrinae methodum novam esse inutilem, alioquin cum omnis methodus fuerit aliquando nova, nulla esset utilis » (2).

Ex dictis licet inferre theologiam scholasticam continuare, producere, protrahere theologiam Patrum (3). Nulla datur inter utramque repugnantia. Sicut veritates fidei temporis decursu per Doctorum Ecclesiae speculationem mirum in modum illustratae sunt atque explanatae, ita methodus eas exponendi tuendique efficacior ac perfectior evasit. Qui duplex progressus cognoscitivus atque expositivus, declarativus ac methodicus, non secus se habet ac progressus humanarum scientiarum quae novis inventis augentur, auctaeque clariore materiarum dispositione atque aptiore methodo traduntur. Cum igitur theologia scientia supernaturalis quoad obiectum ac principia humano captui se accommodet, eam profecisse ac proficere tam ratione clarioris cognitionis sui obiecti, quam ratione aptioris methodi id pertractandi, in confesso est. Verus enim scientiarum progressus duplici constat elemento, ditiore nempe materiarum complexu atque earum concinniore dispositione. Cum autem theologia veri nominis scientia sit, utrumque elementum ab ea nequit abesse.

Quod graecae originis sit scholastica, satis evidenter eruitur ex scriptis tam Leontii Byzantini, quam S. Iohannis Damasceni, virorum inter theologos Graecae Ecclesiae perillustrium. Prior, ait Ehrard, conceptus ac determinationes philosophiae aristotelicae praesertim in Chri-

(1) Annati, *Apparatus ad positivam theologiam*, p. 8; Honorato Del Val, O. S. A., *Sacra Theologia dogmatica*, t. I, Matriti, 1906, pp. 10-11.

(2) Op. cit., Q. I, punctum 2, p. 20.

(3) Cfr. Ehrle, *Die päpstliche Encyklika vom 4 August 1879 und die Restauration der christlichen Philosophie*, *Stimmen aus Maria Laach*, 1880, t. XVIII, pp. 25-27.

stologiam induxit, quo fit ut mereat *primi scholastici* epitheton (1). Fas est igitur asserere iam a saeculo V fixam ac determinatam fuisse scholasticam methodum ab eximio defensore fidei orthodoxae contra Monophysitas.

Saeculo autem VIII floruit praeclarum illud lumen ac decus theologiae christianae, S. Iohannes Damascenus, quem Eugenius Bulgaris *patrem scholasticae* appellat (2). Neque hanc gloriam ei invident, aut dubiam faciunt recentiores theologi graeci (3).

Ad sententiam Dyovunioti praecipua laus S. Iohannis Damasceni in eo collocanda, quod systematice exposuerit doctrinam fidei eamque posteris in unum corpus coagmentatam tradiderit (4). Censet tamen, eum haberi non posse ut patrem scholasticae. Hoc epitheton Petro Lombardo tribuendum. Cum autem aristotelicus influxus praepolleat in opere *Πηγὴ γνώσεως*, praesertim in rerum notionibus explicandis ac definiendis, consonum est veritati eum vocare *praecursorem scholasticae* (5).

(1) Die Bedeutung des Leontios von Byzanz liegt in erster Linie darin, dass er zuerst die aristotelischen Begriffsbestimmungen in die Theologie, speziell in die Christologie einführte, und durch diese das chalkedonische Dogma mit der griechischen Volksauffassung von Christus zu versöhnen suchte. *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, Monachii, 1897, p. 54. — Primus omnium theologorum, principia philosophiae Aristotelis Leontius usurpavit ad scientiam supernaturalem praeiaciendam, evolvendam atque pertractandam. — Ermoni, *De Leontio byzantino et de eius doctrina christologica*, Parisiis, 1895, p. III.

(2) *Περὶ τὸν Η' αἰῶνα πατὴρ τῆς σχολαστικῆς θεολογίας ὁ θεῖος Ἰωάννης ὁ ἐκ Δαμασκοῦ ἐξυμνεῖται.* Op. cit., p. 59.

(3) Quidam theologi protestantes suadere conantur ne quidem hilum scholasticam e penu damasceniano hausisse. Oudin verbigratia Natalem Alexandrum improbat qui Damascenum scholasticae principem appellavit: « Ita loquuntur, ait, qui scholasticam balbutiem barbariemque amant, infantium ac novitiorum propriam ». *Commentarius de scriptoribus ecclesiasticis*, t. I, Francofurti, 1722, col. 1716. Quae tamen partium studio hic propugnat scriptor, sinceriores protestantes rejiciunt, aperte fatentes S. Thomam in Latina Ecclesia illud egisse quod S. Iohannes Damascenus in Graeca Ecclesia gessit: « What Iohn of Damascus did for the theology of the greek Church, Thomas did for the theology of the mediaeval latin Church. — Schaff, *Thomas Aquinas and Leo XIII, The Princeton theol. Rewiew*, Philadelphiae, 1904, t. II, p. 183.

(4) *Ἡ ἀξία τοῦ Δαμασκηνοῦ κεῖται κυρίως ἐν τούτῳ ὅτι ἔχει συστηματοποιήσει τὴν ἤδη ἀναπτυχθεῖσαν διδασκαλίαν, καὶ ὡς τοιαύτην μεταδώσει τοῖς μεταγενεστέροις.* — *Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός.* Athenis, 1903, p. 1; Cf. Langer, *Iohannes von Damaskus*, Gothae, 1879, p. 7.

(5) *Δὲν δυνάμεθα νὰ θεωρήσωμεν τὸν Δαμασκηνὸν ὡς πατέρα τῆς σχολαστικῆς θεολογίας, ὡς Λομβάρδον τῶν Ἑλλήνων* (?). *Ἐπειδὴ ὅμως τὸ πρῶτον μέρος Πηγῆς γνωσεως, τὰ Κεφάλαια φιλοσοφικά, εἶναι τρόπον τινὰ εἰσαγωγή τις γενομένη κατ' ἀριστοτελικὸν ὑπόδειγμα, πανταχοῦ δέ, μάλιστα εἰς τὸν ὁρισμὸν*

Haec sententia Dyovunioti rei veritati non respondet. Etenim, ut ait Bellarminus, Iohannes Damascenus vere primus est qui universam theologiam recto ordine comprehendit, quemque imitati sunt Magister Sententiarum et Doctores scholastici (1). S. P. Augustinus *pater* censeri debet scholasticae, si materiarum spectas segetem quam ipse pertractandam exhibuit, vel auctoritatem maximam qua fruebantur eius sententiae apud scholasticos (2). Si vero methodum animadvertas cui scholastici firmiter adhaeserunt in fidei veritatibus inquirendis ac tuendis, *scholasticae patrem* Damascenum appellandum arbitror. Quam ipse miro artificio exstruxit munitissimam arcem fidei christianae, theologi occidentales longe ampliarunt, tutissimisque aggeribus circumvallarunt. Cum igitur graecam originem praeseferat scholastica tum quoad philosophiam aristotelicam, tum quoad artem struendi aedificium systematicum veritatum fidei christianae, partium studio favent qui eam effutiunt invectam a Romanis Pontificibus, ut suis usurpationibus fulcrum exinde statuerent. Scholastica theologia, quam graecae Ecclesiae scriptores fasciis exuere, in Occidente robustissimas iuventutis vires explicavit, ac post longam aetatem torpens, non vero demortua iacuit.

8. Scholasticos vehementer carpunt quidam theologi orthodoxi, ut in dicendo strigosos, elegantiarum styli contemptores acerrimos, qui peregrinas voces sedulo aucupantes, hirsutam theologiam reddidere non secus ac dumosam vepribus sylvam. Hasce obiurgationes ex promo scriptorum protestantium condo haustas fuisse in aprico est. Binderus aiebat « intra limites scholasticae theologiae neminem admitti nisi loqui cum barbaris possit, aut certe eorum linguam intelligere » (3).

τῶν ἐννοιῶν, εἶναι φανερὰ ἡ ἐπίδρασις τοῦ Ἀριστοτέλους, διὰ δὲ τῆς μεταφράσεως εἰς τὸ λατινικὸν εἶναι δήλη ἡ ἐπίδρασις τοῦ Δαμασκηνοῦ ἐπὶ τὴν κατόπιν σχολαστικὴν θεολογίαν· διὰ τοῦτο δύναται νὰ θεωρηθῇ δικαίως ὁ Δαμασκηνὸς ὡς ὁ πρόδρομος τῆς σχολαστικῆς θεολογίας. Ib., p. 26.

(1) *De scriptoribus ecclesiasticis*, *Opera omnia*, t. VI, Neapoli, 1862, p. 67. Nomen praecursoris scholasticae potius meret Leontius Byzantinus quem secutus est S. Iohannes Damascenus, qui integros locos ex eius operibus excerpsit quin eum memoret. Cf. Loofs, *Leontius von Byzanz und die gleichnahmigen Schriftsteller der griechischen Kirche*, Lipsiae, 1887, pp. 122-123.

(2) Brilliantov, Вліяніе восточнаго богословія на западное въ произведеніяхъ Іоанна Скота Эригены (*Influxus theologiae orientalis in occidentalem in scriptis Iohannis Scoti Erigenae*). Petropoli, 1898, pp. 130-136; Pisarev, Авторитетъ Августина, епископа Иппонскаго, въ области христіанскаго богословія по суду древнихъ христіанскихъ писателей (*Auctoritas Augustini, episcopi Hipponensis, in provincia christianae theologiae iuxta sententias antiquorum scriptorum Ecclesiae*), Kasan, 1903.

(3) Op. cit., p. 51.

Adamus Tribbechovius, theologiae scholasticae protervus calumniator, scholasticos acerbe reprehendebat, quippe qui « non contenti earum dictionum quas a primis philosophis acceperant, novas instituere divisiones, ac nomina a nominibus, res a rebus, a rebus iterum nomina, et illa omnia ab intellectu, et intellectum denique ipsum a se dissecantes, verborum quidem numerum auxere, ipsarum vero rerum ponderi nihil quidquam addidere » (1).

In hisce obiurgationibus diluendis, breviter erimus, ne statutos nobis limites prosiliat calamus. α') Fatemur quosdam scholasticos, in aucupio verborum, in novis cudendis terminis, quos τεχνηκούς vocant, operam lusisse, ac barbaris vocibus stylum planum ac simplicem doctorum aureae aetatis infecisse. Sed hoc vitio vertendum non est cunctis scholasticis. Perlegenti enim Doctoris Angelici scripta vel S. Bonaventurae, facilis, perspicuus, claritate ac simplicitate nitescens stylus occurret, quo aptiorem ad perdifficiles res edocendas enucleandasque certo certius non reperies. β') Si barbarae videntur voces novae, eo quod novitatis notam praeseferunt, logice sequeretur, vitii quod scholasticis tribuitur, fidem ipsam christianam vacuam non fuisse.

Cum enim novas ideas, novos conceptus, nova praecepta, novum doctrinarum coelestium systema in orbe terrarum vulgaret ac panderet, necesse fuit etiam ut verba conderet quibus effata divinae Sapientiae humano eloquio expromerentur. Barbariem quidem sapiebant ethnicis haec verba. Perelegantes enim latinitatis vel graecitatis scriptores ea non adhibuerant. Ecquis autem ignorat hasce voces, a politioribus grammaticis excussas, atque a pseudo-classicis, qui in Italia post renatas litteras floruere, ludibrio habitas, arcana Dei mysteria continere, eaque, quantum fieri potest, perspicue tradere?... Si novitas vocum tam acriter in scholasticis deprehendenda est, eo quod stylum infuscet, censoria etiam virgula notandi Patres Ecclesiae, qui praesertim in conciliis, accuratissimis terminis invectis, fraudes haereticorum detexerunt atque exploserunt. Mirum igitur non est si scholastici, eandem ingressi viam ac primoevae aetatis scriptores ecclesiastici, ad profligandos errores ex metaphysicis subtilitatibus in fidem

(1) *De doctoribus scholasticis et corrupta per eos divinarum humanarumque rerum scientia,* Giessae, 1665, p. 20. Delectum vocum quae barbarae atque horridae videntur, e scholasticorum scriptis depromptarum, Binderus habet in suo opere: « *Passionabilitates, potentionalitates, subjicibilitates, susceptibilitates, componibilitates, aptitudinabilitates, entitates, formalitates, realitates, quidditates, effectuationes, praesentialitates, eccitates, infinitationes, specificationes, circumincessiones, subalternantiae, convertentiae, aequiparantiae, disquiparantiae* ». — Op. cit, p. 47.

clanculum serpentes, terminos invenerint, adhibuerintque quibus corruptela veritatum christianarum facilius arcebatur. γ') Quod in theologia scholastica factum fuisse comperimus, hoc idem in ceterarum scientiarum historia evenisse neminem latet. Quaelibet scientia suis indiget terminis, ut materiam sibi propriam evolvat ac pertractet. Quo ditior evadit scientia, eo frequentior novarum vocum usus. Quo celerius disciplina quaedam proficit, eo citius ampliatur eius glossarium. Datur, ut ita dicam, correlatio quaedam inter progressum cognoscitivum humanae mentis, ac progressum philologicum humani eloquii. Profundius investigatis humanis conceptibus novisque erutis ideis, humanum eloquium persaepe nulla inter antiqua reperit verba quae hisce novis ideis exprimendis adaptantur. Exinde oritur necessitas nova etiam cudendi verba, quae, fateor, haud raro amatores elegantiarum fastidiunt. Sed hoc, si vitium censeatur, commune est singulis scientiis, et medicae arti vel chemiae qui operam navant, apprime sciunt innumeras fere ac barbaras voces suis in libris reperiri (1). Scholasticae igitur vitio imputandum non est, quod progressus scientifici exigentia putari debet.

δ') Falso asseritur scholasticos operam lusisse in barbaris vocibus expiscandis. Cum enim theologia de veritatibus altissimis disserat, opus est ei maxima terminorum praecisio, ne veritas, quam illustrandam suscipit, dubiis pravisque interpretationibus labascat. Verba a scholasticis invecta subtiles quidem distinctiones metaphysicas innuunt, eaque tamen supervacanea non fuisse constat, quia scholastici cum adversariis disceptabant sophisticae artis ac dialecticarum argutiarum peritissimis. Ad eos refellendos oportebat igitur primum ambiguarum vocum sensum accurate discriminare, novasque condere voces ad subtiles distinctiones metaphysicas sedulo determinandas. Id egerunt scholastici quorum stylus et methodus disputandi non semper ad normam opinionum aequalium nostrorum dijudicari debet. Plurima enim quae nostra aetate obsoleta vel redundantia, vel levidensia videntur, media aetate permagnas in scholis contentiones ciebant, animosque discipulorum vehementer alliciebant. In praesens nobis bellum gerendum est adversus materialismi vel positivismi adsertores; praeteritis autem saeculis veritates fidei a nimia curiositate atque audacia metaphysicorum necesse fuit tutari. Scholastici qui hoc munus sibi usurparunt, armis quibus corruptores fidei utebantur, prudenter instructi, metaphysicis verbis ac definitionibus, metaphysicas corruptelas fidei vel detexerunt, vel oppugnarunt.

(1) Plurima ex hisce verbis collegit Harper, *The metaphysics of the School*, Londini, t. I, 1897, Prooemium.

ε') Denique ad res non ad verba animus adiungendus est. Optimum omnium quidem est pulchros conceptus pulchris etiam exornare verbis, ac styli nitore materiarum sublimitatem altius extollere. Cum vero non semper haec duo amice coniuncta reperiantur, solidior doctrina praeferenda est rhetoricis pigmentis. Pluries hoc nobis consilium dat S. P. Augustinus: « Quid ad nos grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos diserti eritis ([1]). Bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea si aperire quod volumus non potest, quando nihil quaerimus nisi aperire quod clausum est ([2]). Sicut enim nostri auctores, divinarum scilicet litterarum, de rebus maxime cogitaverunt, sic mundanorum auctorum prope omnis cura de verbis est » ([3]).

Constat enim plurimos scriptores, antiquos vel recentes, Tertullianum verbigratia, incompto impexoque stylo usos fuisse, ac tamen luculenter de rebus altissimis disputasse. Neque desunt inter hodiernos theologos russos qui maximis laudibus apud suos ob miram eruditionem exornantur, licet rudissimi in scribendo habeantur ac vocum novitati faveant. Inique igitur scholasticam calumniantur, qui rerum pondere ex ea traditarum neglecto, verba horrent a theologis, profectui theologiae christianae inservientibus, invecta. Sub amaro cortice vel spinifero reperitur interdum suavissimus deglubenti fructus. Hoc idem de scholastica asserere non vereor ([4]).

9. Transimus nunc ad graviorem reprehensionem, in quam incurrit theologia scholastica ad sententiam theologorum sive orthodoxorum sive protestantium. Sermo nobis non est amplius de verbis, sed de rebus. Si stylus scholasticae barbariem redolet, materiae, quae in ea pertractantur, saepe saepius cachinnos merent. Scholastici, ait Binderus, « eruditionis et acuminis laudem quaesiverunt, in abstrusis et parum

([1]) *Enarr. in Psalm. 36,* Sermo III, n. 6; *P. L.*, t. XXXVI, col. 386.

([2]) *De doctrina christiana,* lib. IV, c. 11; *P. L*, t. XXXIV, col. 100.

([3]) *Contra Adimantum,* c. XI, *P. L.*, t. XLII, col. 143.

([4]) Non immoramur in tuenda adversus Bieliaev necessitate latini idiomatis pro studiosis theologiae. Equidem haud ignoro scientiam huius idiomatis in orientalibus ecclesiis, quae suis utuntur linguis liturgicis, tanti momenti non esse atque in romana Ecclesia. A veritate tamen non aberravero si dixero latinum idioma aeque ac graecum theologis orthodoxis necessarium esse. Dimidiam enim partem theologiae christianae sciret, ac fortasse minus, quicumque latino sermone neglecto, impervia sibi redderet latinorum Patrum scripta, nec non theologorum mediae aetatis, atque innumera opera quae theologi sive catholici sive protestantes latine conscripsere.

frugiferis disputationibus, populari simplicitate omnino abiecta (1). Materiae de quibus tractarunt, fuerunt incerta, impia, blasphema, impossibilia scitu, curiosa ». (2) « Suis quaestiunculis, addit Tribbechovius, veritatem non illustrarunt, sed cimmeriis tenebris involverunt (3). Per scholasticos tot inutilium distinctionum lappae tribulique caput extollere coeperunt, quin et dominari in agro philosophico tot horridarum quaestionum infelix lolium et steriles avenae, ut ipsa fertilior rerum seges in herba statim suffocaretur (4). Haec omnia quae a scholasticae obtrectatoribus congeruntur, iam nota fuere veteribus theologis sive graecis sive russis qui ea breviter ac nervose refutarunt. Methodius Smirnov fatetur a scholasticis interdum vanas ineptasque quaestiones agitari: si tamen, ait, quosdam defectus apud eos deprehendes, negare non poteris eos permultis clarescere dotibus, quae scholasticam utilissimam reddunt (5). Idem sentit Athanasius Volkhovsky: « Nefas est methodum scholasticam rejicere, tanquam inutilem. Si constet eam utilitatem non afferre, hoc vitio vertendum non est ipsi methodo, sed ea abutentibus, scilicet non theologiae ipsi, sed theologis » (6). Luculenter etiam Cursulas: « Non vindicamus a censuris defectus scholasticae, at scholasticam methodum theologiae, tamquam utilissimam ad fideles in rectum tramitem perducendos. Si scholastici interdum quaestiones supervacaneas vel abiectas agitant, meminisse iuvabit plurima eos edocuisse utilitatis plena, quo fit ut potius laudes, quam probra mereant » (7). Haec verba, ut opinor, transtulit graecus

(1) Op. cit., p. 17.

(2) Ib., p. 24.

(3) Op. cit., p. 64.

(4) Ib., p. 23. Harum quaestionum elenchum texit Binderus ex quo suspicor Theophanum Prokopovitch argumenta in scholasticam hausisse: 1 Utrum Deus loco Christi potuerit suppositare mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem? Utrum haec propositio Deus est scarabaeus, aut cucurbita tam sit possibilis quam haec Deus est homo, p. 25; 2 De Maria Virgine, qualis naturae fuerit an carnosae, an macilentae; utrum dormiendo habuerit rationis usum, p. 26; 3 Utrum in statu innocentiae fuisset generatio, utrum generatio per coitum, p. 27; 4 Utrum possit aliquis baptizari in lixivio, mulso, cerevisia, aqua rosacea, iure carnium, brodio piscium, in urina, in pruina, in arena, rore, nive, grandine, glacie, sputo, p. 28. — Cf. pp. 24-40.

(5) Въ системахъ схоластическихъ какъ есть недостатки, такъ есть и много достоинствъ, потому ихъ отвергать не должно. — Smirnov, Исторія троицкой лаврской семинаріи, p. 283.

(6) Изъ-за этого весь методъ не должно порицать, какъ безполезный; если онъ не приноситъ пользы, то о это должно скорѣе приписать злоупотребленію нежели самому методу и скорѣе богословамъ, нежели богословіи. — Ib., p. 42.

(7) *Οὐκ ἐκδικοῦμεν ἡμεῖς τὰ ὑστερήματα τῶν σχολαστικῶν, ἀλλὰ τὴν σχολαστικὴν τῆς θεολογίας μέθοδον, ὡς χρησιμωτάτην πρὸς διόρθωσιν τῶν πιστῶν· πλὴν*

theologus ex commentariis theologicis Gregorii de Valentia, qui scribit: « Nos hic non vitia quorumdam theologorum defendimus, sed theologiam scholasticam, ut tractatur a theologis gravioribus, ut a D. Thoma et Magistro, quibus ea vitia in disputando, nequaquam iure objici possunt. Deinde dicimus ex his etiam theologis, qui quasdam quaestiones curiose aut etiam inepte tractant, neminem esse, qui non alia multa graviter et utiliter doceat, propter quae laudari potius illorum institutum debet, quam vituperari propter nonnulla vitia » (1).

Haec vitia, hanc, ut ita dicam, metaphysicam licentiam quorundam scholasticorum, pluries gravissimis verbis carpserunt ac damnarunt Romani Pontifices, disciplinarum theologicarum profectui sedulo vigilantes. In litteris, quas supra memoravimus Gregorii IX, refraenatur illorum audacia « qui, ut uter distenti, positos a Patribus terminos, prophana transferre satagunt novitate, coelestis paginae intellectum sanctorum Patrum studiis certis expositionum terminis limitatae, quos transgredi non solum est temerarium, sed prophanum, ad doctrinam philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum; ut sic videantur, non theodidacti, seu theologis, sed potius theophanti » (2). Vehementius adhuc Johannes XXII in litteris ad scholas parisienses, anno 1317: « Quidam theologis postpositis vel neglectis necessariis, utilibus et aedificativis doctrinis curiosis, inutilibus et supervacuis philosophiae quaestionibus, et subtilitatibus se immiscent, ex quibus ipsius studii disciplina dissolvitur, luminis eius splendor offenditur, et per consequens studentium utilitas impeditur » (3). Pro eo igitur ut « ponatur in dictatura Pontificum causa corruptelae scholasticae » (4), licet asserere romanos Pastores enixe adlaborasse, ut suis noevis expurgata scholastica, propositum sibi finem felicius attingeret.

Dolendum quidem est haud raro scholasticos serioris oevi descivisse a suo munere, seseque ineptibus controversiis implicasse. Ast ratio temporis etiam habenda est quo ipsi vacarunt studiis suumque periclitati sunt ingenium. Objicitur eos studium Patrum neglexisse, codices non comparasse ad optimas antiquorum textuum lectiones eruen-

---

καὶ περὶ αὐτῶν ρητέον, ὅτι κἂν ἐνίοτε περιττὰς καὶ ἀχρείας κινοῦσι ζητήσεις, ἀλλ'οὖν καὶ πλεῖστα διδάσκουσιν ὠφελείας πλήρη, δι'ὧν ἐπαινεῖσθαι δεῖ μᾶλλον ἢ κατηγορεῖσθαι διά τινα ὑστερήματα. — Op. cit. p. 8.

(1) T. I, p. 20.

(2) Bulaeus, op. cit., t. III, p. 129.

(3) Denifle et Chatelain, *Chartularium universitatis parisiensis*, t. II, p. I, Parisiis, 1891, n. 741, pp. 200-201.

(4) Tribbechovius, p. 61.

das, in exegesim scripturariam diligenter non incubuisse etc. Haec vera esse interdum non abnuimus. Obliviscendum tamen non est media aetate, nondum inventa arte typographica, librorum supellectile Patrumque scriptis plurimos caruisse qui animum ad studium theologiae adiungebant. Librorum igitur penuria factum est ut eruditionis copiae sibi comparandae facultas deesset. Sua sponte igitur theologi doctis investigationibus theologiae positivae profundiores disquisitiones scholasticae praetulere. Cum autem speculationis christianae culmina iam attigissent doctores scholastici aureae aetatis, qui eos a longe subsecuti sunt seriori oevo, in tricas apinasque sese coniecerunt, ut quid novi meditantes invenirent, vel ut suis auditoribus velificarentur.

Adde, natura quodammodo fieri ut post miram interdum fertilitatem ingeniorum, inopia incidat, arvorum ad instar quae, uberrimis semel prolatis fructibus, perinde ac si fatigati consisterent, sterilitate insequentibus annis afficiuntur. Luculentum huiusce rei exemplum humaniorum litterarum artiumque historia exhibet in Italia, ubi litteris instauratis saeculo XVI, scriptorum clarissimorum artificumque numerosum extitit agmen, dum saeculo XVII cerdones ac scioli in republica litteraria sceptrum sibi usurparunt, artem, litteraturam, stylum inficientes ac depravantes. Nemo tamen negabit Italiam, eo quod vulgo dictum *il seicento* habuerit, saeculo XVI per immortales in memoria hominum viros litteras atque artes ad supremum perfectionis fastigium evexisse.

Monemus denique non omnes, quae tam acriter improbantur quaestiunculae scholasticae, utilitatis omnino expertes fuisse. Quaedam enim ex eis lucem effuderunt ad posteras quaestiones solvendas; aliae vero profundiorem investigationem dogmatum iuvarunt; aliae conceptus quosdam metaphysicos accuratius determinarunt. Quo factum est ut vere theologia scholastica *πανοπλία* sit fidei catholicae (1). Non omnia quidem arma ex ea deprompta in praesens adhibenda, ut sapientissime monet Leo XIII in Encyclica *Aeterni Patris*: « Si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel

(1) Plurimae quaestiones, nunc otiosae, non ita sese praebuerunt olim, cum eadem ac nostris temporibus disputandi contra dogmaticos catholici vel christiani adversarios, materia non occurreret; neque etiam istae quaestiones absque emolumento intellectuali ad exercitationem rationis, ad maioremque scientiae expansionem agitatae sunt in scholis.., Neque id etiam sine providentia factum, quum tamen acuta illa exercitatione, vitiis tandem emendatis, ratio aptior effecta fuerit ad retundendas subtilitates haereticas sequentibus saeculis exortas, ita Deo ex ipso rei abusu bonum eruente. — Migne, *Theologiae cursus completus*, t. I, pp. 30-31; Cf. Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit*, t. III, pp. 41-43.

parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris oevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ». Chalybs tamen quo hanc *πανοπλίαν* cuderunt praeclarissimi mediae aetatis magistri, robigine nunquam teritur. Et si mihi licet altera uti metaphora, theologia scholastica sylva est quercubus annosis consita, quae inclementiam coeli labentibus saeculis patitur, quin viridem suorum ramorum luxuriem amittat. Hoc ei tantum necesse est ut pro tempore vellantur frutices vepresque ad radices robustissimarum arborum succrescentes.

10. Undenam haec vis indeficiens, haec robusta iuventus in scholastica?... Communis est sententia inter viros qui studiis partium non fovent, hanc atque illam ex dialectica, qua utitur methodo, derivare, nec non ex contubernio, ut ita dicam, philosophiae. Dialecticam methodum iamdudum vehementer increpant theologi orthodoxi ut noxiam sublimitati atque integritati fidei christianae. Compertum est saeculo XIV Nicephorum Gregoram Latinos reprehendisse eo quod formis dialecticis in rebus fidei pertractandis uterentur: « Omnibus enim, inquit, perspicuum est dialecticas argutias pares in utramque partem vires habere, tam ad eversionem veritatis, quam ad mendacii accusationem. Unde fit ut ipsam veritatem, quando tali arte profertur, suspectam saepe habeamus quasi ea quae in his versatur solertia oculos mentis nostrae perstringat et a veritate avertat » (1). Aversionis Nicephorae Gregora in dialecticam temporis successu participes facti sunt quotquot in Russia vel in Graecia latinis dogmatis evellendis operam navarunt, ut iam Gretserus animadvertit: « Graeci tametsi olim omnium in disserendo acutissimi et versatissimi, simul atque in schisma prolapsi sunt, simul etiam intimis praecordiis immane odium in syllogismos formamque dialecticam combiberunt, ita ut latinorum, tanquam sophistices magis quam veritatis studiosorum, congressus et

(1) *Τὸ κατὰ τὴν διαλεκτικὴν τέχνην διὰ συλλογιστικῆς τε καὶ ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης βεβαιοῦσθαι καὶ τὰ ἡμέτερα δόγματα, ὡς σαθρόν τε καὶ ὕποπτον εἰς ἀπόδειξιν ἀληθείας, τὸ τοιοῦτον εἶδος τοῦ λόγου παραιτησόμεθα. Πᾶσι γάρ ἐστι πρόδηλον, τὸ τὴν διαλεκτικὴν περιεργίαν ἴσην ἐφ' ἑκάτερα τὴν ἰσχὺν ἔχειν, πρός τε τὴν τῆς ἀληθείας ἀνατροπὴν καὶ πρὸς τὴν κατηγορίαν τοῦ ψεύδους. Ὅθεν καὶ αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν, ὅταν μετά τινος τοιαύτης τέχνης προσίηται, δι' ὑποψίας πολλάκις ποιούμεθα, ὡς τῆς περὶ τὰ τοιαῦτα δεινότητος παρακρουομένη ἡμῶν τὴν διάνοιαν καὶ τῆς ἀληθείας ἀποσφαλλούσης.* — *Byz. Hist.* l. X, c. 8, n. 2, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 709-712. Haec tamen verba adamussim transcripsit Nicéphorus Gregoras ex libro *De anima et resurrectione* S. Gregorii Nysseni, *P. G.*, t. XLVI, col. 52.

concertationes declinarent » (1). Contemptum dialecticae apud theologos russos plurimum aluerunt theologi protestantes, quippe quibus methodus scholastica, victoriis assueta, vehementer displicebat. Binderus, verbigratia, dialecticam defiiniebat scientiam fallaciae, libidinem quandam rixandi, inanem ostentationem decipiendi, et pessimae causae sustentationem » (2). Scholasticam ob usum dialecticae mordebat Tribbechovius: « In ea enim tot ineptissimae quaestiones, quaestionum declarationes, tum obiectiones, obiectionum confirmationes; hinc responsionum puncta prima, secunda, tertia, distinctiones punctorum, tum dictiones dictionum declarationes, declarationum probationes, probationum improbationes, improbationum rationes, rationum solutiones, et iterum declarationum, exceptionum, distinctionum infinita plaustra occurrunt, ut animus in iis velut in profunda caliginis abysso oberret, et quando exinde aliquo voluptatis fructu satiari desiderat, nil nisi nebulas palpet, et ludibria, *ὅσσα ἐν ὀνείρῳ φαίνονται* » (3).

Quae contra usum dialecticae in theologia scholastica objiciuntur, solido carent firmamento, eaque diluere perfacile est. Supervacaneum arbitror producere in medium locos quorundam Patrum, qui videntur dialecticam abhorrere ut fallacem artem, potius fidei simplicitatem obnubilantem quam dilucidantem (4).

Non de vera dialectica locuti sunt hi Patres, sed de falsa, nempe de arte sophistica, de dialectica litigiosa et contentiosa (*ἐριστική*), quam ad fidem christianam evellandam ethnici usurpabant scriptores. Improbarunt etiam Patres dialecticam illam rixosam, quae sibi non proponit diligentem veritatis inquisitionem, sed gloriolam inanem captandi laudes, silentium adversariis imponendi, veritatis iuribus penitus neglectis ac posthabitis. « Haec quae in scholis vulgo jactatur dialectica, aiebat Clemens Alexandrinus, est philosophiae exercitatio in eo quod est opinabile, contradicendi facultatis gratia. In his autem nusquam est veritas » (5). Haec ars contentiosa et sophistica est penitus repudianda, quandoquidem ipsae sophistarum dictiones non solum multorum oculos praestringunt, et eos seducunt, sed nunquam

(1) Cf. Schramm, *Dissertatio theologica de controversiis theologicis inter graecos et evangelicos*, Helmstadii, 1726, p. 34.

(2) *Sophista πολυκέφαλος hoc est de iesuitarum sophistica, et malis artibus, quibus in congressibus partim publicis, partim privatis ut uti solent, quatuor speciminibus ad oculum demonstrata et refutata*, Tubingae, 1614, p. 36.

(3) Op. cit., p. 25.

(4) Petavius, t. I, pp. 15-21; Thomassinus, t. V, pp. 211-226.

(5) *Ἥ τε αὖ θρυλλουμένη κατὰ τὰς διατριβὰς διαλεκτικὴ γύμνασμα φιλοσόφου περὶ τὸ ἔνδοξον δείκνυται, ἀντιλογικῆς ἕνεκεν δυνάμεως. Οὐδαμοῦ δ'ἐν τούτοις ἡ ἀλήθεια. Strom.*, l. I, c. 8, *P. G.*, t. VIII, col. 736.

etiam vim afferentes. Cadmeam referunt victoriam (1). Denique rejiciunt Patres illam dialecticam, quae muneri rite disponendi, systematice ordinandi, efficaciter tuendi veritates fidei, munus adjungit etiam in eas curiose inquirendi, easque arroganter dijudicandi. Hisce enim conatibus detrimentum fidei afferret dialectica, ut Cursulas animadvertit, atque in contemptum fidei evaderet. Dialecticae enim hoc tantum proprium est ut in provincia disciplinarum theologicarum vindicet veritates fidei orthodoxae, atque adversariorum solvat obiectiones (2).

Ex eo tamen quod patres Ecclesiae mancam et fallacem proscribunt dialecticam, inique deduceretur eos rectam artem disputandi flocci fecisse vel suspectam habuisse. Methodus semper adhibenda est ut fideles imbuantur veritatibus fidei. Obiectum fidei, praecepta christianae religionis, nobis singulis non patescunt per internam Spiritus Sancti illuminationem, sed ex auditu, auditus autem per verbum Christi: *ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Χριστοῦ*, *ad Rom.*, X, 17. Neque tantum pueri fide imbuendi, sed etiam iuniores et senes; neque tantum fides tradenda, sed etiam protegenda; neque tantum auctoritati obtemperandum, sed etiam satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe: *ἕτοιμοι ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος*, I Petr., III, 15. Ad fidem tuendam servandamque sedulo attendere debemus, ne quis nos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem omnium, secundum elementa mundi: *βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγὼν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπον, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου*, Ad Col., II, 8. Necesse est enim ut non simus parvuli fluctuantes, circumlati omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: *ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας ἐν τῇ κυβίᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδίαν τῆς πλάνης*, Ad Eph., IV, 14.

(1) I, X, *Str. Τὴν ἑριστικήν τε καὶ σοφιστικὴν τέχνην παραιτητέον παντελῶς· ἐπεὶ καὶ αἱ λέξεις αὐταὶ τῶν σοφιστῶν οὐ μόνον γοητεύουσι, κλέπτουσι τοὺς πολλούς, βιαζόμεναι δ' ἐσθ' ὅτε, Καδμείαν νίκην ἀπήνεγκαν. Strom.*, l. I, c. 10, *P. G.*, t. VIII, col. 744.

(2) *Ῥητέον ὅτι ἡ θεία Γραφὴ καὶ οἱ θεῖοι Πατέρες τὴν μέθοδον ταύτην ἀπαγορεύουσιν ἡνίκα ταύτῃ τις χρῆται βουλόμενος τὰ πρὸς τὴν πίστιν διὰ φυσικῶν ἐξετάσαι λόγων, εἰ οὕτως, εἰ ἄλλως ἔχει, καὶ οὕτως ἐξετάζων καὶ ἀπορῶν προκρίνει τὸν φυσικὸν λόγον, καὶ τὴν πίστιν περιφρονεῖ. Οὐ μὴν δὲ ταύτην ἀπαγορεύουσιν, ἡνίκα τις ἀνενδοιάστως ἔχων πρὸς τὴν πίστιν χρῆται τῇ τοιαύτῃ μεθόδῳ πρὸς ἐκδίκησιν τῆς ὀρθοδοξίας, καὶ λύσιν τῶν περιέρχων ἐπιχειρήσεων τῶν κατ' αὐτῆς σχηματιζομένων.* — T. I, p. 7.

Ex Sacris Scripturis igitur eruitur fideles, eos praesertim quibus onus incumbit ceteros docendi, moraliter cogi ad fidem ita discendam ut adorientes adversarios repellere valeant. Fides enim christiana non est syllabus peraridus formularum praeceptorumque, sed summa coelestis sapientiae attingit cacumina, suosque habet osores, quorum audacia et cavillationes studio ac labore retundendae sunt. « Error enim, ut ait S. Irenaeus, secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere), veriorem semetipsum praefert, ut decipiat exteriori phantasmate rudiores »(1). Vafritiem igitur corruptorum fidei vel osorum ille tantum infringere poterit, qui apprime noverit artem dissolvendi fallacias plexasque argutiarum semitas discriminandi. Haec scientia fidei tutandae studio dialecticae acquiritur.

Merito Clemens Alexandrinus nonnullos fideles arguit qui se putant esse ingeniosos, « nec philosophiam attingere volunt, nec dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, sed solam et nudam fidem requirunt, perinde ac si cum nullam vitis curam gesserint, velint ab initio statim botros accipere... Putare oportet, fodere, ligare, et reliqua facere. Falce, ut sentio, et ligone et aliis rusticis instrumentis ad vitis curam opus est, ut nobis fructum producat esculentum »(2). Imperite quidem, verbis utor eiusdem scriptoris, omnia metuentes, dicunt oportere in iis versari, quae sunt maxime necessaria, et quae fidem continent; externa autem et quae sunt supervacanea transilire, quae nos frustra conterunt, et detinent in iis quae ad fidem nihil conferunt »(3).

Sicut peritissimus artifex smaragdum pretiosum a vitreo globulo, qui fucatam eius speciem refert, confestim discernit, ita in rebus fidei

(1) *Ἡ γὰρ πλάνη καθ' αὑτὴν μὲν οὐκ ἐπιδείκνυται, ἵνα μὴ γυμνωθεῖσα γένηται κατάφωρος· πιθανῷ δὲ περιβλήματι πανούργως κοσμουμένη, καὶ αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπειροτέροις. Contra haereses*, l. I, n. 2, *P. G.*, t. VII, col. 440.

(2) *Ἔνιοι δέ, εὐφυεῖς οἰόμενοι εἶναι, ἀξιοῦσι μήτε φιλοσοφίας ἅπτεσθαι, μήτε διαλεκτικῆς, ἀλλὰ μηδὲ τὴν φυσικὴν θεωρίαν ἐκμανθάνειν· μόνην δὲ καὶ ψιλὴν τὴν πίστιν ἀπαιτοῦσιν· ὥσπερ εἰ μηδεμίαν ἠξίουν ἐπιμέλειαν ποιησάμενοι τῆς ἀμπέλου, εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς τοὺς βότρυας λαμβάνειν... Κλαδεῦσαι δεῖ, σκάψαι, ἀναδῆσαι, καὶ τὰ λοιπὰ ποιῆσαι· δρεπάνου τε, οἶμαι, καὶ μεκέλλης, καὶ τῶν ἄλλων ὀργάνων τῶν γεωργικῶν πρὸς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἀμπέλου χρεία· ἵνα ἡμῖν τὸν ἐδώδιμον καρπὸν ἐκφήνῃ, — Strom.*, l. I, c. 9, *P. G.*, t. VIII, col. 740.

(3) *Οὐ λέληθε δέ με καὶ τὰ θρυλλούμενα πρός τινων, ἀμαθῶς ψοφοδεῶν, χρῆναι λεγόντων περὶ τὰ ἀναγκαιότατα καὶ συνέχοντα τὴν πίστιν καταγίνεσθαι· τὰ δὲ ἔξωθεν καὶ περιττὰ ὑπερβαίνειν, μάτην ἡμᾶς τρίβοντα καὶ κατέχοντα περὶ τοῖς οὐδὲν συμβαλλομένοις πρὸς τὸ τέλος.* — Ib., l. I, c. 1, col. 708.

intaminatam doctrinam a falsis haereticorum sententiis ille seiungit, qui perspicacia dialectica in detegendis erroribus potitur.

Hoc Patres haud semel disertissimis verbis tradidere. Laudatus Clemens Alexandrinus scribit: « Philosophia perniciem non affert, quam ac si esset rerum falsarum et malorum operum artifex, quidam falso calumniati sunt, cum sit evidens veritatis imago, donum graecis datum divinitus. Neque nos per ipsam tanquam a quibusdam decepti praestigiis a fide abducimur; sed potius maiori munimenta tecti et socium quodammodo exercitationem, quae fides pleniorem demonstrationem accipiet, lucrati sumus » (1). Per dialecticam tamquam lorica munimus divinam sapientiam eamque sophistis inaccessam servamus (2). Sicut « murus septum est ac munimen ad custodiendas civitates, et ad hostiles impetus propulsandos exstructum, ita sunt et sermones quidam, quibus ab ipsa veritate praecingimur et munimur, qui vim salutarium dogmatum inexpugnabilem tuentur... Vis namque dialectices, dogmatum est murus, quae ea a quibuslibet qui vellent, facile interverti, aut facile expugnari non sinit » (3). Perbelle idem exprimit S. P. Augustinus: « Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet; tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quae appellantur sophismata, falsae conclusiones rationum et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant » (4). In rebus fidei explanandis, ut verbis utar S. Basilii,

(1) *Ἀξιόπιστος δὲ ἡ τοιαύτη ψυχαγωγία, δι' ἧς κακουμένην οἱ φιλομαθεῖς παραδέχονται τὴν ἀλήθειαν, πρὸς τὸ μήτε αὖ τὴν φιλοσοφίαν λυμαίνεσθαι τὸν βίον, ψευδῶν πραγμάτων καὶ φαύλων ἔργων δημιουργῶν ὑπάρχουσαν· ἣν τινες διαβεβλήκασιν, ἀληθείας οὖσαν εἰκόνα ἐναργῆ, θείαν δωρεὰν Ἕλλησι δεδομένην· μήτε ἡμᾶς ἀποσπᾶσθαι τῆς πίστεως, οἷον ἀπό τινος ἀπατηλοῦ τέχνης καταγοητευομένους· ἀλλ' ὡς ἔπος εἰπεῖν, περιβολῇ πλείονι χρωμένους, ἀμηγέπη συγγυμνασίαν τινὰ πίστεως ἀποδείκτικὴν ἐκπορείζσθαι.* — *Strom.*, l. I, c. 2, *P. G.*, t. VIII, col. 709.

(2) *Ἐπεὶ καὶ σὺ τῷ θρίγκῳ ὑπεροχυρώσας αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας καὶ πολυτελείας ὀρθῆς, ἀνεπίβατον τοῖς σοφισταῖς τηρήσεις.* — *Strom.*, I, 5, *P. G.*, t. VIII, col. 720.

(3) *Τεῖχος ἔρυμά ἐστι πρὸς φυλακὴν πόλεων πεποιημένων, καὶ τὰς προσβολὰς τῶν πολεμίων ἀποκρουόμενον, οὕτως εἰσί τινες καὶ λόγοι, οἱ μὲν ἐκ τῆς ἀληθείας αὐτῆς περικείμενοι ἡμῖν, τὸ ἀκαθαίρετον τῶν σωτηρίων δογμάτων διατηροῦντες.... Ἡ γὰρ τῆς διαλεκτικῆς δύναμις τεῖχός ἐστι τοῖς δόγμασιν, οὐκ ἐῶσα αὐτά, εὐδιάρπαστα εἶναι, καὶ εὐάλωτα τοῖς βουλομένοις.* — S. Bas., *Comm. in Isaiam*, l. II, c. 92, *P. G.*, t. XXX, col. 269.

(4) *De doctr. christ.*, lib. II, c. XXX, *P. L.*, t. XXXIV, col. 53; cf. XXXVII, coll. 60-61.

« nostri muneris est mentis curam habere, ut per idonea exercitia perfectionem adepta, perspicua evadat » (1) ac per dialecticam hunc finem assequimur.

Insuper dialectica, quam Patres Ecclesiae iure meritoque laudarunt in munere tuendae fidei, alterum etiam munus sibi usurpat maximi momenti. Veritates fidei in theologia scholastica mirabile con stituunt aedificium, cuius partes apte connexae admirationem cient vel adversariorum (2). Ex methodo dialectica oritur haec unitas, quae oculos mentis, ut ita dicam, fascinat, qua scholastica ingentes divinae sapientiae thesauros hominibus revelatos quodammodo in scriniis apte dispositos congestosque exhibet, qua veluti ex dissitis regionibus magno sumptu collectas margaritas pretiosis in arculis distribuit.

Veterum Patrum laboriosas tot in voluminibus dispersas ac minutatim concisas meditationes scholastici methodo dialectica in unum iusserunt coire systema; quae fuse, verbose, oratorie in fide exploranda vindicandaque Patres tradidere, scholastici strictius coarctarunt, accuratius enuclearunt, compositius coaptarunt, ideoque merent ut vocentur *architecti* theologiae christianae (3).

Eos non latuit veritates fidei eo magis mentes arripere, quo clarius ac brevius, stylo, calamistris non inusto, exponatur (4). Ex quo patet methodum ab eis invectam maximam tulisse Ecclesiae utilitatem,

(1) *Ἡμέτερον ἔργον, ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τοῦ νοῦ, ἵνα γένηται διορατικὸς διὰ τῶν καταλλήλων γυμνασιῶν τελευούμενος.* — *Comm. in Isaiam*, I, 9; *P. G.*, t. XXX, col. 132.

(2) Cf. Engert, *Der deutsche Katholizismus und die Enzyklica Pascendi, Religion und Geisteskultur*, 1908, II, p. 151.

(3) Pulcherrimis verbis hoc exposuit P. Richard O. P.: « Les scholastiques sont venus à leur heure, chargés d'une mission spéciale, celle de réduire en corps de doctrine les vérités de la foi, d'en faire la synthèse scientifique. Les matériaux dispersés dans les ouvrages des Pères, demandaient des architectes; les scholastiques ont été ces architectes. Leur travail constituait un progrès considérable sur la manière des Pères, à ne considérer que la science sacrée prise en elle-même. Ceux-ci traitaient, le plus souvent, des questions particulières de théologie; ils étaient guidés dans le choix de ces questions, par l'hérésie qu'ils se proposaient de combattre, par les livres de l'Ecriture Sainte dont ils se proposaient le commentaire, par les besoins du peuple auquel ils s'adressaient. Avec les scholastiques, c'est la théologie comme science qui fait son apparition; ce n'est plus une portion seulement de la doctrine qu'on nous expose, c'est l'ensemble, le corps complet et solidement charpenté de cette même doctrine. *Étude critique sur le but et la nature de la scholastique* ». *Revue Thomiste*, t. XII (1904), pp. 175-176.

(4) La vérité fait d'autant plus d'impression sur les esprits, qu'on la leur propose avec plus de clarté. Elle s'introduit d'autant plus facilement dans les coeurs, et y jette des racines d'autant plus profondes, qu'on sait détailler avec

quippe quae confusionem in docendo vitat, errorumque cuniculos obstruit. « Methodus scholastica, ut perpulchre illustrat Gregorius de Valentia, consistit in methodo, in ordine, in distinctione quaestionum et argumentorum, in forma disserendi, quam recta ars praescribit, in perspicaci quadam et exacta cognitione rerum ipsarum, de quibus aliquid fides vel negando, vel affirmando enunciat, comparata praesidio aliarum artium et scientiarum; item in explicatione eorum, quae aut ex iisdem rebus fidei bene perspectis consequuntur, aut eis repugnant; ac denique in simplicitate quadam sermonis et verborum quibus unaquaeque res tractatur. At nihil prorsus est in hac omni scholastica disputandi ratione, quod non per se accommodatissimum sit ad res ipsas fidei melius intelligendas, et persuadendas, et defendendas ab argumentis contrariis qui est finis atque scopus omnis theologiae. Igitur negari minime debet, quin scholasticus modus theologiam tractandi sit Ecclesiae utilissimus » (1). Et revera, de theologia orthodoxa quae haec commoda methodi scholasticae dedignata est, asseri potest quod de opere quodam theologico A. Sturdzae scripsit theologus lutheranus I. Ch. Augustus: « Nuspiam ea *δογμάτων ἀκρίβεια* quam theologus amat et postulat, deprehenditur, nulla disputatio ordinata, et scholastico, ut ita dicam, incedens pede, nulla definitio accurata et satisfaciens, nulla argumenta certa, nulla principia tuta » (2).

Ad sententiam vero Nicephori Gregora quod attinet, dialecticam scilicet inutilem esse eo quod per syllogismos verum et falsum in promptu est tueri, adducere iuvat verba Manuelis Callecae († 1410), qui eum nervose refellit: « Qui ita loquitur, si omnino syllogismos et ratiocinationem tollit, primum quidem quod humanae naturae proprium est, hominumque ad invicem consuetam locutionem unam aufert; culpabitque beatum Paulum eos increpantem, qui per ea quae videntur de Deo colligere ratiocinando nequiverunt, et de creaturis creatorem noscere. Culpabit et theologos sive de substantialibus, sive de divinis processionibus disserentes; Salvatoris nihilominus sententiam tollet, Scripturas iubentem perscrutari... Deinde et seipsum destruet. Nam quae contra ratiocinationem dixit, haec ratiocinando ait;

---

plus de précision les principes qui en sont le fondement, et résoudre d'une manière plus serrée et plus sensible les difficultés qui semblent la combattre et la détruire. De la Chambre. *Introduction à la théologie*, Migne, *Theologiae Cursus Completus*, t. XXVI, col. 1090.

(1) Op. cit., Q. I, punctum 2, p. 14.

(2) *De nonnullis Ecclesiae graecae quae nuper iactatae sunt virtutibus.* Bonnae, 1821, p. 4.

nisi quis eum non ratiocinari sed a ratione deviare potius ista dicentem pronuntiet; quod si huiusmodi ratiocinationem in Deo tantum prohibet, cunctam sanctorum destruet theologiam; et eam in primis quam contra haereticorum errores dimicantes diligentius subtiliusque conscripserunt, solisque sensibus divinarum rerum examen, ut intelligi datur, permittit... Non igitur malum omnino est probare, sed non ad propositum propriis uti principiis ac putare fidem naturalibus initiis probari, id malum et perniciosum est » (1).

Denique methodo dialecticae vitio vertitur quod pietatem in penetralibus animae quodammodo arefaciat. Distinctionibus ac syllogismis implexa mens Dei obliviscitur, summaque contentione animus metaphysicis haeret subtilitatibus. Fides quae ad cor amore Dei nutriendum divinitus nobis delata est, dissecatur in peraridas formulas quae tantum exercent mentis aciem. Quod in ea divinum est seponitur; quod vero humanum est, praevalet. Coelestis sapientia terrenae submittit imperium. Pro eo ut oret, theologus investigat, ac realitas divina inter ludibria metaphysica evanescit.

Obiectio historice falsa deprehenditur. Qui eminuere ex scholasticis, inextinguibili in Deum amore exarserunt, ut S. Thomas, S. Bonaventura etc. Thesauris divinae sapientiae in mente reconditis, thesauros divini amoris, ut aurum liquefactum perpetuo exardescens addidere. Inde factum est ut eorum scripta non solum speculativae verum etiam asceticae theologiae uberrimi sint fontes (2). Aetas, quae scholasticos perillustres aluit, sanctorum etiam agmina genuit, qui societatem instaurarunt eamque christiano influxu penitus pervaserunt. Non secus ac S. Augustinus qui haerens in obtutu Dei, mysteria divinae essentiae speculative illustrat, atque in corde amoris flammas excitat, S. Thomas theologicis simul veritatibus inquirendis vacat, ac stimulis amoris perculsus, fervidissimis pietate versibus, quos fidelium labia in orbe terrarum indesinenter recitant, gloriam Corporis ac Sanguinis Iesu Christi concinit. Idem affirmandum de S. Bonaventura. Pietas quidem, ut planta ex fertili solo extirpata atque in arenam

(1) *Adversus Graecos*, l. III, *P. G.*, t. CLII, col. 184-185. Textus graecus huius praeclari operis asservatur ineditus. Krumbacher. *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, p. 111. Locus, quem produximus, graece citatur a Petavio, op. cit., t. I, p. 31.

(2) Optime Schaff: « A large element of mysticism was mingled with scholasticism. The Schoolmen were conscious of the inexhaustible depth of divine truth wich the power of logic cannot reach. With the temper of speculation they combined the habit of spiritual meditation and prayer ». Loc. cit., *The Princeton theol. Review*, 1904, t. II, p. 185.

translata, imminuta est, cum primum scholastica coepit torvis oculis in scholis aspici, vel obsolescere, vel ludibrio haberi. Si methodus dialectica, quae usitata est in scholis catholicis pro theologia tradenda pietatis fontes exhausisset, explicari non posset quî catholica Ecclesia tot viros sanctitate insignes pepererit, ea praesertim aetate qua scholastica floruit, ac vitae spiritualis inexsuperabiles possideat magistros.

11. Utilitate dialecticae in theologicis veritatibus composite ordinandis vindicata, gradum facimus ad munus philosophiae in eisdem clarandis, tuendis, investigandisque enucleandum. Quaestio maximi momenti est tam in catholica theologia quam in orthodoxa, in eaque solvenda necesse est ut theologus toto pectore incumbat. Ea enim expedita, clare ac perspicue determinantur relationes inter Deum atque hominem, revelationem et rationem, fidem et scientiam, theologiam et philosophiam. Quaestio enim, ait Mazzella, de habitu rationis ad revelationem fere eadem est ac quaestio de habitu scientiae ad fidem, naturalis luminis ad Ecclesiae auctoritatem, et cum proportione, philosophiae ad theologiam (1). In scholasticam philosophiam theologiae christianae provinciam invadentem ac vastantem scriptores russi culpam conferunt peracti Orientem inter atque Occidentem religiosi schismatis (2). P. Tikhomirov Ecclesiam orthodoxam summis extollit laudibus eo quod lethalem errorem catholicae Ecclesiae prosecuta non sit, scilicet depositum fidei sibi concreditum haud mancipaverit huic vel illi systemati philosophico, quod post brevem gloriam in tabulariis historiae philosophiae obliteratum iacuit novoque locum cessit (3).

Systema quod fatum supremum iam obiisse censet Tikhomirov, est philosophia aristotelica ac thomistica.

Superius locos adduximus ceterorum scriptorum qui theologiam scholasticam dogmata theologica veritatesque rationales suo lubito commiscuisse iactant, nec non supernaturalem characterem scientiae theolo-

(1) *De virtutibus infusis*, p. 610.

(2) N. Rojdestvensky, Христіанская апологетика: курсъ основнаго богословія (*Apologia fidei christianae: cursus theologiae fundamentalis*), Pt. I, Petropoli, 1884, p. 57.

(3) Православіе никогда не впадало въ ту роковую ошибку, какую допустило католичество, связавъ судьби охраняемой имъ вѣчной богооткровенной христіанской истины судьбою извѣвшихъ философскихъ доктринъ, имѣвшихъ лишь временное историческое значеніе. — Православная догматика и религіозно-философское умозрѣніе (*Dogmatica orthodoxa ac speculatio religiosa et philosophica*), Kharkoviae, 1899, p. 30.

gicae infuscasse, ac philosophos ad res fidei potius alterandas quam illustrandas impulisse. Haec omnia partium studio dicta esse contendimus. Ad mutuas enim inter theologiam ac philosophiam relationes quod attinet, videtur mihi in essentialibus doctrinam orthodoxam, licet parum elaboratam, a catholica non differre (1). Paucis hoc demonstrare nobis est animus.

(1) De relationibus inter fidem ac scientiam, theologiam ac philosophiam, permulti tractarunt. Inter scripta, quae hoc thema evolvunt, sequentia praecipue commendantur: Основаніе вѣры въ откровеніе (*Fundamentum fidei in revelatione*), Христіанское Чтеніе, t. XXIV, 1826, pp. 216-227; Разумъ и Вѣра (*Fides ac ratio*), Ib., 1834, t. III, pp. 191-199; A. Sturdza, Вѣра и вѣдѣніе или разсужденіе о необходимомъ согласіи въ преподаваніи религіи и наукъ (*Fides et cognitio seu considerationes circa necessariam consensionem religionis et scientiarum*), Odessae, 1834; Вопросъ о вѣрѣ (*Quaestio de fide*), 1861, t. II, pp, 357-390; Sylvester Malevansky, Краткій историческій очеркъ раціонализма въ его отношеніи къ вѣрѣ (*Parvum specimen historiae rationalismi in suis relationibus ad fidem*), Kioviae, 1862; Наука и откровеніе (*Scientia ac revelatio*), Ib., 1862, t. I, pp. 97-130; Разумъ христіанскій (*Intellectus christianus*), Ib., 1862, t. II, pp. 317-360; I. Troitzky, Вѣра и Разумъ (*Fides ac ratio*), Христіанское Чтеніе, 1867, t. I, pp. 169-185, 339-351; Новый опытъ мировой между вѣрой и наукой (*Novum specimen εἰρηνικοῦ inter fidem et scientiam*), Ib., 1867, t. II, pp. 765-816; Шаги науки къ сближенію съ вѣрою (*Gressus scientiae in appropinquando ad fidem*), Ib., 1875, t. II, pp. 373-402; I. Bogoroditzky, Разумъ и откровеніе (*Ratio et revelatio*), Православное Обозрѣніе, 1876, t. II, pp. 37-64, 436-476; Th. Terner, Разумъ и откровеніе, Ib., 1878, t. II, pp. 506-530; D. Tzertelev, Границы религіи, философіи и естествознанія (*Fines religionis, philosophiae ac scientiarum naturalium*), Ib., 1879, t. II, pp. 496-534; Cicerin, Наука и религія (*Scientia et religio*), Mosquae, 1879 (2ª ed., 1901); E. Uspensky, Христіанское умозрѣніе и человѣческій разумъ; раціональное оправданіе сущности христіанскаго вѣроученія противъ раціоналистическихъ воззрѣній на него (*Speculatio christiana et ratio humana: iustificatio rationalis essentiae doctrinae fidei christianae adversus sententias hostiles rationalistarum*), Pensae, 1880; R. L., Необходимость, возможность и методъ научнаго оправданія христіанства (*Necessitas, possibilitas, ac methodus iustificationis scientificae christianismi*), Прав. Обозрѣніе, 1881, t. I, pp. 32-45, 699-713; t. II, pp. 221-266; Th. S. Ornatsky, Ученіе Шлейермахера о религіи (*Doctrina Schleiermacher circa religionem*), Kioviae, 1884; Th. Butkevitch, Вѣра и знаніе, вѣра и жизнь (*Fides et cognitio, fides et vita*), Вѣра и разумъ, 1885, t. I, pp. 78-89, 123-144, 226-240; A. Gusev, Христіанство въ его отношеніи къ философіи и наукѣ (*Religio christiana suis in relationibus ad philosophiam ac scientiam*), Прав. Обозрѣніе, 1885, t. I, pp. 100-127, 459-497, 729-762; A. P. Chostyn, Къ вопросу о догматическомъ развитіи церкви (*Quaedam circa progressum dogmaticum in Ecclesia*), Вѣра и Разумъ, 1887, t. I, p. 557-578; 1888, t. II, pp. 32-67; Вѣра и знаніе (*Fides etscientia*), Христіанское Чтеніе, 1887, t. II, pp. 348-383, 523-548; 1888, t. I, pp. 7-35, 533-555; II, pp. 3-25, 611-639; 1889, t. I, pp. 3-32, 519-539; t. II, pp. 3-28; A. Strunnikov, Вѣра какъ увѣренность по ученію православія; изслѣдованіе по вопросу объ отношеніи вѣры и знанія (*Fides ut certitudo, secundum doctrinam orthodoxae Eccle-*

Statuimus igitur primum: *Ad sententiam catholicam philosophiae munus in theologicis disciplinis non est veritates fidei per diuturnam sedulamque investigationem tam clarissima luce perfundere ut eas penitus perspectas habeat, de eisque perinde ac si essent veritates perviae rationi humanae dijudicet.* Haec thesis quam tuemur ex decretis dogmaticis Catholicae Ecclesiae eruitur quae statuunt veritatibus divinae revelationis nos assentiri propter auctoritatem Dei revelantis. « Fidem, docet Concilium Vaticanum, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, *non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis*

---

siae: inquisitio in controversiam de relationibus inter fidem ac scientiam), Samarae, 1887 (2 volumina); Th. S. Ornatsky, Возможно-ли научное занятіе религіей (*An sit possibilis scientifica tractatio religionis*) Труды К. Д. А., 1888, t. III, pp. 223-247; B. Plotnikov, Въ какихъ отношеніяхъ особенно важно для пастыря церкви обладать научнымъ знаніемъ богословія (*Quibus de causis utile est praesertim pastoribus Ecclesiae acquirere cognitionem scientificam theologiae*), Kioviae, 1889; P. Linitzky, Вѣра и знаніе (*Fides et scientia*), Вѣра и Разумъ, 1889, t. I, pp. 217-239; Id., Какъ возможно единство вѣры и знанія (*Quomodo fieri potest concordia fidei et cognitionis*), Ib., 1889, t. I, pp. 469-494; S. Glagolev, Объ условіяхъ возникновенія религіозной вѣры (*De conditionibus restaurandae fidei religiosae*), Serghievo, 1892; P. Svietlov, Ученіе церкви и богословствующій разумъ (*Doctrina Ecclesiae ac ratio theologica*), Христіанское Чтеніе, 1895, t. II, 413-441; P. Svietlov, Источники ходячаго мнѣнія о вѣрѣ, какъ о противоположности разума (*Fontes sententiae quae circumfertur de fide ut rationi opposita*), Petropoli, 1896; N. I. Gloriantov, Богословіе и естествознаніе (*Theologia et scientia naturalis*), Христіанское Чтеніе, 1898, t. II, pp. 705-737; S. Glagolev, Религія и наука въ ихъ взаимоотношеніи въ наступающему XX столѣтію (*Religio et scientia in suis mutuis relationibus sub initium saeculi XX*), Serghievo, 1900; P. Smyslov, О взаимныхъ отношеніяхъ христіанской вѣры и знанія (*De mutuis relationibus inter fidem christianam et scientiam*), Вѣра и Церковь, 1900, t. I, pp. 325-356; P. P. Kudriavtzev, Главные моменты въ исторіи вопроса объ отношеніи вѣры къ знанію (*Praecipua momenta in historia quaestionis de relationibus inter fidem ac scientiam*), Труды К. Д. А., 1901, t. III, pp. 176-201; P. I. Linitzky, Значеніе философія для богословія (*Significatio philosophiae pro religione*), Ib., 1903, t. III, pp. 101-117, 171-187, 368-374, 557-565; I. A., Значеніе вѣры въ области научнаго знанія (*Significatio fidei in provincia scientificae cognitionis*), Вѣра и Церковь, 1905, t. II, pp. 341-375; D. Romankov, Къ вопросу о связи вѣры съ разумомъ (*De relationibus inter fidem ac rationem*), Вѣра и Разумъ, 1906, n. 21, pp. 528-542; E. N., Послѣдовательное раскрытіе догматовъ вѣры въ борьбѣ съ ересями съ I-го до V вѣка (*Successiva revelatio dogmatum fidei in certamine cum haeresibus a saeculo I usque ad V*), Вѣра и Разумъ, 1908, t. I, pp. 185-210; F. Kojevnikov, Вѣра какъ психологическій фактъ съ научной точки зрѣнія (*Fides ut factum psychologicum considerata sub aspectu scientifico*), Ib., 1908, t. II, pp. 64-88.

lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis », qui nec falli nec fallere potest » (1). Unde canon 2 (de fide catholica): « Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur A. S. » (2). Damnantur etiam propositiones 8 et 9 *Syllabi* quae tuentur theologicas disciplinas perinde ac philosophicas tractandas, nec non omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae esse obiectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem, historice tantum excultam posse ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam obiectum proposita fuerint (3).

Si fides enim ex qua theologia sua principia haurit, nos docet veritates supernaturales lumini rationis naturalis omnino impervias, philosophia quae in ordine veritatum naturalium consistit, nequit ius sibi usurpare obiectum theologiae ut suum obiectum tractandi dijudicandique.

Iuxta theologos catholicos theologia ac philosophia differunt *specifice* inter se. Utraque scientia suum proprium habet obiectum, et consequenter prior nequit ab altera, ut ita dicam, absumi. Sicut datur distinctio specifica inter intellectum divinum atque intellectum humanum, inter fidem et scientiam, inter ordinem supernaturalem ac naturalem, ita datur distinctio specifica inter theologiam ac philosophiam. Nos quidem non latet hanc distinctionem talis non esse naturae ut quaelibet excludatur cognatio inter theologiam ac philosophiam, ut asseratur nihil utrique commune haberi. Datur sane cognatio quaedam, sed haec cognatio non tollit distinctionem illam quae theologiam a philosophia specifice discriminat.

Et revera, plures reperiuntur veritates de quibus tanquam de proprio sibi obiecto una disserunt tam theologia quam philosophia. Illud enim quod ratio humana post innumeros labores assiduasque meditationes attingit, Deus etiam revelare potest hominibus ac *de facto* revelavit. Huiusmodi veritates, quas diverso plane modo tradunt theologi ac philosophi, illi divinae auctoritatis testimonio, isti naturalibus rationibus innixi, vocantur a scholasticis *praeambula fidei* (4).

(1) *Const. de fide catholica*, c. III, Denzinger, p. 475.

(2) Ib., p. 481.

(3) Denzinger, p. 466.

(4) Schäzler, *Introductio in theologiam dogmaticam*, pp. 43-44. Theologus et metaphysicus utique possunt eandem veritatem diversis modis considerare, puta

Insuper veritates, quae ad Deum pertinent in utraque scientia, claustra, ut ita dicam, divinae essentiae non rescindunt. Deus obiectum sive Theologiae naturalis, quae pars est philosophiae, sive theologiae revelatae, quae theologia veri nominis est, in utraque incomprehensibilis perstat quoad suam essentiam. Equidem haud ignoramus cognitionem illam τοῦ esse divini quam per revelationem mysteriorum assequimur, quaeque obiectum est theologiae veri nominis, longe antecellere imperfectae illi scientiae de Deo, quam suis viribus philosophus attingit. Hoc tamen non impedit quomimus de divina essentia tum theologus, tum philosophus mediatam tantum nec non inadaequatam nobis cognitionem praestent. In ordine sive supernaturali, sive naturali, dum in terris degimus, eadem homo laborat impotentia *comprehendendi* Deum. *Intelligit* quidem divinam essentiam obscure et per conceptus potius negativos dum disserit ut philosophus, minus obscure, et per conceptus etiam positivos dum disserit ut theologus, qui sua principia desumit ex divina revelatione, qua nobis panduntur abscondita Dei quoad *existentiam*, non verum *quoad intimum eorum veritatis nexum*; haec tamen cognitio sive theologica, sive philosophica nunquam assurgit neque assurgere potest ad *comprehensionem* Dei (1).

Hac posita cognitione theologiam inter ac philosophiam, distinctionem specificam utriusque scientiae asserimus. Differentia haec non est tantum subiectiva, ut Scheeben rite explicat (2). Asseritur quod theologia suapte natura consistit *in fide auctoritativa*; philosophia vero *in fide rationali*. Hoc non negamus. Ex hac tamen *subiectiva* utriusque scientiae differentia nequit erui differentia *specifica* inter theologiam ac philosophiam. Inter fidem enim auctoritativam ac fidem rationalem, in seipsis consideratas, abstrahendo scilicet ab obiectis quibus fides adhibetur, differentia datur tantum medii cognoscitivi. Potest autem fieri ut illud, cui fide auctoritativa assentimur, post

---

istam, Deum esse unum; Metaphysicus enim per naturalem cognitionem, Theologus vero per divinam revelationem procedet, sed isti modi diverse considerandi nunquam sufficerent ad distinctionem harum scientiarum, nisi daretur aliqua alia veritas, in qua praedicti modi non concurrent, sicut est ista: Deus est trinus in Personis et unus in essentia, de qua solum per divinam revelationem habetur cognitio, quapropter ad solum Theologum pertinet, non autem ad Metaphysicum, et ita universaliter dici potest de quibuscumque scientiis, quod distinguuntur, non penes diversos modos considerandi, sed penes illas veritates, in quarum cognitione nequeunt convenire diversi modi considerandi earum.— Gerardus Senensis O. S. A., *In primum librum Sententiarum*, Patavii, 1598, Q. I, a. 3, p. 10-11.

(1) Simar, *Lehrbuch der Dogmatik*, t. I, Friburgi, 1899, p. 125.

(2) *Die Mysterien des Christenthums*, p. 651.

lapsum temporis, fide rationali asseratur, ut contingit in puero qui magistri auctoritate innixo, cuidam veritati rationali assentit, quam postea, demonstratione adhibita, intelligit. Si haec igitur unica differentia subiectiva inter theologiam ac philosophiam statueretur, daretur ansa (proh dolor! hoc historia theologiae christianae testatur) superbientibus ingeniis effutiendi veritates theologicas quas per fidem auctoritativam e divina revelatione fluentem cognoscimus, per fidem rationalem, ad quam perveniret humana ratio excultior, admissum iri. Qua posita nefaria doctrina, sequeretur theologiam in ditionem philosophiae redactum iri, suumque characterem amissuram scientiae, quae ex rationis lumine sua non corrogat principia. Potiores igitur causae, nempe causae obiectivae quaerende sunt specificae differentiae, quam inter theologiam ac philosophiam astruimus.

Ad sententiam theologiae catholicae, veritates quae in theologia traduntur, licet non omnes (praeambula enim fidei communia sunt theologo ac philosopho), obiective differunt a veritatibus quae speculationis philosophicae obiectum constituunt. Sicut enim datur duplex ordo, supernaturalis ac naturalis, ita veritatum supernaturalium ac naturalium series datur duplex. Sed obiectiva ac specifica est distinctio inter ordinem supernaturalem ac naturalem. Ergo obiectiva etiam est distinctio inter veritates quae huic atque illi propriae sunt. Sed veritates de quibus tractat theologia *proprie* dicta veritates sunt ordinis supernaturalis, specifice distinctae a veritatibus ordinis naturalis. Ergo specifica datur differentia inter theologiam ac philosophiam. Nequit igitur illa in hancce converti, alioquin ipse ordo supernaturalis in ordinem naturalem transferretur, ac scientia supernaturalis fidei in scientiam naturalem philosophicam caderet (1).

Haec distinctio obiectiva accurate determinat provinciam utriusque scientiae; sed alia scholastici afferunt etiam motiva, quibus probant theologiam a philosophia discriminari. Si veritates enim quae obiectum

(1) Luculenter Scheeben: « Die Theologie ist im Gegensatze zur Philosophie eine eigene, selbständige Wissenschaft, weil sie nicht nur ihr eigenes theologisches Gebiet hat. Ihr Erkenntnissprincip heisst theologisch, weil es sich auf das Wort, den Logos Gottes stützt, und in ihm sein Motif und formelles Object hat; ihr Gebiet und die in demselben liegenden Wahrheiten, ihr materielles Object, sind theologisch, weil darin Gott selbst direct und unmittelbar als Centrum der übernatürlichen Ordnung, als Princip und Ziel der Mittheilung seiner Natur betrachtet wird. Kurz, sie ist Theologie, weil sie aus Gott und über Gott redet. Die Philosophie hingegen redet aus der geschaffenen Natur, d. h. kraft des natürlichen Lichtes derselben, zunächst und direct über die geschaffene Natur und nur secundär von Gott als dem Principe, ohne welches die Natur nicht bestehen, und dem Ziele, ausser dem die Natur nicht zur Ruhe kommen kann». — Op. cit., pp. 655-656.

proprium theologiae veri nominis constituunt (Lottini eas vocat veritates supernaturales intelligibiles, quae solo intellectu concipi possunt, et supernaturales sunt quoad cognitionem sui), supernaturales sunt, satis claret eas differre a veritatibus ordinis naturalis, quas philosophia investigat, ratione motivi quo utrisque assentimur. De supernaturalibus enim veritatibus intellectus humanus nequit ullum iudicium ferre, cum eius vires excedant. Veritatibus autem quae ad ordinem naturalem spectant suum ipse praebet assensum, quatenus tanta claritate et perspicuitate objiciuntur nobis, ut quasi a nobis videantur. Haec evidentia sive immediata sive mediata in veritatibus fidei (non loquimur de praeambulis fidei), non habetur. Asseri quidem potest revelationem a Deo factam evidenter credibilem credendamque esse, ut probant defensores christianae fidei, quin tamen eruatur eam evidentem esse in se, quoad humanum intellectum (1). Ut hoc enim fieret, oporteret humanum intellectum aptum esse ad veritatem divinam proprio intuitu inspiciendam, scilicet humanum intellectum in divinum verti. Deus enim tantum seipsum adaequate cognoscit. Sequitur inde motivum, quo veritatibus fidei adhaeremus, auctoritatem esse Dei revelantis. Credo hisce veritatibus non quia eas comprehendo, sed quia Deus dixit mihi eas accipiendas ut verbum divinum. « Paremus Logo, ut verbis utar Clementis Alexandrini. Logum magistrum esse dicimus; et parere Logo est illi credere, in nulla re ei repugnando. Qui logo credidit, novit rem esse veram » (2). Religionem christianam amplectimur, ut ait Origenes, alioquin Iesum condemnaremus, ut mendacem, ut seductorem, in errorem mundum trahentem. Quicumque penitus ei non credunt condemnant illum; qui autem credunt

(1) Pesch, *Institutiones logicales*, t. I, Friburgi, 1881, pp. 580-581. Quaedam sunt res fidei, quae proprie pertinent ad fidem, quales sunt illae quae habentur per divinam revelationem, nec rationi naturali possunt constare: ut, quod Deus est trinus, et quod carnem assumpsit. Aliae autem sunt, quae licet omnibus fidelibus proponantur credendae, ratione tamen naturali constare possunt, ut quod Deus est, quod est unus. Hoc supposito dico, quod, cum rationes quae inducuntur ad priores res probandas, non sint demonstrationes, non tollunt rationem nec meritum fidei: sed adhuc ipsis existentibus, res manent credibiles et inevidentes. Rationes autem, quae inducuntur ad secundas res probandas, quia sunt demonstrationes facientes evidentiam repugnantem fidei, tollunt quidem rationem charitatis, per quam voluntas est prompta, ad ea credenda etiamsi non apparerent. — Petrus de Aragon, O. S. A., *Commentaria in secundam secundae D. Thomae, de fide, spe, et charitate*, Venetiis, 1625, p. 96.

(2) *Ὁ τῷ Λόγῳ πιστεύσας οἶδε τὸ πρᾶγμα ἀληθές. Ἀλήθεια γὰρ ὁ Λόγος.* — *Strom.*, l. II, c. 4, *P. G.*, t. VIII, col. 944.

et adhuc ambigunt, dijudicant illum (1). Philosophus ergo intelligit ea quae pertractat: theologus autem audit, et postquam audivit, ex auditis gradum facit suis ipsius viribus ad conclusiones eruendas.

Ex diverso plane motivo quo assentimur veritatibus fidei ac veritatibus rationis consequitur etiam veritates quae in theologia illustrantur, maiorem praeseferre certitudinem, quam veritates philosophicae. Hasce quidem fatemur maiori perspicuitate praeditas esse quam illae: carent tamen absoluta illa certitudine quae in veritates theologicas ex divina intelligentia, suprema veritatis regula et mensura, promanat.

Ex dictis pronum est conjicere theologiam catholicam et scholasticam tutari distinctionem realem, specificam, inter scientias theologicas et philosophicas. Haec distinctio non praedicatur quidem de secundariis, de consequentiis, sed de praecipuis illis veritatibus per fidem supernaturalem apprehensis ac creditis, quae principia sunt quibus innititur, et quibus tanquam normis regitur tota scientia theologica (2). Vi huius specificae differentiae fieri non potest ut in catholica theologia, philosophia sceptro potiatur ad fidem evertendam, et scholastici quam maxime alieni fuerunt a consilio probandi e ratione veritates fidei (3).

Et primum, veritates divinitus revelatae principia sunt quibus utitur theologia ad suas conclusiones eruendas. Atqui de principiis in theologia non secus atque in ceteris scientiis non datur demonstratio. Ergo veritates divinitus revelatae nequeunt demonstrari, et consequenter philosophus non habet ius ea probandi. Quae asserimus, perspicue

(1) *Ἐὰν δὲ μὴ παραδέξῃ περὶ χριστιανισμοῦ ἀκούων, οὐδὲν ἄλλο πεποίηκας ἢ κατεδίκασας τὸν Ἰησοῦν ψευδόμενον, ὡς πλανήσαντα τοὺς ἀνθρώπους, ὡς οὐκ ἀληθεύοντα, διὰ τοῦ μὴ πεπιστευκέναι τῷ λόγῳ ᾧ διδάσκει... Ὅσοι μὲν τέλειον ἀπιστοῦσι, καταδικάζουσιν αὐτόν· ὅσοι δὲ οὐκ ἀπιστοῦσιν, ἀλλὰ ἀμφιβάλλουσι περὶ αὐτοῦ, διακρίνονται περὶ αὐτοῦ.* — *In Hieremiam*, Hom. XIV, n. 8, *P. G.*, t. XIII, col. 413. *Ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ Γραφῶν.* — S. Cyr. Hieros., *Catechesis*, IV, *P. G.*, t. XXXIII, col. 472.

(2) Franzelin, *De Scriptura et Traditione*, p. 675; cfr. Kihn, op. cit., pp. 31-33; Egger, *Enchiridion theologiae dogmaticae generalis*, p. 607; Stenstrup, *De fide*, Oeniponte, 1898, pp. 20-21.

(3) Schaezler, p. 289. « Qui Theologiae dogmata humanis metiuntur argumentis, nec ea, quae a ratione dicuntur, volunt praeponderari auctoritate, hi primum omnem vim theologiae et gravitatem amittunt, deinde faciunt ut theologia detracta auctoritate non solum contemnatur, sed ne Theologia quidem sit. Nam si vera et legitima Theologia est, a fide descendat oportet, ubi huius facultatis propria principia resident ». Canus, *De locis theologicis*, l. IX, c. 1, t. II, p. 465.

S. Basilius explicat: « Fides sermonibus qui de Deo fiunt praeeat, *fides non demonstratio.* Fides quae animum ad assensum trahit magis, quam methodi ratione innixae; fides quae non necessariis geometriae illationibus, sed Spiritus Sancti opera gignitur... Necesse est enim disciplinae cuiusvis principia *citra ullam probationem tradi discentibus*, cum fieri non possit, ut ii qui circa prima principia litigant, via et ordine procedere valeant ad finem... Sic sane etiam theologiae mysterium assensum *ex fide probationis experte* requirit. Credere enim oportet, quia est Deus; non quaerere neque cum contentione expendere quid sit. Ac tandem si fides rerum quae sperantur substantia est, et earum quae non videntur argumentum, ne contende iam videre quae procul sunt reposita; neque ea quae sperantur, ambigua statuas, propterea quod nondum eorum cognitionem attingere potuisti » (1).

Insuper, ut iam probavimus, ratione obiecti Theologia a philosophia differt (2). Obiectum enim proprium theologiae, veritates supernaturales, captum superare humanae mentis in aperto est. Atqui ea quae superant captum suum ratio humana nequit demonstrare, vel de iis dijudicare quoad intrinsecam realitatem. Ergo veritates theologicae rationis iudicio non subsunt, et consequenter philosophia non potest ea probare. Minor constat ex eo quod necessaria est proportio inter facultatem cognoscitivam et obiectum cognoscendum. Facultas enim cognoscitiva non potest se extendi ultra limites suarum virium, verbigratia, potentia visiva hominis nequit se extendi ad inspicienda ea quae in astris fiunt. « Auctoritas philosophorum, ait Lottini, in tantum habet vim probationis, in quantum philosophi supponuntur procedere per principia rationis, et per ea quae sunt per se evidentia et nota ad statuenda ea quae asserunt. Atqui ad statuenda quae rationem exce-

(1) *Πίστις ἡγείσθω τῶν περὶ Θεοῦ λόγων· πίστις, καὶ μὴ ἀπόδειξις. Πίστις ἡ ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδους τὴν ψυχὴν εἰς συγκατάθεσιν ἕλκουσα· πίστις, οὐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τοῦ Πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη... Ἀνάγκη γὰρ ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχὰς τοῖς μανθάνουσιν· ἐπεὶ ἀμήχανον τοὺς περὶ τὰ πρῶτα ζυγομαχοῦντας δυνηθῆναι ὁδῷ καὶ τάξει προελθεῖν εἰς τὸ τέλος... Οὕτω δὴ οὖν καὶ τὸ τῆς θεολογίας μυστήριον, τὴν ἐκ τῆς ἀβασανίστου πίστεως ἐπιζητεῖ συγκατάτεσιν. Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ, φησίν, ὅτι ἔστι Θεός. οὐχὶ ζητῆσαι, οὐδὲ ζυγομαχῆσαι τὸ τί ἐστι. Καὶ ὅλως. εἰ ἡ πίστις ἐλπιζομένων ἐστὶν ὑπόστασις πραγμάτων, καὶ ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, μὴ φιλονείκει ἰδεῖν ἤδη τὰ μακρὰν ἀποκείμενα, μηδὲ τὰ ἐλπιζόμενα ἀμφίβολα καταστήσῃς, διὰ τὸ μήπω αὐτῶν δύνασθαι κατὰ τὴν γνῶσιν ἐφάπτεσθαι.* — *Homilia in Psalmum* CXV, n. 1, *P. G.*, t. XXX, col. 104-105.

(2) Die Theologie bleibt von der Philosophie verschieden, dass ihr Obiect und der Standpunkt, von dem sie auszugehen hat, durch die Offenbarung gegeben, nicht in der Vernunft vorhanden ist. — Scheeben, op. cit., p. 677.

dunt non sufficiunt principia rationis, et ea quae sunt per se nota. Ergo auctoritas philosophorum nullam vim probationis habet circa ea quae rationem excedunt » (1).

Praeterea, de ratione veritatum fidei est ut non habeant evidentiam neque immediatam, neque mediatam (non loquimur de praeambulis fidei), sed certitudinem summam quae procedit ex auctoritate Dei revelantis. Atqui si veritates fidei a philosophis rationalibus argumentis potuissent demonstrari, non amplius haberetur de eis certitudo ex auctoritate promanans, sed evidentia mediata quae per ratiocinium acquiritur, quod quidem convenit naturae scientiae, repugnat autem naturae fidei. Ergo de veritatibus fidei non datur demonstratio rationalis. Quae si adesset, tolleretur meritum fidei. Rem perspicue tradit S. Thomas: « Duplex est humana ratio. Una demonstrativa cogens intellectum ad credendum, et talis non potest haberi de his quae sunt fidei, sed potest haberi ad evacuanda ea quae fidem destruunt, vel impossibilem asserunt. Quamvis enim ea quae fidei sunt demonstrari non possint, non tamen possunt demonstrative improbari. Si autem talis ratio ad probandum ea quae sunt fidei induceretur, evacuaretur meritum fidei, quia iam assentire his non esset voluntarium, sed necessarium. Ratio autem persuasiva sumpta ex aliquibus similitudinibus ad ea quae sunt fidei inducta, non evacuat fidei rationem; quia non facit ea esse apparentia, cum non fiat resolutio usque ad prima principia, quae intellectu videntur » (2).

Philosophia igitur suapte natura nequit elevari supra theologiam ad veritates huius scientiae probandas vel iudicandas. Si hoc fieri potuisset, vel dicendum esset, theologiae cognitionem non esse per revelationem, sed per naturalem rationem (3), vel homini tribuenda vis intellectiva, quae propria est divinae essentiae. Philosophiae igitur theologiam mancipare idem est atque iter explanare ad putidum pantheismum (4).

(1) Op. cit., p. 786.

(2) *In Boetium De Trinitate*, Q. 11, a. 3.

(3) *Summa Theol.*, Q. I, a. 6.

(4) Wäre das Princip der Wahrheit überhaupt und namentlich derienigen Wahrheit, die Gott und göttlichen Dinge zu ihrem Gegenstande und Inhalte hat, im Denken zu suchen; so wäre eine Offenbarung Gottes im theologischen Sinne unmöglich, so könnte Gott nur in dem Sinne dem Menschen sich offenbaren, als er sich selbst denkt, indem der menschliche Geist ihn denkt, und in diesem Geiste, und seinem Denken, sich selbst erst offenbar, selbstbewusster Geist wird. — Kuhn, *Einleitung in die Katholische Dogmatik*, p. 239; Berlage, *Einleitung in die christkatholische Dogmatik*, p. 343.

Ex hucusque dictis constat ad sententiam theologorum catholicorum « fidei characterem corrumpi ipsaque mysteria si finis speculationis theologicae statuatur dogmata christiana comprehensibilia efficere, vel obiectum scientiae, vel earum intimam veritatem philosophice demonstrare, vel ex quibusdam veritatibus fundamentalibus cetera dogmata eruere » (1).

Doctrinae catholicae apprime consona est doctrina orthodoxa. Metropolita Philaretus ostendit « fontem theologiae dogmaticae esse revelationem divinam supernaturalem, servatam in Ecclesia Christi » (2). Fides, ex qua theologia sumit sua principia, differt a scientia vel cognitione naturali. Cognitio naturalis versatur circa visibilia et comprehensibilia, fides autem circa invisibilia atque incomprehensibilia. Cognitio nititur experientia vel inquisitione obiecti; fides autem testimonio veritatis. Cognitio pertinet praesertim ad intellectum, licet influxum exercere possit in cor; fides autem praesertim ad cor pertinet (вѣра принадлежитъ преимущественно сердцу), licet initium sumat ab intellectu (3).

Inter veritates fidei christianae quaedam tales sunt ut tantum per divinam revelationem cognoscantur: humana ratio sine revelatione nequit ea attingere, et posita revelatione, perfecte comprehendere (4). Ipsa dogmatum fons primitivus non est. Ex ea non eruuntur dogmata, neque super ea fundantur. Principium pariter directivum ipsa non est, et multo minus iudex supremus veritatum ex divina revelatione haustarum (5). Veritates enim dogmaticae nituntur auctoritate Dei, non autem recta ratione (6). Speculatio theologica non perducit

(1) Simar, t. I, p. 77.

(2) Источникомъ догматическаго богословія должно служить сверхъестественное Откровеніе Божіе, сохраняемое въ Церкви Христовой. — Gorodkov, Догматическое богословіе по сочиненіямъ Филарета, митроп. Московскаго (*Theologia dogmatica excerpta ex operibus Philareti, metropolitae mosquensis*), Kasan, 1887, p. 16.

(3) Philaretus (metropolita), Пространный христіанскій катихизисъ (*Catechismus christianus maior*), Mosquae, 1907, p. 4. Protestantismum redolet sententia Philareti, quod fides magis ad cor pertineat quam ad intellectum: « Credere, ait S. Thomas, immediate est actus intellectus; quia obiectum huius actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum. Et ideo necesse est, quod fides, quae est proprium principium huius actus, sit in intellectu sicut in subiecto. — *S. Theol.*, 2, 2. Q. IV, a. 2. Cf. Wilmers, *De fide divina*, pp. 124-125.

(4) Dobrotvorsky, Op. cit., p. 7.

(5) Malinovsky, t. I, p. 35; Antonius, pp. 10-11.

(6) *Αἱ δογματικαὶ ἀλήθειαι ἐρείδονται μὲν ἐπὶ τῆς αὐθεντίας τοῦ Θεοῦ οὐχὶ δ' ἐπὶ τοῦ ὀρθοῦ λόγου, ἤτοι ὁ ὀρθὸς λόγος οὐ μόνον δὲν δύναται νὰ ὑψωθῇ εἰς*

neque ad inventionem sublimiorum veritatum neque fidem in scientiam immutat, sive quoad partem, sive quoad totum, ita ut illud quod primum credebatur, nunc intelligatur aut demonstretur positive atque obiective, vel quoad partem credatur et quoad partem demonstretur. Quapropter in hac re subtilis theologus non differt ab homine qui credit simpliciter in eis quae pertinent ad obiectum fidei christianae, ad veritates dogmaticas, quarum sensus definitus fuit, ac semper traditur ab Ecclesia. Sententia illa quae tenet speculationem theologicam vel quoad totum, vel quoad partem, fidem immutare in scientiam, delet characterem fidei eamque convertit in partialem ac transitorium gradum scientiae religionis christianae (1).

Submissio fidei rationi, ait episcopus Iohannes, est eversio fidei. Ponamus quod ratio vocetur ad obiectum fidei dijudicandum. Potestne fieri hoc iudicium? ... Quomodo ratio virtutem assequetur dijudicandi veritates supernaturales? ... Huiuscemodi veritates non subsunt analysi rationis, quia ratio non potest eas in partes distribuere, de eisque distinctos conceptus habere. Insuper quaeritur: dantur ne limites huius analyseos? ... ubinam fas est eos reperire? ... Si limites negantur, fides evacuatur. Si vero dantur, quaeritur ubinam. Quidquid respondeamus, analysis rationalis obiecti fidei ad eversionem fidei sternit viam (2).

12. Ad propositum nostrum satis non est iam probasse philosophiam iure destitui in suam ditionem theologiam redigendi, eamque suae submittendi auctoritati. Ut determinentur accuratius mutuae inter theologiam ac philosophiam relationes opus est scholasticorum sententiam illam tueri qua statuitur quomodo philosophia in provincia theologiae sese gerere debeat. Vulgatum est illud scholasticorum ada-

---

αὐτὰς οἴκοθεν πρὶν ἀποκαλυφθῶσιν, ἀλλὰ καὶ ἀποκαλυφθείσας δὲν δύναται νὰ συλλάβῃ ἄλλως ἢ διὰ τῆς πίστεως, τῆς ποριζούσης πεποίθησιν περὶ τῆς ὑπάρξεως ἀοράτων πραγμάτων. — Rhosis, p. 12.

(1) *Ἡ θεολογικὴ ἔρευνα δὲν δύναται νὰ φέρῃ οὔτε εἰς ἀνακάλυψιν ὑψηλοτέρων ἀληθειῶν, οὔτε νὰ μεταβάλῃ τὴν πίστιν εἰς γνῶσιν καθόλου ἢ ἐν μέρει οὕτως ὥστε ὅ, τι τέως ἐπίστευέ τις ἤδη ἐννοεῖ καὶ ἀποδεικνύει αὐτὸ θετικῶς καὶ ἀντικειμενικῶς, ἢ ἐν μέρει πιστεύει καὶ ἀποδεικνύει αὐτό. Ἐκ τῆς ἐπόψεως ταύτης δὲν διαφέρει ὁ βαθὺς θεολόγος τοῦ ἁπλῶς πιστεύοντος, καθόσον δῆλα δὴ πρόκειται περὶ τοῦ περιεχομένου τῆς χριστιανικῆς πίστεως, τῶν δογματικῶν ἀληθειῶν, ὧν ἡ ἔννοια ὡρίσθη ἢ διδάσκεται ἀείποτε ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας. Ἄλλως δὲ ἡ ἀξίωσις, ὅτι ἡ θεολογικὴ ἔρευνα μεταβάλλει καθόλου ἢ ἐν μέρει τὴν πίστιν εἰς γνῶσιν αἴρει τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως, μεταποιοῦσα αὐτὴν εἰς μονομερῆ ἢ παροδικὴν βατμίδα τῆς χριστιανικῆς γνώσεως.* — Andrutzos, p. 13,

(2) Богословскія академическія чтенія (*Praelectiones academicae theologiae*) Petropoli, 1906, p. 9.

gium *philosophiam theologiae ancillari*. Hoc adagium, ut monstrum horrendum, ingens, Ecclesiam simul as scientias naturales in maximum committens discrimen, certatim theologi protestantes, lutheranae traditionis immemores (1), eisque adstipulati quidam theologi orthodoxi, maledictis conviciisque proscindunt.

Hoc laudi theologiae orthodoxae in primis vertendum, scribit P. Tikhomirov, quod maxima confidentia rationem humanam prosequatur, eamque benignissime sibi sociam adiungat.

Ipsa enim non indiget methodo exclusiva, philosophis non imperat ut symbolum philosophicum a theologis concinnatum, compressis, ut ita dicam, oculis, accipiat ac veneretur. Theologo orthodoxo fas est quascumque ingredi vias, quocumque uti systemate philosophico, dummodo revelationi non obversetur (2). Ex eo quod scientiae apud christianos populos excultae fuere atque in praesens magis ab eis excoluntur, ex eo quod religio christiana quammaxume contulit in scientiarum progressum, mortalium mentes altius extollendo, cordaque suis sordibus tergendo, non licet inferre eiusmodi scientias suum amisisse munus ac philosophiae mancipia evasisse (3). Rejiciendum est igitur adagium scholasticorum ne scientiarum iura labefactentur, ac vires insitae humano ingenio comminuantur. Haec asserunt quidam theologi

(1) Hoc dicimus, quia Lutherus ipse, Theologiam reginam vocat, Philosophiam vero ancillam: « Die Theologia soll Kaiserin sein, die Philosophia und andere gute Künste sollen derselben Dienerin sein, nicht sie regieren und meistern ». *Tischreden*, n. 512, *Sämmtliche Werke*, t. LVII, Erlangae, 1854, p. 383.

(2) Православная догматика и религіозно-философское умозрѣніе, p. 38.

(3) *Ἐκ τοῦ ὅτι ἡ ἀνάπτυξις τῶν ἐπιστημῶν ἐγένετο καὶ γίνεται ἐν τοῖς χριστιανικοῖς ἀκριβῶς ἔθνεσι, καὶ ὑπ' αὐτῶν, καὶ ὅτι ἀναμφιβόλως ὁ χριστιανισμὸς παρέσχε μεγάλην ὑπηρεσίαν εἰς τὴν ἐπιστήμην διὰ τῆς ἐξυψώσεως τοῦ νοῦ καὶ τῆς ἀνακαθάρσεως τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων, δὲν ἕπεται ὅτι διὰ τοῦτο αἱ ἐπιστῆμαι πρέπει νὰ ἀποβάλωσι τὸν ἀρχικὸν αὐτῶν προορισμὸν καὶ νὰ μεταβληθῶσιν εἰς ἁπλᾶς θεραπαίνας τῆς θεολογίας. — Σχέσις τῆς Ἐκκλησίας πρὸς τὴν ἐπιστήμην, τὴν πολιτικὴν καὶ τὸν πολιτισμόν.* Constantinopoli, 1900, p. 16. Hoc opusculum anonymum auctorem habuisse russum archimandritam Ionam nobis compertum est. Theologus graecus N. Damalas censet digladiari de lana caprina qui disceptant utrum philosophia sit ancilla theologiae necne: *Θεωρητικὴ θεολογία καὶ φιλοσοφία ἐπιστῆμαι τοῦ καθαροῦ λόγου εἰσίν, ἔχουσαι ἐν ἑαυταῖς τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως, αὐτῶν, καὶ ἐσωτερικὸν συνδεσμὸν καὶ ἑνότητα ἐν τούτῳ, ὅτι δυνάμει τῆς ἰδέας τῆς ἐπιστήμης ἀποτελοῦσι ἕν τι ὅλον... Καὶ τῇ ἀληθείᾳ μᾶς φαίνονται μικρολόγοι αἱ μεταξὺ τῶν δύο ἐπιστημῶν ἔριδες, καὶ κακῶς θέλουσι ἕτεροι νὰ θεωρήσωσιν ὡς θεράπαιναν τῆς θεολογίας τὴν φιλοσοφίαν. Τοιαῦται συζητήσεις εἶναι μάταιαι, ἐπειδὴ ἀμφότεραι αἱ ἐπιστήμαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς τέλος ἔχουσι, καὶ θέλουσιν ἡ μὲν πρώτη νὰ ἀποδείξῃ ὅτι κατέχει ἐν τῷ θείῳ λόγῳ, ἡ δὲ δευτέρα νὰ εὕρῃ. — Περὶ ἀρχῶν*, p. 38.

orthodoxi, qui verbis a theologis catholicis discrepant, re autem concinere videntur.

Ut veritas adagii scholastici *philosophiam esse theologiae ancillam* pateat, hoc idem adagium sub quadruplici ratione considerari potest: α′ sub ratione historica, quoad suam originem; β′ sub ratione speculativa, quoad suam intrinsecam veritatem; γ′ sub ratione rectarum consecutionum quae ex eo deducuntur; δ′ sub ratione pravarum consecutionum a scholasticae osoribus erutarum.

α′ Ad originem huius adagii quod attinet firmiter asseveramus scholasticos id non invenisse. E thesauris veteris traditionis communiter scholastici suas hauserunt doctrinas atque axiomata, ac philosophiam ancillari theologiae praesertim e graecis Patribus vel scriptoribus didicerunt. Clemens Alexandrinus disertissimis verbis docet suapte natura philosophiam famulari theologiae: « Quemadmodum liberales quas vocant *ἐγκυκλίους*, disciplinae conferunt ad philosophiam, quae est ipsorum domina, ita etiam ipsa philosophia ad parandam conducit sapientiam... Est enim sapientia domina philosophiae sicut illa illius quae praecedit disciplinae » (1). Iuxta igitur laudatum scriptorem ecclesiasticum philosophia se habet ad theologiam, sicut ceterae scientiae ad eam. Convenit inter omnes philosophiam ceteris antecellere scientiis, cum omnium rerum creatarum altissimas scrutetur causas, illamque in cunctis disciplinis efficiat unitatis *ἁρμονίαν*, quae ad rationem scientiae necessario exquiritur. Eam merito S. Iohannes Domascenus appellat artem artium, scientiam scientiarum, principium et causam inventionis cuiuslibet artis et scientiae (2). Sed si philosophia inter humanas scientias primas tenet ob supereminentem sui obiecti suique muneris dignitatem satis claret eam cum in rerum naturalium provincia versetur, supremum sceptrum haud gestare. Regina quidem est, sed reginae amplioris ac dignioris imperii subditur. Praeeminet quidem inter naturales scientias; supernaturali vero scientiae, utpote se maiori famulatur (3).

(1) *Ἔστι γὰρ ἡ φιλοσοφία ἐπιτήδευσις σοφίας, ἡ σοφία δὲ ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων... Ὡς τὰ ἐγκύκλια μαθήματα συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίαν, τὴν δέσποιναν αὐτῶν, οὕτω καὶ φιλοσοφία αὐτὴ πρὸς σοφίας κτῆσιν συνεργεῖ... Κυρία τοίνυν ἡ σοφία τῆς φιλοσοφίας, ὡς ἐκείνη τῆς προπαιδείας* — *Strom*., l. I, c. 5. *P. G.*, t. VIII, col. 723-724.

(2) *Φιλοσοφία ἐστὶ τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν· ἡ γὰρ φιλοσοφία ἀρχή ἐστι πάσης τέχνης. Δι' αὐτῆς γὰρ πᾶσα τέχνη εὑρηται, καὶ πᾶσα ἐπιστήμη,* — *Dialectica*, c. III; *P. G.*, t. XCIV, col. 533.

(3) De relationibus inter theologiam et philosophiam, fidem ac rationem, iuxta Clementem Alexandrinum, erudite in Russia disseruere: K. Skvortzov, Философія Климента Александрійскаго (*Philosophia Clementis Alexandrini*),

Idem asserit Origenes: « Quod de geometria, musica, grammatica, rhetorica, et astronomia philosophi praedicant, tanquam philosophiae adiutricibus, id nos de philosophia respectu christianismi dicamus » (1). Amphilochius Iconiensis, qui fertur auctor carminis ad Seleucum inter opera S. Gregorii Nazianzeni, hisce verbis Seleucum ad studium philosophiae ethnicae exhortatur: « Disciplinam ethnicarum doctrinarum tanquam iudex, consonam legibus sententiam ferens, subservire iubeto, ut par est, verorum dogmatum libertati, et sapientissimae Scripturarum meditationi. Etenim aequum est sapientiam spiritus, quae celestis est et a Deo profecta, *dominam esse terrenae disciplinae, velut ancillae* ne frustra infletur, sed ministrare convenienter assuescat. *Sapientiae enim divinae terrena serviat* (2).

Eidem sententiae favet denique, quem magistrum suae theologiae orthodoxi venerantur, S. Iohannes Damascenus: « Omnis artifex aliquibus instrumentis indiget, quibus opera sua conficiat: sed et consentaneum est ut ancillae quaedam reginae serviant. Hanc igitur assumere doctrinam non pigeat, quae veritati famuletur, quo propulsemus impietatem, quae tyrannidem olim suam in eam exercuit. Absit vero

---

Шруды К. Д. А., 1866, t. III, pp. 52-93; К. Popov, Вѣра и ея отношеніе къ христіанскому знанію, по ученію Климента Александрійскаго (*Fides in suis relationibus ad scientiam christianam secundum doctrinam Clementis Alexandrini*), Kioviae, 1887; Lebedev, Сочиненіе Оригена противъ Цельса: опытъ изслѣдованія по исторіи литературной борьбы съ язычествомъ (*Opus Origenis contra Celsum: specimen disquisitionis circa historiam concertationis litterariae fidei christianae cum paganismo*), Mosquae, 1878, pp. 45-58.

(1) *Ὅπερ φασὶ φιλοσόφων παῖδες περὶ γεωμετρίας καὶ μουσικῆς, γραμματικῆς τε καὶ ῥητορικῆς καὶ ἀστρονομίας, ὡς συνερίθων φιλοσοφίᾳ, τοῦθ' ἡμεῖς εἴπωμεν καὶ περὶ αὐτῆς φιλοσοφίας πρὸς χριστιανισμόν.* — *Epistola ad Greg.*, 1; *P. G.*, t. IX, col. 88.

(2)
... σμῆχε τοῖς μαθήμασι,
Βίβλοις ποιητῶν, ἱστορικῶν συγγράμμασι,
Καὶ ταῖς τρεχούσαις ῥητόρων εὐγλωττίαις,
Λεπταῖς τε μερίμναις φιλοσόφων ἀσκούμενος.
Τούτοις δ' ἅπασιν ἐμφρόνως ἐντύγχανε,
Σοφῶν ἁπάντων συλλέγων τὸ χρήσιμον.
Καὶ γὰρ δίκαιον τὴν σοφίαν τοῦ Πνεύματος
Ἄνωθεν οὖσαν ἐκ Θεοῦ τ' ἀφιγμένην,
Δέσποιναν εἶναι τῆς κάτω παιδεύσεως,
Ὥσπερ θεραπαίνης, μὴ μάτην φυσωμένης,
Ὑπηρετεῖν δὲ κοσμίως εἰθισμένης.
Τῇ τοῦ Θεοῦ γὰρ ἡ κάτω δουλευέτω.

Ad Seleucum, v. 240-250, *P. G.*, t. XXXVII, col. 1579-1580. Cf. etiam S. Ambr., *De Abraham*, l. II, c. VII, n. 38, *P. L.*, t. XIV, col. 495-496.

ut eo, quod bonum est, male utamur, ac disserendi artes ad simpliciores decipiendos tractemus » (1).

Ex hucusque dictis liquet vetus simul atque orientalis adagii scholastici primaeva origo. Ad sententiam igitur Patrum Ecclesiae graecae, ut verbis utar scriptoris protestantis, fidei catholicae infensissimi, « non debet philosophia instar herae dominari theologiae, sed instar ancillae servire. Theologia instar Sarae est, philosophia instar Hagar. Theologia regina est omnium facultatum, et disciplinarum ; philosophia autem pedissequa » (2).

13. *β'*) Neque tantum auctoritas Patrum scholasticae sententiae suffragatur, verum etiam et ratio. Scholastici optimae notae neque theologiam abusu philosophiae corruperunt, neque scientias naturalibus humani ingenii viribus acquisitas in vincula coniecere. « Suam enim operam, ait Cappenberg, in eo collocarunt scholastici, ut quae fide docemur, non subterfugere omnem intellectum et perspicientiam rationalem, veram philosophiam et veram theologiam, quam apprime inter se convenire, demonstrarent, et hancce disciplinae utriusque unitatem altiorem perspicuam reddere conati sunt. Quapropter in eam conspirarunt sententiam, fidem immediatam ad sui notionem evehendam, scientiaeque normam revocandam esse, ita ut veritatum christianarum unam ab altera dependere omnesque organismi instar systema efficere quoddam et corpus, quod legibus et notionibus in animo informatis conveniat, atque vi cognitionis necessarium demonstretur, appareat » (3).

Veritas sententiae scholasticae deducitur tanquam corollarium ex eis quae superius diximus de obiectiva differentia inter theologiam et philosophiam, ac de mutuis inter eas relationibus. Ut luculentius haec veritas pateat, nobis inquirendum est an detur subordinatio quaedam unius scientiae ad alteram. Constat enim utrique rationem scientiae competere. Cum res ita se habeat, putant nonnulli theologiam ac philosophiam scientias constituere penitus distinctas et separatas, nullaque inter se cognatione devinctas, diversos plane campos pererrantes. Hanc

(1) *Πᾶς τεχνίτης δεῖται καί τινων πρὸς τὴν τῶν ἀποτελουμένων κατασκευήν. Πρέπει δὲ καὶ τῇ βασιλίδι ἄῤῥαις τισὶν ὑπηρετεῖσθαι. Λάβωμεν τοίνυν τοὺς δούλους τῆς ἀληθείας λόγους καὶ τῆς κακῶς αὐτῶν τυραννήσασαν ἀσέβειαν ἀποσώμεθα· μὴ πρὸς ἐξαπάτην τῶν ἁπλουστέρων τὴν τέχνην τῶν λόγων μεταχειρισώμεθα.* — *Dialectica*, c. 1 ; *P. G.*, t. XCIV, col. 532.

(2) *Dissertatiuncula de theologia supra philosophiam dominio*, Franekerae, 1667, p. 22.

(3) *De fide et scientiae christianae ratione mutua secundum Patrum Alexandrinorum, S. Augustini et scholasticorum sententias*, Monasterii, 1844, p. 20.

sententiam, quae propugnatores nanciscitur inter theologos protestantes atque orthodoxos (1), rejiciendam ducimus, ex eis quae paulo ante explicavimus. Ostensum enim est plura quae a theologis tractantur, a philosophis etiam attingi, licet alia ab illis ratione ac methodo. Quidam vero docent theologiam ac philosophiam ad invicem opponi; illam hancce destruere, enervare, abolere; discrimen maximum utramque seiungere; theologus philosophum abhorrere et philosophus theologum, quia vicissim unus alterum absurditates venditare insimulat. Haec etiam sententia exploditur, rationibus quas adduximus ad demonstrandum nullam esse repugnantiam fidem inter ac scientiam. Nil igitur reliquum est nisi ut dicamus theologiam ac philosophiam mutuas inter se relationes fovere; ad naturam vero harum relationum quod attinet, asserimus eas esse relationes subordinationis unius scientiae ad alteram. Hanc subordinationem suapte naturâ exigit ordo, qui praesertim in scientiis vigere debet. Sicut enim ordo in societate civili promanat ex eo quod datur in ipsa societate hierarchia subordinationis, minor inservit maiori, ignarus paret docto, subditi regi obediunt, ita datur in scientiis hierarchia quaedam intellectualis. Scientiae quae nobilius circa obiectum versantur, altiorem tendunt ad finem, maiori luce circumfundunt intellectum humanum, ac periculum erroris efficacius excludunt, ceteris antecellunt scientiis quae hisce perfectionibus obiectiva, finali, cognoscitiva, ac praeservativa non potiuntur. Haec autem quadruplex perfectio theologiae convenit potius quam philosophiae. Ergo theologia nobis perfectior quam philosophia exhibetur.

Obiectum enim theologiae proprium longissime superat obiectum philosophiae (2). Illud enim Deus est. « Omnia enim pertractantur in sacra doctrina, sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem » (3). Quapropter cum de creaturis haec scientia disserit, eo modo se gerit, ut de Deo principaliter, et de creaturis secundum quod referuntur ad Deum agat (4). Philosophia autem, licet de veritatibus altissimis pertractet, rerum naturalium orbitam non praetergreditur. Sicut igitur humana subjiciuntur divinis, ita etiam scientiae, quae de humanis agunt, subjiciantur necesse est scientiae quae versatur proprie circa divina.

(1) Cfr. Hagenbach-Reischle, *Encykopädie und Methodologie der theologischen Wissenschaften.* Lipsiae, 1889, pp. 66-67.

(2) Animadvertimus nostrum argumentum vim pro illis tantum habere qui christianam revelationem agnoscunt eamque principium altius ratione statuunt. — Cfr. Scheeben, *Die Mysterien des Christenthums,* p. 693.

(3) *Sum. Theol.,* 1, Q. I, a. 7.

(4) Ibid., 1, Q. I, a. 3.

Objici potest philosophiam etiam de Deo disserere ideoque ratione obiecti excludere subordinationem ad theologiam, cum idem sit utriusque scientiae obiectum. Concedimus quidem partem illam philosophiae quae Theologia naturalis dicitur, de Deo, non secus ac theologia proprie dicta, tractare. Principia tamen quibus utitur theologia stricte sumpta, dum divina inquirit, veritates sunt a Deo revelatae, quae proinde nobiliores sunt quam veritates rationales quibus philosophus innititur. Theologia, ut perpulchre explanat Scheeben, divinam repraesentat intelligentiam; philosophia vero rationem humanam (1). Atqui ratio divina infinita sua perfectione infinite praecellit rationi humanae. Ergo et veritates revelatae quae ex Deo immediate procedunt, praestantiores sunt quam veritates philosophicae ex humano derivatae intellectu. Theologia igitur quae circa veritates revelatas versatur, praecellit philosophiae quae contemplatur veritates naturales, et consequenter posterior subordinatur priori. « Sacra enim doctrina, ait S. Thomas, non accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicae utuntur subministrantibus » (2).

Haec eadem praestantia eruitur etiam ex clariore lumine quo theologia prae philosophia mentes nostras illustrat. Dum enim de Deo mancas tantum et lacunosas cognitiones exhibet speculatio philosophica, theologia divinae revelationi innixa, mysteriorum Dei arcana nobis pandit. Si theologia igitur potiorem ac certiorem de divinis cognitionem praefert quam philosophia, hanc illi in eis quae ad Deum pertinent, famulari necesse est.

Denique scientiae subordinantur una alteri secundum diversos earum fines. Atqui datur subordinatio finis philosophiae ad finem theologiae. Ergo datur subordinatio philosophiae ad theologiam. Finis enim naturalis in quem tendit philosophia subjicitur fini supernaturali, cuius assecutionem atque illustrationem sibi proponit theologia. « Practicarum scientiarum, ait S. Thomas, illa dignior est quae ad ulteriorem finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem sacrae doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis » (3).

(1) Op. cit., p. 693.
(2) *Sum. Theol.*, 1, Q. I, a. 5.
(3) *Sum. Theol.*, 1, Q. I, a. 5.

Summatim, ne eadem repetere videamur, conditio ancillaris philosophiae respectu theologiae consecutio est diversae utriusque scientiae naturae, ac mutuarum relationum. Ut sociae considerarentur, opus esset ut utriusque obiectum, finis, certitudo, eadem fruerentur dignitate ac perfectione. Atqui nequit hoc de obiecto, fine, certitudine utriusque scientiae asseri. Ergo nequeunt propositae scientiae tanquam sociae considerari. Manet igitur ut considerentur tanquam subordinatae. Atqui haec subordinatio non cadit in theologiam, quae nobilius obiectum, altiorem finem, firmiorem certitudinem praesefert. Ergo subordinatio cadit in philosophiam. Atqui subordinari alicui idem est atque ei famulari qui superior est, quotiescumque hic officiis indiget sui inferioris. Ergo philosophia famulatur theologiae (1).

14. γ') Ad rectas consecutiones quod attinet, quae ex superius explicatis erui possunt, haec iuvat admonere: Statuimus iam quoad sui obiecti dignitatem, theologiam longe superare philosophiam. Conficitur inde *huic scientiae nullum ius tribuendum veritates fidei, de quibus disserit theologus, suo arbitrio iudicandi discutiendique.* Sicut ratio humana suapte natura non potest metiri divinum intellectum, ita philosophia quae nos perficit in ordine naturalium cognitionum non potest metiri, scilicet iudicare theologiam, quae mentem nostram per fidem elevatam in ordine supernaturalium veritatum excolit. Datur enim proportio inter facultatem atque obiectum. Si facultas cognoscitiva limitata est quoad suas vires, nonnisi limitate agere potest in suum obiectum. Cum autem veritates fidei omnino superent captum humanum,

(1) Perbelle hoc argumentum evolvit Revmus S. Talamo: « La scienza rivelata ha per oggetto principale Dio stesso ch'è il degnissimo di tutti gli oggetti; poggia sui principii rivelati immediatamente da Dio, certissima ed infallibile verità; e da Dio muove poi alla cognizione del creato. Per la qual cosa pareggia in certa guisa con la maniera di conoscere propria di Dio che, se stesso intendendo, tutte le cose intende. Come scienza pratica, la teologia rivelata tratta dell'eterna felicità, e del modo onde la possa raggiungersi, ossia tratta del fine ultimo dell'uomo, al quale vanno riferiti i fini di che discorrono tutte le altre umane discipline. D'altra parte, la filosofia s'aggira principalmente intorno alle creature; dalle creature immediatamente cava i suoi principii; e da esse si leva poi a Dio di cui dice tanto quanto ne possono dire le create cose. Ciò posto chi vorrà negare alla teologia rivelata il primato su tutte le umane scienze, se tutte le sottostanno in dignità e certezza. Or di qui appunto, conchiudevano i Dottori della Scuola, che la teologia a tutte le umane discipline sovraneggia sì, che tutte debbano servirle come da ancelle ». — *L'aristotelismo della Scolastica nella storia della Filosofia*, Senis, 1881, p. 84; Rabus, *Philosophie und Theologie*, Spirae, 1870, p. 40. — De hoc themate praeclaram edidit dissertationem Clemens, quae suo tempore permultas excitavit controversias in Germania: *De scholasticorum sententia Philosophiam esse theologiae ancillam.* Monasterii, 1857.

sua sponte fluit philosophiam naturali laborare impotentia in eis detegendis investigandisque. Eas quidem per fidem accipere potest; eas vero suo iudicio submittere vesanum esset. Non secus se gereret philosophus qui hoc consciscere facinus auderet, ac coecus qui solem inspicere vellet, vel inoffenso pede inter confragosa montium cacumina incedere.

Insuper *theologiae munus non est in eis quae exclusive ad provinciam philosophiae pertinent nullamque habent cum fide relationem leges condere suoque lubitu omnia statuere, vel negare.* Ut enim ait S. Thomas, « propria sacrae doctrinae cognitio est quae est per revelationem, non autem quae est per naturalem rationem. Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis » (1).

Supra iam diximus utramque scientiam suum proprium habere obiectum suamque provinciam. Datur quidem subordinatio unius ad alteram. Haec tamen subordinatio sibi non vult quod alterutra scientia suam exuat naturam, ac libertatem investigandi in eis quae sibi propria sunt, abdicet. Si hoc enim occurreret, nemo sane diceret philosophiam penitus in ditionem theologorum subactam, rationem scientiae a theologia distinctae praeseferre. Theologia utitur profecto philosophia tanquam ancilla, sed eam immobilem in ordine naturalium cognitionum non reddit. In eis quae ad fidei non pertinent provinciam, quaeque nullam habent cum fide relationem, philosophia est sui mancipii, regina est in suo regno ceterasque scientias sibi habet subiectas. Quod « rationis lumine evidenter aut proprie dicta certitudine ab ea cognoscitur verum, nequit falsum unquam haberi » (2).

Denique ex hucusque dictis consequitur *philosophiam sive directe sive indirecte theologiae subjici.* Theologia christiana rite exposcit non solum ut philosophus christianus veritates altissimas fidei humiliter accipiat, sed etiam ut conclusiones philosophicas in eis quae fidem tangunt ad lumen suarum conclusionum dijudicet. Haec sibi volunt, quod si philosophus suis ratiociniis consecutionem aliquam eruat quae fidem labefactet, ac veritati divinitus revelatae opponatur, necesse est ei hancce consecutionem tanquam falsam reijcere. Unicus enim est

(1) *Sum. Theol.*, 1, Q. I, a. 6, ad secundum. « Subordinatio rationis et scientiae ad auctoritatem et fidem non in eo est posita ut philosophia ac scientia prophana suas leges, sua principia, suas conclusiones suscipiat a fide et per fidem. Hoc qui generatim de cognitione humana affirmant, ii sane tum ipsius fidei fundamenta labefactant, tum universim certitudine sublata, in scepticismum deferuntur ». — Franzelin, *De Divina Traditione et Scriptura*, p. 662.

(2) Franzelin, op. cit., p. 662.

fons veritatis, sive in ordine supernaturali, sive in ordine naturali, Deus qui sibimetipsi contradicere nequit. Consecutio ergo philosophica, quae fidei divinitus revelatae opponitur, cum error haberi nequeat in divina intelligentia, opus est ut censeatur error in mente humana. Non est intelligentia divina quae fallitur in veritate fidei proponenda, sed humana ratio, quae suapte natura fallaciis obnoxia, a veritatis tramite deflectit, dum consequentias contrarias fidei deducit. Ut rem aliis verbis expromam in rebus fidei, theologia magistra, aut potius fides, est infallibilis, philosophia discipula fallibilis. Si haec igitur sententiam proponit quae theologicae sententiae adversetur, dicendum est discipulam, non autem magistram decipi. Ad rem S. Thomas: « Si quid in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis » (1).

Quae explicavimus, nervose ac solide Leo XIII P. M. in encyclica *Aeterni Patris* perstringit: « Cum plane compertum sit plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat in morem ancillae et pedissequae famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione Dei beneficio attingere. In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam; non ita tamen, uti auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus, se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit ».

15. *δ'*) Ex adagio scholastico nonnullas falsas adversarii, quibus obsistimus, consecutiones eruunt. Ex ea primum docent effluere philosophiam in vincula conjici suaeque *αὐτονομίας* expertem fieri, non secus se gerere atque captivam quae sine iussu dominae nihil agere po-

(1) *In Boetium de Trinit.*, q. II, a. 3. « In naturalibus disciplinis, ait Franzelin, non quidem recto usu sed abusu rationis et ignorantia possunt statui hypotheses tanquam principia, et potest deveniri ad conclusiones quae veritatibus revelationis, sive per se rationalibus sive superrationalibus, vel simpliciter vel secundum aliquod adversentur, quae proinde (quia verum vero contradicere nequit), contineant errores ex principiis revelatis cognoscibiles et damnabiles ». Franzelin, p. 117.

test (1). Haec quae in scholasticam iactantur difficile non est falsa deprehendere. Scholastici philosophiam non abrogarunt eo quod theologiae eam famulari asseruere. Ad eorum sententiam, philosophia a theologia semper manet distincta, cum non amittat principium cognitionis naturalis neque revelationem sumat ut cognitionis fontem sed ut eius normam (2). Intra limites igitur suae provinciae libertate investigationis potitur. Cum vero invadit provinciam fidei, aut fidei necesse est subjiciatur, aut imperium in eam exerceat. Posterius omnino ab eis negandum est qui christianae revelationi assentiuntur. Reliquum igitur est ut statuamus philosophiam theologiae subjici in eis quae ad fidem sive immediate, sive mediate pertinent. Haec subiectio neque dignitatem philosophiae imminuit, neque eam in servitutem redigit. Discipulus, qui sapientissimo paret magistro eique suum submittit iudicium, neque vilior censetur, neque suum intellectum catenarum vinculis constringit (3).

Potest quidem objici eam minori quam antea libertate in cogitando potiri, quia non amplius suo lubitu consecutiones ex principiis eruit, sed clariore ducitur lumine. At verbis opus non est ut pateat hanc libertatem, quam ad philosophiae dignitatem osores scholasticae exigunt, in eius verti ruinam. Liber omnino non est coecutiens homo ac lusciniosus, qui nocte iam appetente, alterius utitur ductu cum semitas praeruptas perambulat. Si sua tamen libertate frui vellet, itinerisque comitem repellere, certo certius domum incolumis non rediret. Idem de philosophia necessario asseret quicumque vel leviter systematum philosophicorum historiam pervolutarit. Philosophia enim quae libertate nullis terminis definita abusa est in disserendo de Deo rebusque divinis, turpiter in errorum coenum prolapsa est.

Cum ergo dicimus philosophiam theologiae ancillari, eam tuta in statione collocamus atque amovemus a dolosis syrtibus. Subordina-

(1) « Die Herrin, die Theologie, kam zu keiner Freiheit, und trug die Fesseln einer von aussen ihr aufgedrungenen Dialektik. Aristoteles beherrschte die Bibel ». Hagenbach-Reischle, p. 58.

(2) Schaezler, p. 39.

(3) *Philosophia est ancilla theologiae.* « Diess ist eine Forderung, welche nicht bloss der Glaube, nein, welche die blosse Vernunft schon erhebt. Die Wahrheit ist eine, und Gottes Weisheit ist armen Menschenwitz unendlich überlegen. Dass die Wissenschaft des Glaubens der Beihilfe der Philosophie bedarf, ändert an diesem Abhängigkeitsverhältniss ebenso wenig, als die Magd zur Herrin wird, weil die Herrin ihre Dienste benöthigt. Unter sonst gleichen Verhältnissen hat also jene Philosophie die grösste Garantie der Wahrheit für sich, welche am principiellestem sich dieser Leitung unterstellt ». — Ehrle, loc. cit., *Stimmen aus Maria Laach*, t. XVIII, 1880, p. 19.

tio philosophiae ad theologiam praesidium est philosophiae eiusque tuitio a pravis ac venenatis sententiis. Ductu theologiae philosophus in Deo investigando veritati inconcussae firmiter adhaeret, ab eaque labefactanda avertitur (1). Ecquis autem effutiet in perniciem alicuius scientiae redundare superius quod ei exhibetur alterius scientiae auxilium ut erroribus occludatur semita ?... Maximam igitur philosophis in sua provincia libertatem concedere, ut iura philosophiae, quatenus scientia est, sarta tectaque serventur, idem est ac licentiam intellectualem in fidem inducere. Cuilibet sub tegmine huiusce libertatis licitum esset fidei repugnantia in fide tutari, meritoque tunc gravissima Tertulliani verba, dialecticam ac philosophiam increpantis, exagerationis non insimularentur (2). Pro eo igitur ut dicamur philosophiam contemnere et conculcare, cum eam theologiae famulari asserimus, eam ad supremum perfectionis fastigium attollimus; quodammodo eam infallibilitatis fidei in rebus quia ad Deum pertinent, participem efficimus. Hoc benefico qui theologia exercetur in philosophiam influxu, testante historia, factum est ut philosophia christiana miros in Dei cognitione progressus patraverit, cum ex adverso systemata philosophiae, quae suam desipiendi libertatem iactant, crassos errores praedicaverint, vel ultra limites huius orbis terrarum nil divini aspexerint.

Altera etiam prava consecutio nobis rejicienda est quam scholasticis infensus Tikhomirov ex praecitato adagio deducit. Adagium scholasticum ipse carpit, eo quod statuat contubernium philosophiae ac theologiae, dum haec atque illa in diversis plane provinciis continentur. Ex eo sequeretur philosophiam quandam excogitandam quae apprime respondeat placitis theologorum. Contra veritati consonum est

(1) Perpulchre Scheeben: « Nirgendwo bewährt sich mehr als hier die tiefe Wahrheit des inhaltsschweren Wortes: *servire Deo regnare est*. Denn die Herrschaft des Glaubens ist im Grunde keine andere als die Herrschaft der göttlichen Vernunft, die in ihm von unserer Seele Besitz nimmt. Sie sichert der menschlichen Vernunft ihre angeborne Herrschaft über die natürliche Wahrheit und gibt ihr Zutritt zu einer, wenn auch nur vasallenmässigen Herrschaft über die höhere Wahrheit ». — Op. cit., p. 695.

(2) « Miserum Aristotelem! qui illis (haereticis et philosophis) dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in coniecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit ». — *De praescritionibus*, c. 7; *P. L.*, t. II, col. 22-23. Haec tamen Tertulliani verba non eo sensu accipienda sunt ut penitus excludant utilitatem philosophiae in rebus fidei investigandis. Cf. K. Popov, Шертулліанъ, его теорія христіанскаго знанія и основныя начала его богословія (*Tertullianus, eiusque theoria cognitionis christianae et principia fundamentalia eius theologiae*), Kioviae, 1880, pp. 77-86.

affirmare quocumque systemate philosophico theologiam uti posse, praesertim in quaestionibus ad dialecticam, gnoseologiam, aestheticam spectantibus. In hisce enim philosophia non fungitur munere ancillae.

Huic sententiae favere nequit ipsa theologia orthodoxa quin detrimentum fidei christianae puritas capiat. Quaedam dantur systemata, praeter materialismum, quem tantum Tikhomirov expungendum censet, ut hodierna systemata Schopenhauer, Hartmann, Nietzsche, quae directe fidei christianae adversantur. Hodierna philosophia persaepe venenum fidem latenter corrodens in animis continet. Asserit Tikhomirov in dialectica nefas esse vocare philosophiam ancillam fidei. Constat tamen dari systemata quae criteria certitudinis omnino labefactant, nullam ad verum discernendum normam existere statuentia, vel rationi humanae insitas vires ita deprimentia, ut nihil certi unquam hominem assequi posse edoceant. De systemate hegheliano notum est quod principium ipsum contradictionis negat, nullamque constituat distinctionem inter esse ac non esse. Quî potest theologus catholicus hisce artis logicae axiomatis uti in sua scientia? . . . Satis claret, si ea admittantur, de credibilitate fidei christianae, de mediata evidentia argumentorum quibus eam veram esse demonstratur, iam actum esse. Quî potest theologus catholicus in cosmologia adhibere placita spinoziana quae nihil statuunt extra Deum esse, sed solum Deum, totamque naturam individuam, resque particulares nonnisi Dei attributorum affectiones? . . . Putidum quidem pantheismum suam in scientiam induceret. Ad gnoseologiam quod attinet, dantur systemata, positivismus verbigratia, qui cogitationes nostras simplices cerebri secretiones effutit praeseferre, qui si admittatur, immaterialitas animae confestim in discrimen vocatur, et per logicam consecutionem, eius immortalitas. Negata autem animae immortalitate, praecipua dogmata fidei christianae ruerent. Num theologus christianus inniti potest systemate kantiano, quod nostra aetate fere totam pervadit speculationem philosophicam? . . . (1). Neminem arbitror latere Kantium docuisse argumenta quibus existentia Dei lumine rationis naturalis scitissime probatur, vi demonstrativa omnino carere ideoque dogma illud quod theologi per revelationem acceptum ac simul rationi obvium profitentur, ex necessitate quadam morali in genus humanum invectum fuisse. Haec quam repugnent veritatibus theologicis nullus est cordatus homo qui non vi-

(1) Compertum est totum systema kantianum in id tendere ut theologiae dignitas deprimatur eique scientiae natura denegetur. — Cf. Wilken, *Kritische Darstellung des Verhältnisses, in dem nach Kant Philosophie und Theologie zu einander stehen. Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, t. XXXI, 1878, p. 8.

deat. Silentio praeterimus falsa quae in systematis hodiernis philosophiae de notionibus ontologicis et metaphysicis potius ad mentes obnubilandas quam illustrandas circumferuntur, quae, si theologus ea adhiberet, rectam perverterentur cuiuslibet dogmatis rationem. Constat igitur, nisi fidei iacturam velimus, ad theologiam pertinere munus iudicandi, quae philosophus adinvenit, eaque rejiciendi, cum fidei contraria deprehenderit.

Consequitur ex hucusque dictis, aeque ac principiis revelatis fidei, theologum indigere etiam philosophia quae christianae revelationi non repugnet, philosophia scilicet christiana, quae ut apis argumentosa ex thesauris antiquae ac recentis speculationis mel sugat, vel ex venenatis floribus, eoque humanas mentes nutriat ac delectet. Haec philosophia, ut verbis utar Clementis Alexandrini, neque stoica est, nec platonica, aut epicurea, et Aristotelica, sed quaecumque ab his sectis recte dicta sunt. quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum philosophia est (1). Fatemur quidem in scholis catholicis per scholasticam principatum obtinuisse philosophiam aristotelicam, quae usque nunc servat atque in futurum oevum non amittet suam ingenitam perfectionem, cum apprime respondeat legibus a Deo insitis naturae nostrae rationali; Aristotelicae tamen philosophiae, ut luculenter demonstrat Remus Salvatore Talamo, non tam addicti fuere scholastici ut ei mancipiorum more in omnibus obtemperarent. Haud raro enim a sententiis Aristotelis discessere utpote fidei contrariis, vel rectae rationi minus consonis (2).

Insuper, quidquid collatum est in philosophiae progressum a recentioris oevi philosophis, vel pravis, praesertim in gnoseologiam ex psychologia quam vocant *experimentali*, non aspernantur theologi scholastici Ecclesiae catholicae. Contendimus quidem scholasticam *perennem* esse *philosophiam* quia super fundaminibus inconcussis exstructa est; eam tamen renovari ac revivisci pro temporibus, testante historia neoscholasticae, asseveramus. Non igitur improbanda est catholica Ecclesia quae tot aluit sapientes philosophiae christianae conditores. Cum enim theologia immutabilis sit in suis principiis et conclusionibus non potest quocumque uti systemate, quia systemata philosophica aeque ac vocabula cadunt ac renascuntur, in perpetuaque eorum variatione serius ocius aedificium fidei vacillaret. Quapropter de theologia optime merita est Catholica Ecclesia, quae firmum ac stabile systema elaboravit, systema quod rationi humanae plane satisfacit, ac

(1) *Strom.*, l. I, c. 7., *P. G.*, t. VIII, col. 732.
(2) Op. cit., pp. 151-189.

tutissimum defensoribus fidei christianae praebet munimen. Theologia autem orthodoxa hoc munimine caruit, ideoque mirum non est, verbis utar scriptoris Ecclesiae Anglicanae, eam tot saeculis segne transiisse otium atque in praesens adhuc desidia marcescere (1).

16. Doctrina catholica quoad subordinationem philosophiae ad theologiam per adagium scholasticum expressam, a theologis orthodoxis, ne scholasticae quidem osoribus exceptis, disertis verbis etiam asseritur. Theologia, ait Moschopulos, indiget quidem argumentis rationis, philosophorum auctoritate, nec non prophanarum historiarum, ac civilium legum scientia ut ostendat fidem christianam nihil docere quod naturaliter nobis insito lumini adversetur. Opus tamen est ut argumenta a ratione petita theologiae subjiciantur, si interdum ratio neget quod fides tuetur (2). Ad sententiam Malinovsky, ratio fieri nequit principium ex quo dogmata scaturiunt, vel principium quo dijudicatur revelatio. Hoc non conveniret neque limitibus, quibus ratio circumscribitur, neque corruptae in praesens naturae, neque dignitati ac fini revelationis. Tanquam actus infinitae intelligentiae divinae, re-

(1) The theology of the east has undergone no systematising process. Its doctrines remain in the same rigid yet undefined state as that in which they were left by Constantine and Iustinian. — Stanley, *Lectures on the history of the eastern Church*, Londini, 1869, pp. 35-36. « Optime A. Reynaud necessitatem philosophiae cuiusdam christianae tuetur: You cannot dissociate philosophy from religious truths, or it is irreligious. Because the higher truths, or if you like the greater inquiries of philosophy, are coincident in the main with religious truths. It is christian, or it is *un*-Christian. I will boldly say more. It is Catholic, or it is anti-Catholic. Because the Catholic Church has a philosophy; while our dissenting brethren have scarcely agreed on any one. But in any philosophy the preconceptions of religious men dominate their philosophy. So, too, with the non — religious, the irreligious, the materialist and the agnostic. These preconceptions run through the whole web and woof of their system. — *Catholic Philosophy*, *The New-York Review*, 1908, t. III, pp. 496-497. Et Franzelin: Illud autem dictum, quo aliqui nimium delectantur, alii nimium offenduntur, philosophiam nec christianam esse nec paganam, sed tantum rationalem, verum quidem est si spectetur formale obiectum et principium philosophiae; sed quoad priorem sui partem verum non est, si spectentur omnia adiumenta quae tum materialiter ac remote per mentis culturam, tum formaliter et proxime conferunt ad veram philosophiam. Sic enim omnino datur philosophia christiana, non in oppositione ad philosophiam rationalem, sed quae ipsamet perfectiori modo rationalis est ». *De divina Traditione et Scriptura*, pp. 664-665.

(2) *Καὶ γὰρ ὁ θεολόγος κέχρηται τῷ φυσικῷ λόγῳ, καὶ ταῖς τῶν φιλοσόφων μαρτυρίαις· ἔτι δὲ καὶ ταῖς τῶν κοσμικῶν καὶ νομοδιδασκάλων, ἵνα δείξῃ τὴν ὀρθόδοξον θρησκείαν μηδὲν διδάσκειν τῷ φυσικῷ φωτὶ ἐναντίον· ἀλλὰ δὴ τὸν φυσικὸν λόγον ὑπείκει τῇ θεολογίᾳ, εἰ καὶ ἐνίοτε αὐτὸς ἀποφάσκει, ἅπερ ἡ πίστις καταφάσκει.* — Op. cit., p. 8.

velatio vires excedit humani intellectus, neque hominibus datur ut postulatis superbae rationis velificetur eiusque subsit iudicio, sed ut eam in captivitatem redigat in obsequium Christi, eique necessarium afferat auxilium. *Ad revelationem ratio humana sese gerere debet perinde ac si esset subdita atque ancilla* (1). In hac vero subiectione nihil reperitur quod eam deprimat, vel coerceat *αὐτονομίαν* qua gaudet. Nihil quod eam deprimat, quia ratio finita hominis suapte natura subditur divinae intelligentiae, quae ius habet ut sibi absolute credatur; nihil quod coerceat *αὐτονομίαν* qua gaudet, quia conditio rationis humanae penitus servilis ac passiva non est. Etenim ut homo sibi assimilet veritates fidei, necesse habet ut libere ad eas feratur. Quapropter relatio rationis ad fidem comparari potest cum relatione voluntatis ad legem moralem. Profecto non libertatem, sed licentiam rationis divina revelatio compescit (2).

Iuxta episcopum Sylvestrum ratio ad veritates fidei quod attinet tantum se gerere potest ut subdita atque ancilla: разуму не иное положеніе въ отношеніи къ истинамъ вѣры, какъ только подчиненное и служебное (3). Ex parte rationis omnino indecorum esset ac vitiosum efflagitare ut more dominae, libere se gereret ad veritates fidei, eodem sane modo quo agit in provincia veritatum illarum, quae proprium constituunt obiectum suarum meditationum. Veritates enim revelatae eo ipso quod procedunt ex divina intelligentia, vindicant sibi ius ut maxima eis fides adhibeatur, atque immutatae et inviolabiles permaneant.

Macarius sequentem statuit regulam: « Oportet ut theologus suis in investigationibus utatur philosophia non secus ac veteres Ecclesiae Patres illa usi sunt. Relationes inter fidem et rationem antiqui doctores nobis enuclearunt, metaphoris dominae ac Sarae pro theologia, ancillae atque Agar pro philosophia adhibitis. Oportet igitur ut philosophus continenter affirmet suam subiectionem fidei, quae fundamentum est, fons et conditio necessaria, et verum criterium cuiuslibet cognitionis theologicae. Veritates revelatas tenetur ipse quam maxume venerari, sese abstinendo a vanis conatibus eas penitus capiendi, vel explanandi quae suas vires praecellunt. Ratio usurpari non debet ad fidem dijudicandam, vel ad supernaturalia dogmata suae analysi subiicienda. Hoc enim usus quidem non esset rationis, sed abusus in provincia theologiae revelatae (4).

(1) Въ откровенію разумъ долженъ находиться въ подчиненномъ и служебномъ отношеніи. — Op. cit., p. 35.

(2) Ib., pp. 35-36.

(3) Op. cit., t. I, p. 38.

(4) T. I, pp. 33-34.

Philaretus docet humanum intellectum ab illis tantum supremum statui iudicem revelatorum dogmatum qui nullam habent rectam notionem de Deo, de voluntate divina, ac de ratione hominis (1).

Subiectio rationis revelationi, iuxta Iohannem episcopum, ex ipsa determinatur revelatione. Primum enim revelationis verbum, fides est. Hoc autem verbum, quocumque accipiatur sensu, sive per id exprimatur persuasio intellectus humani, sive fiducia ductui superioris intelligentiae, innuit semper subiectionem rationis revelationi. Evangelium, Apostoli, Patres Ecclesiae de hac subiectione haud raro loquuntur. Eadem ut negetur, oporteret demonstrari consentaneum non esse naturae intellectus ut subiiciatur, vel subiectionem hanc rationem deprimere vel eam coarctare. Primum falsum evincitur, ex eo quod fides nostrarum cognitionum exhibetur ut fundamentum. Dimidiam partem notionum, quae in scientiis traduntur per fidem accipimus; quapropter absonum esset a veritate declarare humanum intellectum fide non indigere. Rejicitur etiam secunda hypothesis. Sicut libertas hominis non violatur, eo quod obtemperat supremis moralitatis legibus, ita et ratio non deprimitur eo quod se submittit divinae revelationis auctoritati. Deprimeretur quidem si revelatio nobis proponeret obiecta credenda, quae non merent ut cognoscantur. Ecquis autem hoc auderet de veritatibus altissimis fidei expromere? Neque asseri potest ex hac subiectione perniciem in rationem redundare. Experientia enim testatur quam maximum accepit emolumentum ex divina revelatione scientia rationalis de Deo. Ad coercitionem vero libertatis scientificae quod attinet, satis sit asserere revelationem non rectum rationis usum sed licentiam errandi coarctare et compescere (2). Idem theologus explodit sententiam qua fides et ratio ut *lineae parallelae* exhibentur, nunquam in eodem puncto coeuntes. Nihil absurdius et magis perniciosum quam asserere quod revelatio et ratio sine mutua inter se dependentia evolvantur. Hoc principium si admitteretur, contradictionem in hominis conscientiam inveheret, nec non elementum dissolutionis. Nequit concipi homo qui duobus principiis contradictoriis indifferenter regatur (3). Restat igitur aut uni inserviat alterumque abjiciat, vel uni alterum subjiciat. Cum de veritatibus fidei ex divina intelligentia immediate derivantibus asseri non possit haec subiectio rationi, restat ut ratio fidei sese submittat.

Prae ceteris theologis orthodoxis clarissimus philosophus B. Kudriavtzev-Platonov († 1891) pulcherrimis verbis propositam expressit

(1) T. I, p. 15.
(2) Op. cit., pp. 4-8.
(3) Ib., pp. 10-11.

doctrinam. Ipse distinguit triplex veritatum genus: 1) veritates quae exclusive pertinent ad fidem; 2) veritates quae simul pertinent ad fidem atque ad rationem; 3) veritates quae nullam habent relationem ad fidem. Veritates quae ad primum pertinent genus sunt mysteria fidei, quorum cognitionem sine revelatione humana ratio non potest attingere. Haec propria fidei sunt, ac de eis iudicare eorumque sensum interpretari, munus est exclusivum Ecclesiae. Rationi quidem conceditur ius eas illustrandi humanis analogiis, sed si explicatio atque interpretatio dogmatum controversias ciet, harum controversiarum solutio magisterio ecclesiastico tantum competit, cui ratio absolute subditur. Veritates secundi generis a theologis aeque ac philosophis tractantur et solvuntur. Constat enim ex historia philosophos etiam ethnicos suis propriis viribus consecutos esse cognitionem multarum veritatum, quae ad theologiam naturalem, cosmologiam, psychologiam, philosophiam moralem pertinent. Circa huiusmodi veritates simul agnoscendum est philosophis ius eas sua methodo evolvendi, ac theologorum zelus compescendus qui nimium rationem deprimunt. Hisce tamen verbis non carpitur legitimus influxus fidei in philosophicam investigationem veritatum, quas memoravimus. Revelatio enim christiana nova clarissimaque luce eas perfudit, quapropter eam ignorare non secus esset ac superbe respuere validum auxilium in assequutione veritatis. Hic tamen influxus religionis in philosophiam similis esse debet influxui amici, qui amicum consilio iuvat, ac moderatur, ac dirigit: usurparet enim theologia alienum ius si tyrannice coerceret investigationes philosophorum. Dantur denique veritates tertii generis quae reperiuntur extra orbitam religionis, verbigratia quaestiones logicae, gnoseologicae, estheticae. In hisce etiam, licet fides in suam ditionem eas redigere non possit, influxus principiorum revelatorum, cum scientifice investigantur, despiciendus non est (1). Fides igitur ex theologorum orthodoxorum sententia, philosophiam etiam in eis quae ad se non pertinent, moderatur, illustrat, dijudicat, eius conclusiones, quae suis principiis contrariae sunt, rejicit atque in cunctis, ut principium dirigens, sese revelat. Omnia igitur munera adimplet, quae per adagium scholasticum exprimuntur. Qui philosophiam ut ancillam theologiae exhibet, eamdem plane tuetur sententiam atque ille qui affirmat priorem se gerere ad posteriorem *serviliter*. Inter catholicam igitur atque orthodoxam theologiam in hac

(1) Мы не можемъ и не должны отвергать всякаго вліянія религіознаго начала на научное изслѣдованіе даже въ областяхъ, повидимому, совершенно далекихъ отъ религіи. — Нужна ли философія? (*An philosophia sit necessaria*), Сочиненія, *Opera*, t. I, Serghievo, 1905, pp. 111-113. — Cf. Dobrotvorsky, Православное догматическое богословіе, p. 10.

re controversia potius est de verbis quam de doctrina. Si nimis displicet epitheton ancillae quod philosophiae a scholasticis tribuitur, nihil prohibet quominus eam vocemus, ut Scheeben praefert, sponsam. Hoc unum tantum quaerimus ut theologia agnoscatur tanquam scientia superior philosophia, *scientia directiva*, quae in eis quae fidem tangunt, conclusiones philosophicas dijudicet, approbet vel reprobet. Id qui ex scholasticis eminent tantum tuiti sunt, atque idem sentiunt, ut iam ostendimus, praeclari inter theologos orthodoxos.

17. Statuimus iam theologiae influxui ac ductui rite subjici philosophiam. Minime tamen ex hoc sequitur, quod philosophiae investigationibus theologia non indigeat. Rex quamvis imperium in suos subditos exerceat, eisque ad imperandum opus non habeat, a subditis etiam quodammodo dependet in suis muneribus obeundis. Eodem plane modo theologia, licet domina sit, auxilium exposcit philosophiae, quae maximi momenti fungitur officiis, suaeque reginae efficacissimam exhibet operam.

Sicut gratia non tollit naturam, ita divina intelligentia non extinguit revelatione parvum humanae rationis lumen. Fides quidem rationem illuminat, sed ratio per fidem ad altiorem intellectionis gradum evecta, stremue adlaborat ad fidem ipsam, quantum fieri potest, tuendam atque illustrandam. Unde fit, ut collatis in se a theologia beneficiis, philosophia grato animo suis beneficiis pariter respondeat.

Convenit inter veteres Ecclesiae Patres fidem criterium esse scientiae, cum sit scientia praestantior (1). Fides dux est, ac scientia subsequitur. Pure siquidem ingenueque credentibus, Dominus quem credimus cognitionem concedit, fideique adiuncta cognitio perficit scientiam veritatis. Quam qui assequitur felix, imo felicissimus est dicendus (2). Ipsa oculus est intellectus christiani. Sicut enim oculis corporeis indigemus ad ea conspicienda quae cerni possunt, ita indigemus et fide ad rerum divinarum aspectum. Quod est oculus in corpore, hoc est fides in mente (3). « Bonum est ut rationem praeveniat fides; ne tanquam

(1) *Κυριώτερον τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις, καὶ ἔστιν αὐτῆς κριτήριον.* — *Strom.* l. II, c. 4, *P. G.*, t. VIII, col. 948.

(2) *Πίστις ἡ πίστις καὶ ἔψεται ἡ γνῶσις. Τοῖς γάρ τοι εἰλικρινῶς καὶ ἀκραιφνῶς πιστεύουσι παρέχει τὴν γνῶσιν ὁ πιστευόμενος Κύριος, προσγενομένη δὲ τῇ πίστει, ἡ γνῶσις τελεσειουργεῖ τῆς ἀληθείας τὴν ἐπιστήμην. Ὁ δέ γε ταύτην κεκτημένος, ὄλβιος καὶ τρισόλβιος.* — Theod., *Graec. affectionum curatio*, I; *P. G.*, t. LXXXIII, col. 821.

(3) *Χρεία ἡμῖν καὶ νοερῶν ὀμμάτων εἰς τὴν τῶν νοητῶν κατανόησιν· καὶ καθάπερ δεόμεθα τῶν τοῦ σώματος ὀφθαλμῶν εἰς τὴν θεωρίαν τῶν ὁρατῶν, οὕτω δή που χρῄζομεν πίστεως εἰς τὴν ἐποπτείαν τῶν θείων. Ὅπερ γὰρ δή ἐστιν ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, τοῦτο ἄρα πίστις ἐν διανοίᾳ.* — Ib., col. 841.

ab homine, ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus?... » (1).

Hanc Patrum doctrinam enucleavit Pius IX in litteris *Tuas libenter* (21 dec. 1863): « Quamvis naturales disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis utantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda quae plus minusve adversantur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere » (2).

Posita tamen hac fidei praecedentia, quam nullum ex theologis christianis arbitror negare posse, philosophiae studium maxime conferre ad progressum theologicum res ita plana est atque evicta, ut ei fusius demonstrandae insudare supervacaneum mihi videtur. Ab incunabilis enim fidei christianae, Patres et scriptores ecclesiastici, graeci praesertim qui semper speculationem metaphysicam in rebus fidei adamarunt (3), sedulam navarunt operam philosophicis argumentis ethnicos

(1) S. Ambr., *De Abraham*, l. I, c. 3; *P. L.*, t. XIV, col. 450. *Τίς οὖν ἔτι ἄθεος ἀπιστεῖν Θεῷ, καὶ τὰς ἀποδείξεις ὡς παρὰ ἀνθρώπων ἀπαιτεῖν τοῦ Θεοῦ ;* — *Strom.*, l. V, c; 1; *P. G.*, t. IX, col. 16.

(2) Denzinger, pp. 455-456.

(3) Gasser, *Ueber das Schisma der griechischen Kirche*, Oeniponte, 1857, p. 3; Bois, *Le dogme grec*, Parisiis, 1893, p. 292. Inter scriptores russos de relationibus inter theologiam et philosophiam, sive generatim, sive iuxta sententias Patrum Ecclesiae egerunt: M. Troitzky, Сужденія св. Отцовъ и учителей II и III вѣка объ отношеніи греческаго образованія къ христіанству (*Sententiae Patrum et scriptorum ecclesiasticorum II et III saeculi circa relationes inter graecam culturam et christianismum*), Труды К. Д. А., 1860, II, pp. 74-130; III, 73-111; Pievnitzky, Философія у христіанъ въ вѣкѣ паденія римской имперіи (*Philosophia Patrum et Doctorum Ecclesiae : periodus apologetarum*), Kioviae, 1868; P. Tzvietkov, Обзоръ апологетическихъ трудовъ восточныхъ отцевъ и учителей Церкви въ IV и V вѣкѣ (*Conspectus scriptorum apologeticorum Patrum et Doctorum orientalium Ecclesiae saeculis IV et V*), Прибавленія къ твореніямъ Св. Отцевъ, t. XXV, 1872, pp. 314-371, 637-735; I. Myshkin, Ученіе св. отцевъ о коренныхъ истинахъ общечеловѣческой вѣры и знанія, принятыхъ и раскрытыхъ въ христіанствѣ (*Doctrina Sanctorum Patrum circa veritates fundamentales fidei et cognitionis totius generis humani, acceptas et revelatas in religione christiana*), Viatkae, 1875; M. Knitrovo, Климентъ и Оригенъ, учители Александрійскіе и ихъ вѣкъ (*Clemens atque Origenes, doctores scholae Alexandrinae eorumque aetas*), Petropoli, 1878; B. Dmitrievsky, Александрійская школа. Очеркъ изъ исторіи духовнаго просвѣщенія отъ I до начала V вѣка по Рожд. Христова (*Schola Alexandrina: specimen historiae culturae christianae ex primo usque ad V saeculum post Christum natum*), Kasan, 1884; Boris (Plotni-

adversarios ad silentium redigerent. Qui onus susceperunt tuendae fidei christianae priscis illis temporibus, apprime calluerunt graecam philosophiam, ex eaque arma deprompserunt ad hostiles incursiones repellendas. Iuxta Clementem Alexandrinum, fides accipienda non est, sola et otiosa, sed cum inquisitione (1), eo magis quod ipsa est tantum brevis et compendiosa eorum quae necessaria sunt cognitio (2), et quod de Deo quaerere non ad litem sed ad inventionem est salutare (3). Quapropter statuitur principium quod non datur cognitio sine

---

kov), Исторія христіанскаго просвѣщенія въ отношеніяхъ къ древней греко-римской образованности (*Historia culturae christianae in suis relationibus cum antiqua civilitate graeco-romana*); t. I (*A primordiis religionis christianae usque ad Constantinum Magnum*), Kasan, 1885; t. II (*A triumpho religionis christianae sub Constantino Magno usque ad plenam extirpationem paganismi graeco-romani*), Kasan, 1890; Serghievsky, Отношеніе перваго христіанскаго философа къ языческой философіи (*Relatio primi philosophi christiani ad paganam philosophiam*), Вѣра и Разумъ, 1885, t. I, pp. 413, 466; Id., Отношеніе апологетовъ Восточной Церкви II-го вѣка къ языческой философіи (*Relatio apologetarum Ecclesiae orientalis saeculi II ad paganam philosophiam*), Ib., 1886, t. I, p. 585; t. II, pp. 1, 83, 111; Nesmielov, Догматическая система Св. Григорія Нисскаго (*Systema dogmaticum S. Gregorii Nysseni*), Kasan, 1887, pp. 3-17; Linitzky, Какъ возможно единство вѣры и знанія? (*Quomodo fieri potest unio fidei et cognitionis?*), Вѣра и Разумъ, 1889, t. I, p. 469; Id., Чѣмъ различается вѣра отъ знанія (*In quo differt fides a cognitione*), Ib., 1889, t. I, p. 389; Pievnitzky, Образованіе отцовъ проповѣдниковъ IV вѣка (*Cultura Patrum-praedicatorum IV saeculi*). Шруды К. Д. А., 1892, t. III, pp. 3-61, 261-304; Revekrsov, Очеркъ западной апологетической литературы II и III вв.; изслѣдованіе изъ области древней церковной письменности (*Specimen litteraturae apologeticae occidentalis II et III saeculi: disquisitio in provinciam antiquae litteraturae ecclesiasticae*), Kasan, 1892; M. T., Вѣроученіе св. Іустина мученика къ его отношеніи къ языческой философіи (*Doctrinae fidei S. Iustini martyris in suis relationibus ad philosophiam ethnicorum*), Вѣра и Разумъ, 1893, t. II, pp. 112, 141, 218; A. Lebedev, Язычество и христіанство по греческихъ и латинскихъ школъ II-го, III и IV вѣковъ (*Paganismus et christianismus in suo influxu in alumnos scholarum graecarum et latinarum II, III et IV saec.*), Церковно-историческія повѣствованія (*Narrationes ecclesiasticae historiae*), Mosquae, 1900, pp. 83-132; Id., Духовенство древней вселенской церкви (*Clerus antiquae Ecclesiae universalis*), Mosquae, 1905, pp. 248-321; M. Celtzov, Богословіе и спеціальныя науки (*Theologia et scientiae particulares*), Petropoli, 1906.

(1) *Τὴν πίστιν οὐκ ἀργὴν καὶ μόνην, ἀλλὰ σὺν ζητήσει δεῖν προφαίνειν φαμέν.* — *Strom.*, l. V, c. 1; *P. G.*, t. IX, col. 24.

(2) *Ἡ μὲν πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις.* — Ib., l. VII, c. 10; t. IX, col. 481.

(3) *Τὸ δὲ ἄρα ζητεῖν περὶ Θεοῦ, ἂν μὴ εἰς ἔριν, ἀλλὰ εἰς εὕρεσιν τείνῃ, σωτήριόν ἐστι.* — Ib., l. V, c. 1, t. IX, col. 24.

fide, neque fides sine cognitione (1). Philosophia autem cum sit inquisitio veritatis, rite sumitur ad veritatem noscendam (2). S. Iohannes Damascenus demonstrat necessitatem decerpendi ex ethnicis scriptoribus quidquid utile esse potest defensioni fidei. In eligendis tamen eorum testimoniis, oportet ut probi simus nummularii, verum ac purum aurum aggerantes, adulterinum repudiantes. Quae bene ornateque dicta sunt sic suscipiamus, ut ridicula numina, absurdasque fabulas, canibus projiciamus. Ex ipsis enim adversus ipsos roboris plurimum licebit adipisci (3). Ad sententiam Theodoreti, indiget fides cognitione, sicut cognitio fide. Neque enim esse potest fides sine cognitione neque cognitio sine fide. Cognitionem quidem fides praecedit, subsequitur autem fidem cognitio... Prius enim credere oportet, tum addiscere; eum vero qui cognorit, appetitu aliquo commoveri, impulsum aggredi ac peragere. Nunquam enim prima elementa discet qui litteratori fidem non habet (4).

Amplius non immoramur in hoc themate evolvendo. Ipsi scriptores orthodoxi tenent Patres Ecclesiae philosophia ac dialectica usos fuisse, non solum quoad veritates fidei humanae pervias rationis, sed etiam quoad mysteria ipsa fidei collustranda (5). Speculationem philosophicam ex provincia theologiae exulem facere, idem esset ac methodum repudiare quae sanctissima religionis christianae aetate maxime floruit, fideique defensores enervare suisque armis exuere. Theologus enim simplex fidelis non est. Non secus quidem ac fidelis veritatibus revelatis assentitur, sed dum fidelis discipulus est, ipse magisterii fungitur munere. Fidelis non discutit; magister ad discutiendum paratus esse debet. Fidelis non iquirit, cum ei tantum sufficiat divinae assentiri auctoritati; magister autem veritates quas ipse ut divinitus revelatas

(1) *Ἤδη δὲ οὔτε ἡ γνῶσις ἄνευ πίστεως, οὐθ' ἡ πίστις ἄνευ γνώσεως.* — Ib. col. 9.

(2) *Ἡ φιλοσοφία πρὸς κατάληψιν τῆς ἀληθείας, ζήτησις οὖσα ἀληθείας, συλλαμβάνεται.* — Ib., l. I, t. VIII, col. 813.

(3) *Εἰ δέ τι καὶ παρὰ τῶν ἔξωθεν χρήσιμον καρπώσασθαι δυνηθείημεν, οὐ τῶν ἀπηγορευμένων ἐστί· γενώμεθα δόκιμοι τραπεζῖται, τὸ μὲν γνήσιον καὶ καθαρὸν χρυσίον σωρεύοντες, τὸ δὲ κίβδηλον παραιτούμενοι. Λάβωμεν λόγους καλλίστους, θεοὺς δὲ γελοίους, καὶ μύθους ἀλλοτρίους τοῖς κυσὶν ἀπορρίψωμεν· πλείστην γὰρ ἐξ αὐτῶν κατ' αὐτῶν ἰσχὺν κτήσασθαι δυνηθείημεν.* — *De Fide orthodoxa*, l. IV, c. 17; *P. G.*, t. XCIV, col. 1177.

(4) *Δεῖται μέντοι ἡ πίστις τῆς γνώσεως, καθάπερ αὖ ἡ γνῶσις τῆς πίστεως. Οὔτε γὰρ πίστις ἄνευ γνώσεως, οὔτε γνῶσις δίχα πίστεως γένοιτο ἄν. Ἡγεῖται μέντοι τῆς γνώσεως ἡ πίστις, ἔπειαι δὲ τῇ πίστει ἡ γνῶσις. Δεῖ γὰρ πιστεῦσαι πρῶτον, εἶθα μαθεῖν· γνόντα δέ, ὁρμῆσαι· ὁρμήσαντα δέ, πρᾶξαι. Οὐδὲ γὰρ τὰ πρῶτα στοιχεῖα μαθεῖν οἷόν τε μὴ τῷ γραμματιστῇ πεπιστευκότα.* — *Graec. aff cur.*, l. I; *P. G.*, t. LXXXIII, col. 816.

(5) Malinovsky, I, p. 40; Macarius, I, p. 31.

accipit, sedulo meditatur. Hoc enim proprium est magistri fidei christianae ut rationem eorum quibus assentitur, det poscentibus, officiumque quod sibi vindicat persolvere nequiret sine studio philosophiae. Perpulchre quae hucusque diximus concinnavit Melchior Canus: « Si cadit in theologum aliquando, ut de rebus humanis philosophetur, quod profecto cadit, nisi ex eo extirpatam humanitatem arbitremur, quaenam rogo causa est, cur naturales argumentationes a Theologia pellamus, ne, ut quae divina sit, humanis adminiculis eguisse videatur. Non egeat his, esto; cum suis, hoc est divinis quasi lineis contineatur. At volumus ne nos theologum qui solum divina calleat, in humanis erret, labatur, coecutiat, allucinetur? Quid autem interest, ratione animi sublata, non dico inter theologum ac pecudem, aut saxum etiam aut truncum, aut quidvis generis eiusmodi? Quam vero ista sit mens, vel quae hominis ratio potius, si nec philosophiam, nec dialecticam habeat, nec ullam omnino humanae rationis disciplinam? Intelligendum est autem, christiana doctrina professores, duabus quasi indutos esse personis; quarum una est communis, ex eo quod omnes participes sumus rationis, a qua omnis argumentatio naturae trahitur, et ex qua ratio inveniendi argumenti naturalis exquiritur; altera autem, quae proprie theologis est attributa, unde argumenta expectantur, quae propria sunt theologicae facultatis... Qui naturalem rationem ab usu theologiae remotam esse volunt, ii omnem a theologia disputationem excludunt; sine qua tamen quid in unaquaque re verum sit, discerni et comprehendi non valet » (1).

Munus philosophiae in theologia addiscenda atque evolvenda, quodammodo comparari potest cum processu virium naturalium in substantiis viventibus. Recondita illa vis, quae principium est operationum substantiae viventis in id praesertim tendit: 1) ut arceat elementa ex quibus periculum dissolutionis immineret huic substantiae; 2) ut eandem, superadditis per assimilationem novis elementis augeat, firmet, robustiorem reddat; 3) ut suam virtutem per modum generationis aliis eiusdem naturae substantiis infundat. Paucis verbis, triplex deprehenditur virtus in processu substantiae viventis: virtus *repulsiva*, virtus *augmentativa*, virtus *generativa*. Prima, substantiam viventem tuetur; secunda, eandem evolvit; tertia, perfectionem vitae aliis communicat suae speciei substantiis. Eodem sane modo philosophia triplex exercet officium in provincia theologiae: in ea enim reperitur *virtus praeparativa ad generationem fidei, virtus augmentativa claritatem fidei, virtus repulsiva corruptionem fidei.*

(1) Op. cit., l. IX, cc. IV, V, t. I, pp. 471-472.

Per philosophiam scilicet via sternitur humano intellectui ad veritates fidei capessendas, vel illud struitur mirabile aedificium *apologiae* religionis christianae, quae fidem nostram nullimode rationi repugnare luculenter ostendit. Per eam, clarius nobis deteguntur celsa revelationis christianae cacumina, quae, quantum per imbecillitatem naturae licet, enititur intellectus noster conscendere in theologia *speculativa*. Per eam denique, ut ita dicam, errorum haeresiumque cuniculi obstruuntur, validisque circumdatur veritas christiana aggeribus, quibus exstruendis navat operam theologia *polemica*. Hisce muneribus defuncta, philosophia non parum mihi facere videtur ad generandam, illustrandam, ac tuendam fidem quam edocent theologi.

18. α') Primum munus diserte exponit S. Thomas: « Philosophia uti possumus ad demonstrandum ea quae sunt praeambula fidei, quae necessaria sunt in fidei scientia, ut ea quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse unum et huiusmodi, vel de Deo vel de creaturis, in philosophia probata quae fides supponit » (1). Philosophia enim, rationalibus argumentis, ut verbis utar Clementis Alexandrini, constituit et confirmat providentiam (2). « Ante Domini adventum, Graecis ipsa erat necessaria ad iustitiam; nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario praemittenda est ab iis qui fidem ex demonstratione percipiunt » (3). Philosophia scientia est quae viam munit ei qui a Christo perficitur (4). Cum autem hoc munus exerceat, absurdum non est asserere eam datam fuisse a divina Providentia (5). Quapropter, ut sapientissime monet Leo XIII in encyclica *Aeterni Patris*, « si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare ».

Ad fidem enim christianam amplectendam, qui a pueritia nihil de ea didicerit facilius movetur si sibi persuasum fuerit Deum existere, religionem necessariam esse, atque unice christianam religionem characterem verae Dei religionis praeseferre. Liquet autem in hisce

(1) *In Boet. De Trinitate*, Q. II, a. 3.

(2) *Ἡ κατὰ τὴν θείαν παράδοσιν φιλοσοφία ἵστησι τὴν πρόνοιαν καὶ βεβαιοῖ. Strom.*, l. I, c. 11, *P. G.*, t. VIII, col. 749.

(3) *Ἡ μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία· νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται, προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις.* — Ib., l. I, c. 5, col. 717.

(4) *Προπαρασκευάζει ἡ φιλοσοφία, προοδοποιοῦσα τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον.* — Ib., col. 720.

(5) *Οὐκ ἄτοπον καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἐκ τῆς θείας Προνοίας δεδόσθαι, προπαιδεύουσαν εἰς τὴν διὰ Χριστοῦ τελείωσιν.* — Ib., l. VI, c. 17, *P. G.*, t. IX, col. 383.

tribus investigandis uberrimos fructus ex philosophia colligi, meritoque eam dici a S. Iustino, maximam possessionem ac plurimi apud Deum praetii, ad quem nos perducit, cuique nos commendat (1).

Et revera constat, e penu philosophorum illa depromi argumenta quibus proposita per fidem veritas de existentia Dei lumine etiam naturali perfunditur, ad demonstrandum obsequium nostrum esse rationabile. Ut ait Card. Franzelin, « quae in revelatione continentur per se quidem lumine rationis cognoscibilia, attamen magnis quandoque impedita difficultatibus, ea per fidem praemonstrantur infallibiliter vera; unde fit ut ratio in suis principiis eadem facilius et securius intelligere ac demonstrare valeat ». Cum homo sibi conscius sit, Deum existere qui eum creavit, per logicam deducitur consecutionem ad affirmandam necessitatem relationis cuiusdam inter Deum atque hominem, quae relatio per religionem aperitur. Sed repugnat quod omnes religiones, quae in multis contradictoriae sunt ex eadem profluant divina intelligentia, quam imperfectam concipere idem esset atque negare. Conficitur ergo unam tantum religionem veram esse, quae nobis a Deo proponitur colenda, atque haec rationibus sive intrinsecis sive extrinsecis ostenditur esse religio christiana. Speculatio igitur philosophica explanat viam inhianti sapientiam. Theologus qui simul philosophus sit suis adversariis rationem fidei christianae exposcentibus iure verba repetere poterit, quae auctor *Librorum Recognitionum* Petro cum Simone Mago disputanti tribuit: « Noli putare nos quod haec fide sola recipienda esse dicamus, sed et ratione asserenda. Neque enim tutum est nudae haec fidei absque ratione committere, cum utique veritas ratione non careat. Et ideo qui haec ratione munita susceperit, perdere ea nunquam potest, qui vero absque assertionibus ea suscipit simplicis sermonis assensu, neque servare ea tuto potest, neque si vera sint certus est, quia qui facile credit, facile et recedit: qui autem rationem quaesivit eorum quae credidit, et accepit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his quae credidit, divelli aut separari potest. Et ideo quanto quis propensior fuerit in expetenda ratione, tanto erit firmior in conservanda fide » (2).

(1) *Ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον θεῷ, ᾧ τε προσάγει καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη· καὶ ὅσοι ὡς ἀληθῶς οὗτοί εἰσιν, οἱ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες.* — *Dialogus cum Tryphone Iudaeo*, 2; *P. G.*, t. VI, col. 476.

(2) L. II, c. LXIX, *P. G.*, t. I, col. 1280. — Tanqueray, t. I, p. 610; Franzelin, op. cit., pp. 661-673; Kihn, op. cit., p. 30; Mazzella, *De Virtutibus infusis*, pp. 585-586.

Quae asseruimus de primo philosophiae munere in provincia theologiae, scriptores orthodoxi etiam tenent. Ad sententiam Macarii, quoad fidei dogmata quae veritates sunt naturaliter cognoscibiles, humana ratio proprio marte invenire potest earum explicationes et confirmationes (1). Quapropter usus rationis in praeambulis fidei investigandis supervacaneus habendus non est (2).

19. Praeambula fidei non solum est theologia, sed etiam pedissequa. Postquam enim animam praeparavit ad suscipiendam fidem, fidem acceptam ordinate disponit ac profundius investigat (3). Ut sapientissime monet Leo XIII in encyclica *Aeterni Patris*, « in theologia magnopere necesse est, ut multae ac diversae coelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quisque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae, apto inter se nexu cohaereant, demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur. Nec silentio praetereunda aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quod fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt, et assequi studuerunt ».

Ad fidem igitur illustrandam, duplex ingreditur viam theologus qui philosophiae auxilium non despicit: viam *rectae dispositionis*, ac viam *profundioris investigationis*. Primum enim requiritur ut materiae, quas theologus pertractandas usurpat, logico conglutinentur nexu, in suas sectiones distribuantur, unumque efficiant systema. Lucidus enim ordo rerumque concinna dispositio theologo maxime auxiliantur ut ex aliis alia nectat. Hanc rectam partium distributionem ac systematicam unitatem praestat philosophia, quae ex sententia scriptorum tam catholicorum (4)

(1) Если догматъ будетъ истина, доступная уму, въ такомъ случаѣ умъ можетъ найти для нея новыя поясненія и даже подкрѣпленія въ кругу собственныхъ познаній. — T. I, p. 30.

(2) Ibid., p. 31.

(3) Optime Scheeben: Die Vernunft hat zunächst für den Glauben zu wirken, und zwar in doppelter Weise, sowohl um den Glauben einen Platz in der Seele zu bereiten, als auch, nachdem der Glaube von seinem Platz Besitz genommen, um dass Verständniss und die Entwicklung seines Inhaltes herbeizuführen; sie dient also der theologischen Erkenntniss als einer höhern, indem sie dieselbe sowohl in ihrem Princip als in ihrer Entwicklung vermitteln hilft. In ersterer Beziehung ist sie *praeambula*, in der zweiten *pedissequa* des Glaubens. — Op. cit., p. 693.

(4) La fede acquista l'essere di scienza, e addiviene teologia appunto per la filosofia. La teologia sta nello studiare il nesso scambievole, le attinenze reciproche che han tra loro le verità divine, i principii rivelati, per quinci dedurre,

quam orthodoxorum (1) efficit ut fides naturam scientiae theologicae induat.

Nec tamen hic desinit theologus, qui progressum suae scientiae intendit. Conscius sibi mysteria quoad suam magnitudinem rationi humanae semper impervia mansura, conatur nihilominus profundius arcanum eorum sensum penetrare, quantum vires nostrae patiuntur. Hoc opus ut aggrediatur impellunt Sacrae Scripturae, quae laudant non solum fidem, sed et cognitionem Dei: Oportet ut illuminentur oculi cordis nostri ad spem agnoscendam vocationis Eius: *Ὁ Πατὴρ τῆς δόξης, δώῃ ὑμῖν ... πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ἡμῶν, εἰς τὸ εἰδέναι ἡμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ*, Eph., I, 17. Tanquam Apostoli non solum in Iesum Christum Dei Filium credere peroptamus, sed etiam eum cognoscere: *καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν ὅτι σὺ εἶ ὁ Ἅγιος τοῦ Θεοῦ*; Io., VI, 69; *καὶ ἡμεῖς ἐγνώκαμεν καὶ πεπιστεύκαμεν τὴν ἀγάπην ἣν ἔχει ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν*, I Io., IV, 16. Hoc idem edocent Patres et Scriptores ecclesiastici. Iuxta Clementem Alexandrinum, philosophia barbara et graeca, quae particula quaedam est aeternae veritatis (2), etiam e longinquo opem fert inventioni veritatis, variis notionibus tendens ad nostram scientiam, quae proxime attingit veritatem (3). Cognitio est cum fide, et vicissim cum cognitione fides, quadam divina consecutione mutuo connexa (4). Per fidem cognitio, et sine fide illum cognoscere nefas est (5).

In conatibus autem perveniendi ad clariorem cognitionem veritatum fidei, theologus a philosophia maxime adiuvatur. « Etenim, ait

---

col mezzo del naturale discorso, altre verità, investigare altre relazioni, e tutte disporle con ordine e metodo. Questo naturale discorso, questo ordinato procedimento dell'un vero dall'altro, come tutti sanno, è opera, è lavorio della ragione, e però della filosofia. In altri termini la teologia ha dalla fede, come per dir così, la materia sua universa: ma la filosofia le dà la forma e la dignità di scienza. — Talamo, op. cit., p. 27.

(1) *Ὁ χριστιανισμός, ἐμφανισθεὶς ἐν τῷ κόσμῳ μετὰ νέας θρησκευτικῆς ἀρχῆς καὶ νέας θεωρητικὰς καὶ πρακτικὰς ἀληθείας ἀποκαλύψας, τότε μόνον ἀνέπτυξεν αὐτὰς ἐπιστημονικῶς, ὅτε ἦλθεν εἰς ἐπαφὴν πρὸς τὴν ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν.* — *Zikos Rhosis*, t. I, p. 22.

(2) *Ἥ τε βάρβαρος, ἥ τε ἑλληνικὴ φιλοσοφία, τὴν αἴδιον ἀλήθειαν σπαραγμόν τινα.* — *Strom.*,, l. I, c. 13, *P. G.*, t. VIII, col. 756.

(3) *Ἡ δὲ καὶ πόρρωθεν συλλαμβάνεται φιλοσοφία τῇ πρὸς τὴν ἀλήθειαν εὑρέσει, κατὰ διαφόρους ἐπιβολὰς διατείνουσα ἐπὶ τὴν προσεχῶς ἁπτομένην τῆς ἀληθείας, τῆς καθ' ἡμᾶς εἴδησιν.* — Ib., c. 20, col. 816.

(4) *Πιστὴ τοίνυν ἡ γνῶσις· γνωστὴ δὲ ἡ πίστις θείᾳ τινὶ ἀκολουθίᾳ τε καὶ ἀνταkολουθίᾳ γίνεται.* — Ib., l. II, c. 4, t. VIII, col. 948.

(5) *Διὰ πίστεως ἡ γνῶσις, καὶ πίστεως ἄνευ γνῶναι αὐτὸν οὐκ ἔστι.* S. Iohan. Chrys., *In Ep. ad Philipp.*, XI, n. 2; *P. G.*, t. LXII, col. 265.

Melchior Canus, multa in theologiae principiis continentur, quae nisi naturali ratione et discursu interveniente, intelligi et explicari non possunt. In principiis vero ipsis haerere, a consequentibus et repugnantibus oculorum aciem sevocare, stultum erit. Rationem si a theologia submoveas, theologia ipsa et rem amittet et nomen » (1). Notiones metaphysicae, quibus indesinenter indiget theologus non solum ut scrutetur profunda Dei, sed etiam ut sine verborum amphibolia veritates fidei exponat, e philosophiae penu hauriuntur (2). Hisce notionibus rite imbutus aggreditur theologus facinus quod prae ceteris humanis disciplinis suae scientiae dignitatem maxime extollit. Ipsa enim mysteria Dei, quae humanae mentis aciem perstringunt, humiliter intuetur, eaque analogis conceptibus clariora efficere nititur. « Sicut enim in ordine ontologico, gratiae dona quae sunt supra naturam, hanc non destruunt sed evehunt et nobilitant; ita in ordine logico veritates superrationales non sunt omnino disparatae a rationalibus, sed cum his multiplici analogia cohaerent; atque ideo quod per fidem cognoscimus verum in superrationalibus, deducit nos ad profundiorem penetrationem veri in analogis rationalibus » (3).

Hoc egerunt scholastici, quapropter non inculpandi si mysteriis per speculationem illustrandis vacarunt aetate illa, quae vitalibus fidei christianae succis copiose enutrita, theologiae evolvendae omnibus contendebat nervis (4). Hoc quod philosophiae vindicamus, munus in provincia theologiae, diserte enucleant theologi orthodoxi. Ad sententiam Malinovsky, ratio humana confert ad meliorem asssimilationem veritatum fidei: можетъ способствовать наилучшему усвоенію истинъ вѣры (5). Nobis enim pandit divinae revelationis thesauros, arctissimam revelatorum dogmatum connexionem, logicam totius systematis de Deo consecutionem, eorum sensum illustrat, fundamenta patefacit ac firmat, eaque scientiarum placitis haud repugnare suadet. Schola-

(1) Op. cit., l. IX, c. 4, t. I, p. 472.

(2) Come varrà il teologo a solo dichiarare i dommi della Trinità e dell'Incarnazione senza usare della filosofia? Da cui saprà egli che sia sostanza, essenza, sussistenza? che importi il concetto di persona, di natura, di supposto, d'individuo? che voglia dire assoluto e relativo? che valga l'azione e la passione? in che consista il necessario ed il contingente e così via via? Come potrà egli senza il presidio della filosofia rispondere a quelle difficoltà che dalla filosofia segnatamente han sempre tolto, e tolgono tuttora i nemici della ragione e della fede, per impugnare le verità rivelate dell'ordine sì naturale come soprannaturale. - Talamo, p. 37.

(3) Franzelin, op. cit., p. 664.

(4) Kleutgen, op. cit., t. III, pp. 38-39.

(5) T. I, p. 31.

sticam laudat Eugenius Bulgaris, quippe quae materias theologicas in partes distribuit secundum earum connexionem ac distinctionem (1).

Ad philosophiam, juxta Andrutzos, pertinet determinatio, assimilatio, ac tuitio dogmatum. Assimilatio fit per aliqualem dogmatum intellectionem. Quo magis ea cum pietate meditamur, eo magis ipsa penetramus, eorumque varios discriminamus adspectus mutuasque relationes detegimus. Quod recta ratio instrumentum sit sive assimilationis, sive profundioris investigationis dogmatum, eruitur ex Sacra Scriptura, quae maximi facit cognitionem, quae indissolubili complicat nexu scientiam ac fidem. Quin omnino vel ex parte tollatur per cognitionem, hancce in seipsa comprehendit. Elementum cognoscitivum quod fidei adjicitur ab eaque non scinditur, ea tantum distinctione a fide distinguitur, quae inter cognitionem atque assensum intercedit. Hanc intrinsecam fidei cognitionisque unionem Patres ac theologi semper extulerunt, docentes, ut Anselmus, quod oportet credere, ut intelligamus (2).

20. Denique philosophia in theologia adhibetur « ad resistendum his quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria » (3). Graphice hoc munus philosophiae describit Leo XIII in praecitata Encyclica: « Hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum, ac veluti firmum religionis munimentum habeatur... Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat ».

Res satis claret, ac fere demonstratione non indiget. Quod enim rustico in fide cognoscenda sufficit, theologo cui onus incumbit fideles

(1) *Μεθόδῳ κέχρηται ἡ σχολαστικὴ ὡρισμένῃ, ἕκαστα ἐπί τινα κεφάλαια ἀνάγουσα, καὶ συνημμένα συμπεριλαμβάνουσα, καὶ τὰ διακρινόμενα συνιστῶσα.* P. 19.

(2) Op. cit., pp. 17-18. — Cfr. Heinrich, t. II, p. 745. Philaretus archiepiscopus tenet juxta spiritum revelationis agere theologum dogmaticum qui demonstrat fidei mysteria, licet nobis impervia, exigentiis speculativis ac practicis naturae nostrae apprime satisfacere, atque huic vel illi egestati vel infirmitati per culpam originalem nobis transmissae, medere. — T. I, p. 16. Idem tradit metropolita Philaretus, Gorodkov, p. 17.

(3) *In Boetium de Trinitate*, 9, 11 a. 3.

docendi, ab eisque corruptores vel osores fidei arcendi, parum iure censetur. Fides enim arctissimo coniungitur nexu cum vita intellectuali ac morali hominis, ideoque si eâ roboratur ratio humana, fieri non potest quin et ratio in eandem influat. Hic tamen influxus rationis in fidem, propter imbecillitatem mentis nostrae, haud raro noxius deprehenditur integritati veritatis. Exoriuntur enim, ait Clemens Alexandrinus, novorum dogmatum inventores, inani gloriae ambitionique servientes (1), qui per blandiloquentiam et dicendi suavitatem, simplicium corda decipiunt (2). Ad eorum audaciam infringendam satis non est simpliciter credere: oportet etiam ut cogitate, ut scite credamus. « Nec fides, ait Melchior Canus, se ipsa sola sine doctrina, et ratione tutari potest. Nam philosophia et omni ratione disputandi sublata, cum fide sancta rusticitas manet, quae ut Hieronymus ad Paulinum scribit, quantum prodest vitae merito, tantum simplicitate nocet, si adversariis non resistat » (3).

Eandem, ac nos tuemur, doctrinam tradunt theologi orthodoxi. Iuxta Malinovsky ratio potest conferre ad veritates christianas tuendas contra incredulitatem et pravas fidei doctrinas: разумъ можетъ способствовать огражденію христіанскихъ истинъ отъ невѣрія и неправовѣрія (4). Ipsa enim adiuvante theologus aptior fit ad solvenda praeiudicia, obiectiones, dubia quae pro temporum circumstantiis ad fidem convellendam vel labefactandam ab incredulis vel ab haereticis congeruntur. Rationis humanae argumenta in refellendis obiectionibus adversariorum omnino theologis necessaria censet Macarius, qui suam sententiam Patrum auctoritate fulcit (5). A prisca iam aetate, ait Andrutzos, cooperatio rationis visa est omnino necessaria ut theologi adversus incredulos rite tueantur veritates fidei (6).

(1) *Κακοδοξίᾳ καὶ φιλοτιμίᾳ δουλεύσαντες καινῶν εὑρεταὶ δογμάτων.* — *Strom.*, l. V, t. IX, col. 940.

(2) *Αἱρετικῶν δὲ παῖδες, διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐγλωττίας ἀπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων· ὥσπερ μέλιτι, τῇ τοῦ Χριστοῦ προσηγορίᾳ τὰ τῶν δυσσεβῶν δογμάτων ἰοβόλα συγκαλύπτοντες· περὶ ὧν ἁπάντων ἅμα λέγει Κύριος. Βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ τῆς πίστεως διδασκαλία, καὶ εἰς αὐτὴν ἐξηγήσεις γίγνονται.* — S. Cyr. Hieros., *Cateches*, IV, n. 2; *P. G.*, t. XXXIII, coll. 456-457.

(3) L. IX, c. 4, t. I, p. 472.

(4) T. I. p. 31.

(5) T. I, p. 31.

(6) *Ἡ ὑπηρεσία τοῦ ἀνθρωπίνου λόγου ἀναγνωρίσθη ἔκπαλαι ὡς ἀναγκαία καὶ ἀπαραίτητος ἐπικουρία εἰς κατοχύρωσιν τῶν θείων ἀληθειῶν κατὰ τῆς ἀπιστίας.* P. 19, Bulgaris, pp. 19-22. Ad pleniorem tractationem huius thematis ex theologis tum catholicis, tum protestantibus, consulendi praesertim: Vedelius, *Rationale Theologicum seu de necessitate et vero usu principiorum rationis in con*

Plura non addimus. Ex allatis enim testimoniis luculenter constat doctrinam orthodoxam in gravissimo hoc themate catholicae adamussim convenire. Utinam et in omnibus aureum istum consensum nancisci potuissemus!

21. Ex eo quod scholastica conata sit fidem cum ratione conciliare, ac philosophiae auxilium non despexerit, scriptores quidam orthodoxi eam rationalismi insimularunt. Hancce merere reprehensionem scholasticos putat vel Solovev, catholicorum principiorum in Russia strenuissimus vindex. Ad eius sententiam apud scholasticos ratio sibi usurpat ius dirimendi controversias fidei. Auctoritas enim per seipsam vim non habet; verum aeque ac falsum propugnare potest. Oportet igitur ut ratio eam legitimam esse declaret nec non vacuam errorum. Conficitur inde rationem unice possidere veritatem. Auctoritas suapte natura qualibet destituitur vi: si conformis reperitur rationi, inutilis deprehenditur; si ab ea difformis, tanquam falsa rejicitur (1).

Clarissimus philosophus, hospes sane in scholastica cum haec dixit, perspectum non habuit scholasticos veri nominis rationem quidem adhibuisse ad credibilitatem auctoritatis discernendam ac pericli-

---

troversiis theologicis, Genevae, 1628; Nicolai, *De philosophiae studio cum theologia coniungendo*, Elbingae, 1651; Walckenier, *Dissertatio theologica de usu rationis in theologia*, Lugduni Batavorum, 1668; Pascha, *Disputatio philosophica de usu philosophiae in theologia*, Wittembergae, 1672; Hassert, *An philosophia cum theologia pugnet*, Lipsiae, 1684; Kempe, *De usu rationis in controversiis etiam theologicis ac religiosis adhibendae*, Kiliae, 1685; Ieger, *De philosophiae cum theologia concordia et usu*, Wittembergae, 1690; Keber, *Exercitatio de usu philosophiae in theologia*, Regiomonti, 1705; Gaussen, *De utilitate philosophiae ad theologiam*, Halae, 1723; S. F., *De theologiae inter reliquas scientias singulari eminentia et principatu*, Ienae, 1755; Foertsch, *De coniungendo cum theologia philosophiae studio*, Goettingae, 1756; Mueller, *De philosophiae in theologiam meritis*, Wittembergae, 1776; Brown, *De religionis et philosophiae societate et concordia maxime salutari*, Traiecti ad Rhenum, 1788; G. A., *De verae philosophiae erga religionem christianam pietate*, Berolini, 1836; Meissner, *De officiis atque limitibns rationis in dijudicanda religione revelata*, Nordhausen, 1853; Clemens, *Ueber das Verhältniss der Philosophie zur Theologie*, Moguntiae, 1870; *Glauben und Wissen nach S. Thomas, Theologische Quartalschrift*, (Tubingae), t. XLII (1860), pp. 273-340; Knittel, *Pistis und Gnosis bei Clemens von Alexandrien*, Ib., t. LV (1873), pp. 200-201; Hettwer; *De fidei et scientiae discrimine et consortio*, Vratislaviae, 1875. Ad scholasticae defensionem quod attinet, praeter iam citata Cappelmayr, Clementis, Kleutgen, Talamo opera, memoratu digna *Lettere apologetiche in difesa della teologia scolastica e della filosofia peripatetica*, auctore Benedicto Aletino, Neapoli, 1694.

(1) Кризисъ западной философіи: противъ позитивистовъ (*Crisis philosophiae occidentalis: contra positivistas*), Собраніе сочиненій (*Collectio operum*), t. I, Petropoli, 1901, p. 29.

tandam, semper tamen suis in controversiis statuisse, discidio exorto fidem inter ac rationem, non per istam, sed per auctoritatem magisterii ecclesiastici solutionem, quae dubia penitus arceat, esse obtinendam. Falso igitur ponitur ratio ut supremus iudex in controversiis fidei: discutit ipsa quidem, sed si necesse est ut feratur sententia ad contendentes tranquillandos, hancce pronuntiare ad magisterii ecclesiastici auctoritatem pertinet. Sicut *ratio speculativa* submittitur principiis revelatis fidei, ita *ratio dijudicativa* submittitur auctoritati Ecclesiae.

Fatemur interdum scholasticos tutissimam hanc normam agendi oblivione contrivisse, Ecclesiaeque auctoritati sua praetulisse deliramenta. Hoc tamen facinus vitio vertendum non est toti theologiae scholasticae. Quidam ex scholasticis, ut Abaelardus, Roscelinus, Berengarius etc. rationalismo sua scripta asperserunt, sed eorum audaciam confestim contudit Ecclesia. Quidam etiam ex scholasticis sanctitate doctrinaque insignibus, Hugo a S. Victore, S. Bonaventura etc. videntur interdum nimium in mysteriis fidei explanandis indulgere rationi, eorumque quandam tueri comprehensionem. Sed laudati scriptores conceptis verbis docent clariorem hanc dogmatum intellectionem nunquam fieri per vires naturales rationis, sed per *mentis ascensum*, per *processum divinae illuminationis*, per *illuminationem divinae charitatis* (1). Quo propius enim ad Deum accedit pietate et charitate fervidum cor, eo fulgidius illustratur mens atque *evidentius* inspicit abscondita Dei mysteria. Hoc tamen donum quod paucissimis perillustribus sanctitate viris Deus largitur, ut quid nobis naturale accipiendum non est. Ac doctores scholastici quos memoravimus, diserte asserunt, ut S. Bonaventura, Deum cognosci non posse in sua spiritualitate ab intellectu.

Calumniantur igitur scholasticos qui eos insimulant rationalismo favisse novaque in catholica Ecclesia dogmata condidisse (2). Inique hisce calumniis notari doctores scholasticos fatentur et ipsi protestantes qui studio partium non indulgent (3). Placet itaque hocce caput perpul-

(1) Gonzalez, t. II, p. 175.

(2) Owerbeck, *Our position opposite roman catholicism, The orthodox catholic review*, t. I, Londini, 1867, p. 221.

(3) The task the Schoolmen undertook was to confirm what they had inherited. For this reason they made no original contributions to exegesis and biblical Theology. They discovered no new dogmas. They dit not propose to be independent investigators in the domain of dogma. Under the yoke of authority they were, and yet they wrought out systems of great speculative ingenuity and argumentative strenght. They wrought a great work for their own times. — Schaff, *The Princepton theol. review*, 1904, II, p. 186. Cf. Kleutgen, III, p. 28.

chris Cappelmayr verbis in defensionem scholasticorum absolvere: « Nihil timendum rationalismi. Scholastici enim adstruunt quidem rationalem dogmatum christianorum intelligentiam, quantulacumque, sed toto animo abhorrent ab ea intelligendi ratione, quae propriam dogmatum vim et notionem rationalismi vulgaris more destruat, et in deformem detrahat naturam, substituta altera diversaque dogmatis substantia, placitis novis adinventa. Applicant rationem ad mysteria pervestiganda, sed fundamento firmo innixam, fidei lumine excultam et in altius provectam, ut in devium aberrare nequeat. Fidem cum in omni inquisitione theologica intellectum praecedere oportere consensu unanimi affirment, quo iure necessitati revelationis asserendae detrimenti quid intulisse, atque mysteriorum naturam evertisse dicendi sunt? Quisquis enim rerum creatarum ordinem ad certas leges et ideas revocando indagaverat, quemadmodum tollere naturam vel neglectam habere summa diceretur iniuria, si quidem in concessis est viceversa sublata natura omne indagandae naturae studium eversum iri, ita scholasticos credenda quodammodo intelligi posse asserentes, non destruxerunt, sed confirmarunt fidem, qua praevia tanquam experientia probatis in naturali rerum ordine usi ad intellectum perveniri posse sibi persuaserant. Admiramur potius scholasticorum temperantiam a parte utraque bene prudenterque moderatam, cum neque fidei, neque rationi nimium tribuerent ant demerent, adeoque iura utriusque inviolabilia sarta tecta tenerent, ut haesitanti animo perquirere liceat, utrum summam in Dei revelationem reverentiam et submissionem humillimam magis probaverint, an ingenii labore indefesso acuendi, intellectum in rebus difficillimis provehendi studio, speculandi divina ardore acerrimo et idearum cum sublimitate tum ubertate plus profecerint » (1).

(1) Op. cit., pp. 27-28. Calumnias in scholasticam perbelle diluunt G. Vasquez, *Commentaria et disputationes in Summam S. Thomae*, t. I, Parisiis, 1905, pp. 20-24; Wilmann, *Geschichte des Idealismus*, t. II, Braunschweig, 1896, pp. 321-441; Schwalm, *Les deux théologies, la scholastique et la positive*, *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. II, 1908, pp. 674-703.

CAPUT VII.

De theologia symbolica ac de veteribus documentis symbolicis in Ecclesiis orientalibus.

1. Proposita definitione theologiae symbolicae, quid vox *symbolum* innuat *etymologice*, investigatur. — 2. Singulae propositae definitionis partes enucleantur atque explicantur. — 3. *Συλλογαί* vel collectiones librorum symbolicorum Ecclesiarum orientalium usque nunc typis vulgatae. — 4. De compendiis theologiae symbolicae orthodoxae: definitiones ac methodus theologiae symbolicae juxta scriptores orthodoxos. — 5. De origine symboli apostolici: rationes quibus a theologis orthodoxis authenticitas huius symboli impugnatur, producuntur. — 6. Sententia catholica exponitur, ac primum apostolicitas veritatum, quae in symbolo apostolico continentur, vindicatur. — 7. Apostolicitas temporis, quo symbolum hocce compositum fuit, ostenditur. — 8. Quid sentiendum de veteri traditione quae Apostolos conditores symboli vulgo dicti apostolici, exhibet. — 9. De symbolo nicaeno-constantinopolitano iuxta scriptores catholicos atque orthodoxos. — 10. Sententia A. Lebedev circa originem huiusce symboli enucleatur. — 11. De symbolo athanasiano: quid de eo sentiant scriptores orthodoxi, praesertim in controversiis ad procurandam unionem Ecclesiarum orientalium cum Anglicanis. — 12. Concilia oecumenica ut fontes theologiae symbolicae ad sententiam scriptorum orthodoxorum.

1. De theologia symbolica in Ecclesiis orientalibus, jam jam acturi, praemonendum ducimus fere nihil ad eam quod pertinet in compendiis theologiae catholicae tradi. Hancce quidem lacunam haud satis unquam dolendam censemus. Nostra enim aetate, ut controversiae cum osoribus catholici nominis instituantur, oportet accurate nobis innotescant fontes ex quibus doctrinas theologicas separatarum Ecclesiarum haurimus. Interdum enim ex secundariis vel alienis fontibus heteredoxorum depromentes sententias, quas arguendas aggredimur, vel ignorantiae insimulamur, vel inhonesti dicimur, quippe qui nostrorum adversariorum placita sincere non exponimus. Operam igitur non lusero, si paucis de libris symbolicis Ecclesiarum orientalium pertractavero.

Theologiam symbolicam hisce verbis definiendam puto: « *Scientia quae, ex documentis authenticis, Ecclesiarum vel sectarum chri-*

stiani nominis doctrinas credendas enucleat, explicat, atque ad invicem critice comparat. Singulas huius definitionis partes breviter perpendemus.

α') Ad etymon quod spectat huius vocis *symbolicae*, compertum est eam ex graeco verbo *συμβάλλειν* derivare, quod sibi vult comparationem instituere inter duas res, ex eaque consectarium aliquod deducere, notam quandam eruere quae naturam huius vel illius rei pressius curatiusque determinet. Inter scriptores ecclesiasticos Tertullianus, disserens de baptismate, adhibet locutionem *symbolum mortis*, ut innuat baptisma sibi velle mortem veteris hominis, imaginem scilicet praeseferre mortis quam praestans sequitur vita (1). Apud Cyprianum, occurrit primum ad significandam fidei formulam, qua nos ab haereticis secernimur, quamque profitemur, ut genuini Christi discipuli dicamur atque agnoscamur (2). Ab aetati Cypriani invaluit usus per hanc vocem exprimendi complexionem aliquam veritatum fidei, quae, ut ita dicam, pro regula doctrinali fidelium habeatur in credendis, sitque, verbis utar S. Irenaei, corpusculum veritatis christianae: *σωματεῖον τῆς ἀληθείας.*

Symbolum generatim triplici adhibetur significatione apud scriptores christianos. Primum, *symbolum* latine dicitur *collatio*, illud scilicet quod in convivio unusquisque dat ad pecuniam solvendam pro cibis quibus vescitur. Symbolum (loquimur de symbolo apostolico) mensa quodammodo est, ad quam comparandam, juxta veterem traditionem, singuli apostoli suam partem contulerunt. Huncce sensum adnectit Rufinus symbolo: « Symbolum illud est » quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit » (3). Eandem significationem uberius tradit Cassianus: « Symbolum, ut scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim graece *σύμβολον* dicitur, latine collatio nominatur. Collatio autem ideo, quia in unum collata ab apostolis Domini, totius catholicae legis fide, quidquid per universum divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in symbolo colligitur brevitate perfecta ... Hoc est ergo breviatum verbum quod fecit Dominus, fidem scilicet duplicis Testamenti sui in pauca colligens, et sensum omnium

(1) *De Poenit.*, c. 6, *P. L.*, t. I, col. 1349.

(2) Quod si aliquis illud opponit et dicat eandem Novatianum legem tenere quam catholica Ecclesia teneat, *eodem symbolo*, quo et nos baptizare ..., *Ep. ad Magnum*, n. 7, *P. L.*, t. III, col. 1190-1191.

(3) *Commentarius in symbolum apostolorum*, n. 2, P. L., t. XXI, col. 337.

Scripturarum in brevia concludens, sua de suis condens, et vim totius legis compendiosissima brevitate perficiens » (1).

Ex proposito etymo, definitiones illae conficiuntur, quibus Symbolum exhibetur tanquam « breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat nec oneret memoriam » (2), tanquam « brevis fidei confessio, religionis continens elementa » (3), scilicet « omnem tam veteri quam novo in Testamento inclusam pietatis cognitionem, velut in sinu » (4). Scriptores orthodoxi tenent veritati consonum esse symbolum *collationem* innuere, sed etymologice tantum, non autem historice. Traditio enim quae Apostolos Symboli conditores statuit, omni destituitur firmamento (5).

Altero sensu, vox *σύμβολον* exprimit judicium, notam, tesseram. Apud graecos enim latinosque scriptores symbola dicuntur in re militari signa, *τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα*, vel tesserae, quibus milites eiusdem exercitus inter se dignosci possunt (6). Hancce significationem approbat explicatque Rufinus: « Istud indicium posuerunt Apostoli, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum apostolicas regulas praedicaret. In bellis enim civilibus hoc observari ferunt, quoniam et armorum habitus par, et sonus vocis idem, et mos unus est, atque eadem instituta bellandi; ne qua doli subreptio fiat, symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quae latine signa vel indicia nuncupantur, ut si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum, prodat si sit hostis vel socius » (7).

(1) *De Incarnatione Christi*, l. VI, c. 3, t. L, col. 146-149. In pseudo-epistola S. Clementis I ad Iacobum legitur: « Collata apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes praedicarent ». *P. G.*, t. I, col. 473. Hanc tamen epistolam a pseudo-Isidoro saeculo IX conflatam fuisse supervacaneum arbitror demonstrare. Cf. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Litteratur*, t. I, Friburgi, 1902, pp. 118-119.

(2) S. Aug., Sermo CCXIII *In trad. Symb.*, P. L., t. XXXVIII, col. 1060.

(3) *Ἡ στοιχειώδης καὶ σύντομος ὁμολογία τῆς πίστεως, ὅ καὶ σύμβολον ἱερὸν καλεῖται.* — Euth. Zigabenos, *Panoplia dogmatica*, Prol., *P. G.*, t. CXXX, col. 21.

(4) *Ἐν ὀλίγοις ῥήμασι πᾶσαν τὴν ἐν παλαιᾷ καὶ καινῇ τῆς εὐσεβείας γνῶσιν ἐγκεκόλπισται.* — S. Cyr. Hieros., *Cat.* V, n. 12, *P. G.*, t. XXXIII, col. 524.

(5) *Ἐτυμολογικῶς μὲν οὐκ ἐσφαλμένως ἔχει, ἱστορικῶς δ' ἐρείδεται ἐπ' ἀβεβαίου παραδόσεως, τ. ε. λέγει, ὅτι δυνατὸν νὰ λέγηται σύμβολον, διότι παράδοσίς τις ἦν, καθ' ἣν ἕκαστος τῶν ἀποστόλων συνέβαλλε, συνεισέφερε τὴν συμβολήν, τὸν ἔρανον.* — Mesoloras, *Συμβολική*, t. I, p. 3.

(6) H. Stephanus, *Thesaurus graecae linguae*, ed. Didot, t. VII, col. 1059-1060.

(7) Loc. cit., coll. 337-338.

Eadem tradit S. Maximus Taurinensis: « Quod beati Apostoli, ut ego reor, exemplum sequentes Ecclesiae Dei quam adversus malitiam diabolici furoris armabant, mysterium symboli tradiderunt, ut quia sub uno Christi nomine credentum erat futura diversitas, signaculum symboli inter fideles perfidosque secerneret, et alienus a fide atque hostis appareret Ecclesiae, aut tanquam baptizatus nescisset, aut tanquam haereticus corrupisset » (1).

Si hoc sensu accipiatur symbolum, de eo fas est dicere quod sit *regula fidei immobilis atque irreformabilis* (2), regula veritatis, *ὁ κανὼν τῆς ἀληθείας* (3). Generatim scriptores qui theologiam symbolicam pertractant, symboli voce utuntur ad significandas breves expositiones fidei quibus veri Christi milites a falsi discriminantur. Symbolum vocale signum est per quod principium distinctionis habetur in agminibus christiani nominis, ac simul principium unionis pro eis qui fidem eandem profitentur (4).

Denique symbolum similitudinem quandam innuit: « Symbolum nuncupatur a similitudine quadam, translato vocabulo: quia symbolum inter se faciunt mercatores, quo eorum societas pacto fidei teneatur » (5). Hoc sensu exprimit symbolum spiritualem unionem, mysticam communitatem fidelium, qui cum unius eiusdemque fidei professione obstringantur, unum veluti corpus efficiunt (6). Ut jam innuimus, secunda interpretatio ceteris praeferenda videtur. « Symbolum enim, ait Euthymius Zigabenos, nominatur tanquam signum fidei quae est in anima. Cum enim incorporea sit anima, eiusque dogmata invisibilia atque obscura, idcirco ea opus habuit huiusmodi confessione, ut per illam interna eius fides manifesta fiat, nec ullus relinquatur ambigendi locus » (7). Cum igitur communis haec sit interpretatio huius

(1) *De traditione symboli, P. L.*, t. LVII, col. 433.

(2) Tertull., *Lib. adv. Praxeam*, c. II, *P. L.*, t. II, col. 180.

(3) Iren., *Contra haereses*. l. I, c. 9; *P. G.*, t. VII, col. 545; Cf. Müller, *Symbolik*, Lipsiae, 1896, pp. 36-37.

(4) *Ἡ ὀρθοτέρα ἑρμηνεία τῆς λέξεως εἶναι ἡ ἑρμηνεύουσα τὸ σύμβολον διὰ τοῦ σημείου διακριτικοῦ καὶ ἑνωτικοῦ, διότι ἡ ὁμολογία αὕτη τῆς πίστεως οὐ μόνον διέκρινε τοὺς χριστιανοὺς τῶν ἐθνικῶν καὶ ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τούτους συνήνωσε καὶ ὡς ἓν σῶμα ἐδήλου.* — Mesoloras, t. I, pp. 3-4.

(5) S. Aug., loc. cit., *P. L.*, t. XXXVIII, col. 1058.

(6) Al. Gazaeus, *Commentarius in libros Cassiani de Incarnatione Christi*, *P. L.*, t. L, col. 147.

(7) *Σύμβολον ὀνομάζεται, ὡς σημεῖον τῆς ἐν ψυχῇ πίστεως. Ἐπειδὴ γὰρ ἀσώματον πρᾶγμά ἐστιν ἡ ψυχή, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ δόγματα ἀφανῆ τε καὶ ἄδηλα, τούτου χάριν τῆς ὁμολογίας ταύτης ἐδέησεν αὐτῇ, ἵνα διὰ ταύτης ἡ ἐνδιάθετος αὐτῆς πίστις ἐκφαίνηται, καὶ μὴ ἀμφιβάλληται.* — *Expos. Symboli*, *P. G.*, t. CXXXI, col. 9.

vocis, recte libri symbolici a Budeo definiuntur « scripta, quae ab Ecclesia aliqua ita recepta sunt, ut per ea, et doctrinam illis comprehensam, a reliquis coetibus et ecclesiis, quibuscum ceteroquin consentire videri poterat, discerni velit ac separari » (1).

2. Dicimus *ex documentis authenticis*. Theologiae enim symbolicae munus est ut curate doctrinam cuiusdam Ecclesiae vel sectae christianae nobis concinnet. Ad propositum igitur sibi officium persolvendum, opus est suam hauriat materiam ex fontibus illis, quorum authenticitatem Ecclesia illa vel secta diserte agnoscit. Hoc monendum ducimus ut fallax praecaveatur methodus in theologia symbolica tractanda. Sincera Ecclesiarum sectarumque christianarum doctrina non ex penu theologorum, sed ex authenticis earum confessionibus fidei enucleanda est. Nullum enim cordatum hominem latet theologos suas saepe peculiares sententias mordicus tueri tanquam dogmata Ecclesiae vel sectae cui nomen dedere. Equidem non asserimus in comparanda theologia symbolica theologos aspernandos esse, eorumque scripta ignoranda. Fatemur sane ex hisce maximum capi elementum in praecipuis fidei capitibus Ecclesiarum sectarumve christianarum investigandis detegendisque. Attamen sedulo distinguendum est inter peculiares theologorum sententias, ac doctrinam authenticam huius vel illius Ecclesiae.

Dicimus *Ecclesiarum vel sectarum christiani nominis*. Haec innuunt verba theologiam symbolicam quodammodo ortum habuisse ex luctuosa in Ecclesia Christi schismatum haeresiumque praesentia. Etenim si tam doctrinae quam regiminis unitate semper potita esset Christi Ecclesia, nullum est dubium quin theologia officium abdicasset revocandi ad trutinam varias confessiones fidei Ecclesiarum sectarumve Christianarum. Ex scissione corporis mystici Christi factum est, ut corruptores fidei, ad suum lapsum seditionemque in legitimam auctoritatem approbandam animum adjunxerint ad nova symbola conscribenda, ad redigendas epitomes doctrinarum illarum quarum ipsi statores ac vindices extitere. Praeclarissimus inter catholicos theologiae symbolicae scriptores, Möhler, recentiorem originem symbolicae innuit eamque saeculo decimo sexto, post exortam lutheranam haeresim, invectam fuisse statuit (2). Si mansisset inviolata unitas Ecclesiae, si

(1) *Isagoge historico-theologica ad theologiam universam singulasque eius partes*, Lipsiae, 1727, p. 439.

(2) Unter Symbolik verstehen wir die wissenschaftliche Darstellung der dogmatischen Gegensätze der verschiedenen, durch die kirchlichen Revolutionen des sechszehnten Iahrhundertes nebeneinder gestellten, christlichen Religionsparteien aus ihren öffenttichen Bekenntnisschriften. *Symbolik*, Moguntiae, 1833, p, XV.

fidem semper eandem, omnes qui Christi nomine gloriantur, servassent. eo, quo nunc accipitur, sensu, quatenus scilicet intestinum bellum ac dissensiones praesumit in Ecclesia, proculdubio non extitisset.

Dicimus *doctrinas credendas enucleat.* Primum enim theologiae symbolicae officium est ut sinceram aggrediatur expositionem fidei quae ut propria vindicatur ab Ecclesia quadam vel secta christiana. Conficitur inde ad eam non pertinere speculationis ope, vel exegeseos, vel traditionis hancce fidem fusius evolvere, copiosius tueri vel impugnare. Qui theologiae symbolicae dant operam in id praesertim incumbere debent ut fideliter ex libris symbolicis quos perlegendos suscepere, illa doctrinarum hauriant capita quae maxime conferant ad perfectam cognitionem fidei per eos expressae comparandam. Materiam igitur suarum tractationum proprio marte non creat theologus: hancce quidem paratam in libris symbolicis invenit, ac tantum curat ut systematico tradatur ordine.

Adiungimus *explicat.* Constat enim ratione brevitatis vel interdum verborum ambiguitatis ex industria adhibitae, sententiae quaedam in libris symbolicis propositae ancipitem sensum exhibere, dubias efferre interpretationes, ac pugnantes inter se consecutiones. Hac de causa theologus, praesertim si ei contingat de fidei doctrina disserere quae

---

Communis est sententia apud historicos theologiae symbolicae hancce suum exordium habuisse, cum Martinus Chemnitius in lucem edidit opus quatuor voluminibus comprehensum: *Examen Concilii Tridentini*, Francofurti, 1563-1573; Cf. Gass, *Geschichte der protestantischen Dogmatik*. t. I, p. 70. Eam primum conati sunt in ordinem systematicum redigere L. Rechtenbach, *Encyclopaedia symbolica*, Lipsiae, 1612, et B. Carpzovius, *Isagoye in libros symbolicos Ecclesiarum lutheranarum*, Lipsiae, 1665. Compendia systematica theologiae symbolicae inter protestantes primum enuclearunt Bernhardus von Sanden, *Theologia symbolica lutherana*, Lipsiae, 1688, (hocce in volumine primum adhibita est vox symbolicae ad innuendum genus theologiae de quo nobis est sermo); G. I. Plank, *Abriss einer historischen und vergleichenden Darstellung der dogmatischen Systeme unserer verschiedenen christlichen Parteien*, Gottingae, 1796; Philippus Marheinecke, *Christliche Symbolik*, Heidelbergae, 1810-1813. Postremus hic auctor laudatur tanquam pater theologiae systematicae symbolicae. Cf. Heinrici, *Theologische Encyklopädie*, Lipsiae, 1893, pp. 182-183; von Scheele, *Die christliche Symbolik*, apud Zöckler, *Handbuch der theologischen Wissenschaften*, t. II. pp. 696-697; Müller, *Symbolik*, p. 9. Inter scriptores catholicos eminet Möhler, ad cuius symbolicam coarguendam theologorum protestantium agmina enixis viribus adlaborarunt. In hoc tamen certamine, testatur theologus orthodoxus Michalcescu, suos adversarios ita Möhler superavit ut ex eis nemo cum eo comparari possit ad tractationis altitudinem quod attinet: « *Mulți Teologi protestanți s'i aŭ încercat forțele ca să răspundă luĭ Möhler, dar nicĭ una din scrierile îndreptate în contra ĭ nu s'a putut ridica la înălțimea luĭ.* — *Compendiu de teologie simbolică*, p. 22.

ad coetum pertinet credentum cui non est addictus; ad sua exinde dubia solvenda, oportet scriptores optimae notae consulat, qui dogmata suae Ecclesiae vel sectae eruditionis copia ingeniique acumine exposuere. Ex quo sequitur in pertractanda theologia symbolica despiciendos non esse theologos, praesertim dogmaticos. Horum quidem investigationibus utendum, illudque tantum cavendum ne scriptis ab eis exaratis auctoritatem librorum symbolicorum tribuamus. Ex hisce accipimur rerum tractandarum substantiam, ex illis vero seligimus conclusiones, praecipua symbolicorum librorum capita illustrantes.

Concludimus denique *ad invicem critice comparat* ut illud exprimamus quod plurimum confert ad rationem scientiae theologiae symbolicae communicandam. Vix ac ne vix hancce rationem assequeretur si suo munere perfunctam esse putaret, cum materias in libris symbolicis contentas ordinate tantum proposuerit. Theologus qui animum adjungit ad eam colendam, non potest quin comparationem instituat inter varias fidei professiones, quod munus si persolvat, pro suis persuasionibus sua sponte inducitur ad illas carpendas, hasce vero approbandas. Quo fit ut theologiam polemicam penitus abjicere in theologia symbolica pertractanda, censeatur perdifficile. Si quis enim sibi persuasum habuerit, fidem quam profitetur, veritatis nitorem praeseferre, in symbolis dijudicandis quae fidem hanc oppugnant, temperare nequit ab eis refellendis vel explodendis (1). Comparatio igitur institui debet inter doctrinas quae in libris symbolicis diversarum Ecclesiarum sectarumve continentur, atque huiusmodi comparatio ad normas artis criticae componenda est.

Nonnullis scriptoribus protestantibus nomen theologiae symbolicae lacunosum censent, cum non satis exprimat eius obiectum. Huic nomini praeferenda autumant nomina *scientiae comparativae religionum*, vel *scientiae christianarum confessionum* (2). Haec nobis sen-

(1) Ad sententiam Möhler theologia symbolica neque apologeticum, neque polemicum finem sibi proponit, indirecte tamen ad utrumque tendit iuxta persuasiones scriptoris, qui eam tractandam aggreditur: « Die Symbolik zunächst und unmittelbar verfolgt weder polemische noch apologetische Zwecke. Sie will nur darstellen, mit den Differenzen der genannten sich gegen überstehenden christlich-kirchlichen Gemeinschaften nur allseitig und gründlich bekannt machen. Allerdings wird sich auf eine indirekte Weise die Darstellung theils vertheidigend, theils angreifend verhalten; denn schon die persönliche Ueberzeugung des Symbolikers, wenn er anders eine solche gewonnen hat, wird sich unwillkührlich aussprechen, und sich bald billigend und beifällig, bald tadelnd und widersprechend vernehmen lassen ». Op. cit., p. XV.

(2) Kattenbusch necessitatem eruit nominis theologiae symbolicae immutandi ex eo quod novis iam tractationibus ditata theologia haec veteres iam praeter-

tentia non arridet. Invaluit enim usus per theologiam symbolicam scientiam comparativam *confessionum* christianarum significandi: supervacaneum igitur est aliud nomen cudere ad rem eandem definiendam, eo magis quod theologi orthodoxi graeci generatim id accepere.

3. Libris symbolicis Ecclesiarum orientalium in unum corpus colligendis, notisque ac dissertationibus illustrandis plures scriptores sive catholici, sive protestantes vel orthodoxi insudarunt. Quatuor praecipue collectiones memoratu dignae. Inter eas, tam antiquitate quam disquisitionum copia et nitore in confesso est primas tenere collectionem quam typis vulgavit Emmanuel Schelstrate, antwerpiensis, Bibliothecae Vaticanae custos, « vir admodum eruditus, in antiquitate ecclesiastica versatissimus, iurium primatus strenuus vindex » (1). Obiit anno 1682. Opus quod de libris symbolicis Graecorum summa comparavit diligentia, inscribitur: *Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim, monumentis, notis, ac dissertationibus illustrata, una cum Epistola Christophori Ranzovii adversus lutheranorum errores*. Romae, 1739. Haec *συλλογή* continet documenta fidei orientalis Ecclesiae ab anno 1406 (excerpta ex operibus Simeonis Thessalonicensis archiepiscopi ad quaestiones cum Lutheranis controversas spectantia), usque ad annum 1684.

Maximam huic volumini praestantiam addunt perdoctae dissertationes in quibus pravas protestantium sententias refellit auctor, atque erudite disceptat de Eucharistiae sacramento, de communione sub unica specie, de missis privatis, de indulgentiis, de jejuniis et delectu ciborum.

Ex protestantibus, saeculo XIX idem aggressus est opus Ernestus Iulius Kimmel, ruthenus, licentiatus theologiae academiae Ienensis. *Συλλογὴ* ab eo in lucem edita, inscribitur: *Libri symbolici Ecclesiae orientalis, nunc primum in unum corpus collegit, variantes lectiones ad fidem optimorum exemplorum adnotavit, prolegomena addidit, indice rerum praecipuarum instruxit* Ernestus Iulius Kimmel, Ienae, 1843. Haec tamen prior editio lacunosa est, cum in ea

---

gressa est limites. Novum igitur nomen invehendum est quod curatius exprimat ampliatum theologiae symbolicae obiectum: « Die Symbole zeigen immer bloss die Lehre der Kirche. Aber eine Kirche besitzt nicht blosse Lehre. Ihre Lehre ist mir die Voraussetzung ihrer Frommigkeit Will die Confessionskunde sich ihre Aufgabe nicht willkürlich begrenzen, so muss sie die Kirchen überhaupt in ihren Leben zeichnen. Verfassung und Kultus sind auch Obiecte der Confessionskunde ». *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, p. 20.

(1) Hurter. *Nomenclator litterarius recentioris theologiae catholicae*, t. III, Oeniponte, 1893, col. 543.

non reperiatur *Confessio* Metrophani Critopuli. Kimmel, qui probe noverat hasce lacunas, sibi proposuerat supplementum in lucem edere, sed immatura morte praeventus († 28 aprilis 1846) opus infectum reliquit.

Hermannus Weissenborn novam editionem voluminis Kimmel typis mandavit, cui secundam partem adiecit quae *Confessionem* Metrophani Critopuli, et synodum constantinopolitanam anni 1572 exhibet. Haec altera editio maioris aestimatur praetii. Plura enim addidit vel emendavit Weissenborn, quae recensentur in elencho speciali primo volumini adiuncto. Inter libros symbolicos Ecclesiae orientalis vulgavit Kimmel etiam *Confessionem* Cyrilli Lucareos quae potius lutherana quam orthodoxa dicenda est.

E scriptoribus orthodoxis libros symbolicos collegerunt ediderunt que Iohannes Mesoloras, atque Iohannes Mihalcescu. Prior, graecus natione, theologiae professor in Atheniensi universitate edidit opus inscriptum: *Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, t. I, *Τὰ συμβολικὰ βιβλία*, Athenis, 1883. Supplementum huiusce operis lucem aspexit anno 1893. In praefationibus ad singulos libros symbolicos disseritur de eorum auctore, loco, tempore, causis, materiis tractatis, authenticitate. Perfunctorie tamen suum absolvit officium auctor. Lacunis enim ac mendis scatent notae bibliographicae, ac monumenta fidei Ecclesiae orientalis sine methodo critica hocce in opere vulgantur.

I. Mihalcescu, romenus, abhinc paucis annis novam *συλλογὴν* librorum symbolicorum typis edendam curavit, quae inscribitur *Thesaurus orthodoxiae*: *Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας*, *Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen kirche im Originaltext, nebst einleitenden Bemerkungen*, Lipsiae, 1904. Auctor recudit textus a Kimmel in lucem editos eosque adnotatiunculis instruit. Insuper addit excerpta quaedam e conciliis oecumenicis, liturgiam S. Iohannis Chrysostomi, regulas monasticas S. Basilii, ac preces quasdam liturgicas. Dolendum sane graecos textus latina in hoc volumine carere versione. Nefas enim est praesumere ut omnes ea potiantur graecae linguae peritiae quae necessario requiritur ad monumenta haec fidei orientalis in textu originali pervolutanda.

4. Systematica theologiae symbolicae compendia inter protestantes typis mandarunt Gass et Kattenbusch, inter orthodoxos autem Mesoloras, Andrutsos, Mihalcescu. Ad sententiam Gass, in theologia symbolica primas tenet analysis doctrinae dogmaticae: haud tamen despicienda sunt quae ad moralia vel ad praxim pertinent. Habenda etiam ratio liturgiae et cultus. Auctor obtestatur ita se gerere ut Graecis orthodoxis nullam inferat iniuriam, imo eorum virtutes, prae-

sertim fervidum suae Ecclesiae amorem, laudet. Praeposita historia schismatis, brevem enucleat conspectum criticum librorum symbolicorum, ex quibus deinceps fidem Ecclesiae orientalis quoad dogmata, sacramenta, cultum exponit. Agit insuper de sectis russicae Ecclesiae, ac de relationibus orthodoxiae ad catholicos, protestantes et veteres catholicos. Opus utilissimum est studiosis Ecclesiarum orientalium. Plura tamen mendose exposita in eo offenduntur. Adde quod russicae Ecclesiae litteratura penitus auctorem latet. Mesoloras hocce carpit compendium, eo quod auctor (transcribo eius verba), in fontibus baptismalibus Ecclesiae Graecae ac linguae neohellenicae cum lavacrum non accepisset, non potuerit genuinum sensum ac spiritum librorum symbolicorum, quos disquirit, assequi (1).

Ferdinandus Kattenbusch opus maioribus quidem momenti exaravit: *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, t. I. *Die orthodoxe anatolische Kirche*, Tubingae, 1892. Prolegomenis praemissis, auctor paucis enarrat historiam schismatis, et conatus recenset scissae unitatis Ecclesiae iterum restaurandae. Deinceps tractat de hodiernis conditionibus orientalium Ecclesiarum, sive a Romana Ecclesia separatarum, sive communionis vinculo adhuc firmiter cum ea conjunctarum. Sequitur erudita expositio fidei Ecclesiarum orientalium quoad hierarchiam, dogmata, sacramenta et cultum. Doctum et laboriosum hocce opus haud satis laudandum. Scatet enim eruditione, quam ex optimis fontibus summa diligentia sibi comparavit auctor. Ob mancam tamen russicae litteraturae scientiam, plura in eo desiderantur, ad Ecclesiam russicam praesertim quod attinet.

Ex orthodoxis compendiis, primum recensendum est quod in lucem edidit Iohannes Mesoloras (2). Theologia symbolica hisce verbis ab eo

(1) *Τὸ σύγγραμμα τοῦτο, εἰ καὶ πολλῆς ἀξίας διὰ τὸ πρωτότυπον αὐτοῦ, δὲν εἶναι ἀπηλλαγμένον σφαλμάτων τινῶν, διότι ὁ μὴ βεβαπτισμένος ἐν τῇ τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας καὶ τῆς νεωτέρας ἡμῶν γλώσσης κολυμβήθρᾳ, ἐν ᾗ γεγραμμέναι τυγχάνουσι αἱ πλεῖσται τῶν ὁμολογιῶν ἡμῶν, δὲν δύναται νὰ κατανοήσῃ τὸ πνεῦμα αὐτῶν ἐξ ἧς ἀγνοίας παρεμορφώθη καὶ συνεχύθη πολλάκις ἡ ὀρθόδοξος διδασκαλία, ἐκτιθεμένη ὑπὸ δυτικῶν ἢ διαμαρτυρομένων.* — Op. cit., t. I, p. 23. De opere Gass, *Symbolik der griechischen Kirche*, Berolini, 1872, egit N. Rojdestvensky, Символика греческой церкви Dr. W. Gass, и толки по поводу ея въ нѣмецкой богословской литературѣ (*Symbolica Ecclesiae Graecae a Dr. W. Gass in lucem edita ac discussiones quae eius causa in litteratura theologica Germaniae exagitatae sunt*), Христіанское Чтеніе, 1874, t. II, pp. 165-190. De symbolica graecae Ecclesiae iam egerat breviter Hahn, *Das Bekenntniss der evangelischen Kirche in seiner Verhältniss zu dem der römischen und griechischen*, Lipsiae, 1853.

(2) Opus duobus comprehenditur tomis, quorum primus libros symbolicos exhibet, alter vero (Athenis, 1901), comparat doctrinam Ecclesiae orthodoxae cum doctrina ceterarum Ecclesiarum, quoad dogmata, quoad sacramenta, quoad cultum.

definitur: « Scientia quae versatur circa analysin historicam atque expositionem scientificam comparativam praecipuarum doctrinarum quae continentur ac determinantur in authenticis symbolis ac documentis symbolicis perillustrium Ecclesiarum, ita ut per eam quid illis commune sit, quid vero controversum, pateat ». Munus igitur symbolicae, juxta graecum scriptorem, in eo reponendum, ut *genericam* cognitionem conscientiae christianae exhibeat, quatenus haec authentice ac legitime in symbolis expromitur. Theologia symbolica ita intellecta refertur simul ad historiam dogmatum quae eam praecedit, atque ad theologiam dogmaticam, cui definitiones praebet ac determinationes. Haud abs re igitur scientia historica censetur, quae iter explanat ad theologiam dogmaticam addiscendam. Ad ambitum theologiae symbolicae quod spectat, tenet Mesoloras, ex ea studium confessionum illarum expungendum esse, quae jam videntur oevum suum transegisse, ac paucos tantum adsertores nostra aetate superstites habent, ut monothelismus, monophysismus, nec non recentiorum quarundam confessionum, quae suae fidei claram accuratamque expositionem nondum promulgavere. Ex provincia tamen symbolicae theologiae non est eliminanda fidei orientalium Ecclesiarum analysis. Ea enim comprehenduntur confessiones fidei quae ab orthodoxis, catholicis ac protestantibus, Lutheri vel Calvini placitis addictis, feruntur ut suorum dogmatum authentica expositio. Theologus, qui symbolicae navat operam, sese abstinere debet a liturgia vel jure canonico pertractandis. Equidem libet ex hisce duabus scientiis argumenta depromere, si res quas utraque aggreditur, cum veritatibus dogmaticis arctissimo colligantur nexu. Ea tamen quae propria sunt liturgiae vel juri canonico in theologia symbolica discutere, supervacaneum est.

Huiusce generis theologiae utilitatem historicam ac practicam tuetur Mesoloras. Graphice enim theologia symbolica nobis ante oculos ponit certamina, quae Ecclesiae subeunda fuere ut revelationis depositum intaminatum asservaret. Ex ea discimus quot nunc temporis habentur Ecclesiae, quaenam earum jura sint ad suam quod attinet existentiam, quaenam discrepantiae quae eas scindunt, quaenam doctrinarum capita in quibus conveniunt, quaenam conditiones statuendae ut relativa inter eas pangatur unio. Praestantiam deinde symbolicae pro Ecclesiarum orientalium defensione laudat graecus scriptor. Comparatione enim instituta hasce Ecclesias inter et catholicam Ecclesiam vel protestantismum, eruitur « catholicam Ecclesiam, suos proprios ἐγωϊσμικοὺς fines assequi nisa, superfluis ac perniciosis pigmentis suam faciem infecisse, ornamentaque adhibuisse quae in tela sese immutarunt. Hisce autem armis communiti protestantes, eam tam vehementer adhorti

sunt, ut iam praefractis iaceat viribus ac magis magisque in dies debilitetur atque conficiatur. Protestantes vero, quamvis ab initio pulchrum nobilissimumque finem sibi praestituerint, citius tamen ex uno facinore in aliud idque gravius prolapsi sunt. Nullis enim limitibus circumscriptam libertatem sibi vindicantes, quae suapte natura perniciosa. in provincia potissimum theologiae detrimenta importat, omnia miscuere » (1).

Fideliter graeci scriptoris verba retulimus. Quantum a veritate aberrent quae probrose in catholicam Ecclesiam iacit, neminem fugit. Inter varias enim Ecclesias vel sectas, quae christianae appellitantur, catholica dumtaxat Ecclesia robur ac vires iuventutis possidet, ac sola verum validumque exercet influxum ad civilem societatem atque homines ad meliorem frugem reducendos. Mihalcescu lubenter fatetur theologos catholicos theologiam symbolicam pertractantes protestantibus victoriam eripuisse. Eodem plane successu in certamine theologico cum Ecclesiis orientalibus catholicam Ecclesiam facilem consecuturam victoriam mihi persuasissimum èst, ac si Deus vires suppetet meisque favebit incoeptis, quod hic assero, luculenter ostensurum confido.

Abhinc paucis annis symbolicae orthodoxae compendium vulgavit Christos Andrutsos, quae tam doctrinae copia quam expositionis claritate sinceras omnium meret laudes (2). Ab auctore definitur symbolica. *scientia quae secundum libros symbolicos coetuum christianorum, dogmaticas inter varias Ecclesias enucleat discrepantias*: *ἡ ἐπιστήμη, ἡκατὰ τὰ συμβολικὰ τῶν χριστιανικῶν κοινοτήτων βιβλία ἐκτεθεῖσα τὰς δογματικὰς αὐτῶν διαφορὰς* (3). Haec si approbetur definitio, consequitur in theologia symbolica haud omittenda quae ad theologicas doctrinas orientalium Ecclesiarum pertinent. Equidem verum est quoad fide credenda maximum non intercedere discrimen catholicam inter atque orthodoxam Ecclesiam. Gravissimum tamen discidium quod eas seiungit perpetuo mansurum tenendum est. Nunquam enim fiet, ut orientales Ecclesiae dogmati Infallibilitatis Romanorum Pontificum adhaereant, vel doctrinam de traditione, prout a theologis catholicis enucleatur, accipiant. Cum igitur graves inter christianas Ecclesias exstent differentiae dogmaticae, eis enucleandis investigandisque necesse est vacet studiosus theologiae symbolicae (4).

Quoad methodum, symbolica non coercetur ad simplicem nudamque expositionem discrepantiarum dogmaticarum. Apologeticum simul ac

(1) T. I, p. 26.
(2) *Δοκίμιον συμβολικῆς ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου*, Athenis, 1901.
(3) P. 6.
(4) P. 11.

polemicum characterem induit symbolica, si rite tractetur. Doctrina, quam Ecclesia a Iesu Christo Apostolisque accepit, unum iam corpus efficit, in quo aptissime omnia membra cooptantur. Cum igitur munus Ecclesiae in hoc tantum ponatur, ut veritates divinitus patefactas accuratioribus formulis ac definitionibus proponat, theologia symbolica scientia est quae veras doctrinas cum falsis comparat, quae illud quod rectum per Sacram Scripturam ac Traditionem deprehendimus a pravis adulteratisque sententiis discernat, nempe scientia quae polemicis utitur argumentis quin tamen in polemicam theologiam convertatur. Haec enim, quatenus immediate atque ex instituto incumbit in falsas adversariorum sententias refellendas, ac fidei orthodoxae veritatem genuinitatemque extollendam, a symbolica differt quae analysin investigationemque sibi proponit doctrinarum inter christianas Ecclesias controversarum. Ex hac quidem investigatione sua sponte fluit interdum refutatio sententiae quam tuentur adversarii; at, consecutio haec, finis ille primarius non est, quem assequi conatur studiosus theologiae symbolicae (1).

Tertium compendium symbolicae orthodoxae exaravit Iohannes Mihalcescu, quod minoris praetii quam quae supra memoravimus, aestimandum est. Non secus ac protestantes hicce scriptor symbolicam definit *Scientiam comparativam confessionum* (2) aut simpliciter *Confessionum scientiam* (3). Ad eius sententiam, nostris temporibus apprime convenit hoc genus theologiae meretque ut simul cum theologia dogmatica dogmatumque historia tradatur in scholis. Quoad methodum, cum haec duplex sit, comparativa et systematica, posteriorem adhibendam tenet auctor noster. Confessiones enim Ecclesiarum christianarum eundem non exhibent ordinem, easdemque non praeseferunt discrepantias, ideoque confusio oriretur in singulis earum capitibus vel doctrinis ad invicem comparandis. Iuvat igitur de praecipuis confessionibus christianis singillatim agere. In hac vero tractatione primum locum iure meritoque sibi vindicat Ecclesia orthodoxa quae incorruptam servat nativam christianae religionis formam, qualis nobis exhibetur antequam scinderetur orbis christianus. Secundo de Romana Ecclesia oportet instituatur sermo, quae novam religionis christianae formam promit *novitatibus infectam.* Tertio denique protestantium sententiae enucleandae excutiendaeque sunt in symbolica; ex eisdem enim fit ut christianae religionis facies funditus deturpetur (4).

(1) P. 14.
(2) *Compendiu de teologie simbolică,* Bucharestii, 1902, p. 16.
(3) Ib., p. 17.
(4) Pp. 18-19.

Apud theologos russos ad nostra usque tempora studium theologiae symbolicae neglectum iacere mihi videtur. Nulla enim in Russia edita est *συλλογὴ* librorum symbolicorum Ecclesiae orthodoxae, nullum reperitur compendium systematicum theologiae symbolicae. Delineationem quandam symbolicae miserrimum exhibet volumen *De Confessionibus occidentalibus*, quod typis mandavit A. M. Ivantzov-Platonov († 1894), vir ceteroquin eruditione atque ingenii acumine praeditus (1). In eo tamen auctor polemicam potius quam symbolicam aggreditur, atque in catholicos protestantesque invehit, quin doctrinam orthodoxam in capitibus controversiis dilucidet.

Sergius Nikitsky, duobus parvis voluminibus doctrinam tam dogmaticam quam moralem Ecclesiae orthodoxae concinnavit, quae excerpta ex libris symbolicis sedulo collecta apteque coagmentata praebent (2). Hosce inter libros recensetur catechismus maior metropolitae Philareti. Mirum autem cuique videbitur russos theologos, qui theologiam symbolicam suae Ecclesiae elaborandam neglexere, sedulam navasse operam theologiae symbolicae armenicae Ecclesiae, protestantium, anglicanorum etc. colendae explorandaeque (3).

(1) О западныхъ вѣроисповѣданіяхъ, Mosquae, 1887; IV ed., 1906.

(2) Вѣра православной восточной греко-россійской церкви по ея символическимъ книгамъ (*Fides Ecclesiae orthodoxae orientalis graeco-russicae iuxta eius libros symbolicos*), I, Mosquae, 1889; II, Ib., 1890.

(3) Praecipua hic recensemus opera quae russice conscripta sunt circa libros symbolicos variarum confessionum christianarum: Іосиѳ (Argutinsky-Dolgoruky), archiepiscopus († 1801), Исповѣданіе христіанскія вѣры Армянскія церкви, переведенное съ армянскаго на россійскій языкъ, съ присоединеніемъ таинства крещенія Армянской церкви (*Confessio fidei christianae Ecclesiae armenicae, ex armenico idiomate in russicum versa adiecto ritu sacramenti baptismatis eiusdem Ecclesiae*), Petropoli, 1799. Cf. Anninsky, Исторія армянской церкви (*Historia ecclesiae Armenicae*), Kiscinev, 1900, p. 306. Haec eadem confessio recusa est Petropoli, 1849; E. Benescriptov († 1863), Объ источникахъ христіанской религіи по ученію православной каѳолической церкви, сравнительно съ ученіемъ лютеранъ о семъ предметѣ (*De fontibus religionis christianae secundum doctrinam Ecclesiae orthodoxae catholicae. adiecta comparatione cum doctrina lutheranorum circa idem subiectum*), Petropoli, 1845, II ed. 1861. Eidem tribuitur auctori opus *De Confessionibus fidei occidentalibus ac sectis protestantibus cum notitiis circa libros symbolicos cuiuslibet confessionis* (О западныхъ вѣроисповѣданіяхъ и сектахъ протестантскихъ, съ указаніемъ на символическія книги каждаго вѣроисповѣданія), Petropoli, 1861; A. Khudobachev. Историческіе памятники вѣроученія Армянской церкви, относящіеся къ XII столѣтію (*Monumenta historica doctrinae fidei Ecclesiae armenicae ad saeculum XII pertinentia*), Petropoli, 1847; Porphyrius Uspensky, episcopus († 1885), Вѣроученіе, богослуженіе, чиноположеніе и правота церковнаго благочинія египетскихъ христіанъ (*Doctrina fidei, liturgia, ritus ac legitimus character ordinationis ecclesiasticae christianorum aegy-*

5. Priusquam theologorum orthodoxorum sententias ad vetera documenta symbolica quod spectat, exponamus ac perpendamus, praemonendum ducimus nobis consilium non esse ut fusam eruditamque de hoc themate tractationem instituamus. Longe enim a proposito

---

ptiorum), Petropoli, 1856 (Auctor agit de Coptis); A. Khomiakov, Нѣсколько словъ православнаго христіанина о западныхъ христіанскихъ вѣроисповѣданіяхъ (*Quaedam verba christiani orthodoxi circa confessiones fidei christianorum occidentalium*), Православное Обозрѣніе, 1863, t. III, pp. 75-100; 163-197; 1864, t. I, pp. 7-38, 105-144; Reperitur inter opera Khomiakovi, Сочиненія, t. II, Mosquae, 1900, pp. 165-248. Gallice primum editum fuerat Lipsiae, 1858, et germanice anno 1860. Cf. Zavitnevitch, Алексѣй Степановичъ Хомяковъ, t. I, Kioviae, 1902, pp. 63-64; I. E. Troitzky († 1901), Изложеніе вѣры церкви Армянскія, начертанное Нерсесомъ, каѳоликосомъ армянскимъ: историко-догматическое изслѣдованіе въ связи съ вопросомъ о возсоединеніи армянской церкви съ православною (*Expositio fidei Ecclesiae armenicae, concinnata a Narsete, Armenorum Patriarcha: disquisitio historico-dogmatica, habita relatione ad quaestionem unionis Ecclesiae armenicae cum Ecclesia orthodoxa*), Petropoli, 1875; Sophonius, episcopus Turkestani ac Tachkenti, Современный бытъ и литургія христіанъ инославныхъ Іаковитовъ и несторіанъ съ краткимъ очеркомъ ихъ іерархическаго состава, церковности, богослуженія и всего, что принадлежитъ къ отправленію ихъ церковныхъ службъ, особенно же ихъ литургіи, съ присовокупленіемъ переводной записки о несогласіи церкви армянской со вселенскою православною (*Vita hodierna et liturgia christianorum heterodoxorum Iacobitarum et Nestorianorum, cum parvo specimine eorum institutionis hierarchicae, consuetudinum ecclesiasticarum, liturgiae, rerumque omnium quae pertinent ad perficiendos ritus ecclesiasticos, praesertim liturgiam: adiungitur versio dissertationis circa discrepantias Ecclesiae armenae ab Ecclesia universali orthodoxa*), Petropoli, 1876. Materiae, quae in hoc libro pertractantur iam ediderat auctor († 1877) duobus voluminibus Odessae, 1866, 1867. Dissertatio, quam vertit in suo opere, graece conscripta fuit a Constantio, Patriarcha Constantinopolitano († 1859) hocce titulo: Ὑπόμνημα περὶ τῆς τῶν Ἀρμενίων μετὰ τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ἀσυμφωνίας, Συγγραφαὶ ἐλάσσονες, Constantinopoli, 1866, pp. 81-117; N. Bieliaev, Лютеранскія символическія книги и ихъ значеніе для лютеранскаго общества (*Libri symbolici lutherani, eorumque momentum pro communitate lutherana*), Kasan, 1875; Iastrebov, Ученіе Абсбургскаго исповѣданія и его апологія о первородномъ грѣхѣ (*Doctrina confessionis augustanae eiusque apologia de peccato originali*), Kioviae, 1877; A. Bulgakov, Идеалъ общественной жизни, по опредѣленію католическаго, реформатскаго и лютеранскаго вѣроисповѣданія (*Fastigium perfectionis vitae socialis, iuxta determinationes ex fidei confessionibus catholicorum, reformatorum, ac lutheranorum haustas*), Шруды К. Д. А., 1891, t. III, pp. 86-102; V. Kerensky, Американская епископальная церковь, ея происхожденіе и состояніе преимущественно въ вѣроисповѣдномъ отношеніи (*Ecclesia episcopalis americana, eiusque origo ac status, praesertim habita relatione ad eius confessionem fidei*), Kasan, 1908; A. Rojdestrvensky, Символическія и богослужебныя книги англиканской церкви, какъ выраженіе ея вѣросознанія (*Libri symbolici ac liturgici Ecclesiae anglicanae, considerati tanquam expressio eius conscientiae religiosae*), Kioviae, 1908.

nostro abest, ut provinciam usurpemus, quam sibi explorandam jure vindicat dogmatum historia. De symbolo apostolico, quod primum habetur inter vetera documenta symbolica, doctissimas exararunt commentationes clarissimi viri, potissimum cum theologia lutherana, praeeunte Harnack, novum facinus molita est ad finem iam vergente saeculo XIX, videlicet prae viribus conata est characterem apostolicum pretiosissimi huiusce veteris fidei monumenti vel in suspicionem vocare, vel ut fabulosum, abnuere. Neminem latere arbitror opera quae in lucem ediderunt Swainson, Caspari, Kattenbusch, Heurtley, Swete, Dörholt, Kunze, Hahn etc. ad tenebras discutiendas quae primaevam symboli apostolici originem involvunt (1).

Ex catholicis scriptoribus, qui veterem Romanae Ecclesiae traditionem in hoc rerum capite strenue tuiti sunt, dubia exsolventes quibus Harnack suum libellum in symbolum apostolicum inspersit, memoratu digni Meyer (2), Bäumer (3), Blume (4), quorum scriptis iuvabimur in explodendis adversariorum sententiis. Haud tamen expectandum est magnificam ac longius petitam disputationem me aggressurum, perinde ac si lectorem offendam quem certamina hodierna de origine symboli apostolici penitus latent. Theologus enim conclusiones quae maiorem videntur fidem promereri ex dogmatum historia depromit breviterque explanat. Hoc igitur munere tantummodo defungentes, quae ad meum finem opportuniora censeo, paucis expediam.

Apud scriptores catholicos, symbolum, quod vocamus apostolicum, ab apostolis vel directe vel indirecte derivatum profertur. In litteris synodi mediolanensis, anno 390 convocati (5), primum asseritur symbolum Ecclesiae romanae tribuendum Apostolis: *Credatur symbolo apostolorum, quod Ecclesia romana intemeratum semper custodit et servat* (6). Communis est sententia S. Ambrosium Mediolanensem hasce litteras scripsisse. *Hocce symbolum fidei et spei nostrae, ab Apostolis*

(1) Copiosum horum operum elenchum concinnarunt Ehrard, *Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung* (1884-1900), t. I, Friburgi, 1900, pp. 499-521; Bardenhever, *Geschichte der altkirchlichen Litteratur*, t. I, Friburgi, 1902, pp. 74-76. Sanday, *Recent research on the origin of the creed* (*The journal of theological Studies*), t. I, 1900, pp. 3-22; Id., *Further research on the history of the creed*, ib., t. III, 1901, pp. I-21; Protin, *Les origines du symbole des Apôtres* (*Revue augustinienne*), t. IV, 1904, pp. 267-274.

(2) *De symboli apostolici titulo, origine et auctoritate*, Augustae Trevirorum, 1849.

(3) *Das Apostolische Glaubensbekenntniss. Seine Geschichte und sein Inhalt*, Moguntiae, 1893.

(4) *Das Apostolische Glaubensbekenntniss: eine apologetische-geschichtliche Studie, mit Rücksicht auf den Kampf um das Apostolicum*. Friburgi, 1893.

(5) Hefele, *Histoire des conciles*, t. II, p. I, Parisiis, 1908, p. 80.

(6) Mansi, t. III, col 665.

traditum testantur Hieronymus (1), Leo Magnus (2), Fulgentius Ruspensis (3) aliique scriptores, quos recenset Vacant (4). Neque tantum ab apostolis derivatum, sed ab eis etiam conditum ita ut singulae quae in eo continentur sententiae Apostolos immediatos auctores habuisse arguatur, initio saeculi V tradidit Rufinus. En eius verba: « Post ascensionem discessuri ad invicem Apostoli, normam sibi prius futurae praedicationis in commune constituunt, ne forte alii alio abducti, diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, et Spiritu Sancto repleti, breve istud futurae sibi praedicationis indicium, in unum conferendo quod sentiebant unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt » (5). Hancce traditionem producit S. Ambrosius in *Explanatione symboli ad initiandos* (6), Leo Magnus (7), Cassianus (8). Maximus Taurinensis (9), Isidorus Hispalensis (10), Alcui-

(1) *Contra Iohann. Hierosol.*, n. 28, *P. L.*, t. XXIII, col. 396.

(2) *Ep. 45 ad Pulch. Augustam, P. L.*, t. LIV, col. 833; Sermo XXIV, Ib., col. 207; Sermo LXII, Ib., col. 350.

(3) *Contra Fabianum, P. L.*, t. XXXI, col. 822-823.

(4) *Dictionnaire de Théologie*, t. I, col. 1677.

(5) *Commentarius in symbolum Apostolorum*, n. 2, *P. L.*, t. XXI, col. 337.

(6) Sancti ergo Apostoli in unum convenientes, breviarium fidei fecerunt, ut breviter fidei totius seriem comprehendamus. *P. L.*, t. XVII, col. 1193. — Si unius Apostoli scripturis nihil est detrahendum, nihil addendum, quemadmodum nos symbolo quod accepimus ab apostolis traditum atque compositum, nihil debemus detrahere, nihil adiungere. Hoc autem est symbolum quod romana Ecclesia tenet, ubi primus apostolorum Petrus sedit, et communem sententiam eo detulit, Ib.. col. 1196. Perdoctis argumentis Caspari demonstrat hancce opellam auctorem habuisse S. Ambrosium. — *Ungedrukte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel*, t. II, Christianiae, 1869, pp. 76-85.

(7) Ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est munitione coelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. — *Ep.* XXXI, *ad Pulch. Aug.. P. L.*, t. XXXI, col. 149.

(8) Deus symbolum per Apostolos suos sacerdotesque constituit. Et quidquid illic per suos larga ac redundanti copia dilatavit, idem hic per suos plenissima brevitate conclusit. Nihil ergo in symbolo deest, quod ex scriptis Dei per Apostolos Dei conditum, totum in se quantum ad actoritatem pertinet, habet quidquid vel hominum est vel Dei. *De Incarnatione Christi*, l. VI, c. 3, *P. L.*, t. I, col. 149.

(9) Quod beati Apostoli, ut ego reor, exemplum sequentes Ecclesiae Dei, quam adversus militiam diabolici furoris armabant, mysterium symboli tradiderunt; ut, quia sub uno Christi nomine credentum erat futura diversitas, signaculum symboli inter fideles perfidosque secerneret, et alienus a fide atque hostis appareret Ecclesiae, aut tanquam baptizatus nescisset, aut tanquam haereticus corrupisset. — *De traditione symboli, P. L.*, t. LVII, col. 433.

(10) *De Eccl. officiis*, l. II, c. 23, *P. L.*, t. LXXXIII, col. 816.

nus (1), Rabanus Maurus (2) aliique complures, qui seriori oevo de rebus liturgicis vel dogmaticis disserentes, quinam fuerint conditores symboli apostolici investigarunt. Talem igitur ac tantam commendationem haecce traditio, quam recentiorem praeseferre originem apud latinos scriptores ecclesiasticos profecto non negaverim, adepta est, ut media aetate omnes theologi ei suffragati sint, ac facinus impietatis putaverint contrariis rationibus eam adoriri. Qua in re animadvertendum est, huiusce traditionis adsertores dumtaxat theologos in Occidente extitisse. Historia enim testatur magisterium authenticum Romanae Ecclesiae nunquam diserte fidelibus proposuisse, ut verbum Dei revelatum, eam accipiendam. Ad fidelium quidem sccandalum vitandum, prudenter romana Ecclesia tam venerandae traditionis eversores improbavit eisque poenis comminata est, eo magis quod futilibus argumentis origo apostolica symboli in dubitationem adduceretur (3). Haud tamen inde conficitur eam fide credendum statuisse symbolum apostolicum iisdem sane verbis, quibus in praesens nobis exhibetur, duodecim Apostolos immediatos auctores habuisse. Maximam enim libertatem scriptoribus catholicis in suis sententiis expromendis eam largitam esse, luculenter edocet historia theologiae occidentalis.

Scriptores orthodoxi inter documenta symbolica Ecclesiarum orientalium, symbolum, quod apostolicum vocatur, non recensent. Imo, pro re nata, a radicibus evertere conantur argumenta quibus statuitur, id sive doctrinam spectes, sive aetatem, iure meritoque epitheto apostolici condecoratum fuisse. Asserunt enim tot ab initio symbola extitisse quot dinumerantur particulares Ecclesiae. Apud Patres occurrunt symbola Ecclesiarum hierosolimitanae, romanae, antiochenae, alexandrinae, caesariensis etc. Sine dubio quidpiam commune hisce in omnibus compendiis fidei reperire fas est; constat tamen ea sive maiori vel minori brevitate, sive sententiarum ordine, vel verborum locutionumque varietate ad invicem differre. Quî vero posset haec symbolorum varietas explicari, si statuatur apostolos, collatis inter se consiliis, fidei formulam cunctis inviolabiliter accipiendam pepegisse? (4). Certo certius, si symbolum Apostoli condidissent, Patres Ecclesiae, qui in eo praesertim insudarunt ut apostolicas traditiones posteris commendarent, de re tam gravi suis in scriptis mentionem iniecissent. Te-

(1) *Disput. puerorum*, c. XI, *P. L.*, t. CI, col. 1138.

(2) *De clericorum instit.*, l. II, c. 56, *P. L.*, t. CVII, coll. 368-369.

(3) De Laurentio Valla, qui primus veterem traditionem adortus est, ipse Kattenbusch fatetur: « Seine eigene Meinung ist so willkürlich und phantastisch, wie möglich. — *Das apostolische Symbol, seine Entstehung, sein geschichtlicher Sinn, seine ursprüngliche Stellung im Kultus, und in der Theologie der Kirche*, t. I, Lipsiae, 1894, p. 2.

(4) Malinovsky, t. I, p. 42.

mere igitur asseritur symbolum, quod apostolicum vocatur, Apostolos conditores habuisse (1).

Neque reponere licet, Apostolos id quidem condidisse, occultum tamen ut maneret, voluisse. Hocce enim adversatur mirabili constantiae ac sinceritati Apostolorum qui pro Christi fide praedicanda non dubitarunt exquisitissima supplicia tolerare.

Si autem symbolum quod ab eis compositum effertur, maximi momenti fuisset ad rectam christianae fidei notionem fidelibus porrigendam, ac tesserae instar adhibitum fuisset qua christiani veri nominis a pseudo-christianis secernerentur, mirum sane cuique videretur Apostolos, qui Christum Deum ubique gentium propolam nuntiarunt, formulam, qua perapte haec fides exprimitur, alto silentio tenuisse (2). Adde quod Scriptura Sacra nihil tradit de fabulosa narratiuncula rufiniana. Acta Apostolorum, quae sedulo persequuntur res ab Apostolis gestas, eandem praetermittunt, ipsique Apostoli suis in litteris de ea ne verbum quidem faciunt. Hoc silentium evincit traditionem a Rufino leviter acceptam inter pias fabulas amandandam.

Repugnat enim documentum apostolicum, quod fidem nostram obfirmat ac describit, tam inane scriptoribus inspiratis visum fuisse ut nihil de eo posteris enarrandum putassent. Nec praetereundum fabulosum characterem traditionis rufinianae magis firmari si perpendatur et Patres eam suis in scriptis siluisse. Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Iustinus, Eusebius Caesariensis, quotquot sanctitate ac doctrina insignes extitere viri primis quatuor saeculis Ecclesiae, eam ignorasse videntur. Nil igitur mirum si Marcus Ephesinus in concilio florentino disertis verbis asseruerit Orientalem Ecclesiam symbolum ab apostolis traditum neque possidere, neque cognoscere (3); nil mirum, si in praesens adhuc symbolum quod apostolicum audit, orthodoxae non probetur Ecclesiae (4).

(1) *Ταῦτα δὲ σαφῶς ἀποδεικνύει, ὅτι οἱ ἀπόστολοι δὲν εἶχον συντάξει ὡρισμένον τινὰ ἐκτενῆ τύπον, ὡς οὗτος παρουσιάζεται ἐν τῷ λεγομένῳ ἀποστολικῷ συμβόλῳ, οὐδὲ ὄνομά τι εἶχον δώσει, διότι ἄλλως πάντες οἱ Πατέρες θὰ ἐτήρουν τὸν αὐτόν τύπον, καὶ τὸ αὐτὸ ὄνομα ἐκ σεβασμοῦ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους.* — Mesoloras, t. I, p. 35.

(2) Sylvester, t. I, p. 54.

(3) *Ἀντεπήγαγε δὲ ὁ Ἐφέσου πάντας τοὺς λόγους τοῦ Ἰουλιανοῦ, γενναίας ἀπολογίας καὶ ἀρκετάς· περὶ δὲ τῆς Συνόδου τῶν Ἀποστόλων, καὶ τοῦ συμβόλου αὐτῶν εἶπεν ὅτι ἡμεῖς οὔτε ἔχομεν, οὔτε εἴδομεν σύμβολον τῶν Ἀποστόλων.* — Syropulos, *Vera historia unionis non verae inter graecos et latinos*, Hagae Comitis, 1660, p. 150.

(4) Съ именемъ символа апостольскаго, не существуетъ какого-либо особаго источника вѣры въ нашей православно-восточной церкви. — Preobrajensky, Символъ апостольскій (*Symbolum apostolicum*), Прав. Собесѣдникъ, 1903, t. I, p. 802.

Traditio quam tuentur theologi catholici, ad finem saeculi IV invecta fuit. A primordiis quidem diffusionis christianae fidei, in Romana Ecclesia non secus atque in ceteris brevissima formula fidei pro baptismum accepturis in usu erat. Grassantibus haeresibus, huic formulae primitivae verba sententiaeque additae sunt ad fidei haereticas adulterationes praecavendas et profligandas. Unde illud iam factum est, ut primitivum symbolum Ecclesiae romanae, quod apostolicum censebatur, pedetentim adauctum fuerit, nec non apud christianos occidentales propter venerandam Urbis maiestatem ut perfectius symbolum prae ceteris invaluerit. Fabulosa igitur narratiuncula (*leggenda*) de apostolis symboli conditoribus, scientifico caret firmamento, ac prorsus rejicienda est (1).

In symbolorum congerie, quae primis Ecclesiae saeculis totum orbem christianum invasit duo praesertim *τύποι* superstites perdurarunt, *τύπος* occidentalis ac *τύπος* orientalis. Prior Romae atque in Gallia diu elaboratus in symbolum excrevit quod apostolicum vocatur; alter vero in symbolo nicaeno-constantinopolitano perfectionem adeptus, solemni Ecclesiae sanctione communitus est (2).

Origo symboli, quod apostolicum audit, caligine offunditur, ait Mesoloras (3). Rufinus ipse traditionem, quam posteris commendat, certitudine historica carere testatur. Synodi oecumenicae eam penitus ignorarunt. Summa etiam facilitas, quo statim ac prolata est, occidentalium scriptorum suffragia sibi comparaverit, satis abunde demonstrat eam figmentum esse (4). Inscitia igitur veteris litteraturae christianae praecipua causa dicenda est diffusionis huius piae fabellae.

Huc accedit quod Romana Ecclesia gravissimis poenis eos plectebat, qui communem fidem in originem apostolicam sui symboli concutere aggrediebantur. Catholicarum universitatum magistri suae Ecclesiae opem ferebant in rufiniana traditione firmanda. Nullum in lucem edebatur volumen quod eam adoriretur, vel si unquam prodiisset, flammis tradebatur comburendum miserrimoque auctori nota impietatis inurebatur. Laurentius Valla qui primum in dubium adduxit originem apostolicam symboli Ecclesiae romanae, fuga tantum suppliciis ac morti se eripuit, ac libellum coactus est conscribere ad propulsandam accusationem impietatis (5). Sorbona parisiensis anno 1526

(1) Легенда о апостольскомъ происхожденіи современнаго западнаго символа должна быть отвергнута, какъ не научная. — Preobrajensky, p. 829.

(2) Ib., pp. 832-834.

(3) T. I, p. 32.

(4) Ib, p 33.

(5) *Calumnia theologica mihi intentata quod negassem symbolum membratim articulatimque per apostolos esse compositum.* Argentorati, 1522. Cf. Celtzov,

nescientiam Erasimi Roterodamensis, *ad atheismum viam communientem* improbavit, eo quod celeberrimus hicce scriptor fassus sit nihil se scire de Apostolis symboli conditoribus (1).

Longius non excurremus. Satis liquet in controversia de origine symboli apostolici theologiam orthodoxam quam proxime accedere ad protestantium sententias. Quas attulimus rationes, praecipue ex dissertatiuncula Preobrajensky depromptas, paucis exhibent quae fuse congessit Harnack in vulgatissimo libello: *Das apostolische Glaubensbekenntniss: ein geschichtlicher Bericht nebst einem Nachwort*, Berolini, 1892. Haud raro censoria virgula notavimus theologos orthodoxos, qui in certamine theologiae catholicae cum novatoribus lutheranis silentio generatim praetereunt catholicorum scriptorum argumenta ad refellendas obiectiones adversariorum. Hoc idem deprehendimus in scriptiunculis orthodoxis quae de origine symboli apostolici pertractant. Brevibus igitur explicabo quonam sensu apostolicitas symboli, quod apostolicum audit, in theologia catholica concipiatur.

6. Quae fideliter e penu theologorum orthodoxorum adduximus, doctrinam catholicam de apostolicitate symboli, quod apostolicum vocant, nullimode disjiciunt. Ut ordinate nostra procedat demonstratio, triplex apostolicitas quoad symbolum sedulo distinguenda est, videlicet: α′) *apostolicitas veritatum quae in eodem continentur*; β′) *apostolicitas temporis quo id conditum fuit*; γ′) *apostolicitas auctorum, quibus ipsum tribuitur.*

Apostolicitatem doctrinae, quae per symbolum apostolicum clare ac definite exprimitur, uno agmine tuentur scriptores catholici (2). Theologicis atque historicis argumentis haec veritas evincitur. Theologice primum. Compertum est symbolum apostolicum in toto orbe christiano ab antiquissimis iam temporibus Romanam Ecclesiam pro-

---

Историческое обозрѣніе символовъ бывшихъ въ церкви до никейскаго собора (*Conspectus historicus symbolorum quae extitere in Ecclesia ante concilium nicaenum*) Христіанское Чтеніе, 1862, t. I, p. 169; Monrad, *Die erste Controverse über den Ursprung des apostolischen Glaubensbekenntnisses: Laurentius Valla und das Konzil zu Florenz*, Gothae, 1881.

(1) *Paraphrasis in Evangelium Matthaei*, Basileae, 1552. *Prafatio ad lectorem*, Kattenbusch, op. cit., t. I, p. 5.

(2) Conveniunt omnes, Apostolorum symbolum illud vocari, quia continet doctrinam Sacrarum Scripturarum et Apostolorum praedicationi conformem. — Mazzella, *De virtutibus infusis*, p. 290. Romanum symbolum apostolicum est quoad doctrinam, quatenus nihil aliud continet quam quod ab Apostolis fuit traditum. — Tanqueray, p. 554. « Das Symbolum enthält die reine, apostolische Lehre, und kein Iota lassen wir von ihm streichen oder beliebig deuten ». — Blume, op. cit., p. 39.

ponere cunctis fidelibus, vel catholicam fidem amplexuris, tanquam fidei normam irreformabilem, certam, genuinam Christi Apostolorumque doctrinam exhibentem. Atqui Ecclesia infallibilitatis munere potitur in exponenda fidei doctrina, in fidelibus edocendis illud quod eis credendum proponitur vere praedicatum fuisse vel a Christo, vel ab Apostolis. Ergo si doctrina symboli quod apostolicum audit, in Romana Ecclesia semper habita sit atque in praesentiarum habeatur tanquam apostolica, huncce characterem in dubitationem adducere vel temere respuere, idem esset atque infallibilitatem Ecclesiae docentis negare. Quod autem Romana Ecclesia suum symbolum tenuerit teneatque apostolicam doctrinam praeseferre, satis abunde constat ex eo quod idipsum censeat formulam fidei quam baptizandi profitentur se amplecti ut fidem authenticam Christi Apostolorumque. Haec fidei professio, ut liquet, nihil continere potest quod Apostoli cunctis fidelibus non tradiderint fide credendum, vel quod eorum doctrinae adversetur. Consequitur inde theologico argumento symbolum Romanae Ecclesiae vere esse apostolicum. Hocce enim charactere sublato, tolleretur infallibilitatis donum, quo in docendo magisterium ecclesiasticum divinitus exornatur.

Eo maius est pondus huiusce argumenti quo clarius constat ex historia romanum symbolum, ut professionem fidei apostolicae probatum fuisse etiam episcopis Ecclesiae orientalis. Professio fidei, quam Marcellus, episcopus Ancyranus, ad propulsandam suspicionem sabellianismi in eum illatam, tradidit Iulio I (337-352), symbolum exhibet quod Romae in usu erat maximamque habet cognationem, dixerim identitatem, cum symbolo apostolico. Si graecus igitur episcopus anno 337 vel 338 fidem catholicam professus est symbolo quo Romana utebatur Ecclesia, quodque fere nihil differt a symbolo cui epitheton apostolici tribuitur, pronum est deducere doctrinam quae per hoc symbolum in Oriente atque Occidente ut compendium fidei catholicae habebatur, apostolicam veritatem praeseferre. Fides enim quae communis est universae Ecclesiae, ab eaque authentice probatur, fides est apostolica. « Quid enim Apostoli praedicaverint, ait Tertullianus, idest quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea... Superest ergo uti demonstremus, an haec nostra doctrina... de Apostolorum traditione censeatur, et hoc ipso, an caeterae de mendacio veniant. Communicamus enim cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diverse: hoc est testimonium veritatis » (1).

(1) *De praescript.*, C. XXI, *P. L.*, t. II, col. 38.

Historice sententia catholicae theologiae de apostolicitate *materiali* symboli, videlicet materiarum quae in eo continentur, omne removet dubium. Ut haec communis sententia explodatur necesse est ostendant adversarii quod symboli articuli, vel unus tantum ex eis Patrum traditioni repugnet. Hoc tamen facinus, nullus ex protestantibus theologus, criticae quantumvis negativae faveat, ausus est. Omnes contra in eo conveniunt ut edoceant propositiones symboli coagmentatum exhibere quod membratim, sparsim, in antiquissimis traditionis christianae documentis fas est reperire.

Scriptores catholici vel protestantes qui primaevae symboli apostolici origini rimandae sedulam navarunt operam, id luculenter probarunt (1). Ex eorum investigationibus eruitur symbolum apostolicum traditionis christianae authenticam exhibere tesseram, praecipua capita fidei mira simplicitate et claritate coarctare. Hoc idem fatentur theologi quidam orthodoxi. « Symbolum apostolicum, ait Andrutsos, est doctrina Christi ex apostolica traditione deprompta semperque a fidelibus enuntiata » (2). « Symbolum Apostolorum, addit Mesoloras, non est catalogus credendorum ad salutem necessariorum omnia explicite comprehendens quae ad aeternam salutem conducunt, graphica verba et sententiae quae totam exhibent christianam doctrinam. Quo fit ut formula haec censeri possit commune fundamentum ad concordiam atque unionem christianarum Ecclesiarum ineundam. Licet autem hoc symbolum fabulosam vel obscuram praeseferat originem, relativa tamen dignitate ac nobilitate potitur. Clara enim est ac brevis confessio illius fidei christianae, quam tot fideles edocti sunt in Christo, quamque tot martyrum agmina defensorumque religionis christianae coram ethnicis ac regibus, praesertim in occidentali Ecclesia, professi sunt » (3). Apostolicitas igitur doctrinae quae per symbolum apostolicum nobis exhibetur credenda, iure vindicatur a theologis catholicis eamque dubiis inspergere viam communiret iacturae totius fidei christianae. Ut enim contra Harnack animadvertit theologus lutheranus Cremer, symbolum apostolicum fulcrum est omnium symbolorum (4). Eo igitur sublato, cetera firmamento destituerentur, ac fides christiana pessum iret.

(1) *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. I, coll. 1661-1673.

(2) *Τὸ Ἀποστολικὸν σύμβολον εἶναι ἡ ἐκ τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως Χριστιανικὴ διδασκαλία, ἡ ἀείποτε ὑπὸ τῶν πιστῶν πρεσβευομένη.* — *Συμβολική*, p. 22.

(3) *Καί τοι δὲ τὸ σύμβολον τοῦτο μυθώδη καὶ ἄγνωστον ἔτι τὴν γένεσιν ἔχει, οὐχ ἧττον ἀποδίδομεν αὐτῷ σχετικήν τινα ἀξίαν, διότι εἶναι ἀρχαία σαφὴς καὶ σύντομος ὁμολογία τῆς χριστιανικῆς πίστεως, δι' ἧς τοσοῦτοι κατηχήθησαν εἰς Χριστόν, καὶ ἦν ἱκανὸν πλῆθος μαρτύρων καὶ ἀπολογητῶν ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων ὡμολόγησαν ἐν τῇ δυτικῇ κυρίως Ἐκκλησίᾳ.* — *Συμβολική*, t. I, p. 38.

(4) *Zum Kampfe um das Apostolicum*, Berolini, 1993 (IV ed.), p. 56.

7. Ad aetatem quod attinet, symbolum quod in Ecclesia romana apostolicum audit, antiquissimam praeseferre originem Apostolis coaevam, mordicus tuemur. Sententia, cui favet Preobrajensky, facile evertitur. Huncce si audias scriptorem, ad alterum dimidium saeculi V necesse est relabatur natalis dies symboli, quod ab Apostolis vocatur (1). Suam sententiam e penu scriptorum protestantium auctorem nostrum deprompsisse, neminem latet. Novatores enim pseudo-reformationis, ad pravas tuendas doctrinas, quibus totum christianorum dogmatum aedificium in ruinam collapsum est, vetus symbolum fidei nostri, *parvam hancce bibliam*, ut verbis utar ipsius Lutheri (2), sumptuosa eruditione adorti sunt. Nec defuere quidem inter eos, qui perfricta fronte insinuarent pretiosum documentum fidei apostolicae, saeculo sexto a romanis pontificibus confectum fuisse, ideoque figmentum praebere, *κακόπλαστον* romanae Ecclesiae, quae ex industria id vulgaverit, ut facilius sua dogmata, corruptelis scatentia, propagaret (3).

Ut thesis, quam tuemur, de apostolicitate temporis, quo symbolum, Apostolis vulgo tributum, compositum fuit, clarius elucescat, proponimus in sequenti tabella, una cum symbolo Ecclesiae romanae, professionem fidei Marcelli Ancyrani, ac bina fidei compendia vel formularia ex scriptis Tertulliani atque Irenaei deprompta.

(1) Это и было временемъ (*alterum dimidium saeculi V*) первоначальнаго появленія символа, извѣстнаго въ западной Церкви подъ именемъ символа апостольскаго. Loc. cit., p. 834.

(2) Genzken, *Die drei allgemeinen Hauptsymbole der christlichen Kirche, das apostolische, nicänische, und athanasianische Glaubensbekenntniss, deren Entstehung, Inhalt und Bedeutung geschichtlich nachgewiesen*, Lipsiae, 1880, p. 101.

(3) « Le credo est un document purement catholique romain, qui s'est formé peu à peu dans les églises de l'Afrique proconsulaire et d'Italie, entre l'an 250 et l'an 550; il n'est que le résumé exact et complet du catholicisme du VIIe siècle ». — Coquerel, *Histoire du credo*, Parisiis, 1869, pp. 123, 155; Sanday, *Recent research on the origin of the creed, The journal of theological Studies*, t. I, 1900, p. 6; Burn, *The textus receptus of the apostle's creed*, Ib., t. III, 1901, pp. 496-497.

Symbolum Romanum	Regula fidei iuxta Irenaeum	Regula fidei iuxta Tertullianum.	Professio fidei Marcelli Ancyrani
Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelum; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam.	*Πιστεύω, εἰς ἕνα Θεὸν, Πατέρα παντοκράτορα τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γήν, ... καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ιησοῦν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς Πνεῦμα ἅγιον ... καὶ τὴν ἐκ Παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν καὶ τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ... Χριστοῦ Ἰησοῦ, ... καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ... ἀναστῆσαι πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος ... καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποιήσηται· τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας ... εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ ... τοῖς δὲ δικαίοις ... ζωὴν χαρισάμενος ἀφθαρσίαν δωρήσεται.*	*Credo* in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium eius Iesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in coelis, sedentem ad dexteram Patris, venturum iudicare vivos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem.	*Πιστεύω εἰς Θεὸν παντοκράτορα· καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς Παρθένου, τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα καὶ ταφέντα καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν, ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρός, ὅθεν ἔρχεται κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἁγίαν Ἐκκλησίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν, ζωὴν αἰώνιον.*

Ex documentis allatis in tabella pronum est colligere, quam maxima detur cognatio inter haec fidei formularia, quae altius adscendunt saeculo V ; quam maxima detur convenientia sive in rebus contentis, sive in articulorum ordine ac materiarum dispositione. Irenaei textum hausimus ex libro I *Contra haereses* (1). Complures etiam reperiuntur in scriptis huiusce doctoris, qui vitam egit saeculo secundo, regulae fidei, ex eodem sane fonte derivatae, ex quo allatum in tabella formularium haustum est. Haec omnia collegerunt, ac notis vel explicationibus illustrarunt Hahn (2), Kattenbusch (3), Lietzmann (4). Si diligens comparatio instituatur inter textum Irenaei ac textum symboli apostolici Ecclesiae romanae, sua sponte fluet, Irenaeum vetus symbolum romanum agnovisse, vel brevius eiusdem formularium suis commentariis adaugendi sibi onus suscepisse (5).

Idem de Tertulliano asserendum, cuius regulam fidei ex libro *De Virginibus velandis* transcripsimus (6). Non secus atque Irenaeus, praeclarus hic secundi saeculi scriptor, in suis operibus tum fusiori, tum strictiori calamo, formularium fidei tradidit (7), quod sua aetate usitatum erat, quodque maxima cognatione cum symbolo apostolico Ecclesiae Romanae devinctum primo intuitu apparet. Merito igitur acerrimi judicii vir asserere potuit, Tertullianum non modo nobis testatum fuisse huiusce symboli existentiam, verum etiam ipsius textum posteris integrum servasse (8). Unde conficitur, secundo saeculo praeclaros haberi testes existentiae symboli apostolici, Irenaeum videlicet ac Tertullianum (9). Si res ita se habet, cuique patet inter praejudicatas opiniones sententiam illam esse amandandam, quae saeculo V ad occasum vergente, symbolum, quod apostolicum audit, ortum habuisse temere conclamat. Testimonia quae

(1) C. 9, *P. G.*, t. VII, col. 549-552.

(2) *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche*, ed. III, Vratislaviae, 1898, pp. 6-8.

(3) *Das apostolische Symbol*, t. II, Lipsiae, 1900, pp. 25-53.

(4) *Symbole der alten Kirche*, Bonnae, 1906, pp. 3-5.

(5) « We must assume that Irenaeus knew the old roman symbol, either in the form known to Rufinus, or, as is more probably, in a briefer and somewhat variant form ». — Mc. Giffert, *The Apostle's creed, its origin, its purpose, and its historical interpretation*, Edimburgi, 1902, p. 57.

(6) C. 1, *P. G.*, t. II, col. 937.

(7) Hahn, pp. 9-11; Kattenbusch, t. II, pp. 53-101.

(8) « In the writings of Tertullian we have definite testimony not only to the existence of a symbol, but also to its text ». Mc. Giffert, p. 47.

(9) « Tertullian and Irenaeus are our earliest witnesses to the existence of this symbol ». — Ib., p. 7.

attulimus tanta offunduntur evidentiae luce, ut qui primores habentur atque audaciores inter criticae protestantis antesignanos, nuperrime coacti sint explicite fateri illud ante primum dimidium saeculi II jam evulgatum fuisse (1). Ad sententiam Harnack, symbolum apostolicum Ecclesiae romanae ad aetatem Marcioni (circa annum 140) pertinet (2). Qui vero recentiorem originem huic symbolo affingunt, inviti coguntur asserere cognationem illam, et quasi identitatem inter symbola Irenaei ac Tertulliani, et symbolum romanum; hocce tamen sibi tantum velle, effutiunt, symbolum quod Apostolis tribuitur in Ecclesia romana, ex regulis fidei laudatorum scriptorum posteriore aevo dimanasse (3).

At nobis satis non est, vestigia sequentes Harnackii, symbolum apostolicum secundo saeculo ortum suum habuisse docere. Ex allatis iam testimoniis liquet Irenaeum ac Tertullianum id non composuisse, sed iam compositum in Ecclesia invenisse, ac de eo locutos fuisse perinde ac si cunctis iam fidelibus orbis christiani illud innotesceret. Uterque refert, si pauca excipias, vetus symbolum quod Romana Ecclesia suis filiis commendabat, ut catholicae fidei tesseram. Hocce igitur symbolum ante aetatem Tertulliani atque Irenaei viguisse iam in eadem Ecclesia conjicere licebit, alioquin tantam celebritatem ac diffusionem, laudatorum scriptorum aevo sibi non conciliasset.

Ex eodem fonte deprompserunt Irenaeus ac Tertullianus. Quod hic fons antiquiorem praeseferat originem saeculo II, quidam scriptores ex variis Polycarpi, Ignatii, Iustini locis conjiciunt (4). Ad rem tamen nostram, hisce testimoniis, quae seorsim sumpta minus apta videntur ad thesim nostram probandam, non indigemus (5). Etenim si tam arctum fas est deprehendere cognationis vinculum inter allatas regulas fidei et symbolum romanum, id fortuito extitisse non audemus asserere. Huiusce vinculi existentia nobis pandit earumdem for-

(1) Cf. Dörholt, *Das Taufsymbolum der alten Kirche nach Ursprung und Entwickelung*, t. I, Paderbornae, 1898, p. 161.

(2) « Das römische Symbol ist zwar höchst wahrscheinlich vor dem brennenden Streit mit Marcion und den grossen gnostischen Schulen verfasst, aber nicht lange vorher, etwa als die Wehen des Kampfes begannen, um 140 ». — *Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, t. I, 2, Lipsiae, 1897, p. 532.

(3) Nicolas, *Le symbole des Apôtres: essai historique*, Parisiis. 1867, pp. 21; 28-29.

(4) Blume, pp. 259-262; Hahn, pp. 1-5; Mc. Giffert, pp. 7-8.

(5) Ad rem Blume: « Wir geben gerne zu, dass die betreffenden Stellen, für sich allein betrachtet, wenig Beweiskraft haben. Bringt man sie indessen in Verbindung mit all den andern Zeugnissen und Thatsachen, so muss ihnen wenigstens die Bedeutung zugesprochen werden, dass sie bestätigend für den Bestand des in Frage stehenden Symbolums eintreten ». — P. 256.

mularum communem originem primis Ecclesiae temporibus, testatur scilicet communem aliquam tesseram, qua cuncti in orbe christiano fideles dignoscerentur, ab incunabulis Ecclesiae Christi usitatam fuisse (1). Symbolum igitur aliquod Apostolorum aetate viguit, quod notam catholicitatis praeseferret, scilicet quod ubique gentium christiani eadem prosequerentur veneratione. Symbolum autem, quod proxime ad characterem symboli apostolici et catholici accedit, romanae Ecclesiae symbolum esse validis argumentis conjicit Swainson (2). A primis temporibus usque ad saeculum VI testatur christiana traditio cunctis Ecclesiis communem veritatum fidei formulam viguisse (3), quae etiamsi statuatur ab Apostolis immediate non dimanasse, ob suam tamen vetustatem antiquissimis testimoniis comprobatam, apostolorum aetate conscriptam esse nemo inficias iverit (4).

Nobis quidem compertum est argumentis, quae hac in re cunctas dispellant tenebras, testimoniis nimirum, apertis verbis expressis, quibus primo saeculo conditum fuisse symbolum apostolicum asseratur, ante Irenaeum ac Tertullianum carere. Hoc tamen silentium nihil infirmat consecutiones, quas superius eruimus.

Constat enim primis saeculis disciplinam arcani, praesertim quoad Symbolum, in Ecclesia viguisse (5). Generatim catechumenis praecipitur « ne symbolum scribant, sed memoria teneant, ac recolant eo quod

(1) « There is however at any rate sufficient uniformity in the ancient creeds, to place it beyond a doubt that, in the main, they sprang from a common origin in the earliest times. Whatever differences there may be in detail, with the sole exception of two later additions in the western Creed, there is; as to the principal articles, the most entire general agreement. These are substantially the same in all. And it is a striking testimony to the catholicity of the Church ». — Heurtley, *A history of the earlier formularies of faith of the western and eastern Churches*, Londini, 1892, p. 5.

(2) « Of all the symbols, this (symbolum Romanae Ecclesiae) approaches nearest to the character of a catholic creed ». — Swainson, *The nicene and apostle's creeds, their literary history, together with an account of the growth and reception of the sermon on the faith, commonly called the creed of S. Athanasius*, Londini, 1875, p. 153.

(3) Meyers, *De symboli apostolici titulo, origine, et antiquissimis Ecclesiae temporibus auctoritate*, Treviris, 1849, pp. 34-47.

(4) » But thought this Creed (Apostolorum) be not of the Apostles immediate framing, yet it may be truly styled Apostolical, not only because it contains the Sum of the Apostles Doctrine, but also, because the age thereof is so great, that is Birth must be fetched from the very Apostolick Times; it is true, the exact Form of the present creed ». — King, *The history of the apostles Creed with critical observations on its several articles*, Londini, 1737, pp. 29-30.

(5) Genzken, pp. 12-13.

symbolum, nec in tabulis, nec in aliqua materia, sed in corde scribitur » (1). Ut Rufinus docet, « symbolum fidei scribendum non est chartulis aut membranis, sed retinendum credentium cordibus, ut certum sit idipsum neminem ex lectione, quae interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed in Apostolorum traditione didicisse » (2). Si catechumenis igitur vetitum erat quominus regulam fidei profitendae in baptismate accipiendo, atque ab initio Evangelii decurrentem (3) scripturae traderent, mirum nemini videbitur eam accuratissimis verbis veteres scriptores posteris non prodidisse. Adde, quod aetate propiores Christo atque Apostolis, quibus haec regula fidei instituta est (4) illi scriptores non indigebant suis in operibus enarrare vel testari symbolum, quod cuilibet notum erat, Apostolorum tempore conscriptum fuisse. Nec de Evangeliis quidem hoc ab eis assertum fuisse compertum est: nemini tamen hoc silentium ansam praebebit *temporis apostolicitatem* quoad Evangelia negandi (5). Defensoribus fidei christianae in primordiis Ecclesiae hoc tantum propositum fuerat ut fidem, quam profitebantur, apprime convenire cum Apostolorum fide ostenderent, eamque de Apostolorum traditione censeri (6). Operam lusisse sane dicerentur, si quod neminem latebat, regulam scilicet suae fidei ab Apostolis derivatam esse, apostolicam praeseferre originem enarrassent (7).

Quae hucusque deduximus ex allatis Irenaei ac Tertulliani locis, auctoritate confirmantur scriptoris orthodoxi, qui sedulam in Russia navavit operam veteribus symbolis illustrandis. En eius verba: « Quod origo symboli fidei ad aetatem referenda sit apostolicam, persuasio communis erat totius antiquitatis christianae. Licet formulae symboli, quae nobis innotescunt, in operibus scriptorum IV et V saeculi ad nos usque pervenerint, eae tamen iam extitere, non modo III saeculo, verum etiam et II, ut pronum est colligere ex fidei expositionibus, quae

(1) S. Aug., *Sermo* CCII, *P. L.*, t. XXXVIII, col. 1060.
(2) *Comment. in Symb.*, *P. L.* t. XXI, col. 338-339.
(3) Tert., *Adversus Praxeam*, c. II, *P. L.*, t. II, col. 180.
(4) Tert., *De praescr.*, c. XIV, *P. L.*, t. II, col. 31.
(5) Blume, p. 238.
(6) Tert., *De praescr.*, c. XXI, *P. L.*, t. II, col. 38.
(7) Optime Blume: « Hätten die Apostel ein bestimmtes Taufbekenntniss aufgestellt, so war den christlichen Zeitgenossen und deren nächsten Nachkommen genugsam bekannt, welche als Verfasser desselben anzusehen sein. Wollte man also erwarten, dass schon bald nach dem Ursprunge des Symbolums die allbekannten Verfasser desselben in schriftlichen Documenten aufgezeichnet seien, so wäre diese Vermuthung etwas naiv. Die Gebräuche unserer Tage virdt, man doch nicht auf die ersten Jahrhunderte übertragen wollen » ; Blume, p. 238.

hac aetate circumferebantur. Insuper, scriptores secundi saeculi, Irenaeus Lugdunensis et Tertullianus, cum materias enuncleant in variis formulis symboli contentas, de hisce non loquuntur tanquam de novis documentis, quae originem sibi coaevam habuerint, sed eas venerantur ut predicationem apostolicam (1).

Non negaverim profecto, quae a Celtzov dicuntur, ad symbolum apostolicum Ecclesiae romanae non referri, sed ad priscum illud symbolum, *ἀρχέτυπον*, inquam, ex quo ceterae formulae fidei antiquarum Ecclesiarum effluxere. At, historia testante, romanum symbolum sese exhibet ceteris antiquius, ratione temporis regulas fidei praecedit Irenaei ac Tertulliani, atque inter omnia symbola luculentiore gaudet charactere symboli catholici, quod a primordiis religionis christianae ubique gentium invaluit. Haec praecellentia symboli romani, haec eius lata diffusio, accepta quidem referenda est primatui romanae Ecclesiae (2); attamen si reliquae Ecclesiae hocce symbolum adoptarunt, haud quidem negandum est plurimum in hanc adoptionem contulisse nativam quandam excellentiam, characterem scilicet apostolicum eiusdem symboli, ad originem quod attinet. Compertum erat veteribus scriptoribus christianis, formulam romanam symboli, quae fundamentum est praecipuum symboli quod apostolicum vocamus (3), ad aetatem apostolicam adscendere, quapropter ut regula fidei apostolica citatur atque illustratur ab Irenaeo et Tertulliano.

Concedimus quidem hosce scriptores formulam exhibere lacunosam, quae in cunctis cum symbolo, apostolis tributo, non convenit. Iuvat tamen animadvertere eosdem textum symboli, prout nunc editur in Bibliothecis symbolicis, accuratissimis verbis in lucem edere sibi non proposuisse, magis ad res spectasse quam ad verba, ideoque for-

(1) Что происхожденіе символа вѣры относится ко временамъ апостольскимъ, это было общимъ убѣжденіемъ всей христіанской древности. Хотя извѣстныя намъ формы его дошли до насъ въ твореніяхъ писателей четвертаго и пятаго вѣка; но онѣ существовали уже не только въ третьемъ столѣтіи, а и во второмъ, какъ это всякій можетъ видѣть изъ вѣроизложеній того времени. Мало того, писатели втораго христіанскаго вѣка, какъ св. Ириней епископъ ліонскій и Шертулліанъ излагая содержаніе разныхъ формъ символа, указываютъ на нихъ, не какъ на что нибудъ новое, на ихъ памяти получившее свое начало, а какъ на преданіе апостольское, какъ на апостольскую проповѣдь. — Celtzov, Древнія формы символа вѣры православной церкви, или такъ называемые апостольскіе символы (*Antiquae formae symbolorum fidei Ecclesiae orthodoxae, seu symbola, vulgo dicta apostolica*), Petropoli, 1869, p. 15.

(2) Schaff, *The creeds of christendom, with a history and critical notes*, t. I, *Neo-Eboraci*, 1877, pp. 18-19.

(3) Köllner, *De symbolo apostolico*, Gottingae, 1836, p. 20.

mulas praecisas non exhibuisse (1). Symbolum, quod fideles cuncti memoria addiscebant, et corde insculpere satagebant, veteres scriptores commentariis tantum adaugere nitebantur, quo factum est ut ab eius textu ad amussim transcribendo sese abstinerent, praesertim arcani disciplinam ne violarent. Quoad substantiam tamen, quoad seriem articulorum doctrinaeque enucleandae ordinem, cum arctissimo cognationis vinculo maxima ex parte devinciantur regulae fidei Irenaei ac Tertulliani, et symbolum apostolicum romanae Ecclesiae, sat claret hocce symbolum priore dimidio saeculi secundi iam late vulgatum in orbe christiano, antiquiorem praeseferre originem, ac professionem fidei exorientis Ecclesiae nobis exhibere.

Textum professionis fidei Marcelli Ancyrani ex Epiphanio hausimus (2). Memoratu digna quae Marcellus adiungit ad testandum fidem, quam sua enucleat professio, « e sacris litteris acceptam esse, et a maioribus secundum Deum traditam » (3). Communis autem est opinio, Marcellum Romano Pontifici formulam professionis non exhibuisse, quae apud orientales vigebat Ecclesias, sed formulam ipsam Ecclesiae romanae. Cum vero ipse asserat hancce fidem romanae formulae edoctum fuisse a suis maioribus, haud quidem obscure innuitur professionem fidei, quam ex romano fonte derivatam Iulio I obtulit, apprime convenisse cum formula fidei christianorum orientalium (4). Unum igitur idemque symbolum in utraque Ecclesia.

Nec praetereundum, graecum textum, quo utitur Marcellus, versionem haud praeseferre textus latini ab eo confectam. Clarissimi viri, Caspari, Kattenbusch, Schaff sententiam tuiti sunt qua textus graecus symboli, quod apostolici nomine venit, antiquior censeatur quam textus latinus (5).

(1) Heurtley, *Harmonia symbolica: a collection of creeds belonging to the ancient western Church, and to the mediaeval english church*, Oxoniae, 1858, pp. 5-11.

(2) *Adversus haeres.*, haeres. LXXII, 3, *P. G.*, t. XLII, col. 385-388.

(3) *Ταύτην καὶ παρὰ τῶν θείων Γραφῶν εἰληφὼς τὴν πίστιν, καὶ παρὰ τῶν κατὰ Θεὸν προγόνων διδαχθείς, ἔν τε τῇ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ κηρύττω.* — Ib., col. 388.

(4) Heurtley, *Harmonia symbolica*, pp. 23-24.

(5) « The greek text (Marcelli) is probably older than the latin, and may date from the second century, when the greek language prevailed in the roman congregation »; Schaff, *The creeds of christendom*, t. I, p. 19; Caspari, op. cit., t. III, Christianiae, 1875, pp. 44-45; 97-106; Hahn, pp. 22-23; Harnack, *Geschichte der altchristlichen Litteratur*, t. I, 1, p. 115. Perridicula igitur non minus ac falsa tenenda est sententia τοῦ Nicolas, qui haec effutit: « Le symbole vulgaire ne pénétra pas en Orient. Il en existe, il est vrai, une traduction

Imo tenet Zahn symbolum romanae Ecclesiae, ea qua traditur formula per Marcellum Ancyranum, graece conscriptum fuisse, cum graecum idioma sive in liturgia, sive in publicis actis scriptisque theologicis maxime obtinebat (1). Si graeca igitur formula huiusce symboli, quod apostolicum habebatur, tam vetustam exhibet originem, fieri non potuit quin ab Ecclesia orientali agnosceretur, ac forte adhiberetur, licet progressu temporis, symbolo nicaeno adversus ingruentes haereses in lucem edito et usu recepto, in desuetudinem abierit. Falsa igitur deprehenditur assertio Marci Ephesini, qui graecam Ecclesiam semper ignorasse symbolum aliquod apostolicum, in concilio florentino audacter profitebatur.

Quod mendacium acerrimus hic fidei romanae adversarius dixerit, auctoritate Leonis Magni et Concilii Trullani Zahn pandit. In litteris ad Flavianum Constantinopolitanum (449), quibus Eutychiana haeresis damnatur exploditurque, Leo Magnus mentionem injicit de symbolo apostolico, « quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur » (2), ac « fons purissimus christianae fidei habetur » (3). Primus itidem canon concilii trullani, praeter symbolum nicaenum, statuit « fidem, a Verbi ministris, quique ipsum suis oculis viderunt, et a Deo electi sunt, apostolis traditam citra ullam innovationem immutabiliterque esse servandam » (4). Cum litterae Leonis Magni a concilio chalcedonensi magno plausu acceptae sint, cum apud Graecos concilium trullanum oecumenicum habeatur, mentio symboli apostolici, quae in allatis documentis reperitur, huiusce symboli notitiam in orientali testatur Ecclesia (5). Nec notitiam tantum, sed etiam ipsius existentiam usumque in eadem Ecclesia arguit Baron, comparatione instituta symbolum nicaenum inter ac symbolum apostolicum (6).

---

grecque, mais cette version, faite par les soins de l'Église de Rome pendant le moyen-âge dans un but de propagande, n'a vraisemblablement jamais été connue des chrétiens grecs » ; Op. cit., p. 269. Quod idem scriptor de symbolo apostolico exaravit in *Revue germanique et française* russice vertit Podgursky: Символъ апостольскій, Шруды К. Д. А., 1865, t. II, pp. 129-160; t. III, pp. 106-138.

(1) *Das apostolische Symbolum: eine Skizze seiner Geschichte und eine Prüfung seines Inhalts*, Erlangae, 1893, p. 16; Mc. Giffert, pp. 44-45; Duchesne, *Autonomies ecclésiastiques*, Parisiis, 1896, p. 183.

(2) Mansi, t. V, col. 1266.

(3) Ib., col. 1270.

(4) *Ὁρίζομεν ἀκαινοτόμητόν τε καὶ ἀπαράτρωπον φυλάττειν τὴν παραδοθεῖσαν πίστιν ἡμῖν, ὑπό τε τῶν αὐτόπτων καὶ ὑπηρετῶν τοῦ λόγου τῶν Θεοκρίτων Ἀποστόλων.* Pitra, *Iuris Ecclesiastici graecorum historia et monumenta*, t. II, p. 17.

(5) Zahn, p. 103.

(6) *The greek origin of the Apostle's creed, illustraded by ancient Documents, and recent research*, Oxoniae, 1885, pp. 42-43. Eidem sententiae suffra-

Cautiores igitur opus est sese praebeant scriptores orthodoxi in accipiendis, consutis oculis, pravis ac venenatis oraculis audacioris doctorum protestantium criticae. Spe fallitur, qui veneranda rejecta antiquitate symboli apostolici, facilius telis romanam Ecclesiam confossum iri sibi persuadet. Quidquid ad eversionem huius symboli confert, fundamenta simul totius aedificii christiani dogmatis concutit, ac, verbis utor praeclari scriptoris protestantis, « bellum a criticis rationalistis symbolo apostolico eiusque usui in Ecclesia indictum, aggressio indirecta censenda est in divinam Novi Testamenti revelationem » (1).

8. Gradum nunc facimus ad inquirendum, utrum Apostoli revera sint conditores symboli, quod eorum nomine venit. Ut propositum nobis argumentum, qua, per est, diligentia aggrediamur, triplex singillatim quaestio nobis persolvenda est: α′) *an teneatur catholica theologia agnoscere, ut veritatem fidei, veterem traditionem de duodecim apostolis duodecim articulorum Symboli conditoribus;* β′) *an apostoli vel unus ex apostolis symbolum aliquod fidei immediate condiderint;* γ′) *an, posito quod symbolum fidei composuerint, hocce unum esse, idemque cum symbolo apostolico Ecclesiae romanae cogatur theologia catholica explicite profiteri.*

α′) Ad primum quaesitum quod attinet, theologi protestantes, e quorum libris suas criminationes in catholicam theologiam hausit Preobrajensky, incusant ridentque « summam Pontificiorum levitatem, quae in diiudicandis libris, vel probationem ex adulteris monumentis adducere, vel imbellibus argumentis sinceritatem scripti suffulcire conantur » (2). Rufiniana fabella, aiunt, fide destituitur (3), nullo nititur firmamento historico, nullamque praebet vel levissimam veritatis speciem (4).

---

gatur Duchesne: Avant le symbole de Nicée, on ne connaissait que le symbole dit des Apôtres, c'est-à-dire, comme les dernières recherches de l'érudition l'ont prouvé, le très ancien symbole baptismal de l'Église romaine. Au temps du concile de Nicée, toutes les Églises d'Orient comme d'Occident se servaient de cette vénérable formule, partout identique à elle-même, sauf quelques compléments introduits ça et là, car, dans ces temps anciens, on ne voyait aucun inconvénient à toucher au texte du symbole ». — *Autonomies ecclésiastiques*, p. 76.

(1) « The rationalistic opposition to the Apostle's Creed and its use in the Churches, is therefore an indirect attack upon the New Testament itself »; Schaff, t. I, p. 20.

(2) Neumann, *Dissertatio historico-theologica de conditoribus symboli apostolici*, Witembergae, 1704, n. VIII.

(3) Schaff, t. I, pp. 22-23.

(4) « La tradition de Rufin manque de garantie historique, et, à un plus haut degré encore, de vraisemblance »; Nicolas, p. 35.

Protestantes igitur laudandi, qui commentitias narratiunculas de origine symboli apostolici nihil pensi habuere (1).

Inique convicia haec in theologiam catholicam increpari, paucis edisseram. Theologici catholici mordicus tenent veterem traditionem, quae ex apostolis symbolum aliquod fidei nostrae derivatum esse contendit. Symbolum, quo utimur in Romana Ecclesia, dicimus apostolicum, non modo quia doctrinam apostolicam continet in methodicum quemdam ordinem digestam, verum etiam quia apostoli contulerunt in id exarandum. Quoad rufinianam, quam vocant, *legendam*, maxima fruuntur theologi catholici libertate in ea dijudicanda. Praeclari quidem inter scholasticos rufinianae narrationi fidem praestiterunt, atque hoc mirum non est, si perpendatur Ambrosium ac Leonem Magnum, non secus ac Rufinum, eam posteris tradidisse: attamen, haud pauci scriptores post renatas litteras eam in dubitationem vocaverunt, vel diserte reiecerunt, quin eos corruptae fidei argueret romanae Ecclesiae magisterium (2). Ad nos quod attinet, rufinianam *legendam* tueri nobis animus non est. Lubenter concedimus serius illam apud scriptores occurrere, nulloque fulciri documento, quod genuinam redoleat antiquitatem. Scriptores catholici, qui nuperrime historiam symboli apostolici perscrutati sunt, rufinianae legendae auctoritatem atque authenticitatem denegant fidem (3). Ad sententiam P. Blume S. J., enarratio, quam posteris Rufinus commendavit, pia fabella dicenda est, sapore candidae poeseos aspersa, quae torpentes aequalium nostrorum palatos non amplius oblectat (4). Qualiscumque tamen ea sit, adnotat Zahn, haec pia fabella maiorem promeretur fidem, quam frivola illa sententia quae ad saeculum VI originem symboli apostolici producit (5).

(1) Boerner, *Institutiones theologiae symbolicae*, Lipsiae, 1751, p. 15.

(2) Optime Dörholt: « Den Satz, dass die Apostel das Symbolum verfasst hätten, hatten die katholischen Scriftsteller für eine Tradition der Väter, an welcher unbedingt festgehalten werden müsse. Was aber die alte Legende besagte, dass jeder Apostel einen Theil, gar einen genau bestimmten Artikel, zum Symbolum beigetragen habe, so behaupten sie dies durchweg nicht in thetischer Weise, sehen sich freilich auch nicht veranlasst, es ausdrücklich zu bestreiten ». Op. cit., p. 35.

(3) Dörholt, pp. 4-10.

(4) « Sie ist nicht mehr und nicht weniger als eine fromme Legende, die auf geschichtlichen Werth keinen Anspruch macht, und noch viel weniger Glauben im theologischen Sinne des Wortes jemals beansprucht hat. Sie ist in dessen eine recht tiefsinnige, poetische Legende, die von einem kindlich frommen Geiste zeugt, für den unsere vielfach kalte Zeit weniger Verständniss bekundet » ; Op. cit., p. 202.

(5) « Die Sage, wonach die Apostel vor Beginn ihrer Missionsreisen das nach ihnen genannte Symbolum festgestellt haben, enthält mehr geschichtliche Wahrheit, und Weisheit, als die Behauptung, das apostolische Symbolum sei ein Erzeugniss des V oder VI Jahrhunderts » ; Op. cit., p. 48.

Quod Ecclesia romana sua *intolerantia* doctorum virorum investigationibus in provincia historiae symboli apostolici exploranda non officiat, luculentur eruitur ex mira illa sententiarum varietate, quam apud scriptores catholicos de origine huiusce symboli disserentibus, reperies (1). Nostrum non est eas ad trutinam revocare, vel in eis perpendendis longius excurrere. Obiici tamen poterit, quam testamur, theologis catholicis sanam libertatem in symbolo inquirendo ab Ecclesia concessam, non vero licentiam, figmentum accidere apologeticum, ac de facto, nunquam extitisse. Rufinianam fabellam theologis catholicis nunquam licuit in incertum vocare.

Et revera *catechismus romanus* duodecim fidei articulos a duodecim apostolis conscriptos declarat . . .. At neminem latet huncce librum, qui proculdubio maxima auctoritate in tradenda catholica doctrina potitur, in historicis praesertim et controversis, dogmata fidei quaque pagina non exhibere (2). Si quidpiam reperitur in cathechismo romano quod ex fonte traditionis apostolicae non effluat, quodque humana tantum nitatur auctoritate, humanis itidem argumentis de eo iudicium ferendum est. Regula fidei nostrae in statutis ex Conciliis habetur, ex magisterio viventi atque indefectibili depromitur Romanae Ecclesiae Romanorumque Pontificum, qui nunquam ex cathedra narrationem rufinianam de origine symboli apostolici de fide credendam edocuere (3). Fatemur quosdam scriptores catholicos maximi momenti facere hancce traditionem: horum tamen peculiaris opinio veritatem fidei inviolabilem in Ecclesia romana praeseferre inique diceretur. Adde, quod catechismus romanus explicite non asserit assentiendum esse rufinianae traditioni. Temere igitur agunt adversarii, cum peculiares theologorum in Ecclesia catholica sententias, ad fastigium dogmatum attollere contendunt.

Intolerantiam romanae Ecclesiae increpat Preobrajensky, quae Laurentio Valla gravissimas poenas minitata est, nisi suam sententiam

(1) Cfr. Blume, pp. 37-39.

(2) « Ich denke, ait Blume, dass der Cat. Rom. als ein äusserst werthvolles Werk freilich sehr hohes Ansehen hat, aber keinewegs als definitive Glaubensnorm gilt, zumal wenn es sich um blos geschichtliche Bemerkungen handelt ». P. 24.

(3) Optime Dörholt: « Wass wir zu glauben haben, wird gemäss den Glaubensquellen bestimmt durch die Glaubensdekrete der allgemeinen Konzilien, und des ex cathedra redenden Papstes. Der römische Catechismus aber hat nicht die Eigenschaft und den Zweck eines Glaubensdekretes, sondern sollte ein papstiches Handbuch für die Seelsorger sein, und es diesen leichter machen, dem Volke die gesunde Lehre christlicher und katholischer Wahrheit vorzutragen ». P. 33.

de origine symboli apostolici retractaret (1). Russicus scriptor non animadvertit, quod in factis historicis dijudicandis, ratio temporis, quo ea evenerunt, habenda sit. Traditionem aggrediebatur Laurentius Valla quae, sua aetate, tum apud viros doctos, tum apud simplices fideles, ut haereditas sancta a maioribus accepta, obtinebat. Hoc novum facinus non potuit quin turbas excitaret, eo magis quod validis argumentis traditionis osor suam sententiam non firmaret, ac gratuito assereret symbolum apostolicum in concilio nicaeno conflatum fuisse (2). Nil igitur mirum si catholica Ecclesia ad conscientias fidelium tranquillandas, ad seditiones praecavendas, ad controversias arcendas, quae non sine fidei periculo tunc temporis agitatae fuissent, adhibitis minis, scriptorem audacem ad silentium induxerit. Prudenter egit Ecclesia: pacem enim tutata est, quin declararet explicite quid cuilibet de origine symboli apostolici credendum esset. Hancce quaestionem solvendam eruditis commisit.

Preobrajensky qui notam intolerantiae romanae inurit Ecclesiae, oblivisci non debuit, pro rebus quidem minoris momenti gravissimis poenis sua in Ecclesia viros probos vitaeque austeritate insignes mulctatos fuisse. Neminem arbitror latere saeculo XVII ad extremum saepe productos fuisse supplicium signiferos illos russici schismatis, qui pertinaciter libros liturgicos, a Nicone Patriarcha emendatos, probare atque accipere noluerunt (3). Mulieres etiam, quae veteres ritus mordicus tuebantur, capite damnatae sunt. Ut hanc saevitiam excusent, scriptores orthodoxi ad legum asperitatem morumque feritatem, quae in Russia illa aetate vigebant, provocant. Cur igitur tot convicia in romanae Ecclesiae intolerantiam? Ad controversias scientificas quod attinet, maiori frui libertate scriptores catholicos quam orthodoxos, cuique russicae censurae historiam pervolutanti luculenter patebit (4).

Alterum exemplum romanae intolerantiae affert Preobrajensky. Erasmus censuram meruit facultatis theologicae parisiensis, eo quod symbolum ab apostolis conditum fuisse asseveranter non est professus. Notandum imprimis a Romana Ecclesia eum damnatum non fuisse, sed a schola theologica, quam, in sua diuturna existentia, haud semel

(1) Loc. cit., pp. 814-815.

(2) « Frater quidam Praedicatorum, quem ajebant inquisitorem, perconctatur quid de symbolo sentirem, ab apostolis ne conditum an non, ego me sentire, non ab apostolis, sed a synodo nicaena conditum »; Valla, *Calumnia theologica*, Argentorati, 1522 »; Cfr. Monrad, *Den forste Kamp om den apostolske Troesbekjendelses Oprindelse*, Hafniae, 1875, pp. 238-241.

(3) Palmieri, *La Chiesa russa*, pp. 397-410.

(4) Ib., pp. 606-613.

errori favisse testatur historia. Insuper, non modo traditionem rufinianam negavit Erasmus, verum etiam symbolum nullimode ab apostolis derivasse temere propugnavit, licet disertis verbis apostolicitatem eius doctrinae tuitus sit (1).

Cum vigeat traditio a remota iam aetate, cum omnes sine dubio eam censeant legitimam, eamque veneratione prosequantur, quippe quae ad pretiosum fidei nostrae documentum spectat, satis liquet huiusce traditionis osores in contraria sententia tuenda perpaucos amicos habituros. Quod de symboli origine asserimus, in provincia ceterarum scientiarum evenire compertum est. Sententiae, quae dominatum exercent, non sine bello, ut ita dicam, solio depelluntur. Bellum autem eo vehementius est quo validioribus carent argumentis adversarii sententiae, cui plurimi suffragantur. Hocce in controversia ad originem symboli spectante contigit. Laurentius Valla atque Erasmus veterem traditionem negarunt, quin lucide solideque ostenderent, cur ei fides adhibenda non esset (2).

Cum vero, lapsu temporis, proposita nobis quaestio diligentissimae investigationi subiecta sit, communis evasit opinio scriptorum catholicorum, rufinianam traditionem authenticam non esse. Hancce opinionem magisterium romanae Ecclesiae non reprobavit, quoniam, controversia de origine symboli, ut ait Bardenhever, est mere historica, rerumque in symbolo contentarum apostolicitatem nullimode in discrimen adducit (3).

(1) « De singulis articulis a singulis apostolis proditis, commentum videtur vel pictorum, vel alicuius qui hac ratione voluit et apostolorum celebrare nomina, et catechumenorum memoriae consulere. Vero propius est, hoc symbolum quod Apostolorum dicitur, illud fuisse quod iuxta romanam Ecclesiam auctoritate priscorum Patrum tradebatur catechumenis ediscendum, cui partes aliquot additae sunt, adversus exorientes haereses. Alioquin cur hoc symbolum non est additum decretis seu canonibus apostolorum, quae, si non videntur apostolorum, cum tamen habeant titulum, consequitur non statim ab apostolis scripto proditum ... Nec tamen falso dicitur apostolorum, quum ea contineat, quae Apostoli tum praedicarunt, tum in evangeliis et epistolis tradiderunt. Unde consequitur illi non minus auctoritati esse tribuendum, quam scripturis canonicis »; *Declarationes Des. Erasmi Roterodami, ad censuras Lutetiae vulgatas sub nomine Facultatis theologiae parisiensis*, 1532, pp. 165-166.

(2) De sententia Laurentii Valla hoc iudicium effert Kattenbusch: « Seine eigene Meinung ist so willkürlich und phantastisch, wie möglich »; Op. cit., t. I, p. 2; Cfr. Dörholt, pp. 18-26.

(3) « Die Frage nach der Herkunft des Wortlautes des Symbolums ist eine rein historische Frage, deren Beantwortung den Glauben an die Apostolicität des Inhaltes nicht berührt »; *Geschichte der altkirchlichen Litteratur*, t. I, p. 70.

Metuenti vero, ne, reiecta traditione rufiniana, symbolum ipsum collabatur, eamque summa tenacitate patrocinanti, aurea Holdenii verba in memoriam revocamus: « Plurimi sunt, qui haereticos maiori zelo quam scientia insectantes, non solum consecutiones in theologia dubias et ancipites, sed etiam opiniones ubique passim in palaestris philosophicis concertatas, tanquam ad fidem et religionem christianam sustentandam necessarias propugnant et tuentur . . . qui dum religioni christianae favere laborant, haud parum ei nocent et iniuriam inferunt » (1).

β') Repudiata vero traditione rufiniana, apostolos symbolum aliquod condidisse, paucis ostendemus. Quae Preobrajensky in apostolicitatem symboli, ad conditores quod spectat, congessit, ex iisdem audacioris criticae fontibus hausta fuere. Per liberum enim, quod vocant, examen, scriptores lutherani paulatim ad praecipua fidei nostrae fundamenta concutienda manum admoverunt. Symbolum apostolicum summis prosequitur laudibus Lutherus, idque omnium optimum appellat, ad fideles cunctos, vel pueros, apprime in rebus fidei instruendos (2). Haecce tamen in symbolum veneratio, novatoribus serioris oevi visa est obsoleta superstitio.

Epitheton apostolici, symbolo appictum, conclamat Coquerel, mendax est (3). Ut *παράδοξον* hoc confulciatur, altum veterum scriptorum de symbolo apostolico silentium nobis objicitur. « Veteres scriptores, non historiam confectionis symboli memorant, non partem illius usurpant, non ad eam alludunt, non vel levissimam lectorum suorum animis suspicionem injiciunt, eam esse a se vel factam, vel visam, vel auditam, vel alio modo cognitam, quum multa alia obiter notaverint, quae non sunt aeque magni momenti » (4).

Adde, quod apud veteres Patres regula fidei non eadem exhibetur: nunc fusior est, nunc brevior (5). » Si ab illis profecta esset, authentica foret, nec sine summo sacrilegio tam saepius mutari ac mutari, contrahi ac dilatari potuisset. Reverentia certo, si non augendo, per ademptionem tamen hoc ipsum violare non permisisset. Nisi forte e com-

(1) *Divinae fidei analysis, seu de fidei christianae resolutione*, apud Braun, *Bibliotheca regularum fidei*, t. II, Bonnae, 1844, pp. 120-121.

(2) « Das erste Symbolum, der Apostel, ist zwar das allerfeinest, das kurz und richtig die Artikel des Glaubens gar fein fasset, und auch den Kindern und Albern beichtlicht zu lernen ist ». — *Die drei Symbola*, Sämmtliche Wercke, t. XXIII, Erlangae, 1838, p. 253.

(3) « Le titre de symbole des Apôtres est mensonger ». — Op. cit., p. 8.

(4) Amyraldus, *In symbolum Apostolorum exercitatio*, Salmurii, 1663, p. 18.

(5) Neuman, n. XVII.

posito, et data quasi opera, illud occultari voluerint, quod citra maximum salutis detrimentum, universus terrarum orbis ignorare non debuit, nec potuit quoque. Inepta certe atque iniqua haec esset ratio, quia arcani disciplinam non observarunt viri Numine contacti, multo minus vero opus habuerunt » (1). Hoc silentium validius adhuc praebet argumentum, si perpendatur orientalis Ecclesiae scriptores, quos inter vel Cyrillum Hierosolymitanum, symboli apostolici originem latuisse (2).

Quonam igitur sensu nobis accipiendum est epitheton apostolici symbolo adiunctum? Apostolicum, animadvertit Heurtley, commune est epitheton, quod cunctis fidei regulis vel formulariis indiscriminatim tribuitur, nec non pluribus antiquitatis christianae monumentis, quae doctrinis ab apostolis traditam continere censentur, quin apostolos auctores habuerint (3). Ut coniectura assequitur Amyraldus, « symbolum confectum fuit ab aliquo Ecclesiae pastore, et postea cum reliquis ita communicatum, ut omnes alias Ecclesias particulares pervagatum sit, et per manus posteritati traditum, unde ad nos usque profluxit. Et apostolis attributum fuit, partim quia ex eorum scriptis haustum est, et doctrinam evangelicam spirat, partim quia tanta est illius antiquitas, ut ignorato illius auctore, et universa Ecclesia christiana id magna animorum consensione, magnaque reverentia recipiente, nihil commodius aut vere propius visum est, quam si ad divinam illam originem referretur » (4).

Haec attulimus, ut pateat quod, ad catholicam theologiam debellandam, scriptores quidam orthodoxi arma sibi cudant in lutheranis officinis. Equidem ii non sumus, ut praeconceptis studiis ac praeiudicata opinione, quidquid ex doctis protestantium voluminibus depromptum sit, statim horreamus, ac tanquam venenatum cibum, projiciendum ducamus. Etenim, haud semel, catholicis scriptoribus contigit, ut ex panopliis lutheranorum efficacissima mutuati sint arma ad nativam romanae Ecclesiae pulchritudinem clariore perspicuitate donandam. Hoc tamen dolemus, theologos orthodoxos, quidquid in litteratura protestantium ad calumniandam doctrinam catholicam disseminatum inve-

(1) Ib., n. XVIII.

(2) Heurtley, *A history of the earlier formularies*, Londini, 1892, pp. 4-5. — Schaff, t. I, pp. 22-23.

(3) « Originally symbolum apostolorum or apostolicum was the designation not of one formulary, as distinguished from others, but of the creeds generally. It implied that the doctrine set forth, though not necessarily couched in the very words delivered by the apostles, was at least apostolic doctrine, such as the apostles taught, such as they handed on ». Op. cit., pp. 8-9.

(4) Op. cit., pp. 19-20.

nitur, prompta colligere manu, ac saepe saepius inconsiderate probare. Cur autem tot scriptorum catholicorum sana referta eruditione volumina, quibus traditiones catholicae e crassis tenebris eisdem superfusis exsolvuntur, alto premuntur silentio?... Num omnes theologi romanae Ecclesiae mangones dicendi sunt veritatis christianae, vel caudices perariди?... Num omnes conticuere, nullusque inter eos ausus est calamum sumere ad symboli apostolici authenticitatem, tot assultibus expetitam, sartam tectamque servandam?... Honestas litteraria, quam vocant, non sinit, ut duo inter agmina pugnantia unius tantum virtus ac merita recenseantur, alterius vero, non minus strenue dimicantis, crebrae victoriae silentio praetereantur.

Cum symbolum apostolicum dicimus, ea mens nobis non est ut nomen hoc tantum mereri teneamus, quia doctrina in eo contenta cum Sacrae Scripturae doctrina vel in minimis convenit. Symbolum opus vermiculatum non est, ex lapillis scripturariis affabre compositum. Ut Mayers adnotat, idipsum accipiamus oportet tanquam per se subsistens monumentum, tanquam fidei formulam ab apostolis Ecclesiae traditam (1).

a) Ac primum. Traditio est communis in Ecclesia, Apostolos symbolum aliquod condidisse. Regula fidei, ut iam innuimus, ex luculentis testimoniis Irenaei ac Tertulliani ab Apostolis decurrisse asseritur. Hocce symbolum fidei in cunctis reperitur, tum Orientis, tum Occidentis, Ecclesiis. Nulla est communitas fidelium ab incunabulis Ecclesiae quae eo careat, eoque non utatur in novis militibus suis agminibus adscribendis; nullus est pastor Ecclesiae qui hanc formulam a baptismum recepturis legendam non requirat. Si ad primordia fidei christianae relabamur, plurima nobis occurrunt in Ecclesiis particularibus symbola, quae leve quidem, quoad res contentas, discrimen exhibent, eandemque tamen faciem praeseferunt, eademque lineamenta, ut iam innuimus, in articulorum dispositione. Undenam oritur haec uniformitas?... (2). Undenam universalis haec traditio, quam nullus Romanus Pontifex cunctis Ecclesiis observandam statuit, nullum concilium itidem

(1) P. 185.

(2) « And which is very observable, although there was so great a diversity of creeds, as that scarce two Churches did exactly agree therein, yet the Form and Substance of every Creed, was in a great measure the same; so that, except there had been from the very Plantation of Christianity, a Form of sound Words, or a system of Faith delivered by the first Planters thereof, it is not easy to conceive, how all Churches should harmonize, not only in the Articles themselves, into which they were baptized, but in a great measure also in the Methode and Order of them ». — King, p. 30.

sanxit, nullusque particularis Ecclesiae episcopus, ut ceterae adoptarent, adlaboravit? . . . Una tantum est responsio, si veritati studeamus. Universalitas huius traditionis in primordiis Ecclesiae, ex illis progressa est, cui ius competebat leges ferendi in universam Ecclesiam. Quod primaeva illa christianae religionis aetate commune est cunctis Ecclesiis, patrimonium apostolicum, haereditas apostolica censenda est. Veteres scriptores uno veluti ore haec nobis edisserunt. Pauca quidem ex documentis scriptis eaque incerta haurimus testimonia ad nostram thesim probandam. At neminem latet, praeter traditionem scriptam, in primordiis Ecclesiae late vigere traditionem oralem, quae tanquam notam suae veritatis atque apostolicitatis oecumenicum praesefert characterem. Hancce traditionem oralem denegare, cunctosque fidei christianae thesauros in perexiguis scriptorum apostolicorum plagulis coarctare, idem esset ac divitias ingentes christianismo detrahere. Ut ei valedicamus, rationes opus est enucleant adversarii, quibus ea falsa et subreptitia evincatur. Silentium enim efficax non est argumentum ad eam infirmandam, praesertim si animadvertatur primis Ecclesiae saeculis scriptores christianos sanguine potius quam atramento suae fidei historiam conscripsisse, ac per disciplinam arcani, quominus symbolum chartis consignassent, prohibitos fuisse.

b) Quod apostoli symbolum aliquod composuerint, necessaria quodammodo consecutio est muneris, quo in orbe terrarum ipsi erant perfuncturi: *Euntes, docete omnes gentes*... Praeceptum igitur est Iesu Christi ut sui apostoli, veritates quas revelavit, hominibus patefaciant. Attamen, ut praeceptum divinum impleatur, haec doctrina medium tantummodo est ad renovationem illam spiritualem, quae per baptismum absolvitur. Magisterium apostolicum via est ad ministerium apostolicum. Postquam divina sapientia imbuti erant, qui sese in Apostolorum disciplinam tradiderant, eos humillime rogabant, ut veterem prorsus abjicerent hominem, ac signaculum indelebile Iesu Christi in imis animae penetralibus reciperent. Hoc fieri non poterat quin Apostoli quaererent, quaenam esset eorum fides, quamnam doctrinam profiterentur, quodnam redderent testimonium Filio Dei. Vir aethiops, eunuchus *aiebat Philippo: Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?... Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum.* Act. Apost., VIII, 36-37. Haec fidei professio in Iesum Christum in eaque omnia quae Iesus Christus docuit, vel per seipsum immediate, vel mediate per suos apostolos, ut necessaria exhibetur conditio baptismatis recipiendi. Necessaria primum ex parte apostolorum, qui in militiam Christi adscischere non poterant hominem, quem fides usque ad sanguinis effusionem

profitenda lateret: necessaria iterum ex parte discipulorum, ut officia, quae nova religio eis adimplenda proponebat, ac veritates tanquam Dei verbum custodiendas, perfecte cognoscerent. Una eademque fides apostolorum, ergo una eademque professio fidei; unum idemque baptisma, ergo unum idemque symbolum. In singulis Ecclesiis baptisma recepturi formulam fidei recitabant, antequam sacris fontibus mergerentur. Haec praxis fuit, sicuti est, universalis in tota Ecclesia, et consequenter apostolica signatur nota. Res ipsa docet apostolos, qui legatione Christi perfuncturi erant, non potuisse quin breviarium aliquod constituerent veritatum illarum, quarum explicitam professionem a christianam militiam amplexuris peterent. Si hoc non egissent, dicendum esset eos indiscriminatim quoslibet in Ecclesiam accepisse, quamvis maxima inter eos, quoad sententias ad fidem pertinentes, discrepantia intercederet (1).

c) Denique symbolum apostolos condidisse ex necessitate consequitur praecavendi scissuras haeresesque inter fideles, quas ab initio iam praedicationis evangelicae germinasse testatur Apostolus, I ad Cor., I, 18-19. Non omnes fideles scitissime totam fidei christianae doctrinam novisse praesumendum erat. Ut facilius igitur divinarum veritatum alterationi praecluderetur aditus, oportuit fideles compendium habuissent praecipuorum dogmatum, ex quorum comparatione cum discrepantibus haeresum sententiis, hasce confestim explodere valuissent. Quod si Apostoli hocce medium tuendae fidei sibi traditae neglexissent, proculdubio rite suum non persolvisse officium incusarentur.

Irritos igitur censemus illorum conatus, qui validis argumentis haud suffulti, ex veterum scriptorum silentio, apostolicum characterem auferre symbolo pertentant.

Si revera symbolum universale est ab incunabulis reipublicae christianae, si in liturgia baptismali omnium adest Ecclesiarum, si necesse fuit pro sacro revelationis deposito servando illud condere, si vetus ac

(1) Symbolum apostolos condidisse suisque discipulis ut recitarent ante baptisma praecepisse, deducit Celtzov ex verbis Pauli Apostoli ad Timotheum: *Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, εἰς ἣν ἐκλήθης καὶ ὡμολόγησας τὴν καλὴν ὁμολογίαν ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων*, I ad Tim., VI, 12. Haec bona confessio, quam coram multis testibus confessus est Timotheus, eadem est quam serius scriptores ecclesiastici symbolum vocaverunt. Idem coniectura licet assequi ex verbis Petri Apostoli: *ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν*, Ep. I, III, 21. Interrogatio bonae conscientiae in Deum, quae fiebat ante baptisma, satis arguit existentiam cuiusdam breviarii fidei, quod baptisma recepturi memoriae tradebant ac recitabant. — Pp. 15-16.

tutissima traditio idipsum apostolis tribuit, si demum in documentis scriptis haud obscura fas est colligere testimonia, quae veterem confirment traditionem, temere agunt, qui coniecturas opinionumque commenta excogitant, ut symboli apostolicitatem convellant.

γ') Symbolum ab apostolis conditum fuisse declaravimus. Ad nos autem non pertinet ulterius inquirere, utrum omnes apostoli id condiderint, vel S. Iohannes (1), vel Petrus et Paulus (2) vel unus tantum Petrus, Romae (3). Attamen, posita origine apostolica symboli, gravissima exoritur quaestio, an symbolum, quo romana utitur Ecclesia, quodque apostolicum audit, illud sit revera symbolum quod Apostoli vel Apostolus quidam condidere. Hocce disertis verbis Rufinus asserit: « Illud non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta. In Ecclesia tamen urbis Romae hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque haeresis ulla illic sumpsit exordium, et mos ibi servatus antiquus eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt publice, id est fidelium populo audiente, symbolum reddere » (4). Eadem testatur Ambrosius (5).

Sententia, cui favemus, hisce concinnamus verbis: *Symbolum romanum in plurimis, et quidem essentialibus, unum idemque esse cum symbolo quod Apostolos condidisse fert vetus traditio.* Ut liquet, non omnia contendimus verba symboli romani ad amussim ex symbolo apostolico deprompta fuisse: nihil ei adiectum esse, quod in symbolo apostolico non aderat, haud asserimus. Quod tamen, ut ita dicam, medulla est symboli apostolici, in romanum symbolum translatum fuisse, ideoque hocce symbolum revera dici apostolicum, mordicus tenemus (6).

(1) Caspari, op. cit., t. III, p. 160.

(2) *Revue d'Histoire Ecclesiastique*, t. II, p. 95.

(3) « Kein anderer ist es als der heilige Petrus, auf welchen die ganze Eigenthümlichkeit des apostolischen Glaubensbekenntnisses an erster Stelle zurückgeführt werden muss, und welcher durch das apostolische Glaubensbekenntniss noch heute bei Katholiken wie bei Protestanten das Amt eines ersten und massgebenden Lehrers der christlichen Glaubenswahrheit verwaltet ». — Krawutzcky, *Das apostolische Glaubensbekenntniss, seine erste Gestalt, und früheste Weiterbildung*, Vratislaviae, 1872, p. 111.

(4) *P. L.*, t. XXI, col. 339.

(5) Ib., t. XVII, col. 1196.

(6) Optime Vacant: « Quoi qu'il en soit des éléments secondaires du symbole des apôtres et de leur date, il est incontestable que ce symbole remonte aux apôtres dans la partie essentielle et primordiale, à laquelle ces éléments secondaires se sont ajoutés. Le symbole romain ne remonte donc pas seulement aux

Sententiam, quae nobis arridet, clarissimi, tam catholici, quam protestantes scriptores, suo firmant suffragio. Quam maxime credibile est, ait Bardenhever, ut symbolum romanum ad aetatem relabatur apostolicam (1). Nec credibilitatem tantum, sed quendam certitudinis historicae gradum sententiam nostram mereri putat Blume (2).

a) Et revera, comparatione instituta romanum inter symbolum et cetera occidentalium Ecclesiarum symbola, quae collegit Hahn, prima constabit fronte, haec omnia ad illud reduci, tanquam ad fontem, ex quo diversis plane temporibus scatuere. Haec tamen posterius adiecta complementa si resecentur, stipes ille primitivus apparebit, qui in Latio christiano altas egit radices. Quae asserimus, disertis verbis anno 1877 tradidit Harnack, fassus romanum symbolum ceterorum occidentalium symbolorum stirpem extitisse (3).

Convenit igitur, vel inter osores traditionis romanae, symbolum romanae Ecclesiae ceteris symbolis antiquius esse. Estne tamen identicum cum symbolo primitivo apostolorum, saltem quoad substantiam? Ratio, quae adducitur a Rufino, sua non destituitur in praesentiarum efficacia. Symbolum aliquod ab apostolis conditum iam statuimus: hocce simbolum romanam accepisse Ecclesiam, quorum fundamenta principum apostolorum purpurata sunt sanguine, idque non immutasse, vel novis additionibus diu non auxisse, a veritate absonum non est. Addi-

---

apôtres et à Jésus Christ, en ce sens que toutes les vérités qu'il exprime appartiennent à la doctrine chrétienne. Il y remonte encore dans son charactère de profession de foi baptismale, puisque la profession de foi baptismale, adoptée par les apôtres, a été le noyau du symbole baptismal romain, et qu'elle en contenait non seulement le cadre, mais encore les articles de foi principaux ». — *Dictionnaire de Théologie*, t. I, col. 1676.

(1) « Die Tradition, die Entstehung des altrömischen Symbols in die Tage der Apostel zurückverlegt erscheint dieselbe im höchsten Grade glaubwürdig. Sie lässt sich nicht als zutreffend beweisen, sie lässt sich aber noch viel weniger als irgendwie unwahrscheinlich abweisen». — *Geschichte der altkirchlichen Litteratur*, t. I, p. 73.

(2) « Es ist recht annehmbar und wahrscheinlich das altrömische symbolum sei das Taufbekenntniss der apostolischen Zeit. An diesem Punkte aber setzt dann die Tradition ein, welche versichert, das altrömische Symbolum, und nur dieses, sei wirklich so von den Aposteln verfasst ... Hindurch nähert sich, um das Mindeste zu sagen, die Wahrscheinlichkeit einstweilen einem gewissen Grade von historischer Gewisseit ». — Op. cit., p. 213.

(3) « Reducirt man alle abendländischen Symbole auf einen Archetypus, indem man von den Differenzen absieht, so erhält man das kürzere römische Symbol. Was folgt aus diesen Beobachtungen?... Es folgt daraus mit Evidenz, dass das kürzere römische Symbol die Wurzel aller abenländischen Glaubensbekenntnisse ist ». — Citatur a Blume, p. 111.

tiones enim quae symbolo romano interiectae fuere (1), ex necessitate ortae sunt fidei apostolicae contra pravas haereticorum doctrinas tuendae. Suae enim haereseos symbola etiam conficiebant fidei corruptores, ut facilius simpliciores deciperent, eosque suis erroribus manciparent. Nil igitur mirum, si particulares Ecclesiae, praesertim in Oriente, grassantibus haereticis, symbolum apostolicum novis instruxerint additamentis ad haeresim felicius profligandam. In Ecclesia autem romana, haeresium sterilitas, quod maximum ei decus affert, deprenditur. Necessarium igitur non fuit ut summi antistites symbolum apostolicum producerent, ad fideles robustiore munimine contra haereticam pravitatem obtegendos. Si romana Ecclesia symbolum ab apostolis sui conditoribus accepit, si hoc symbolum ceteris antiquius docet historia, nec non immutatum diu permansisse coniectura assequimur firmis nixa fundamentis, in errore non versabimur, asserentes symbolum apostolicum ac romanum in praecipuis fidei articulis identitatem praeseferre.

b) Praeterea, symbolum fidei, si finis aspiciatur, ad quem assequendum institutum est, duabus praesertim notis exornaretur oportuit, brevitate scilicet, rerumque in eo contentarum certitudine. Cum enim fideles, qui baptisma recepturi erant, ad omnes socialis vitae conditiones pertinerent, docti vel indocti, nobiles vel ex plebe, pueri, vel annis iam graves, fieri non potuit quin eis formula in baptismate recipiendo proponeretur, quae cunctis accommodatior foret mentibus, ac scitu facillima. Perbreve igitur illud fuit compendium veritatum fidei, quod primis saeculis in Ecclesia, ad christianos suae fidei tessera communiendos viguit. Hocce etiam compendium praecipuas veritates fidei, quarum cognitio ad salutem adipiscendam necessaria est, oportuit continuisset. Praeludium enim confessio haec fidei censebatur ad baptisma, quo ut dignus quis habeatur, non eget ut secundaria vel minoris momenti apprime sciat, sed ea tantum quae robur et fundamentum sunt totius fidei christianae.

Scriptores, qui commentariis symbolum illustrarunt, notas, quas memoravimus, ei vindicant. Audiatur Hilarius Pictaviensis: « Dominus, qui verbum consummans et brevians facit super terram, sicut in brevitate consummavit omnia praecepta legis dicens, in illis duobus prae-

(1) Usserius, *De romanae Ecclesiae symbolo apostolico vetere aliisque fidei formulis, tum ab occidentalibus, tum ab orientalibus in prima catechesi et baptismo proponi solitis*, Londini, 1647, p. 11. Baeumer tenet ab anno 250 usque ad 450 symbolum romanum immutatum permansisse: deinceps vero leves mutationes accepisse. Op. cit., pp. 111-114.

ceptis dilectionis Dei et proximi totam legem prophetasque pendere, sicut etiam in orationis brevitate perfecit quidquid ad praesentis vitae auxilium et ad futurae pertinebat effectum, sic etiam in symboli brevitate perfectum voluit per Apostolos suos fidei sanctae ordinari tenorem, qui recte credentibus proficeret ad salutem » (1).

Symbolum romanum auream praeseferre brevitatem, eaque simul quae maxime necessaria sunt ad salutem, ac tutissima enucleare, scriptores tam catholici, quam protestantes atque orthodoxi, ultro concedunt (2). Propius igitur accedit ad symbolum illud, quod apostolorum aetate viguisse statuimus.

c) De essentialibus tamen hoc affirmandum. Constat enim romanum symbolum in paucis a symbolo primitivo eiusdem Ecclesiae discedere, quaedam exhibere quae in illo desiderantur, ac formulam tradere in Gallia meridionali saeculo V pervulgatam (3). Nostra tamen sententia, ne periclitatur illum apostolicitas symboli romani. Paucis hoc ostendam.

Communis est sententia, symbolum, quod vocamus apostolicum, formularium fidei prestare, a cathecumenis, ante baptismatis receptionem, recitandum. Id scriptores quidam *declarativum* appellant, ut a formulariis pro imbuendis cathecumenis veritatibus fidei (*credo interrogativum*) secernant (4). « Si admittatur symbolum apostolicum ex formulis ortum esse, quibus ab initio baptizandi fidei professionem emissuri essent, facile comprehenditur et primum fundamentum symboli, et quanam ratione hoc sensim sensimque auctum atque amplificatum sit, ita ut et diversae, quae diversis temporibus et locis appareant,

(1) *P. L.*, LXV, col. 822-823; Caspari, t. II, p. 247. — « Apostoli et Ecclesiarum patres de populorum salute solliciti, ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia divinis gravida sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre convivium, elegerunt verba brevia et certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis ». — Faustini, *Tractatus de symbolo*; Caspari, *Alte und neue Quellen*, p. 263. « Pauca quidem sunt verba, sed omnia continent sacramenta. De totis enim Scripturis haec brevitatis causa collecta sunt, tanquam gemmae pretiosae in una corona compositae, ut quoniam plures credentium litteras nesciunt, vel qui sciunt per occupationes saeculi Scripturas legere non possunt, habeant sufficientem sibi scientiam salutarem ». — Nicetas, ep. Aquileiensis, *Explanatio symboli habita ad competentes*, *P. L.*, LII, col. 873-874. De auctore huius operis. Cfr. Bardenhever, *Patrologie*, p. 388.

(2) Cf. Blume, pp. 219-221.

(3) « Kein Zweifel kann darüber bestehen, dass im Apostolicum, so wie es jetz vorliegt, sich einige Worte und selbst Satzglieder finden die in dieser Fassung unmittelbar von den Aposteln herrühren ». — Ib. p. 121.

(4) Heurthley, *Harmonia*, p. VI-VII.

formulae, et quae de illis traduntur omnia bene inter se conciliari possint » (1).

Symbolum, ampliatio est in sua primaeva origine formulae baptismalis (2). Sed quousque haec extenditur ampliatio?... Ex eis qui rem ex instituto pertractarunt, quidam tenent priorem formulam baptismalem simplicissimam fuisse, ac solummodo fidem in Trinitatem exprompsisse, quae in formula ad baptismum conferendum apud Matthaeum legitur, XXVIII, 19 (3). « Sed non licuit per haereticos in ea simplicitate permanere. Haeresibus igitur obortis, quarum architecti vel patroni sese pro christianis venditarent, ac misere seducerent imperitos, coacti sunt addere alia quibus Ecclesiae doctrina ab haeretica, Ecclesiae filii ab haereticis et eorum sectatoribus secernerentur » (4).

Non desunt scriptores inter catholicos qui huic faveant sententiae. « Fortassis compositio inter dissidentes partes fieri queat, ait Gerbert O. S. B., admittendo initio simpliciorem fuisse publicam fidei professionem, formulae baptismi a Christo institutae pressius respondentem, donec successu temporis ob varias exortas haereses hinc inde addi aliquid contigerit; ut in eam quae hodie habetur, formam coaluerit potissimum ac primum in Romana Ecclesia » (5). Conficeretur inde germen tantum symboli posuisse Apostolos, quod per Ecclesiam opportuno tempore excultum, insitas vires in arborem expandit (6).

Hancce sententiam utique non reprobamus, quam scriptores catholici optimae notae suo fovent patrocinio. Magis tamen nobis arridere sententiam illam fatemur, qua brevius quidem, sed plurimos continens articulos fidei symbolum, condidisse Apostoli dicuntur. Ad eam stabiliendam, rationes conferunt quibus symbolum aliquod ab apostolis confectum esse declaravimus. Hocce vero symbolum paucis articulis serius adauctum fuisse, suisque in verbis leves mutationes subiisse, profecto non negaverim. Apostolicum tamen suapte natura semper mansit, quia praecipua eius pars ex apostolorum calamo pro-

(1) Köllner, p. 16; Zahn, p. 46.

(2) Mc. Giffert, p. 13.

(3) « Le symbole romain du IVe siècle était une forme cristallisée et développée de la profession de foi trinitaire en usage aux temps apostoliques ». — *Dictionnaire de théologie*, t. I, col. 1674.

(4) Vossius, *De tribus symbolis apostolico, athanasiano et constantinopolitano*, ed. II, Amstelodami, 1662, p. 23; Boerner, p. 17.

(5) *Principia theologiae symbolicae, ubi ordine simboli apostolici praecipua doctrinae christianae capita explicantur asserunturque*, Monasterii S. Blasii, 1758, pp. 5-6.

(6) *P. G.*, t. XXXIII, col. 527-528.

cessit. Quod si mirum cuique videbitur, vetustum fidei apostolicae summarium, non minori veneratione quam sacras Scripturas habendum, audacter per homines immutatum fuisse, pulcherrimo respondemus laudati iam Meyers argumento: « Symbolum brevissimum ab ipsis Apostolis compositum, si ab Ecclesia vocibus articulisque in temporum serie adauctum videtur, nemini scrupulos hoc injiciat cogitanti, ob singularem admirationem pietatemque ergo auctores illud tanquam rem pretiosissimam in nativa simplicitate et integritate conservari oportuisse, quin variis additamentis corrumperetur. Nam legitima formulae haeres Ecclesia est, quae augendo eam nihil aliud fecit, nisi quod et Apostoli fecissent, si adhuc in vita fuissent. Quemadmodum enim, ut ad unam Evangelii praedicarent normam, hanc brevissimam magistri sui doctrinae comprehensionem fecerunt, Spiritu Sancto afflati, sic et Ecclesia ab eis symbolum a conservandam unam eandemque veritatem accepit, et si necessitate urgente, ex universa, quam tradiderunt illi. ipsaque puram et integram in pectore portat, doctrina ad defendendam se ab haereticis depravationibus impugnationibusque nonnulla adiunxit prioribus, ex eorum animo egit, qui formulam fecerunt » (1).

Quaestio de immutando symbolo, non quidem quoad substantiam fidei, sed quoad faciem extrinsecam, quoad maiorem minoremve articulorum complexum, arcto coniungitur nexu cum doctrina de infallibilitate magisterii ecclesiastici. Nulli dubium est quin symbolum a Jesu Christo immediate non processerit, sed ab Apostolis: institutione igitur divinum non est, sed Apostolicum: praeceptum itidem apostolicum est, non divinum, si in liturgia adhibeatur.

Posito igitur quod eius institutio atque introductio in liturgiam apostolicae sint, duplex necessitas quoad ipsum fingi potest: 1) *necessitas usus in liturgia*; 2) *necessitas immutabilitatis textus*. Priorem necessitatem symbolo vindicamus. Traditio enim apostolica, gemma est aeternum illigata diademati Ecclesiae. Quaenam autem regina suos abjicit thesauros, vel pretiosa monilia, quibus nativa sua pulchritudo mirum in modum enitet?... Si visum est Apostolis hanc instituere tesseram, quae fidelibus tanquam viaticum in divitiis fidei capiendis servandisque inserviat, suo muneri deesset proculdubio Ecclesiae haereditatem hanc apostolicam dilapidando. Munus Ecclesiae est ut fideliter custodiat quae ab illis processerunt, quibus Jesus Christus divinae suae sapientiae thesauros immediate aperuit. Hocce tamen cum munere, officium etiam incumbit Ecclesiae, declarandi ea quae sunt fidei, mediis utendi quibus sa-

(1) Op. cit., p. 152.

crum depositum tutius custodiatur ac tegatur, temporum adiuncta prae oculis habendi, ut per clariores divinae revelationis determinationes praecaveatur iactura fidei vel alteratio. Cum igitur sermonem instituamus de immutabilitate symboli, huic locutioni duplex affingitur sensus: 1) quod *symbolum immutabile sit quoad substantiam*; 2) quod *symbolum immutabile sit quoad verba et complexum articulorum fidei.*

Immutabilitas *substantialis* in eo consistit ut doctrina in symbolo contenta non depravetur, non corrumpatur, suamque naturam significationemque non amittat; paucis, ut fides quae per symbolum exprimitur, in aliam omnino fidem non transeat. Hanc immutabilitatem symbolo perpetuo vindicamus. Sicut fidem divinam humanis labefactare commentis nefas est, ita et symbolum. « Juris divini est, ait Card. Franzelin, ut symbolo fidei credendae nihil inseratur, quod sit contra vel praeter fidem revelatam. Ecclesia veritates fidei non ipsa facit, sed eas a Deo revelatas infallibiliter custodit, explicat, in suo vero sensu contra multiplices errorum formas definit, et ut revelatas fidelibus proponit: unde si symbolo quod proponatur tanquam complexus aliquis veritatum revelatarum et fide divina profitendarum, inserantur credendae, non solum propositiones contra fidem, adeoque haereticae, sed etiam praeter fidem, h. e., quae in revelatione non continentur, hoc ipso fides violaretur » (1).

Nihil igitur symbolo addidit Romana Ecclesia, nihil ab eo detraxit, quo fides apostolica deturpata sit, vel corrupta. Substantia symboli nullis obnoxia fuit mutationibus. Fides, quae in eo enucleatur, ab apostolis enucleata est, eamque in suspicionem vocare, sibi vellet traditionem apostolicam commaculatam fuisse, quod crimen, saltem primis decem religionis christianae saeculis, nemo obiurgavit romanae Ecclesiae.

Mutatio tamen accidentalis in eo datur, et mutatio haec *licita* est ac *necessaria*. Quaedam commata, verbigratia, *creatorem coeli et terrae*, *descendit ad inferos*, *sanctorum communionem* in primitivo romanae Ecclesiae symbolo non adfuisse compertum est (2). Quod Ecclesia nullam violarit legem divinam vel humanam hisce additamentis pro tempore symbolum cum locupletasset, sua sponte fluit ex praerogativa, qua instruitur, infallibiliter docendi veritates fidei. Necessarium enim symbolum iam diximus; quibusnam tamen verbis

(1) *Tractatus de Deo trino secundum personas*, ed. IV, Romae, 1895, p. 547.

(2) *Dictionnaire de théologie*, t. I, col. 1661.

veritates in eo contentae concinnandae sint, quot articulos idipsum complectatur oporteat, statutum fuisse a Jesu Christo vel ab apostolis non legimus. In eo conficiendo, ut magistri veritatis christianae, ut fidei doctores, apostoli egerunt. Suam autem praerogativam fideles infallibiliter docendi fidei veritates, suis legitimis successoribus apostoli legavere. Si magisterium igitur apostolicum extinctum non est, quod apostoli antiquitus ad tuendam servandamque fidem christianam excogitarunt, hocce idem ab Ecclesia excogitari posse, quoties id necessarium ad eundem finem assequendum videatur, quis unquam auderet negare?... Sublata enim magisterii apostolici perpetuitate, proxima impenderet Ecclesiae ruina.

Cum igitur nova exoriantur temporis adiuncta, quae fusiorem symboli textum ad haereses late grassantes profligandas, postulant, licitum est Ecclesiae hocce sibi munus vindicare symbolum ampliandi, immo et necessarium. Symbolum enim, ut compendium veritatum christianarum, temporum circumstantiis accommodandum esse nemo inficias iverit (1). Si fidei igitur periclitatur integritas toto in orbe christiano, ne fideles decipiantur, nil vetat quominus Ecclesia, sua nixa infallibilitate, per opportunas additiones symbolo insertas, serpenti totum in corpus Ecclesiae morbo remedium efficacissimum praestet.

Propositam a nobis doctrinam perbelle exprimit Card. Franzelin: « In ipso illo munere custodiae, explicationis et strictioris definitionis veritatum fidei, continetur ius, et pro rei necessitate ac opportunitate officium Ecclesiae condendi symbola fidei; hoc est determinandi, quaenam ex veritatibus revelatis, et qua verborum forma in oppositione directa adversus errores ingruentes comprehendendae et explicite profitendae sint in huiusmodi tesseris professionis catholicae. Hoc ius et officium est intestinum divino et per assistentiam Spiritus veritatis infallibili magisterio. Non ergo minus Ecclesiae competit posteriori quam priori aetate, idque ex ipsa rei de qua agitur natura: non ex dispositione aliqua aut lege mutabili, sed ex divina essentiali proprietate ac nativa constitutione ipsius Ecclesiae » (2). « Quis enim sanae mentis, aiebat episcopus Foroliviensis in sessione IX concilii florentini, habet dubitare, si immineret necessitas, quod magna christianorum multitudo laberetur in haeresim circa sacramentum altaris, quod sicut in symbolum appositum fuit per Patres: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, quin posset Ecclesia apponere: Confiteor Eucharistiae sacramentum ad salutem animarum?... Verum illud

(1) Blume, pp. 183-186.
(2) *Tractatus de Deo Trino*, p. 548.

confitemur, quod nulli privatae personae, aut privatae congregationi, aut privatae Ecclesiae id liceret » (1).

Si nostra sententia, ut praesentiendum est, blasphemiam sapere bono cuidam orthodoxo viro videbitur, huic in memoriam revocare licebit veterem Ecclesiam orientalem eam tenuisse, atque *in praxi* adhibuisse. Quapropter, si denegetur Ecclesiae ius mutandi symboli, non quoad substantiam fidei, sed quoad maiorem minoremve veritatum in eo continendarum complexum, formamque verborum, anathemate damnandi essent, ut Bessarion animadverterat, et secundi concilii patres, qui tot additionibus et mutationibus nicaeni concilii symbolum instruxerunt, et ipsi Nicaeni concilii patres, qui quo ante eos Ecclesia utebatur symbolo, plerisque in partibus eius mutarunt (2).

Si magisterio Ecclesiae licuit in concilio nicaeno vetus symbolum adeo mutare ut vix ac ne vix quidem exterior eius forma permanserit, quamvis eadem semper anima informatum sit, cur in Ecclesiam romanam invehere, quae *pauca* symbolo apostolico addiderit commata?... *Pauca* subnoto, quia maximum adest discrimen nicaenum inter ac romanum symbolum. Illud quamvis apostolicum sit doctrina, quoad verborum tamen articulorumque nexum ac structuram apostolicum non est; hocce vero, nonnullis tantum lineamentis immutatis, vetus est apostolorum symbolum ad nostram usque productum aetatem, ideoque, iure meret, ut condecoretur epitheto apostolici. Denominatio enim rei ex potiore eius parte depromitur.

Hic sistimus gradum. Longius enim in hac provincia nobis immorandum non est, sed eis qui litteraturae christianae primordiis histo-

(1) Mansi, t. XXXI, pars II, col. 1479. *Παράδοξον* continet responsio Marci Ephesini ad vim catholicae argumentationis eludendam: « Ille qui addit, est causa immutationis fidei, etiamsi vera addit; quoniam cum hoc sit licitum, licere posset nonnunquam aliquibus etiam falsa inserere veris, cum illa viderentur ipsi vera ». Ib., col. 1535. Eandem pluries recoxit cramben Ephesinus theologis catholicis qui huiusmodi additiones non a viro privato, sed ab infallibili Ecclesiae magisterio faciendas incassum repetebant. Praeclara in hac re Bessarionis verba: *Καθαρῶς ἀποδέδεικται, μὴ κεκωλύσθαι τὰ ἀληθῆ προσθεῖναι τῇ πίστει καὶ τῷ Συμβόλῳ· μᾶλλον δὲ ἀναπτύσσειν· Οὐδὲν γὰρ ἀληθείας δόγμα ἐστίν, ὃ μὴ περιέχεται τῷ συμβόλῳ, καὶ τῇ ἁπλῇ παραδόσει τῶν ἀποστόλων· ἀναπτύσσειν δὲ καὶ τῷ συμβόλῳ συνάπτειν οὐκ ἀεὶ δηλονότι, οὐδὲ τὸν βουλόμενον πάντα, ἀλλὰ μεγάλης ἀνάγκης ἐπειγούσης, καὶ τῆς Ἐκκλησίας κρινάσης.* — *De processione Spiritus Sancti, P. G.*, t. CLVI, col. 353.

(2) *Εἰ μὲν καὶ ταληθῆ, ὑπὸ ἀνάθεμα μὲν οἱ τῆς β' συνόδου Πατέρες τοσαύταις προσθέσεσί τε καὶ ἀφαιρέσεσι τὸ τῆς πρώτης σύμβολον ἐνηλλαχότες· ὑπὸ ἀνάθεμα δὲ οἱ τῆς πρώτης, τὸ τῶν πρὸ αὐτῆς Σύμβολον ἐν πλείστοις μεταποιήσαντες.* — *De Processione Spiritu Sancti, P. G.*, t. CLXI, col. 331; Duchesne, op. cit., pp. 75-82.

rice inquirendis vacant operam. Ex hactenus dictis, liquidissime patet quanta prosequamur oporteat veneratione symbolum apostolicum Romanae Ecclesiae. Ut scribit Meyers « apostolicum improbare et novum symbolum in eius locum sufficere, idem est ac fidei flumen, quod a Christo ipso per Apostolos profluens ad omnes Ecclesiae conditiones salubrem habet vim, praecludere; omnes ecclesiasticas fidei definitiones cum ipso fundamento rejicere, se avellere ab Ecclesia, ut viva fidelium communione, quae per temporis vicissitudines usque adhuc propagata est, et in sola Scriptura, fidei ac veritatis normam collocare » (1).

9. De symbolo nicaeno-constantinopolitano iam iam dicturi, praenotandum ducimus peculiaribus notis Ecclesiae Romanae symbolum a symbolis Ecclesiarum Orientalium secerni. Indoles autem plane dissona, quae ea discriminat, ex historicis rerum adiunctis repetenda est. Symbolum enim, ut iam innuimus, temporum necessitatibus opus est respondeat, ut, quod ei competit officium tutissimam fidei normam fidelibus exhibendi, rite persolvat. Cum autem a suis incunabilis saevientes haereseon procellas Romana Ecclesia passa non sit, quod per apostolos accepit, symbolum, ei satis erat ut suam intaminatam exprimeret fidem ac doceret. Exinde conficitur, symbolum romanum speculum esse veteris traditionis apostolicae, nullis adspersae maculis. Ecclesia igitur Romana, cui toties vertitur crimini *scabies* in rebus fidei innovandi, veterum traditionum sedula nobis panditur custos, ideoque symbolum, quo utitur, non fucatam redolet illam simplicitatem, quae in apostolorum virorumque aetatis apostolicae scriptis animos nostros oblectare consuevit. Ut brevius dicam, Romanum symbolum imago est bonae conscientiae, quae verba Iesu per Apostolos accepta toto corde amplectitur, ab eisque ne transversum quidem unguem discedere sinit.

Res longe aliter se habet, ad Orientalium Ecclesiarum symbola quod spectat. Haec enim suam originem acceptam referunt diris illis de christianis dogmatis concertationibus, quae tot aerumnas in orbe

(1) Op. cit., p. 203. Veterum symbolorum syllogen primus in Russia aggressus est Innocentius (Borisov). Cf. p. 178. Haec sylloges, quae usque ad saeculum XII producitur, inscripta est ab auctore Памятникъ вѣры (*Monumentum fidei*). Coeptum est hoc opus in lucem edi, Kioviae ne an Odessae nescio, sed immatura morte peremptus auctor volumen intercisum reliquit. Prooemium operis edidit Celtzov in Древнія формы символа вѣры, pp. 4-5. Alteram syllogen suscepit edendam in Христіанское Чтеніе Dr. Johannes Vasilevitch Celtzov, professor academiae ecclesiasticae petropolitanae († 1878). Eadem tamen idem passa est fatum. Quatuor tantum folia lucem aspexerunt in praecitato commentario periodico, annis 1869 et 1870. Cf. Rodossky, Біографическій Словарь, p. 520.

christiano totque damna concivere. Mirum sane antiquioris aevi perlegenti historiam semper videbitur, tam ferax Orientis solum extitisse in seminibus haereseon accipiendis, eisque fovendis. Dixeris agmen haud quidem exiguum episcoporum orientalium contentissimo studio diu adlaborasse, ut fidem antiquam pravis inficerent doctrinis. Novemdecim recenset Duchesne Constantinopolitanos antistites, quos, quinque saeculorum lapsu, concilia, ut haereticos anathemate damnarunt, eisque complures adiungendi, qui vel oscitanter in haereticos egerint, vel suis cunctationibus, expeditiorem facilioremque viam hisce munierint. Totum imperium Orientale palaestra ingens facta est, ubi de natura Christi vel Spiritus Sancti quolibet horae momento decertantes orthodoxi atque haeretici coacervarentur. Nil mirum igitur, si Orientalium Ecclesiarum symbola characterem induerunt polemicum (1). Signiferis orthodoxae fidei visum est perantiquum veritatum christianarum compendium, haereticorum cavillationibus ob suam brevitatem obnoxium, satis amplius non esse ad luem haereseos e grege fidelium arcendam, qua de causa accuratiores in symbolum adoptarunt terminos formulasque a Patribus in conciliis inventas ac sancitas. Dum Romae incolume perstitit vetus fidei breviarium a maioribus acceptum, in Graeca Ecclesia novis illud est definitionibus auctum. Haec quidem reprobanda non sunt: divino enim Spiritus Sancti afflatu in synodis oecumenicis symboli amplificatio effecta est. Huiusce tamen eventus mentionem iniecimus, ut pateat calumniose agere eos qui crimini vertant Romanae Ecclesiae, vetusta fidei monumenta indesinenter pro suo lubito, vel deminuisse, vel incrementis deturpasse.

Ut composite nostra procedat disquisitio, tria nobis investiganda sunt: α′) *Quid sentiant scriptores orthodoxi de symbolo Nicaeno*; β′) *Quid de symbolo Constantinopolitano*; γ′) *Quaenam in Romanam Ecclesiam criminentur, eam hocce symbolum depravasse insimulantes.*

α′) Ecclesias Orientales summa prosequi veneratione symbolum Nicaenum, Constantinopoli anno 381 adauctum, pervulgatum est. Hocce symbolo utuntur in liturgiis: idipsum, ait Plato, metropolita Mosquensis, continet prima principia fidei christianae et spei, neque spem ullam habet salutis assequendae, qui vel unum ex eius articulis pertinaciter reiecerit. Nil igitur mirum si hocce symbolum ab eo fusius explicatur,

(1) « The eastern creeds were more metaphysical, polemical, flexible, and adapting themselves to the exigencies of the Church in the maintenance of her faith and conflict with heretics; the western were more simple, practical, and stationary ». — Schaff, t. I, p. 25; Heurtley, *A history of the earlier formularies*, p. 13.

ac fundamentum ponitur suae doctrinae orthodoxae (1). Schismatici Russi plurimas excitarunt turbas, quae ad nostram usque aetatem producuntur, eo quod Nicon Patriarcha textum palaeoslavicum huiusce symboli iuxta graecum textum emendari iussit, clerum orthodoxum idipsum interpolasse conclamitantes (2). Cum hocce symbolum commune quoddam vinculum cum symbolo, quod Eusebius Caesariensis Patribus concilii Nicaeni I approbandum obtulit, imo quasi cognatione quadam contineatur, unius alteriusque textum ex sylloge Hahniana depromptum ante lectorum oculos praeponendum ducimus.

Symbolum Nicaenum	Symbolum Eusebii
Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς οὐρανούς, καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Τοὺς δὲ λέγοντας· ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν ἢ τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.	*Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεγεννημένον, δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα, τὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα καὶ ἐν ἀνθρώποις πολιτευσάμενον, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἥξοντα πάλιν ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον. Τούτων ἕκαστον εἶναι καὶ ὑπάρχειν πιστεύοντες πατέρα ἀληθῶς πατέρα, καὶ υἱὸν ἀληθῶς υἱόν, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς πνεῦμα ἅγιον, καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀποστέλλων εἰς τὸ κήρυγμα τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς εἶπε. πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.*

(1) *Τοῦτο τὸ σύμβολον πρέπει νὰ ἐξηγηθῇ τοσούτῳ πλατύτερον, καὶ νὰ πιστεύηται ὑπὸ πάντων ἀδιστάκτως, καθόσον περιέχει τὰς πρώτας ἀρχὰς τῆς χριστιανικῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐλπίδος, καὶ δὲν ἔχει ἐλπίδα σωτηρίας, ὅστις ἓν μόνον ἄρθρον τοῦ συμβόλου ἰσχυρογνώμως ἀπορρίψῃ.* — *Ὀρθόδοξος διδασκαλία*, Athenis, 1851, pp. 39-40.

(2) Plotnikov, Краткое руководство по расколовѣдѣнію (*Breve manuale ad comparandam scientiam russici schismatis*), Petropoli, 1902, pp. 81-83.

Complures symboli Nicaeni feruntur auctores, quos inter S. Athanasius, Osius Cordubensis, Macarius Hierosolymitanus, Hermogenes, diaconus primum, deinde Caesareae in Cappadocia episcopus. Varias eruditorum sententias, ad eos quod spectat, nostrum non est discutere (1). Communis tamen est opinio, cui favent etiam scriptores orthodoxi, symbolum, quod venit nomine Nicaeni, quia a Nicaena synodo approbatum fuerit, ex symbolo Eusebii, Caesareae in Palestina episcopi, haustum esse (2), quamvis S. Athanasius nihil statuat commune inter symbola haec intercedere. Ad sententiam huius doctoris, symbolum Nicaenum proprio marte Patres concilii conscripsere, nulla habita ratione symboli eusebiani (3)

Hocce symbolum ex professione fidei baptismalis, qua in Ecclesia Caesariensi utebantur, derivasse, licitum est coniecturam facere. Etenim, ut in *publica epistola* tradit Eusebius, fidem, quae suo in symbolo concinnata est, ab episcopis profluit, qui eum antegressi sunt. Hanc fidem ipse accepit, cum prima fundamenta doctrinae christianae suo in animo iacta essent; eandem ipse testatur audivisse, cum esset lavacro baptismatis ablutus, nec non a divinis Scripturis didicisse, et in munere presbyterali atque episcopali credidisse ac docuisse (4). Hac de causa Patres Nicaeni symbolum superius allatum exponenti haud contradixere (5). Verba enim formulaeque quae in id accesserant, praeter ea quae adiecta sunt ab Eusebio, ex vetere cunctisque notissimo symbolo baptismali desumpta esse, neminem latuit.

Nec tantum in Ecclesia caesariensi, symbolum, quod Patribus nicaenis auctum proposuit Eusebius, sed etiam tunc temporis usu re-

(1) Mesoloras, pp. 42-42; Hefele, *Histoires des conciles*, t. I, 1, Paris. 1907, p. 442.

(2) *Δύναταί τις θετικῶς εἰπεῖν, ὅτι ὁ τοῦ Εὐσεβίου πρῶτος προβληθεὶς τύπος, ἡ τοῦ συμβόλου βάσις ἐγένετο, ὅστις διὰ τῆς συζητήσεως εἶτα ἀνεπτύχθη, προστεθείσης τῆς λέξεως ὁμοουσίου, καὶ ἑτέρων τινῶν οὐσιωδῶν ἐκφράσεων.* — Mesoloras, p. 43; Suicerus, *Symbolum nicaeno-constantinopolitanum expositum, et ex antiquitate ecclesiastica illustratum*, Traiecti ad Rhenum, 1718, p. 2.

(3) Lebedev. Вселенскіе соборы IV и V вѣковъ: обзоръ ихъ догматической дѣятельности въ связи съ направленіями школъ александрійской и антіохійской (*Concilia oecumenica IV et V saeculi: conspectus eorum quae in dogmatum provincia, habita relatione ad scholarum Alexandrinae atque Antiochenae tendentias, patrarunt*), Serghievo, 1896, p. 15.

(4) *Καθὼς παρελάβομεν παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπων, καὶ ἐν τῇ πρώτῃ κατηχήσει, καὶ ὅτε τὸ λουτρὸν ἐλαμβάνομεν, καὶ καθὼς ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν μεμαθήκαμεν, καὶ ὡς ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ ἐν αὐτῇ τῇ ἐπισκοπῇ, ἐπιστεύομέν τε καὶ ἐδιδάσκομεν.* — Mansi, t. II, col. 913.

(5) *Ταύτης ὑφ' ἡμῶν ἐκτεθείσης τῆς πίστεως, οὐδενὶ παρῆν ἀντιλογίας.* — Ibidem.

ceptum fuisse tota in Palaestina suspicatur Celtzov (1). Gorsky, cui quidem assentiendum est, tenet Eusebium ad luem arianam subdole tegendam nonnulla excogitasse (2). Communibus enim sententiis verbisque usus in id spectabat Eusebius, ut controversias dogmaticas ex arianorum haeresi obortas, prudenti silentio in concilio sopiret, quam vafritiem cum statim intellexissent episcopi ariani, a symbolo eusebiano reprobando sese abstinuere. Res tamen aliter cessit quam Eusebius sperabat. Patribus enim Nicaenis hoc erat propositum ut nervos inciderent arianismi, haereticorumque cavillationibus penitus obstruerent cuniculos. Eos non fefellit per symbolum eusebianum dubia, quae in divinitatem Iesu Christi eiusque consubstantialitatem cum Patre Arius sparserat, dispulsa non esse, ideoque, ut ita dicam, idipsum edolare aggressi sunt (3).

In praecitata epistola Eusebius scribit quaedam tantum suo symbolo adiecta fuisse. Haec tamen huiusmodi sunt, ut symbolum a pa-

(1) Op. cit., p. 43.

(2) Жизнь святаго Аѳанасія великаго, архіепископа александрійскаго (*Vita S. Athanasii magni, archiepiscopi Alexandrini*), Прибавленія *editioni operum Sanctorum Patrum in russica versione*, t. X, 1851, p. 69. Plura de eis quae in synodo nicaena peracta fuere quoad symboli compositionem, apud scriptores russos reperies, qui vitam scriptaque Athanasii pervestigarunt. Inter eos praesertim memoratu digni: Жизнь св. Аѳанасія великаго, архіепископа Алехандрійскаго (*Vita S. Athanasii, magni archiepiscopi alexandrini*), Христіанское Чтеніе, 1844, IV, p. 411 et sqq.; Loviaghin, О заслугахъ св. Аѳанасія Великаго для церкви въ борьбѣ съ аріанствомъ (*De meritis S. Athanasii magni quoad Ecclesiam in certamine cum arianismo*), Petropoli, 1850; Matvieev, Въ защиту отцевъ Никейскаго собора (*Pro defensione Patrum concilii nicaeni*), Mosquae, 1879; Ternovsky, Св. Аѳанасій Александрійскій: выдержки изъ библіографическаго труда (*S. Athanasius Alexandrinus: fragmenta ex opere quodam bibliographico*), Православный Собесѣдникъ, 1885, t. I, pp. 228-254; Ivantzov-Platonov, Религіозныя движенія на христіанскомъ востокѣ въ IV и V вв. (*Motus ac turbae religiosae in oriente christiano saeculis IV et V*), Mosquae, 1888; Cyrillus (Lopatin), Ученіе Св. Аѳанасія Великаго о святой Троицѣ сравнительно съ ученіемъ о томъ же предметѣ въ три первые вѣка (*Doctrina S. Athanasii magni circa Sanctissimam Trinitatem, comparata cum doctrina quae tribus primis saeculis quoad idem viguit subiectum*), Kasan, 1894; Blagorazumov, Св. Аѳанасій александрійскій: его жизнь, учено-литературная и полемико-догматическая дѣятельность (*S. Athanasius alexandrinus: eius vita, scriptaque et acta in provincia scientifico-litteraria, et polemico-dogmatica*), Kiscinev, 1895; Popov, Религіозный идеалъ С. Аѳанасія Александрійскаго (*Cogitata religiosa, vulgo τὸ ideale. S. Athanasii Alexandrini*), Serghievo, 1904. De Athanasio et synodo nicaena dissertatiuncula edita est in sylloge operum selectorum sancti Doctoris, quae russice vertit typisque mandavit Nicanor, archiepiscopus kasanensis: Аѳанасій Великій, св. архіепископъ александрійскій и его избранныя творенія, Petropoli, 1893.

(3) Spassky, Исторія догматическихъ движеній въ эпоху вселенскихъ соборовъ (*Historia dogmaticarum decertationum tempore conciliorum oecumenicorum*), Serghievo, 1906, pp. 224-225.

tribus sancitum, toto coelo differre a symbolo eusebiano dicendum sit. Verbum enim *ὁμοούσιον* in symbolum invectum nullum amplius reliquit Arianis ambigendi vel tergiversandi locum (1). Hinc factum est ut symbolum nicaenum, dogmaticum fidelium orthodoxorum vexillum evaserit (2). Per ipsum, tam accurate definita est relatio Iesu Christi ad Patrem, ut non immerito scriptor quidam orthodoxus, symbolum Nicaenum, christologicum symbolum vocaverit (3). Per ipsum, ut rerum adiuncta tunc temporis flagitabant, по потребностямъ времени, ait idem scriptor, haeresis, quae fere totum orbem christianum pervaserat, *dogmatice* profligata est, atque, ut diutius viveret, fraude vel violentia inniti debuit. Cum igitur gravissimum fidei periculum Nicaenum symbolum deprecatum sit, mirum non est maxima id veneratione semper ab Ecclesia condecoratum fuisse.

β') Ad symbolum Constantinopolitanum quod spectat, censent scriptores orthodoxi, symbolum id esse Nicaenum, novis adauctum fidei explicationibus in synodo sud Theodosio imperatore, anno 381, habita. Confessio sanae fidei christianae, testatur Hieremias II, sacratissimum est symbolum, quod 318 Patres Niceae primum condidere, 150 autem Constantinopoli postea absolverunt » (4). Ut Constantinus Oeconomos scribit, « symbolum nicaeno-constantinopolitanum in primo concilio oecumenico contra Arianos habito compositum est usque ad septimum articulum: ab octavo vero usque ad finem id complevit secunda synodus oecumenica, Constantinopoli congregata: hocce vero symbolum cetera confirmarunt concilia, cunctisque tradiderunt fidelibus ut pretiosum fidei thesaurum » (5).

(1) « Il est possible que le concile ait pris pour base de son symbole celui d'Eusèbe; du moins la comparaison des deux symbole parle en faveur de cette hypothèse. Mais quand même ce serait exact, il n'en est pas moins vrai qu'ils diffèrent entr'eux d'une manière essentielle. Le mot *ὁμοούσιος* est precisément le point capital, et en outre les Pères de Nicée ajoutèrent plus que ce mot à la formule ancienne. Les ariens auraient peut-être admis ce symbole, tandis que celui de Nicée ne leur laissait aucun faux-fuyant ». — Hefele, t. I, 1, p. 439.

(2) « External and internal evidence alike proclaim the nicene creed to be in intention a dogmatic standard, constructed for a particular emergency ». — Hort, *On the Constantinopolitan creed, and other eastern creeds of the fourth century*, Cantabrigiae, 1876, p. 108.

(3) А. N., О никео-константинопольскомъ символѣ вѣры (*De symbolo fidei nicaeno-constantinopolitano*), Православный собесѣдникъ, 1909, t. I, p. 520.

(4) *Ἡ μὲν ὁμολογία τῆς ὑγιαινούσης πίστεως τῶν χριστιανῶν, τὸ ἱερώτατον σύμβολον, ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἁγίων πατέρων τῆς ἐν Νικαίᾳ ἐξετέθη τὸ πρότερον, τελείωται δὲ ὑπὸ τῶν* 150 *ἐν Κωνσταντινουπόλει.* — Mesoloras, p. 125.

(5) *Τὸ σύμβολον τοῦτο συνετέθη ἀπὸ τὴν ἐν Νικαίᾳ κατὰ τοῦ Ἀρείου συγχροτηθεῖσαν οἰκουμενικὴν πρώτην Σύνοδον τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφό-*

Symbolum nicaeno-constantinopolitanum maximi faciunt orthodoxi. Acu pingitur in sacris, quibus utuntur, vestibus episcopi russi (1). Modulamen quoddam ad fidelium pietatem fovendam idipsum constituere, asserit Kattenbusch (2): gemma fidei habetur, quae paucis includit verbis ditissimos christianae doctrinae thesauros (3). Ratio cur tantam meruerit venerationem, triplex est, ad sententiam Mesolora: 1) quia symbolum hoc historicis ac firmissimis nititur fundamentis: diuturnis enim exactis controversiis, in synodo legitime convocata, cui perillustres interfuere theologi, confectum est; 2) quia sive *litteram* spectes, sive *spiritum*, doctrina, quae in eo continetur, plane convenit cum ea, quam Scriptura sacra vetusque praebet apostolica traditio, verbisque exprimitur ex eisdem fontibus haustis; 3) quia tutissima rite censetur ac systematica professio fidei, in qua locutionum brevitas concinna cum doctrinae opulentia amice coniurat. Praecipua enim maximique momenti dogmata in eo comprehunduntur, quo factum est ut radicitus convelleret haereses (4).

Compertum est praegrandem dari similitudinem symbolum inter nicaeno-constantinopolitanum, ac professionem fidei baptismalem, quam Epiphanius in *Ancorato* posteris commendavit (5). Hancce vero professionem fidei censent clarissimi scriptores cognationis vinculo detineri cum symbolo baptismali, quod in catechesibus refert Cyrillus Hiero-

---

ρων πατέρων μέχρι τοῦ ἑβδόμου ἄρθρου· ἀπὸ δὲ τοῦ ὀγδόου μέχρι τέλους, ἀνεπληρώθη ὑπὸ τῆς ἐν Κ. δευτέρας οἰκουμενικῆς συνόδου, καὶ μετὰ ταῦτα ἐκυρώθη ἀπὸ τὰς λοιπὰς οἰκουμενικὰς συνόδους, καὶ παρεδόθη εἰς τοὺς χριστιανοὺς ὡς πολύτιμος τῆς πίστεως θησαυρός. — Κατήχησις ἢ ὀρθόδοξος διδασκαλία τῆς χριστιανικῆς πίστεως, Τὰ σωζόμενα ἐκκλ. συγγ., t. I, Athenis, 1852, p. 32.

(1) Kattenbusch, *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, p. 270.

(2) « Es ist eine Art Melodie für die anatolische Frömmigkeit ». — Ib., p. 269.

(3) Wenger, *Beiträge zur Kenntniss des gegenwärtigen Geistes und Zustandes der griechischen Kirche im Griechenland, und der Türkei*, Berolini, 1839, p. 38; Stanley, *Lectures on the history of the eastern Church*, Londini, 1869, p. 59; Gass, *Symbolik der griechischen Kirche*, p. 119.

(4) *Μεγίστη ἀξία καὶ σημασία τῷ συμβόλῳ τούτῳ ἀποδίδοται, πρῶτον μέν, διότι ἐπὶ βάσεων ἱστορικῶν καὶ ἀκραδάντων ἑδράζεται, συζητηθὲν καὶ συνταχθὲν ἐν πλήρει καὶ νομίμως κατηρτισμένῃ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, τὰ ἐξοχώτερα τῆς ἐποχῆς ἐκείνης θεολογικὰ πνεύματα περιλαβούσῃ· δεύτερον δέ, διότι τό τε γράμμα καὶ τὸ πνεῦμα συνάδει πληρέστατα τῇ τε γραφῇ καὶ τῇ ἀρχαιοτάτῃ ἀποστολικῇ παραδόσει, λέξεις τε καὶ ἐννοίας γραφικὰς περιέχον· καὶ τρίτον, διότι θεωρεῖται ὡς ἡ ἀσφαλὴς δογματική, σύντομος μὲν ἀλλὰ περιεκτικωτάτη καὶ συστηματικὴ ὁμολογία τῆς χριστιανικῆς ἐκκλησίας, ἧς τὰ πρῶτα καὶ κυριώτατα δόγματα ἐν τῷ συμβόλῳ τούτῳ σαφῶς τε καὶ ὡρισμένως περιλαμβάνονται.* — Mesoloras, pp. 52-53.

(5) *P. G.*, t. XLIII, col. 232.

solymitanus (1). Haud igitur supervacaneum arbitror bina haec symbola una cum symbolo nicaeno-constantinopolitano lectorum ante oculos constituere, ut primo pateat intuitu quam maxime inter se conveniant.

Symbolum Cyr. Hierosol.	Symbolum Epiphanii	Symbolum Nicaeno-Const.
Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ· τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός, καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς ἓν ἅγιον πνεῦμα, τὸν παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις. Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.	*Πιστεύογεν εἰς ἕνα θεόν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστον, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ· δι 'οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τά τε ἐν τοῖς ουρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι 'ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν, σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου· καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, κύριον καὶ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν πρωφητῶν. εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικην ἐκκλησίαν· ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοννος αἰῶνος. ἀμήν.*	*Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ παθόντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρός ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν· εἰς μίαν ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.*

(1) Ib., t. XXXIII, coll. 533-534.

De authenticitate atque oecumenicitate huius symboli pugnatum est inter orthodoxos ac lutheranos scriptores. Hi enim, ut sibi iamdiu mos est, omnem moverunt lapidem ut symbolum nicaeno-const. inter adulteratas quisquilias amandarent. Pro virili parte hosce assultus conati sunt repellere scriptores orthodoxi, qui temere *ὑπερχριτικοῖς*, quos vocant, lutheranis assentientes, cum quaestio mota est de symbolo apostolico romano, aegre tulerunt suum ipsorum symbolum iisdem armis impugnatum fuisse. Duce Harnack, haud pauci scriptores germani praecitatum symbolum falso concilio I constantinopolitano tribui edixere. Argumenta, quibus id spurium evincitur, ad haec praecipua revocantur capita.

Ex paucis, quae supersunt, concilii const. documentis, pronum est colligere Patres nil aliud sibi proposuisse, nisi ut fidem nicaenam confirmarent novaque communirent sanctione. Hoc testati sunt 150 episcopi orthodoxi in litteris ad Theodosium imperatorem (1); hoc sine ulla dubitatione ex primo concilii canone sequitur, qui fidem nicaenam non esse abrogandam, sed sartam tectamque servandam statuit (2). Patres igitur disertis verbis affirmarunt se alienos fuisse a symbolo novis incrementis instruendo (3). Ab anno 381 usque ad annum 450 nullum huius symboli vestigium, tum in actis synodorum, tum apud scriptores qui orthodoxam fidem tuiti sunt, vel haeresin suo fulcivere patrocinio, reperitur (4). Quî potest hocce silentium explicari?... Quî potuit symbolum ignorari, quod si vere sancitum fuisset a concilio oecumenico, confestim toto in orbe terrarum magnam sibi comparasset venerationem?... Efficacius adhuc evadit argumentum, si animadvertatur a synodo const. I usque ad concilium chalcedonense, nicaenum symbolum maximi aestimatum esse, quod certe non accidisset, si prius concilium id, fusius expositum, solemniter confirmasset (5). Accedit, quod symbolum de quo nobis est sermo, nil fere differat a symbolo quod Epiphanius Anchorato inseruit, quin suspicari liceat interpolatum fuisse hoc opus (6). Certum est autem, positumque

(1) *Τήν τε τῶν πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες.* — Mansi, t. III, col. 557.

(2) *Μὴ ἀθετεῖσθαι τὴν πίστιν τῶν πατέρων τῶν τριακοσίων δεκαοκτώ, τῶν ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας συνελθόντων, ἀλλὰ μένειν ἐκείνην κυρίαν.* — Ibidem.

(3) Kattenbusch, op. cit., p. 255.

(4) Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, t. II, p. 266.

(5) « Es ist allerdings sehr beachtenswert, dass im allgemeinen in der Zeit von 381-451 über das angebliche Synodalsymbol völliges Stillschweigen herrscht, während dagegen N. in dieser Periode zu immer höherem Ansehen gelangt ». — Kunze, *Das nicänisch-konstantinopolitanische Symbol*, Lipsiae, 1898, p. 7.

(6) Harnack, op. cit., t. II, p. 265.

extra dubitationem Anchoratum anno 373 vel 374 conscriptum fuisse ex quo sua sponte fluit symbolum, in quod inquirimus, ante primum concilium constantinopolitanum pervulgatum fuisse (1). Symbolum autem Epiphanii elaboratio est nicaena symboli baptismalis, a Cyrillo Hierosolymitano confecta (2). Potuit etiam fieri, ut Cyrillus symbolum nicaeno-const. composuerit, idque Patribus exhibuerit ad notam corruptae fidei sibi inustam avertendam (3). Haec vero professio fidei, synodalibus actis inserta, per concilium chalcedonense oecumenicitate donata est (4). Si vero asseratur concilium II symbolum cyrillianum approbasse, idque nicaeno substituendum decrevisse, vel non secum ac nicaenum habendum, mirum sane cuique videretur nullam apud historicos ecclesiasticos de hoc eventu mentionem incidere, cum notum sit decisiones conciliorum oecumenicorum totum orbem christianum semper commovisse. Coniecturam licet facere, patres concilii symbolum cyrillianum tantum commendasse, concilium autem chalcedonense, vel in errorem inductum, vel scienter, idem symbolum, ut oecumenicum venditasse (5). Maius robur superius allatis argumentis adiungitur, ex eo quod concilium II oecumenicum censendum non sit, sed particulare tantum (6). Haud absonum denique esset a veritate constantinopolitanos antistites, ad novum decus suae sedi conciliandum, vehementer auctores extitisse, ut in synodo chalcedonensi, tum II concilium, tum symbolum huic tributum, oecumenicitatis nota donarentur. Permagni enim eorum intererat nomen suae sedis una cum Niceae nomine in symbolo coniungere, et concilium, sua in urbe congregatum, ad fastigium oecumenicitatis attollere (7). Quidquid tamen est de hisce coniecturis, certo certius est symbolum constantinopolitanum, neque cum nicaeno cognationem habere, neque concilio II tribui posse.

(1) Hahn, pp. 163-164.

(2) Kunze, p. 10.

(3) « Wahrscheinlich stand es in den Acten der Synode als das Bekenntniss, durch welches Cyrill seinen Glauben auf der Synode als orthodox erwiesen hatte, und das auch der hochangesehne Epiphanius als das seinige bekannt hatte ». — Harnack, p. 267.

(4) Kattenbusch, p. 259.

(5) Kattenbusch, p. 258.

(6) Harnack, p. 92.

(7) « Der Patriarch von K. hat die allgemeine Reception des Constantinopolitanum betrieben. Es lag das offenbar sehr in Interesse seiner Stadt. Die Synode von 381 auf dieselbe Höhe zu stellen, wie die von Nicaea, von ihr und Nicaea das allgemeine Taufbekenntniss herzuleiten, das war eine Legende, die zu propagiren sich wohl lohnte. Dieselbe verlie dem Sitze von K. vollends das Ansehen, kraft dessen er als der erste im Orient sich durchsetzen konnte ». — Kattenbusch, p. 259.

Hoc portendit examen illud, quod de symbolo nicaeno-constantinopolitano ex lutheranis viris eruditissimi instituerunt. Gratum esset mihi scriptores orthodoxos heic uno veluti agmine mirari gladium distrinxisse ad vetus suae fidei documentum tuendum vindicandumque. Proh dolor! Si unum excipias clarissimum Lebedev, qui adversus oppugnatores symboli in arenam feliciter descendit, nihil apud eos reperies, quod commendatione dignum in hoc certamine videatur. Immo non defuere qui, statim absterriti, sua projicerent arma, seseque in adversariorum castra reciperent. Criticae lutheranae vindex statorque factus, Mihalcescu non veretur asserere extrinsecis carere argumentis quibus authenticitatem symboli suae Ecclesiae tutari queat (1). Concilium chalcedonense post septuaginta annorum intervallum primum de hoc symbolo iniecit mentionem, quod licet, suam originem si spectes, Epiphanio adiudicandum sit, haud tamen constantinopolitani epitheto expoliandum: id enim concilium oecumenicum II adoptaverat, vestigia premens concilii nicaeni, quod suam sibi fecit Eusebianam formulam (2).

Summa autem levitate sese gerit Mesoloras, quippe qui in suo symbolicae compendio gravissimam de authenticitate symboli Nicaeni Const. exortam controversiam, perinde ac si nunquam extitisset, alto praetermittit silentio, contentisque nervis unice ad latinos prostrandos animum adiungit.

Pauca tandem astruit argumenta Andrutsos ad solvendas *hypercriticorum* obiectiones, eaque minimi ponderis (3).

Ad nostram sententiam quod attinet, validae non desunt rationes ad firmandam authenticitatem praefati symboli, quamvis, veterum documentorum inopia, tenebrae, quae eam circumfundunt, penitus dispulsae non sint.

Et revera, ad duo praecipua revocantur capita, obiectiones, quas nobis obtrudunt huiusce authenticitatis adversarii: 1) argumentum negativum silentii; 2) intima, quae datur, cognatio, et quasi identitas

(1) *Criteriile externe lipsesc cu desăvîrșire autenție acestuĭ simbol.* — Op. cit., p. 37.

(2) *Dacă dar simbolul N. C. nu este ca compoziție nicĭ Nicean nicĭ Constantinopolitan et meritĭ totuș și cu tot dreptul acest nume pentru că simbolul Jerusalemic, care îi stă la bază este mult maĭ vechiŭ de cât, cel N. propriŭ ḑis, este apoĭ amplificat cu câte-va micĭ adose în sensul celuĭ Nicean, și adoptat de sinodul al doilea ecumenic din Constantinopole, tot așa cum cel din Cesarea fusesè adoptat de sinodul din Nicea.* — Ib., p. 42.

(3) Miserrimam nullaque dignam commendatione dissertatiunculam de hocce symbolo A. N. quidam inseruit in Православный Собесѣдникъ, 1909, t. I, pp. 519-525.

inter symbolum nicaeno-const., et professiones fidei Cyrilli Hierosolymitani atque Epiphanii.

Quoad priorem obiectionem haec reponimus: *a*) Argumentum ex silentio scriptorum deductum eo minori potitur efficacia, quo maior est documentorum inopia ad illam pertinentium aetatem, quam inquirendam aggredimur. Hoc de concilio et symbolo constantinopolitanis fas est asserere. Etenim deperdita sunt illius acta: *τόμον* illum, cuius pars symbolum censetur, edax tempus absumpsit (1); scriptores, qui de rebus ecclesiasticis egerunt, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, perpauca de concilio nobis tradidere. Documenta igitur quae lucem huic controversiae affunderent, fere omnia periere: ex eo tamen quod eis careamus, haud quidem conficitur statim rejiciendam esse authenticitatem praefati symboli.

b) Ne arbitrariis coniecturis locum demus, prudentia illa hortatur quae in pervestigandis tenebricosis antiquitatis christianae temporibus adhibenda est. Temere se gerat, si quis cum diserta non reperiat testimonia traditionum, quarum existentiam scriptores posterioris aevi nobis patefaciunt, protinus eas suppositicias conclamet, eisque fidem abiudicandam praepropere decernat. Etenim, ad symbolum quod spectat, si spurium censeatur, quî potuit fieri ut, septuaginta post concilium Const. annis, tantam, quam concilium Chalcedonense testatur, sibi celebritatem consecutum fuisset?... Si late pervulgatum non fuit ante concilium chalcedonense, quî potuerunt Patres huius concilii repetitis vicibus declarare, se regulam fidei firmiter tenere, quae apud Nicaeam constituta est, quamque centum quinquaginta Patrum apud Constantinopolim sub Theodosio magno congregata synodus confirmavit? (2)

Num suspicandum est spurium hocce documentum Patres chalcedonenses in acta intexuisse concilii, quin ullus ex eis indignatus fraudem denuntiaret? Num toto in orbe christiano, sive occidentales, sive orientales episcopi incusandi pro viribus adlaborasse, ut *κακόπλαστον* symbolum cunctis fidelibus, perinde ac si authenticum foret, probaretur? Nonne haeretici, qui tunc temporis in Oriente grassabantur, summo cum gaudio dolum detegissent, ut dedecore Patres concilii afficerent, eisque tamquam veterum traditionum adulteratoribus fidem adhibendam non esse praedicarent? Si adversarii, quibus obsistimus, suum sibi ius autumant ex silentio historiae testimoniorumque absentia

(1) Hefele, t. II, 1, pp. 10-11.

(2) *Ἡμεῖς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν τὴν παρὰ τῶν τριακοσίων δέκα, καὶ ὀκτώ, καὶ παρὰ τῶν ρν' ἔτι μὴν καὶ παρὰ τῶν λοιπῶν ἁγίων, καὶ ἐπισδόξων πατέρων παραδοθεῖσαν φυλάττομεν, καὶ κατὰ ταύτην πιστεύομεν.* = Mansi, t. VI, col. 953.

consecutiones eruere ad symboli authenticitatem convellendam peraptas, fas erit et nobis ex eodem silentio maiori quidem probabilitate arguere, fraudem, quae heic supponitur, neque extitisse, neque potuisse existere. Si enim insinuetur per Patres chalcedonenses hancce fraudem perpetratam fuisse, vel dicendum est hoc praeclarum comitium, cui tot perillustres sanctitate doctrinaque episcopi interfuere, ex perditissimis hominibus constitisse, qui suum gregem perverse in errorem circa fidem inducere sibi proposuissent, quod absurdum esse neminem fugit, vel eorum inscitiae vitio vertendum est conficti symboli pro vero divulgati crimen, quae coniectura, quam futilis sit, nemo est qui non videat. Recte igitur sentit Andrutsos qui testimonium Patrum Chalcedonensium adamantinum vocat firmamentum, quo nititur authenticitas symboli Nicaeni-Const. (1). Harnackium sane non latuit argumenti efficacia, quod ex actis concilii chalcedonensis eruitur, ideoque ad facile divertit effugium praesumendi eadem acta interpolata fuisse (2). Haec vero suspicio in re tam clara, tam testata, quantum est authenticitas actorum synodi chalcedonensis, quantum a methodo quae critico gloriatur acumine, abhorreat, neminem arbitror latere. Haud quidem profectui scientiae, sed praeiudicatis inservit persuasionibus, qui testes fide dignissimos suae sententiae inclementes, vel incusat fallaciae, vel eorum testimonium a posteris adulteratum fuisse, nullis suffultus rationibus, effutit. Pervolutanti enim vel obiter acta synodi, animadvertit Kunze, quem suspectum in hac re testem nemo iudicaverit, certo certius constabit patres Chalcedonenses, nemine contradicente, pluries symboli constantinopolitani mentionem fecisse (3).

c) Objicitur ante concilium chalcedonense nullum haberi vestigium symboli, de quo nobis est sermo. Res plane aliter se habet. Equidem fateor haud multos testes adesse, qui diserte tradant concilium oecumenicum II symbolum suo nomine edidisse: perpaucos tamen haberi, eosque dignos ut fides sibi adhibeatur, luculenter ostenderunt Schmidt et Kunze. In sua epistola ad Theodosium imperatorem, quae anno 449 conscripta est (4), Flavianus, episcopus const. haec habet:

(1) *Ἐν πάσῃ περιπτώσει δι' ἡμᾶς τοὺς ὀρθοδόξους ἡ ἀδαμαντίνη βάσις τῆς γνησιότητος τοῦ συμβόλου εἶναι ἡ μαρτυρία τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, ῥητῶς ἀποδιδούσης τὸ σύμβολον τοῦτο τῇ Β΄ οἰκουμενικῇ συνόδῳ.* — Op. cit., p. 27.

(2) Herzog, *Realencyklopädie für protestantische Theologie*, 2ª ed., t. VIII, p. 228.

(3) « Nicht blos wahrscheinlich, sondern unbestreitbar gewiss ist es, dass zu Chalcedon *C* als das Bekenntniss der 150 Väter von Konstantinopel wiederholentlich verlesen, und ohne direkten Widerspruch anerkannt worden ist ». — P. 20.

(4) Hahn, p. 320.

« Sapimus recte atque inculpabiliter, semper scripturas divinas sequentes, et expositiones sanctorum Patrum, qui in Nicaea convenerunt, et centum quinquaginta qui hic congregati sunt » (1). Antequam igitur convocaretur synodus Chalcedonensis, agnoscebat Flavianus expositionem fidei a Patribus in secundo concilio oecumenico sancitam.

Item, inter episcopos qui in synodo chalcedonensi fidem Leonis Papae consonam declararunt fidei nicaenae et constantinopolitanae, Iohannes, episcopus Germaniciae, recensetur, cuius verba, memoratu digna, ita sonant: « In fide trecentorum decem et octo qui Niceae, et centum quinquaginta qui Constantinopoli anteacto oevo congregati sunt, et baptizati sumus, et baptizamus » (2). Haec verba nobis pandunt symbolum constantinopolitanum iampridem ante concilium chalcedonense usu receptum fuisse, ut symbolum baptismale. Episcopus enim Iohannes declaravit non modo sua aetate baptismum conferri in fide huiusce symboli, verum etiam se ipsum in eadem baptizatum fuisse fide.

Alios testes recenset Kunze, nimirum Nestorium, patriarcham Const. (428-431) qui nomine symboli nicaeni formulam refert symboli const.; Proclum, presbyterum const., qui cum Nestorio fortiter dimicavit; Nilum, qui ad finem saeculi IV in montem Sinai secessit, ut vitae asceticae totum se daret. Haec docte fuseque discutit testimonia laudatus auctor, ex eisque colligit quod iam vergente ad finem saeculo IV, maxima probabilitate symbolum constantinopolitanum, ut symbolum baptismale, usu venerit (3).

Denique, ex epistola nuncupatoria, quam ipsummet concilium constantinopolitanum ad Theodosium imperatorem misit, fluit haud obscurum testimonium, quod certiores nos facit in eodem concilio Patres symbolum nicaenum, novis adiectis explicationibus, confirmasse. Hisce enim utuntur verbis: « Breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus et Patrum, qui Niceae congregati fuerunt, fidem confirmavimus » (4).

(1) *Φρονοῦμεν ὀρθῶς καὶ ἀνεπιλήπτως, πάντοτε ταῖς θείαις γραφαῖς ἑπόμενοι καὶ ταῖς ἐκθέσεσι τῶν ἁγίων Πατέρων, τῶν ἐν Νικαίᾳ καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντων.* — Mansi, t. VI, col. 541.

(2) *Ἐπὶ τῇ πίστει τῶν τριακοσίων δεκαοκτώ· τῶν ἐν Νικαίᾳ, καὶ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα τῶν ἐν Κ. ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀθροισθέντων, καὶ ἐβαπτίσθημεν, καὶ βαπτίζομεν.* — Mansi, t. VII, col. 28.

(3) « In jedem Falle ergäbe sich mit grosser Wahrscheinlichkeit, dass in letzten Jahrzehnt des vierten Jahrhunderts die Formel C. in Konstantinopel als Taufsymbol gebraucht wurde ». Pp. 31-32 — Id., *Marcus Eremita, ein neuer Zeuge für das altchristliche Taufbekenntniss*, Lipsiae, 1895, pp. 161-173.

(4) *Συντόμους ὅρους ἐξεφωνήσαμεν; τήν τε τῶν Πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες*, Mansi, t. III, col. 557.

Negari igitur non potest, Patres huiusce concilii viribus collatis ad symbolum aliquod renovandum adlaborasse.

Non diffiteor testimonia, quae hucusque adduximus, ea non esse ut symboli nicaeno-const. authenticitatem extra omnem ponant dubitationem. Satis tamen habeo demonstrasse, argumentis, ad eam firmandam vel suspicandam, penitus destitutos nos non esse.

Praecipua, quae a nostris adversariis affertur ratio, deprompta est ex eo quod synodus ephesina, anno 431 congregata, suis in actis hoc symbolum silentio pratermiserit. Exploratum est Patres Ephesinos nicaenae tantum fidei normam recitasse, eamque ut regulam ad haeresim nestorianam profligandam sibi statuisse. Audiantur quae in prima synodi actione, Iuvenalis, Hierosolymorum episcopus, alloquitur: « In primis autem recitetur fides, quam trecenti decem et octo Patres et episcopi Niceae quondam congregati exposuerunt: et sententiis ad fidei doctrinam spectantibus cum ea expositione collatis, consentientes quidem confirmentur, dissentientes autem rejiciantur » (1). Si vere igitur concilium constantinopolitanum symbolum, quod ab eo appellitatur, edidisset, proculdubio subsequens concilium ephesinum id non ignorasset, de eoque mentionem iniecisset, ut post lapsum temporis per concilium chalcedonense actum est. Gravissima quidem est difficultas, in qua expedienda alii alias excogitarunt coniecturas: parum feliciter tamen, quo factum est ut clarissimus vir Duchesne, ex silentio ephesinorum Patrum, ad praefati symboli authenticitatem in dubitationem adducendam, magis propendat (2).

Obiectionem superius allatam solvere pro viribus nisus est Marcus Ephesinus in concilio florentino. Quae adduxit in defensionem symboli nicaeno-const., etiam in praesentiarum sua vi non destituuntur. Acerrimus hic latinorum hostis, hocce symbolum a nicaeno profluxisse statuit. Ipsummet Patres constantinopolitani latius tantum explicarunt

(1) *Ἀναγινωσκέσθω ἐν πρώτοις ἡ ἐκτεθεῖσα πίστις παρὰ τῶν συνελθόντων ἐν τῇ Νικαεῶν ἁγιωτάτων πατέρων καὶ ἐπισκόπων τῶν τριακοσίων δεκαοκτώ· ὥστε ταύτῃ τῇ ἐκθέσει παραβαλλομένων τῶν περὶ τῆς πίστεως λόγων, τοὺς μὲν συμφωνοῦντας βεβαιοθῆναι, τοὺς δὲ διαφωνοῦντας ἐκβληθῆναι.* — Mansi, t. IV, col. 1136. Fallitur Tanquerey tradens symbolum constantinopolitanum approbatum fuisse a concilio ephesino, Op. cit, t. I, p. 556.

(2) « Que ce symbole ait été promulgué par le concile de 381, rien n'autorise à le penser. Il est sûr, en tout cas, que le concile suivant, celui d'Éphèse, tenu en 431, l'ignore absolument. Pour le concile d'Éphèse, il n'y a qu'un symbole, celui de Nicée, le vrai, le primitif. S'il prohibe tout autre symbole, c'est au profit de celui de Nicée, et non au profit de celui de Constantinople ». — Op. cit., pp. 79-80. Hoc idem sentit Tixeront: *Histoire des dogmes*, t. II, Parisiis, 1909, p. 64.

in eis, quae ad divinitatem Spiritus Sancti spectant (1). Constat quidem ephesinos Patres eius non meminisse, at simul constat eos neque id ignorasse, neque cognitum despexisse. Ab eis duo symbola pro uno sumuntur; de priore vero solummodo inijcitur mentio, tum quia dignior est, maiorem enim numerum Patrum habuit qui id confirmarunt, reliquorumque fuit velut fundamentum; tum quia nicaenum symbolum in usu erat apud christianos, ideoque, ut communius, virtute alterum aestimatum est continere; tertio quia immutationem interdicentes, primum illud atque immutabile assumunt, cum quo videlicet simul et alterum intelligitur, ut potius illius explicatio sit quam mutatio » (2). Bene an secus in hac re senserit Marcus Ephesinus, prudenti lectori expendendum relinquo.

Suspicatur Schmidt causam, cur Patres Ephesini a mentione huius symboli abstinuerint, in eo reponendam esse, quod ipsummet parvam consecutum sit diffusionem, ac synodus, quae id condidit, potius orientalis quam oecumenica censeri debeat. Praesumi etiam potest explicito decreto Patres huiusce synodi non praecepisse, ut loco nicaeni suum symbolum usu reciperetur (3). Hasce coniecturas meum non est sub examen revocare. Quidquid tamen de eis sentiendum est, illud asseveranter tuemur, ex silentio concilii ephesini non sequi causam authenticitatis symboli nicaeni-const. desperatam esse: rationes enim, quas superius attulimus, suum habent pondus in hac authenticitate vindicanda.

(1) *Ἡ δευτέρα σύνοδος ... καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου ἀξίωμα κεκτημένη, ἀνέπτυξε τὸ τῆς πρώτης συμβόλου διὰ τοὺς πνευματομάχους τὴν περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος θεολογίαν ἐκθεμένη πλατύτερον.* — Mansi, t. XXXI, col. 532-533.

(2) *Δῆλον γάρ ἐστιν, ὅτι οὔτε ἠγνόησαν τὸ τῆς δευτέρας (σύμβολον), οὔτε εἰδότες αὐτὸ κατεφρόνησαν· πῶς γὰρ τὸ μετὰ ταῦτα στερχθὲν οὕτω καὶ κυρωθὲν καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπικρατῆσαν; ἀλλὰ δέχονται μὲν ἄμφω ταῦτα ὡς ἓν καθάπερ καὶ αἱ λοιπαί· μέμνηνται δὲ τοῦ τῆς πρώτης μόνου, διά τε τὸ ἀξίωμα τῆς συνόδου ἐκείνης, ὅτι τε ἐκ πλειόνων πατέρων, καὶ ὅτι πρώτη, καὶ ὥσπερ θεμέλιος τῶν ἑξῆς ἁπασῶν· καὶ δεύτερον, ὅτι τὸ ἐκείνης σύμβολον ἐπεκράτει παρὰ τοῖς Χριστιανοῖς· ἔτι καὶ δι᾽ ἐκείνου οἱ πλείονες ἐβαπτίζοντο· μεμνημένοι τοίνυν ὡς ἐπικρατοῦντος ἐκείνου καὶ ὡς δυνάμει τὸ δεύτερον περιέχοντος, τοῦτο παραλιμπάνουσι· τρίτον, οἱ οἰκονομοῦντες τοὺς λόγους ἐν κρίσει. καθάπερ ἐκ τῶν γραφῶν τὰς συμβαλλομένας χρήσεις πρὸς τὴν προκειμένην ὑπόθεσιν ἐκλέγονται, οὕτω κἂν ταῦτα τὴν μεταποίησιν ἄρτι πρῶτον κωλύοντες, τὸ πρῶτον ἐκεῖνο καὶ ἀμεταποίητον παραλαμβάνουσιν, ὡς συνιπακούεται δηλαδὴ καὶ τὸ δεύτερον, ὡς ἀνάπτυξις ὂν ἐκείνου μᾶλλον ἢ μεταποίησις.* — Mansi, t. XXXI, col. 533-536. Cf. Francke, *Libri symbolici Ecclesiae lutheranae*, Lipsiae, 1847, p. X.

(3) *Zur Echtheitsfrage des Nicäno-Constantinopolitanum, Neue kirchliche Zeitschrift*, 1899, pp. 935-985.

Alterum vero argumentum, quod ex praeexistentia symboli nicaeno-const. in scriptis Cyrilli atque Epiphanii depromitur, absolute non evincit Patres Constantinopolitanos id non composuisse. Non diffitemur quidem cognationem extrinsecam reperiri inter varia symbola, quae hucusque consideravimus. Haec nil aliud probat, nisi pedetentim, gradatim, Ecclesiam processisse in symbolo fidei elaborando.

Sicut per decisiones synodales Patrumque investigationes in conciliis doctrina dogmatica catholicae Ecclesiae maiorem claritatem determinationemque adepta est, ita et symbolum. Compertum est cuncta breviaria fidei, quae tribus prioribus a Christo nato saeculis ferebantur, tanta inter se cognatione devinciri, ut pronum sit colligere communem aliquam formulam extitisse, ex qua cetera promanarunt. Ex eo igitur quod inter duo symbola cognatio reperiatur, non sequitur unum eundemque auctorem eorum fuisse. Concilium nicaenum hoc sibi non proposuit, ut vetus Ecclesiae symbolum penitus aboleret, eique novum substitueret. Hoc idem egerunt patres II concilii oecumenici. Symbolum, quod Epiphanius in suo *Ancorato* inseruit, prae oculis hosce Patres habuisse, a veritate absonum non est affirmare.

Id tamen iterum elaborarunt, non secus ac patres nicaeni quoad symbolum eusebianum egerint. Comparatione instituta inter praecitata symbola, luce clarius meridiana patebit quaedam in symbolo constantinopolitano desiderari, quae in symbolo Epiphanii exstant. Consequitur inde hocce symbolum, licet chronologice symbolum constantinopolitanum praecedat, unum idemque cum eo plane non esse. Patres concilii ipsummet suis accommodarunt propositis, in quibusdam innovarunt, suumque ut symbolum promulgarunt.

Haec si probetur coniectura, haud opus erit ratiuncula quam theologi optimae notae excogitarunt, ad tuendam authenticitatem huius symboli, videlicet in *Ancorato* symbolum ab Epiphanio, post coactum concilium, adiectum fuisse (1). Mihi videtur hisce coniecturalibus argumentis abutendum non esse in implexis controversiis, quae solutionem nondum attigerunt. Si processus historicus in symboli elaboratione admittatur, obiectio, quam exposuimus, diluitur.

Commune enim statuitur fundamentum, quod cunctis in symbolis cognationis vel similitudinis causa est. Ex symbolo primitivo professio fidei eusebiana effluxit, quae Patribus nicaenis exhibita est: hancce

(1) « Ego nondum video, cur istam appendicem symbolorum Epiphanius superstes usque ad annum 403 non potuerit *Ancorato* addere post concilium constantinopolitanum ». — Franzelin, *Tractatus de Deo trino*, p. 508; Jungmann, *Dissertationes selectae in historiam ecclesiasticam*, t. II, Ratisbonae, 1881, p. 115.

vero professionem emendarunt Patres, eique novam indiderunt faciem, ita ut iure meritoque appellata sit symbolum nicaenum. Symbolum baptismale Ecclesiae Hierosolymitanae elaboravit Cyrillus, antequam Hierosolymorum episcopus crearetur (1), ideoque ab eo licet vocare symbolum, quod catechesibus insertum est. Cyrillianum symbolum Epiphanius produxit, ut morem gereret presbyteris Suedrorum, qui eum rogarunt ut rectam sanamque fidem uberius explicaret. Symbolum denique Epiphanii, perpaucis demptis, concilium constantinopolitanum sanxit, suaeque ut tesseram fidei vulgavit. Hocce igitur symbolum, ut ita dicam, postremum est milliarium, in via quam in elaboratione dogmatica fidei divinitus acceptae, Ecclesia docens peregit.

γ') Symbolum, quod nicaeno-constantinopolitanum audit, ex Oriente in Occidentem invectum, tantam brevi temporis lapsu sibi conciliavit auctoritatem, ut in liturgia insertum sit, saeculo VI (2), vel potius V, si Kunze audiamus (3). Usu etiam venit ut cantaretur inter missarum solemnia; quia, ait S. Thomas, « symbolum declarativum est symboli apostolorum, et etiam fuit conditum fide iam manifestata, et Ecclesia pacem habente » (4). Ipsummet catholica Ecclesia permagna prosequitur veneratione: doctrinam enim exhibet veterum Patrum, afflante Spiritu Sancto in synodo legitima congregatorum, eandemque doctrinam plane convenire cum apostolicis traditionibus compertum est. Ad rem Holden: « Symbolum nicaeno-constantinopolitanum nihil prorsus continet, quod in apostolico non habeatur, quamvis in hoc contractior, in illo fusior sit earundem veritatum expressio. Quapropter ab universa Ecclesia tanquam revelatam et catholicam doctrinam amplectens recipitur et agnoscitur » (5).

Hocce tamen symbolum, quod utraque tanti facit Ecclesia, pro eo ut signum unitatis cunctos inter fideles evaderet, discordiae fumosa taeda factum est. In utraque dicimus Ecclesia, cum exploratum sit plurimis ex protestantibus id ludibrio ac despectui esse, praeeunte Calvino, cuius haec sunt verba: « Symbolum constantinopolitanum carmen est, cantillando magis aptum, quam confessionis formula » (6).

(1) Celzov, p. 31.

(2) Harnack, *Dogmengeschichte*, t. II, p. 267.

(3) Op. cit., pp. 64-72.

(4) *Summa Theol.*, 2. 2. Q. I a. IX ad 2.

(5) Braun, Op. cit., t. II, pp. 121-122; Suicerus, Op. cit., p. 16; Mazzella, *De virtutibus infusis*, pp. 291-292.

(6) Matthes, *Comparative Symbolik aller christlichen Confessionen vom Standpunkte der evangelisch-lutherischen Confession*, Leipzig, 1854, pp. 56-57; Francke, *Libri simbolici Ecclesiae lutheranae*, Lipsiae, 1847, pp. x-xi.

Turbulentissimas tempestates, quae ex hoc symbolo toto in orbe christiano excitatae sunt, acceptas referunt additioni illi quae est *Filioque*, quam initio concilia particularia, deinceps Romani Pontifices in symbolo inserendum edixere. In sua regula fidei, concilium toletanum primum, anno 400 celebratum, declaravit « ingenitum esse Patrem, genitum Filium, non genitum Paracletum, sed a Patre Filioque procedentem » (1). Haec tamen explicita mentio Filii, saeculo V vix oriente, exarata, cum nulla haeresis percelebrem de Spiritu Sancti controversiam iam non instituisset, iure meritoque censetur interpolata, in quam sententiam tum nostrates, tum scriptores orthodoxi descendunt (2).

Haec additio repetitis vicibus in actis concilii toletani III, anno 589 habiti, reperitur. Episcopos ac presbyteros, qui eidem interfuerunt, Reccaredus rex hisce alloquitur verbis: « Amplector et teneo fidem centum quinquaginta episcoporum Constantinopoli congregatorum, quae Macedonii Spiritus Sancti substantiam minorantem a Patris et Filii unitate et essentia segregantem, iugulo veritatis interemit » (3). Quaenam autem illa est fides, quam, symbolo constantinopolitano innixus, profitetur Reccaredus?... « Spiritus Sanctus, ipse subjicit, confitendus est a nobis, et praedicandus *a Patre et Filio procedere* » (4). Reccaredo assentientes, Patres concilii statuerunt « pro reverentia sanctissimae fidei, propter corroborandas hominum invalidas mentes, ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam ecclesiarum orientalium, concilii constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum, symbolum fidei recitaretur » (5). Hocce vero symbolum, prout legitur in actis concilii, *Filioque* illud exhibet.

Ex allatis testimoniis gravissima exoritur difficultas, cui enodandae doctissimi viri plurimum insudarunt, quin in clarissima luce aenigma hoc historicum poneretur. Undenam profluxit illud *Filioque* in symbolum Toletanorum Patrum intextum?... Numquid affirmandum est Patres toletanos prae manibus textum symboli constantinopolitani habuisse, praefatam additionem exhibentem?... Severinus Binius opinatur primitivam huiusce symboli formulam illud *Filioque* continuisse (6), ac Vincenzi eo usque processit, ut Graecos insimularet idi-

(1) Mansi, t. III, col. 1003.

(2) Кокномsky, Ученіе древней церкви объ исхожденіи св. Духа (*Doctrina antiquae Ecclesiae de processione Spiritus Sacti*), Petropoli, 1875, pp. 67-68.

(3) Mansi, t. IX, col. 980.

(4) Ib., col. 978.

(5) Mansi, t. IX, col. 992-993.

(6) Ib., col. 1006.

psum saeculo VII abrasisse vetusque symbolum fidei, ad suos fulciendos errores, corrupisse (1). Prorsus rejicienda est coniectura haec, quae nulla nititur firmamento, quamque nullus confirmat ex scriptoribus ecclesiasticis testis, qui hancce alterationem peractam fuisse meminerit.

Scriptores vero orthodoxi generatim edocent. vel Patres Toletanos usos fuisse symbolo adulterato, quin de adulteratione certiores fierent, vel, quod probabilius censetur, illud *Filioque* non ab eis, sed ab ignoto quodam viro, symbolo immixtum fuisse. Equidem haud verisimile iudico synodum toletanam, quae symbolum constantinopolitanum permagni fecit, suo lubitu id auxisse, nulla sui facinoris mentione iniecta, nullisque rationibus adhibitis ad suum nefarium ausum excusa dum. Illud *Filioque* in symbolo quod ab eis recitatum est, non extitisse, mordicus tuetur Theophanus Procopovich (2).

Plura et fusiora de hac controversia, quae diu facta est schismatis cardo, scribemus alias. In praesentiarum, qua maxima uti possumus brevitate, quae in Institutionibus theologiae symbolicae, dum de symbolo constantinopolitano sermo est, in Romanam Ecclèsiam obganniuntur, perpendemus. Romana enim Ecclesia saepe saepius a scriptoribus orthodoxis conviciis obruitur, quippe quae ausa sit » violare inaccessibilem profunditatem divinae essentiae, eamque invadere humanis ratiociniis, fide corrupta et symbolo immutato » (3).

Additio, quam in symbolo constantinopolitano romana inseruit Ecclesia, triplici modo considerari potest: 1) ut *factum historicum*; 2) ut *factum dogmaticum*; 3) ut *factum iuridicum. Historice*, quoad

(1) *De Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque adversus Graecos*, Romae, 1878, p. 106-107; cf. Funk, *Histoire de l'Eglise*, t. I, Parisiis, 1902, pp. 213-214.

(2) *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772, p. 297; Lampryllos, *La mystification fatale, ou élucidation d'une page d'histoire ecclésiastique*, Athenis, 1883, p. 2: Kokhomsky, p. 71-72. Per transennam adnotamus, in hac sententia Bellarminum favere theologis orthodoxis. En eius verba: « In concilio toletano VIII recitatur symbolum cum additione. Fuit autem celebratum hoc concilium circa annum Domini 653, et ante hoc tempus non invenitur symbolum constantinopolitanum cum hac additione. Nam in concilio toletano III celebrato anno 589 legitur symbolum sine ulla additione ». — *De Christo*, lib. II, c. XXI; *Opera*, t. I, Neapoli, 1856, p. 220.

(3) Римская церковь дерзнула коснуться непостижимой глубины самаго существа Божія и внести въ него свое человѣческое мудрованіе, вопреки ученію символа вѣры, да и самый символъ измѣнила. — Sophonius, (archim.), Взглядъ православнаго на папскую торжественную миссу, въ день рождества Христова (*Considerationes viri orthodoxi circa solemnia officia, quae die Natali Domini a Romanis Pontificibus celebrantur*), Странникъ, 1861, t. IV, sectio 2, p. 294.

suos effectus in orbe christiano, an videlicet causa fuerit schismatis inter Orientem atque Occidentem; *Dogmatice*, an quae per eam portenditur doctrina veritatem dogmaticam praeseferat, quae suum in symbolo locum sibi vindicet; *Iuridice*, an scilicet, posito quod sedula inquisitio illud *Filioque* dogmatico charactere exornandum in tuto collocet, licitum sit auctoritati legitimae ipsummet in symbolum intexere.

a) Ad primum quod attinet quaesitum, alii alia sentiunt. Scriptores orthodoxi generatim autumant illud *Filioque* praecipuam schismatis causam extitisse, eique complures ex scriptoribus protestantibus assentiuntur (1). Videtur aliis verbum illud ad schisma fovendum contulisse, idque non Latinorum tantum culpa, verum etiam et Graecorum (2).

Non desunt tamen qui et aestimentur falso illud *Filioque* culpari, perinde ac si schismatis causa praecipua extitisset. Horum sententiae subscribendum puto. Profecto non negaverim per additionem in symbolo insertam lugendum Ecclesiarum schisma exacerbatum fuisse: contendo tamen auctores schismatis illud *Filioque* tanquam diverticulum adhibuisse, ad fucum fidelibus faciendum suamque ab Ecclesia romana defectionem excusandam. Ad hanc tuendam sententiam vehementer adducor ex diu servata inter Orientem atque Occidentem ecclesiastica unitate, postquam illud *Filioque* insertum fuit in symbolo (3). A concilio toletano ad aetatem usque Photii tria saecula praeteriere, quin episcopi graeci, quos nefas est praesumere latinam additionem penitus latuisse, ad eam explodendam ac damnandam animum adiunxissent. Mea quidem sententia, in moralibus causis prima quaerenda est schismatis origo (4), in vetere praesertim simultate, quae, peracta romani imperii divisione, inter Graecos ac Latinos virescere coepit, donec, altis iactis radicibus, totum orbem christianum infecit. Ipsemet Photius nihil cogitavit de reprobando latino dogmate, cum per violationem legum ecclesiasticarum ad sedem patriarchalem evectus, suis litteris Romanis Pontificibus blanditus est,

(1) Vossius, *De tribus symbolis*, pp. 90-103; Hermanson, *De statu Ecclesiae graecae hodiernae*, Upsaliae, 1731, p. 20.

(2) « Quod attinet schisma, quod graecos et latinos a plurimis annis ad hunc usque diem divulsit, affirmari equidem nequit, graecos omnis prorsus schismatis culpa immunes esse, dum suam de processione Spiritus Sancti sententiam nimis rigide sunt persecuti ». — Dürrius. *De schismaticis: exercitatio theologica*, Altdorfii, 1663, n. LX.

(3) Howard, Op. cit., p. 33.

(4) « Schisma originem habuit ab incestuosa unius principis passione et ab extrema unius aulici ambitione ». — Wietrowski. *Historia de magno schismate Graecorum in Oriente, in compendium redacta*, Pragae, 1723, t. I, p. 2.

falsa inductus persuasione, eos sibi propitios fore. Profecto non negaverim post brevem temporis lapsum dogmaticis fundamentis schisma nixum fuisse. Hoc tamen initio non accidisse, contendimus. De iurisdictione romanae sedis potiusquam de *Filioque*, primum decertatum est. Si Romanorum Pontificum benevolentiam nactus esset Photius, proculdubio illud *Filioque*, nemine repugnante, dissensionis causa non extitisset. At, Romanis Pontificibus iura veritatis iustitiaeque pro Ignatio e sua sede eiecto vindicantibus, illud *Filioque*, ut gorgoneum caput abhorrendum, protulit Photius, inustaque Latinis haereseos nota, civium suorum vetus in eos odium mirum in modum aluit.

Quae hucusque diximus, candido scriptoris orthodoxi testimonio corroborare placet, quod, quanti faciendum sit, nemo est qui ambiget: « Exploratum est superbiam tantum, ambitionemque Nicolai, romani Pontificis, Photium adegisse, ut quinque discrepantias inter Graecos ac Latinos tanquam haereses reprobaret. Ipsamet quinta discrepantia, processio nimirum Spiritu Sancti ex Filio, in pluribus occidentalibus Ecclesiis multos ante annos extitit, quam episcopi orientales de ea mentionem facerent, vel praedicarent hasce Ecclesias haereticis favere doctrinis. Satis liquet Orientales de hisce discrepantiis sollicitos fuisse, ac praecipue de dogmatica disquisitione illud quae est *Filioque*, cum primum periclitata est independentia ac libertas Ecclesiae, in quam impendebat tyrannis ac regimen absolutum Romanorum Pontificum. Licet igitur certissimam ac rationi consonam facere coniecturam: si defuissent nempe superbia, ambitio, vehementissima libido praedominandi ex parte Romanorum Pontificum, iique sese praebuissent sinceros Christi discipulos, vel nihil de hisce discrepantiis cogitatum fuisset, vel eaedem labentibus annis emendatae essent, quod si contigisset, et suam unitatem adhuc servaret Ecclesia, et orbis christianus divisus non fuisset » (1).

(1) *Εἶναι βέβαιον ἀπὸ τὴν ἱστορίαν, ὅτι μόνον ἡ ἀλαζονεία καὶ φιλαρχία τοῦ Πάπα Νικολάου ἔκαμε τὸν Φώτιον νὰ ἀναφέρῃ καὶ τὰς 5 ταύτας διαφορὰς ὡς αἱρέσεις. Διότι καὶ αὐτὴ ἡ ε′ διαφορά, δηλαδὴ ἡ ἐκπόρευσις τοῦ Ἁγίου Πνεύματος καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὑπῆρχεν εἴς τινας δυτικὰς ἐκκλησίας πολλὰ ἔτη πρὸ τοῦ χωρισμοῦ τῶν δύο ἐκκλησιῶν, χωρὶς οἱ ἀνατολικοὶ ἐπίσκοποι νὰ κάμωσι λόγον περὶ αὐτῆς, οὔτε νὰ ἀποκηρύξωσι τὰς ἐκκλησίας ἐκείνας ὡς αἱρετικάς ... Εἶναι φανερὸν λοιπόν, ὅτι οἱ ἀνατολικοὶ ἔδωκαν προσοχὴν εἰς τὰς διαφορὰς ταύτας, καὶ μάλιστα εἰς τὴν δογματικὴν διαφορὰν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ μόνον, ὅτε ἐκινδύνευεν ἡ ἀνεξαρτησία καὶ ἡ ἐλευθερία τῆς Ἐκκλησίας, ἀπὸ τὴν παπικὴν τυραννίαν καὶ δεσποτείαν. Ἐξάγομεν λοιπὸν ὡς βεβαιότατον καὶ λογικώτατον συμπέρασμα, ὅτι, ἂν ἔλειπεν ἡ ἀλαζονεία καὶ φιλαρχία, τὸ τυραννικὸν καὶ ἡ ὑπερβολικὴ τάσις τῶν Παπῶν πρὸς δεσποτισμόν, καὶ ἂν οἱ Πάπαι ἦσαν ἀληθεῖς μαθηταὶ τοῦ Χριστοῦ ... ἡ καμμία προσοχὴ δὲν θὰ ἤθελε δοθῇ καὶ εἰς τὰς πέντε*

b) Est-ne tamen verum dogma illud, quod per catholicam Ecclesiam in praefata exponitur additione?... Iterum in varia scinduntur scriptores, qui catholicam aversantur doctrinam. Ex theologis, praesertim graecis, fere nullus est, qui contumeliosis verbis suam orationem non aspergat ad *latinam haeresim* confodiendam. « Illud *Filioque*, ait protosyncellus Chrysostomus, arbitraria sententia est, novitas haeretica, impium dogma, et perversum, falsum, Evangelio contrarium, a patre mendacii, a diabolo, patefactum » (1). Romana Ecclesia, si Constantium hieromonachum audiamus « mortaliter peccat, cum asserit Spiritum Sanctum ex Filio procedere: per additionem, symbolo insertam, nulla detinetur amplius cognatione cum synodis oecumenicis; anathemati subiecta est, seseque a vera Ecclesia abstraxit (2) ». Iuxta Mesoloram illud *Filioque* contradicit, tum *litterae*, tum *spiritui* Scripturae sacrae, quae nobis revelat solummodo aeternam primordialem causam Spiritus Sancti, de quo disertis verbis dicitur ex *solo* (!) Patre procedere (3).

Nullus ex praeclaris Ecclesiae Patribus hancce processionem edocuit: nullus *genuinus* ex eorum scriptis locus nobis adducitur, qui eam confirmet: omnes e contra Patres edixere unicum esse fontem, unicamque radicem ex quibus effluunt tam Filius, quam Spiritus Sanctus, neque Filium censendum Spiritum Sanctum, neque Spiritum Sanctum per Filium illud esse consecutum. Unica igitur causa. Si duplex statuatur causa in thearchica et supersubstantiali Triade, evanesceret

---

ταύτας διαφοράς, ἤ θὰ ἤθελον διορθωθῇ σὺν τῷ χρόνῳ, καὶ ἡ Ἐκκλησία θὰ ἦτο μία, καὶ οἱ χριστιανοὶ δὲν θὰ ἐχωρίζοντο. — Amvrazis, *Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν σχέσει πρὸς ὅλας τὰς ἄλλας χριστιανικὰς ἐκκλησίας ἐξεταζομένη*. Athenis, 1902, pp. 52-53. Cf. Salaville, *L'union des Eglises d'après les orthodoxes*, *Revue augustinienne*, t. III, 1903, pp. 346-358; De Meester, *Quelques opinions récentes sur l'union des Églises*, *Revue bénédictine*, t. XIX, 1902, pp. 412-427.

(1) Illud filioque *εἶναι γνώμη αὐθαίρετος, εἶναι καινοτομία αἱρετική, εἶνα δόγμα δυσσεβὲς καὶ κακόδοξον, εἶναι ψεῦδος ἀντιευαγγελικόν, ἀποκαλυφθὲν ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ ψεύδους, τοῦ διαβόλου.* — *Περὶ Ἐκκλησίας*, t. II, Athenis, 1896, p. 389.

(2) *Ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία βλασφημεῖ θανάσιμα, λέγουσα ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ... Ἐπειδὴ ἔκαμε τὴν προσθήκην μέσα εἰς αὐτὸ τὸ σύμβολον, τί ἀκολουθεῖ νὰ τὴν ὀνομάσωμεν; παραλελυμένην ἀπὸ τὰς ἑπτὰ συνόδους, καὶ χωρισμένην καὶ ἀναθεματισμένην Ἐκκλησίαν.* — *Ἱερὰ βίβλος, καλουμένη χρηστοήθεια τῶν χριστιανῶν*, Constantinopoli, 1898, t. I, pp. 65, 68.

(3) *Ἡ προσθήκη αὕτη παρά τε τὸ γράμμα καὶ τὸ πνεῦμα τῆς Γραφῆς, παρά τε τὰς ἀποφάσεις καὶ τὰς ῥητὰς διαταγὰς τῆς Β' οἰκουμενικῆς συνόδου προσετέθη εἰς τὸ σύμβολον... Ἰωαν. ιε' 16. Εἶναι τὸ μόνον ῥητὸν τῆς Γραφῆς, ὅπερ δηλοῖ ἡμῖν τὴν αἰώνιον ἀρχικὴν αἰτίαν τοῦ ἁγ. Πνεύματος, περὶ οὗ ῥητῶς λέγεται, ὅτι ἐκπορεύεται ἐκ μόνου τοῦ Πατρός.* — P. 51.

pulchritudo divina, tanta veneratione digna, tot hymnis concelebranda (1).

Supervacaneum arbitror heic tempus terere in refellendis quae incompto stylo, contortis notionibus, pessimisque mendacibus graecus veterator in catholicam theologiam congerit. Ad rem faciunt verba Walchii scriptores graecos de processione Spiritus Sancti disserentes graviter increpantis: « Omnia in scriptis Graecorum pro dogmate de processione Spiritus Sancti a solo Patre tradita, luculenter produnt, Graecos in eo quod probare debeant, ita versari, ut Scripturam Sacram perverse interpretentur: rationi plus quam deceat tribuant; ambiguis utantur verbis; quae eadem sunt diversis loquendi formulis exprimant, ac cuncta, ad fucum imperitis faciendum apta, studiose curent » (2). Rem paucis expediam. Fusiori calamo totam controversiam alio loco aggrediar.

Incusantur Latini Scripturas depravasse, eo quod textui evangelico inseruerint illud *Filioque*. At, quaeso, ubinam in eisdem traditur Spiritum Sanctum ex *solo* Patre procedere?... Ubinam disertis verbis concinnata (ῥητῶς) haec legitur sententia?... A graeco theologo discimus nullum exstare authenticum locum ex Patrum scriptis, qui catholicae faveat doctrinae. Num affirmandum est scriptores omnes sive catholicos, sive protestantes, qui Patrum volumina tot vices ediderunt, consutis oculis ea pervolutasse?... Mirum est eosdem suam in fidem tanquam dogma sententiam induxisse, quae, neque sacris scripturis fulcitur, neque vel unum inter Patres statorem vindicemque nacta est. Et maior adhuc evadit admiratio, si animadvertatur latinos theologos in controversiis de Spiritu Sancto, tum eruditionis copia, tum mentis acumine, graecis praecelluisse, ut Graeci ipsi fatentur. « Plurimi faciunt theologiam Latini, aiebat Gennadius Scholarius; sic magna cavent cura, ne quis ex ignorantia sibi, et aliis causa damni evadat, sine methodo et arte maximam omnium scientiarum theologiam tractando » (3). Utinam hanc diligentiam semper adhibuissent Graeci in citandis recteque interpretandis Patrum

(1) *Οὐδεὶς τῶν μεγάλων τῆς Ἐκκλησίας Πατέρων τοιοῦτόν τι περὶ τῆς ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐδίδαξεν, οὐδὲ γνήσια τούτων χωρία δυνατὸν νὰ ὑποδείξωσιν ἡμῖν οἱ ἀντιφρονοῦντες, καθ' ὅσον οἱ Πατέρες ἐδογμάτισαν, ὅτι μία ἡ πηγὴ καὶ μία ἡ ῥίζα, ἐξ ὧν πηγάζουσι καὶ τὴν ἀρχὴν ἔχουσιν ὅ τε υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, οὔτε υἱὸν νομίζοντες πνεῦμα, οὔτε δι' υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός.* Ib., p. 52.

(2) Op. cit., p. 166.

(3) *Πολλοὶ ποιοῦνται τὴν θεολογίαν λατῖνοι, οὕτω φρονίζουσι τοῦ μηδένα ἂν ἐξ ἀγνοίας ἑαυτῷ, καὶ ἄλλοις αἴτιον βλάβους γίνεσθαι, ἄνευ μεθόδου καὶ τέχνης τῆς μεγίστης τῶν ἐπιστημῶν θεολογίας ἁπτόμενον.* — *Refutatio Marci Ephesini*, *P. G.*, t. CLXI, col. 41.

effatis! Non immoramur in eis congerendis ad latinum dogma tuendum. Facillimum enim est perdoctos adire Ecclesiae catholicae theologos, qui cunctis eruditionis subsidiis, clarissima in luce posuere illud *Filioque* dogma non esse, tenebricosis saeculis confictum, sed pervetustam doctrinam quinque prioribus a Christo nato saeculis disertis verbis enucleatam (1). Scriptor anglicanus, qui ad benevolentiam orthodoxam sibi conciliandam illud *Filioque* ex symbolo expungendum duxit, locis omnibus Patrum ad processionem Spiritus Sancti ex Filio spectantibus sedulo excussis, fassus est, locos qui *explicite* sententiae favent latinae complures haberi quam qui *indirecte* Graecorum sententiam fulcire prima fronte videntur (2). Latinis igitur theologis haud opus est ut Patrum scripta depravent corrumpantque, cum sua doctrina disertis corroboretur testimoniis. Non semper autem eandem honestatem litterariam apud graecos scriptores deprehendes, ut de locis suppositiis vel confictis in opere hieromonachi Constantii congestis, catholicus quidam theologus luculenter ostendit (3).

Theologica denique argumenta, quibus latinum dogma Mesoloras evertere conatur, evincunt quos et quam absonos in sensus a graecis veteratoribus doctrina catholica interdum detorqueatur. Ecquis enim catholicos inter theologos edocuit duplex esse principium, duplicemve causam spirationis Spiritu Sancti?... (4)

Cum igitur, sive rationem theologicam spectes, sive exegesin scripturariam, vel Patrum traditiones, tanta fulgeat evidentiae luce veritas illi quae est *Filioque*, ut vel coecutientibus pateat, adnitentibus imprimis vetero-catholicis, quos vocant, scriptores quidam orthodoxi novas excogitarunt technas ad catholicas obiectiones eludendas. Iuxta Kireev, illud *Filioque* portiunculam veritatis continet (5). Ad scissionem Ecclesiarum

(1) Petavius, *Dogmata Theologica*, t. III, Parisiis, 1865, pp. 365-414; Franzelin, *Tractatus de Deo Trino*, pp. 468-482; Schermann, *Die Gottheit des heiligen Geistes nach den griechischen Vätern des vierten Jarhunderten*, Friburgi, 1901; Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. II, pp. 89-93.

(2) « The indirect testimony preponderates incomparably on the greek side: the direct testimony preponderates on the latin side ». — Nealy, *A history of the holy eastern Church*, t. II, Londini, 1850, p. 1131.

(3) Minos Critopulos (P. Maximus Mamatakis), *Ἔλεγχος τῆς ἱερᾶς βίβλου τοῦ μοναχοῦ Κωνσταντίου*, Constantinopoli, 1898, pp. 12-15.

(4) Cfr. opuscula ex *Bessarione* excerpta, quae theologica argumenta pro tuendo *Filioque* evolvunt: Palmieri, *La consustanzialità divina e la processione dello Spirito Santo*, Romae, 1900; *La missione delle divine persone e la processione dello Spirito Santo*, Romae, 1900; *L'argomento ontologico del Filioque e le obbiezioni di un teologo russo*, Romae, 1902.

(5) Къ старо-католическому вопросу (*Quaedam ad quaestionem vetero-catholicam pertinentia*), Бог. Вѣстникъ, 1897, t. I, p. 326.

fovendam ipsummet non provocavit. Theologica est opinio quae privatim defendi potest, quaeque nullum ponit obicem foederi veteres catholicos inter atque orthodoxos pangendo (1). Illud *Filioque* dogma fidei non est, ideoque nefas ut fide credendum cunctis proponatur fidelibus. Cum vero ex dogmatum serie id expungimus, haud quidem asserimus prorsus abjiciendum esse, perinde ac si falsam contineret doctrinam. Hoc unum contendimus, veritatem, quae in eo adest, dogmatico charactere non instrui (2).

Huic sententiae suffragari nequit catholicus theologus. Ut constat ex variis conciliorum definitionibus, praesertim Lugdunensis et Florentini « nullo modo est dubitandum quin processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, inter Fidei dogmata adnumeretur: neque catholicum revera esse, qui illud non recipit ac profitetur » (3). Doctrina theologica quae per illud *Filioque* exprimitur diu discussa est, neque tantum a privatis theologis, verum etiam in conciliis. Eam in dubitationem iterum adducere, idem esset ac fateri plus vice simplici Ecclesiam errasse in proponenda doctrina fidei, ac diuturnas in conciliis disquisitiones potius tenebras quam lucem huic controversiae attulisse. In Ecclesia latina nunquam dubiis conspersa est doctrina, quae Spiritum Sanctum a Filio procedere statuit, dum e contra in Ecclesiis orthodoxis dubium exoritur, an processio Spiritus Sancti ex solo Patre verum sit dogma necne. Catholicae igitur Ecclesiae sua in firma doctrina perseverandum est: theologis vero orthodoxis dubio haerentibus, ulterius inquirendum est, ac faxit Deus, postquam fassi sunt *portiunculam veritatis* in latino dogmate adesse, ut plenam tandem veritatem in eo elucescere sibi persuadeant.

(1) « Es ist nicht die Frage des *Filioque*, welche die Trennung der Kirche verursacht hat. Das *Filioque* als theologische Privatmeinung kann also nicht als ein impedimentum dirimens für die Herstellung der Interkommunion zwischen der orthodoxen orientalischen und der altkatholischen Kirche betrachtet werden». — *Thesen über das Filioque von einem russischen Theologen, Revue Internationale de Théologie*, t. VI, 1898, p. 712. Auctor pretiosi huiusce documenti pro historia controversiae illius *Filioque*, eruditissimus est Basilius Basilevitch Bolotov († 5 aprilis 1900), professor academiae ecclesiasticae petropolitanae. Cfr. Brilliantov, Къ характеристикѣ ученой дѣятельности проф. В. В. Болотова, какъ церковнаго историка (Character eruditorum operum, quae in lucem edidit B. B. Bolotov, ut historicus Ecclesiae), Petropoli, 1901, pp. 12-13.

(2) « En ce qui concerne le *Filioque*, il est déjà constaté et reconnu qu'il n'est pas un dogme. Donc, il ne saurait être imposé à personne ». Michaud, *L'état de la question du Filioque après la conférence de Bonn de 1875, Revue Internationale de Théologie*, t. III, 1895, p. 96.

(3) Bened. XVI, *Bulla* Allatae sunt, *Bullarium*, t. III. Prati, 1847, p. 2; Pichler, *Geschichte der kirchlichen Trennung*, t. II, Monachii, 1865, p. 672.

c) Venio nunc ad symboli additamentum (*Filioque*), quod erat postremo loco evolvendum. Adversarii, quibuscum heic praeliandum, ex triplici ratione hocce impugnant additamentum. Quidam idipsum illicitum conclamitant, quia falsum expromit dogma, in Sacris Scripturis ac Traditione nullatenus contentum. Tenent alii illud *Filioque* ex symbolo expungendum, eo quod, licet verum sit, vel pro vero possit haberi, contradicat tamen decreto synodali concilii Ephesini I (III oecumenici), prohibentis quominus aliquid symbolo addatur. Alii denique abrogandum illud *Filioque* autumant, eo quod meram praeseferat opinionem theologicam in scholis forte discutiendam, non autem dogma de fide cunctis christianis credendum.

Priori sententiae favent scriptores orthodoxi, qui theologiae polemicae dant operam. Audiatur protosyncellus Chrysostomus: « Symbolum fidei, quod Patres Ecclesiae nobis commendarunt, necesse est incorruptum maneat atque immutatum. Tum canones ecclesiastici, tum Patres Romanique Pontifices decreverunt statueruntque ne verbum aliquod vel syllaba in hac fidei summa mutationi obnoxia esset, vel tolleretur, vel adderetur, vel in alium sensum detorqueretur. In haeresim labitur, in synodos insurgit, anathemate plectitur, excommunicationis poena mulctatur, quisquis vel unam tantum syllabam audeat in symbolum intexere, vel ab eo detrahere. Etiamsi illud *Filioque* sententia non esset impia maximeque a veritate absona, etiamsi cunctis nobilioribus veri dogmatis orthodoxi titulis cohonestaretur, fortasse liceret idipsum in scholis edocere, vel proponere in litteris dogmaticis, in confessionibus doctrinae christianae, in catechismis fideique orthodoxae expositionibus, at nunquam fas esset invehere in symbolum fidei eique addi, aut verbum aliquod vel syllabam in hoc Patrum fetu immutare » (1). « Liquidissime patet, subjicit Mesoloras, symbolum constantinopolitanum illud *Filioque* non continere; hinc consequitur

(1) *Τὸ ζήτημα εἶναι ὅτι τὸ σύμβολον τῆς πίστεως τῶν Πατέρων μιας δέον νὰ μείνῃ ἀπαραλύμαντον, ἀπαράτραπον, καὶ οὐδεμία κἂν λέξις ἢ συλλαβὴ ν' ἀλλαγῇ, ἢ ἀφαιρεθῇ, ἢ προστεθῇ, ἢ μεταβληθῇ ἐξ αὐτοῦ, τοῦτο ὁρίζουσι καὶ θεσπίζουσιν οἱ κανόνες, τοῦτο διατάττουσιν οἱ Πάπαι καὶ οἱ Πατέρες. Ἐν αὐτῷ τῷ συμβόλῳ ἡ προσθήκη, ἢ ἡ ἀφαίρεσις καὶ μιᾶς συλλαβῆς εἶναι αἵρεσις, εἶναι ἀνταρσία κατὰ τῶν συνόδων τῶν οἰκουμενικῶν, τιμωρεῖται μὲ ἀνάθεμα, μὲ καθαίρεσιν, μὲ ἀφορισμόν. Καὶ ἂν δ' ἔτι ἡ τοῦ Filioque δόξα δὲν ἦτο δυσσεβὴς καὶ κακοδοξοτάτη, καὶ ἂν ἔτι κατεκαλλύνετο δι' ὅλων τῶν εὐγενῶν τίτλων ἀληθοῦς καὶ ὀρθοδόξου δόγματος, καὶ πάλιν ἠδύνατο μὲν νὰ διδάσκηται ἐν ἰδιαιτέραις δογματικαῖς ἐπιστολαῖς καὶ ὁμολογίαις, ἐν ταῖς διαφόροις κατεχήσεσι καὶ ἐκθέσεσι τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, οὐδέποτε ὅμως καὶ πάλιν, οὐδέποτε ἐπετρέπετο νὰ εἰσελάσῃ εἰς τὸ τῆς πίστεως τοῦτο σύμβολον τῶν Πατέρων καὶ νὰ προστεθῇ, ἢ καὶ ν' ἀλλαγῇ λέξις τις ἢ συλλαβὴ ἐν αὐτῷ.* — *Περὶ Ἐκκλησίας*, t. II, pp. 397-398.

nefarium facinus perpetrasse Latinos, eisque adstipulati protestantes, cum *illegittime* ac sine iustis causis in symbolo additionem istam inseruerint, quae christianam Ecclesiam deturpavit, innumerasque concitavit dissensiones » (1).

Ut cardinalis Iulianus Cesarini in concilio florentino graecos latinosque alloquebatur (2), fatum insertionis *Filioque* in symbolo, ex veritate vel falsitate doctrinae quam exprimit, dependet. Si falsa haec sit doctrina, expungendum; si vera, Ecclesiae expendendum relinquitur, an in symbolum intexi debeant necne. Theologis orthodoxis, qui rejiciendum putant ut falsum dogma, onus incumbit probandi additamento illo Romanam Ecclesiam fidem Patrum Nicaenorum corrupisse. Haec autem falsi dogmatis denuntiatio uberrima argumentorum segete extra omnem dubitationis aleam ponenda est. Res enim agitur, tam cum catholicis, quam cum protestantibus et vetero-catholicis, et si catholica theologia suspecta in hac controversia videatur orthodoxis, quippe quae in id praesertim tendat, aiunt, ut *facinora* Romanorum Pontificum a culpa vacare statuat (3), nefas quidem esset hoc idem facinus protestantibus attribuere. Etenim in comperto est enixis viribus scriptores protestantes adlaborare ut Romanos Pontifices sorde corruptae fidei inquinatos prodant. Nullus autem ex protestantibus, qui sedulam theologicis disciplinis navarit operam, ausus est denegare latinum dogma in Sacris Scripturis contineri, Patrumque suffragio fulciri. Et neminem latet, tam catholicos quam protestantes, licet in opposita dispertiantur agmina, studium omne opesque ingenii ad sacras litteras Patrumque scripta evolvenda adiunxisse. Ex hac igitur consensione tot doctorum in Occidente virorum, qui in adversis castris stipendia me-

(1) *Ἀριδηλότατόν ἐστιν, ὅτι τὸ τῆς Κ. σήμβολον τὴν φράσιν Filioque δὲν περιεῖχεν, ἑπομένως ἄδικον μέγα ἔχουσιν οἱ δυτικοὶ καὶ οἱ μετ' αὐτῶν πρὸς τοῦτο συμφωνήσαντες διαμαρτυρόμενοι, διαφυλάττοντες ἔτι ἐν τῷ συμβόλῳ αὐτῶν τὴν προσθήκην ταύτην, τὴν παρανόμως καὶ ἄνευ λόγου προστεθεῖσαν πρὸς σκάνδαλον τῆς Χριστιανικῆς Ἐκκλησίας, ἧς μῆλον ἔριδος τὸ Filioque ἐγένετο.* — P. 52.

(2) « Si ostendere poteritis ex Filio non procedere Spiritum Sanctum, tunc ego aperte dixerim esse additamentum, et sanctae Romanae Ecclesiae non licuisse addere quod est verae fidei oppositum: sed si falsum hoc esse probare non potueritis, imo vero demonstratum fuerit utile et verum, tum concedendum erit licuisse in symbolo explicare ». — Mansi, t. XXXI, 1., col. 655.

(3) Hancce calumniam suo testimonio scriptor lutheranus explodit: « De latinorum gente pronuntiandum omnino est, istam recte adscribere processionem Spiritus Sancti non solum Patri, sed etiam Filio, ac rationibus uti, quae ad sententiam hanc probandam, magna habent momenta. Quamvis enim in diviniori codice haud expressis conceptisque verbis dicatur, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere, iste tamen perspicua nobis suppeditat effata, ex quibus illud iusto, naturali, ac certo argumentandi modo concludi potest ». — Walchius, p. 166.

rent, indubium colligitur argumentum, ad eruendum latino dogmati falsum non subesse. Si latini scriptores in suspicionem ab orthodoxis vocantur, scriptores protestantes sine dubio plenam fidem promerentur, cum, partium studio licet praepediti in eis investigandis quae ad romanam pertinent Ecclesiam, illud *Filioque* tamen verum dogma in antiquis fidei christianae fontibus contentum expositumque praeseferre agnoverunt. Quod si eis derogetur fides, consequeretur ingenii acumine, veritatis studio, investigationum sedulitate, eruditionis copia Graecos tantummodo theologos pollere, ceterosque in orbe christiano theologos flocci faciendos.

At fortasse scriptores occidentales oleum operamque incassum absumunt in cavillationibus graecorum theologorum diluendis ». Si pertinaciam enim in defendendis erroribus apud Graecos theologos spectes, tanta illa est ut potius in iis versari malint, quam veritati etiam convicti cedere, et admonentibus locum dare. Zygomalas cum interrogaretur de processione Spiritus Sancti a Gerlachio respondit « Etsi Christus ipse de coelo descenderet, dicens Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, tamen Graecos id non esse credituros » (1).

Alteri, quam innuimus, favent sententiae tum scriptores orthodoxi, tum recentes quidam theologi anglicani, qui benevolentiae Ecclesiarum orthodoxarum aucupandae contentis nervis insudant. Concilium ephesinum I statuit « *alteram fidem* nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a Sanctis Patribus qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerant » (2).

Hocce decretum ansam praebet cuidam theologo anglicano promulgandi illud *Filioque* in symbolo insertum pontificiam constituere aggressionem (3). Ad sententiam Nealyi insertio huius additionis in symbolo nullimode potest excusari, quo fit ut romanus Pontifex crimine peracti schismatis alligetur. Pax Ecclesiae christianae non affulgebit, nisi prius haec additio expuncta fuerit, etiamsi post lapsum temporis veritatem, quae per eam exprimitur, concilium oecumenicum

(1) Geisius. *Destinata inter Constantinopolitanum patriarcham Ieremiam, et theologos witembergenses coniunctio*, Witembergae, 1705, n. XX.

(2) *Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων Πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ Πνεύματι.* — Mansi, t. IV, coll. 1361-1364.

(3) « The enforcement of the Filioque has been an act of papal aggression ». — Howard, *The schisma between the oriental and western Churches*, Londini, 1892, p. 88; cf. Owerbeck, *The Filioque and the american Church, The orthodox catholic review*, t. I, 1867, pp. 246-252.

confirmaturum sit (1). Motivum charitatis occidentales hortatur, ut in controversia de addito *Filioque* graecis theologis morem gerant, ex symbolo latinam additionem expungentes (2).

Breviter anglicanis theologis respondebimus. Si *theologice* constet illud *Filioque* fidei nostrae veritatem constituere, qua sublata, divinarum Personarum ordo ac mutua ad invicem relatio pessumdarentur (3), sua sponte fluet magisterium Ecclesiae posse id in symbolum intexere, immo et debere, ad haereses vel pravas doctrinas praecavendas. Decretum concilii ephesini, quod superius attulimus, si recte explicetur, nostrae sententiae suffragatur. In comperto enim est sua decisione synodali praefatum concilium vetuisse tantum quominus fides contraria fidei nicaenae in symbolum induceretur, ut perbelle Manuel Callecas explanat: « *Fidem aliam* dixerunt.... Non igitur communem fidem declarare interdictum est, vel aliam, vel contrariam inducere, ut ipsae quoque litterae testantur; sive quibuslibet hominibus interdictum est, ne quisque eorum, passim proprium symbolum conscribens, et aliquos a communi confessione separans, cum hoc deceptos baptizet » (4). Synodus ephesina prohibuit quominus singuli fideles, vel particulares Ecclesiae sibi ius arrogarent, pro suo lubitu symboli mutandi, vel producendi, vel minuendi (5). Audiatur S. Thomas: « Prohibitio et sententia synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per huiusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem clarius ex-

(1) « Its insertion in the inviolable creed was an act utterly injustifiable, and throws on the roman Church the chief guilt in the horrible schism of 1054... True union can take place between the Churches, till the Filioque be omitted from the Creeds, even if a truly Occumenical Synod should afterwards proclaim the truth of the doctrine ». — Op. cit., t. II, p. 1168.

(2) « Is it not her duty to remove this blot from the Creed which she calls the Nicene. To this question we think there can be but one answer, and that in the affirmative. We urge that it is her duty to do this, in loyalty to Christ, is charity to the broterhood, and in furtherance of a return to external union ». — Howard, *An english view of the filioque question, as bearing upon the reunion movement*, *Revue Internationale de théologie*, t. V, 1897, p. 67.

(3) Theologi anglicani veritatem theologicam illud Filioque agnoscunt, licet eius insertionem in Symbolum reprobent. — Cf. Kerensky, Американская епископальная церковь (*Ecclesia episcopalis americana*), Kasan, 1908, pp. 71-75.

(4) *Adversus graecos*, l. IV, *P. G.*, t. CLII, col. 187.

(5) « Ἑτέραν πίστιν, diversam fidem, hoc est repugnantem pristinae, et catholicae professioni proferri, conscribique prohibet ephesina synodus: non eam, quae tametsi novi aliquid ad explicandum adhibet, nihil tamen continet non priori, ac catholicae consentaneum ». — Petavius, *De Trin.*, l. VII, c. XIX, t. III, p. 416.

positam. Sic enim quaelibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod praecedens synodus exprompserat, propter necessitatem alicuius haeresis insurgentis » (1).

Per decretum igitur ephesinum et fidei alteratio praecavetur, et fidelium arbitrio symbolum non committitur. At symbolum alterare non idem sonat ac symbolum explicare. Ut copiose in concilio florentino Andraeas Rhodius edisseruit, symbolum perfectum dici potest quoad fidem: nihil enim in eo reperitur quod veram Christi doctrinam non redoleat: quoad explicationem tamen, adeo perfectum non est, ut, novis grassantibus haeresibus, fusiori explicatione non indigeat (2). Patres Ephesini ea praerogativa a Deo donati non sunt, qua cunctas in orbe christiano haereses praesagirent, ac formulis accuratissimis, priusquam germinarent, prosternerent. De veritatibus symboli loquuntur non secus ac de ceteris veritatibus fidei. Omnes omnino huiusmodi veritates subsunt magisterio fidei, et si Ecclesiae fas est huiusmodi veritates explicare, cur adimeretur ei ius, urgente necessitate, suas authenticas explicationes in formularium fidei inducendi? Perridiculum quidem excogitavit effugium Marcus Ephesinus ad vim huius argumenti eludendam. Ait enim in concilio florentino, per suum decretum, concilium ephesinum, tum sibi, tum suis posteris, sibi praeclusisse facultatem addendi aliquid symbolo (3). Haec interpretatio decreti ephesini, *historice* falsa deprehenditur. Concilium enim ephesinum subsecuta sunt plura concilia oecumenica, quae licet nihil addiderint symbolo nicaeno-constantinopolitano, formularia tamen fidei enuclearunt, in quibus veritates eiusdem symboli fusius evolverunt (4) Si absolute, in sensu exclusivo, hoc decretum accipiendum foret, « si ubique omnis Symboli adiectio haeresis putanda esset, laudandi erunt Arius, Macedonius, Nestorius, et ceteri, qui contra veritatem rabide latrarunt, non suscipientes additionem propter fictam et fucatam antiquitatis reverentiam » (5).

(1) *Summa Theol.*, 2. 2. Q. I, a. 10, ad 2.

(2) Mansi, t. XXXI, 1, col. 576.

(3) *Ταύτην δὲ τὴν ἄδειαν τὴν μέχρι τότε ἐπικρατήσασαν, καὶ ἑαυτῶν ἀφαιροῦνται, καὶ πάντων τῶν ἄλλων.* — Mansi, t. XXXI, 1. p. 533.

(4) Franzelin, *Tractatus de Deo Trino*, pp. 550-552. Optime Callecas: « Perspicue constat, eos qui afferre aliquid vel addere prohibuerunt non adiectionem dictionis, sed fidei alterius editionem vetuisse: alioquin nullum esset concilium a crimine immune ». — Loc. cit., col. 190.

(5) M. Callecas, Op. cit, l. IV; *P. G.*, t. CLII, col. 191. — Johannes Beccus, legitime illud *Filioque* symbolo fuisse insertum, ex modo agendi ephesinorum Patrum deducit, qui licet terribiles poenas irrogarent contra additionem et ademptionem ausuros in symbolo nicaenae synodi, voces in eo sustulerunt et addide-

Iuridice igitur si spectetur, additio symboli legitima est. Qui eam ut falsam proscribunt, tenentur primum hancce falsitatem, invictis detegere argumentis, quo peracto, sibi ius acquirerent efflagitandi ut ex symbolo expungatur. Qui vero illud *Filioque theologice* certum autumant, inique tuentur id in Symbolo abradendum. Hoc enim si fieret, vel consequeretur Ecclesiam romanam, quam veram Christi Ecclesiam theologi catholici pandunt, in turpem diuturnumque errorem delapsam fuisse, vel magisterium ecclesiasticum aptum non esse ad gravissimas de fide controversias dirimendas, ideoque divina Spiritus Sancti assistentia non communiri.

Tertiae denique sententiae favent veteres catholici, eisque adstipulati perpauci theologi orthodoxi. « Sive propositio *ex solo Patre Spiritus Sanctus procedit,* sive illud *Filioque*, humana sunt commenta, quae inter dogmata nefas est percensere. Ecclesia non potitur iure statutos sibi limites pratergrediendi. Non dogmatum systema, sed compendium divinae revelationis claritate nitens ut captui fidelium accommodetur, fideique praecipuas tantum veritates symbolum opus est complectatur » (1). Cum dogma igitur illud *Filioque* non sit, expellendum ex symbolo, prudentia quidem adhibita et temporis spatio interposito, ne scandalum exoriatur. In symbolum haec additio invecta est per violationem canonum ecclesiasticorum, ac meram speculationem theologicam exhibet, quae si vera cuipiam videatur, ab eo tuto defendi potest, ut doctrina quidem theologica, non autem ut symboli propositio divinitus revelata (2). Neque in symbolo inserendum *ex solo Patre.*

---

runt: *Ἀλλὰ μὴν αὐτοὶ ἐκεῖνοι, οἱ τὰ φοβερὰ ἐπιτίμια ἀποφαινόμενοι κατὰ τῶν προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν τολμησάντων ἐπὶ τῷ συμβόλῳ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, αὐτοὶ καὶ λέξεις ἐκεῖθεν ἀφείλοντο, αὐτοὶ καὶ λέξεις ἐκεῖσε προσέθεντο. Καὶ δεῖγμα τοῦτο σαφές, τοῦ προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν, ὑπὸ τῶν πατέρων νομίζεσθαι ἐκείνην τὴν προσθήκην τε καὶ ἀφαίρεσιν, ἣ τὴν ἔννοιαν τῆς εὐσεβείας λυμαίνεται.* — *De Unione et pace Ecclesiarum veteris et novae Romae,* Laemmer, *Scriptorum Graeciae orthodoxae bibliotheca selecta,* t. I, Tubingae, 1864, pp. 342-343.

(1) « Das eine (*ex Patre solo*) wie das andere (*Filioque*) ist ein menschlicher Zusatz, der nicht zum Bestandtheil des Dogmas gemacht werden darf. Die Kirche hat kein Recht in ihren Glaubensymbolen über den Inhalt der hl. Schrift hinauszugehen. Das Symbol soll kein System der Dogmatik sein, sondern bloss den göttlichen Offenbarungsinhalt in möglichst klarer und populärer Form zusammenfassen, und sich auf das beschränken, was Sache des Glaubens ist ». — *Bericht über die vom 10 bis 16 August 1875 zu Bonn gehaltenen* Unionskonferenzen, Bonnae, 1875, p. 71.

(2) « Il est admis qu' un symbole de foi ne doit contenir que le dogme. Donc puisque le *Filioque* n'est pas un dogme, il ne doit pas être admis dans le symbole de foi. Donc il doit en être retranché. Que l'on mette à cette suppression toute la prudence nécessaire, et tout le temps qu'exige l'état des esprits, rin dee

Hoc enim effatum, teste Bolotov, sanctione conciliorum oecumenicorum destituitur, nec non auctoritate illa, quam locutionibus theologicis ex Patribus derivatis tribuimus (1).

Sententia veterum catholicorum, ut reor, scepticismum theologicum potius quam certitudinem invehit, ac novum affert elementum dissensionis. Expungatur, ponamus, iliud *Filioque* ex symbolo. Sciscitanti orthodoxo an verum sit effatum « *ex solo Patre Spiritum Sanctum procedere* », vetus catholicus, si suis principiis cohaerere velit, respondere tenetur: « Equidem verum est ». Sciscitanti autem catholico an verum sit illud *Filioque*, eadem responsio affirmativa ei danda. Bina igitur effata, quae sese ad invicem excludunt, iuxta logicam veterum catholicorum, aeque vera censenda sunt.

At fortasse, theologus vetus catholicus instabit: « Non veritatem, sed maiorem minoremve probabilitatem theologicam utraque sententia portendit ». Esto. At cum agatur de veritate speculativa fidei maximi momenti, cum doctrina quae per *Filioque* expromitur tot saecula Orientem inter atque Occidentem moenia schismatis extulerit, quaeritur an Ecclesia, ne fideles decipiantur, ne contraria dogmata profitentes ad unum idemque pertineant ovile, suo infallibili magisterio decernere possit ac debeat, quaenam ex utraque sententia cum divina revelatione plane conveniat, quaenam ei adversetur. Si hoc ius denegetur Ecclesiae, conclamatum est de infallibilitate magisterii ecclesiastici, ac de perpetua puritate doctrinae christianae. Si vero hoc ius ei agnoscitur, ius itidem tribuendum, postquam oraculum suae decisionis vulgavit, si opportunum censetur, sententiam, cui suffragatur, in symbolo inserendi.

Ex hucusque dictis pronum est colligere illud *Filioque*, iuridice spectatum, legitime in symbolum intetum fuisse. Heic vero silentio non praeteream in hac diuturna controversia de processione Spiritus Sancti catholicam Ecclesiam multo magis de doctrina, quam de formula, sollicitam fuisse. Dum obstinate Graeci declarant illud *Filioque*, etiamsi verum, ex symbolo expungendum, Romana Ecclesia veritas suae

---

mieux: mais elle doit être opérée, et cela non seulement parce que l'introduction du *Filioque* dans le symbole s'est faite d'une manière illégale, mais encore et surtout parce qu'une simple spéculation théologique et libre ne saurait être admise dans une profession de foi obligatoire ». — Michaud. in *Revue Internationale de Théologie*, t. III, 1895, p. 96.

(1) « Dem Ausdruck ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς fehlt nicht nur die Sanktion eines ökumenischen Konzils, selbst eine Sanktion, welche dem Bezeugen das δ'νίοῦ auf dem VII ökumenischen Konzil gleich wäre, sondern ihm fehlt auch der Grad der Autorität, welcher einem theologischen Ausdruck zukommt, den die Väter gebraucht hätten ». — Ib., t. VI, 1898, p. 708.

doctrinae ut agnoscatur urget, qua admissa, symbolum sine additione illius *Filioque* orientalibus recitandum indulget. Puritas interioris fidei maioris momenti ei videtur, quam formulae exteriores, quibus haec fides exprimitur. Tolerantia romanorum Pontificum factum est, ut Graeci, qui fidem catholicam amplectuntur « teneantur credere etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen teneantur in symbolo pronuntiare » (1).

Haec tolerantia sibi sane non vult Graecos catholicos aliam a catholicis latinis fidem profiteri, quod pulcherrimis verbis explanat Allatius: « Graeci singulis diebus in missis tum solemnibus, tum privatis, idem verbatim symbolum recitant, quod Ecclesia latina in diebus festis. Graeci more antiquo, et ut primum compositum est in synodo; Latini processionem Spiritus Sancti exponentes, addunt *Filioque*. Sed haec una fidei professio est; ergo et una fides; et qui eam emittunt, in una Ecclesia sunt. Graeci ergo recitantes symbolum ea mente, qua a Patribus concinnatum est, quae sana fuit et orthodoxa, non discordant ab Ecclesia romana, quae processionem declarat, cum quod illos diversos a Romanis faceret, *ex solo Patre* non addant, neque ex Filio non procedere. Et qui absque additione *Filioque* recitant hoc item Ecclesiae romanae nutum peragunt, quae in concilio florentino id illis permisit, dummodo animo crederent, ex Filio quoque procedere. Verba Graecorum in symbolo prolata, non male sonant, et eandem quam romana Ecclesia praetendit, sententiam continent » (2). Ergo, si datur intolerantia, haec non a latinis profec'a est, sed a sectatoribus Marci Ephesini, qui suo cum duce et magistro contendunt, post synodum ephesinam, dogma fidei vel verum a suprema legittima auctoritate neque admitti posse, neque expromi.

10. Peropportunum veluti complementum eorum, quae hucusque de symbolo nicaeno-constantinopolitano edisseruimus, videtur mihi paucis sententiam expendere, quae abhinc aliquot annis, ad originem huiusce symboli quod attinet, vulgavit in Russia Alexius Petrovitch Lebedev. Clarissimus hic vir, quem, florentibus adhuc viribus ingenii, immatura mors absumpsit, scriptorum omnium qui nostra haec aetate in Russia christianae Ecclesiae historiae pervestigandae operam navarunt,

(1) Bened. XIV, *Bulla* Etsi pastoralis, 26 maii 1742. Cf. De Meester, *Etudes sur la théologie orthodoxe*, Maretioli, 1907 (excerptum ex *Revue Bénédictine*), p. 9.

(2) *Concordia nationum christianarum per Asiam, Africam et Europam in fidei catholicae dogmatibus*, Moguntiae, 1655, p. 126; Id., *De Ecclesia occidentalis et orientalis perpetua consensione*, l. III, c. X, Colonia, 1648, coll. 1051-1054.

maxime enituit, tum varia atque ex optimis fontibus hausta eruditione, tum acerrimo in dijudicandis historicis documentis iudicio, tum scribendi genere lepido, festivo, arguto, quod vel austeriores controversias in eius scriptis amoenas gratissimasque perlegentibus reddit (1).

Haud semel pro veterum symbolorum authenticitate contra assultus dissentientium tuenda, strenue dimicavit A. Lebedev. Symbolum imprimis nicaeno-constantinopolitanum vere in concilio oecumenico II conditum fuisse mordicus ipse tenuit, ac pluries exitu secundo in hancce implexam quaestionem enodandam sua argumenta evolvit (2).

(1) Clarissimus scriptor, cum quo suavis amicitiae vinculis devinciebar, cessit e vita die 27 iulii 1908. De eius vita scriptisque praeclare egerunt: A. Pokrovsky, Алексѣй Петровичъ Лебедевъ, Богословскій Вѣстникъ, 1908, t. II, pp. 577-603; N. Glubokovsky, Памяти Петровича Лебедева, Petropoli, 1908; A. Spassky, Проф. А. П. Лебедевъ: учено-литературная дѣятельность: заслуги въ области церковно-исторической науки, Богословскій Вѣстникъ, 1908, t. III, pp. 103-141, 398-426, 456-486; I. Andreev, Алексѣй Петровичъ Лебедевъ, Журналъ министерства народнаго просвѣщенія, 1908, t. XVII, pp. 56-73; S. Chumov, Памяти профессора Алексѣя Петровича Лебедева: годы обученія его въ духовныхъ училищахъ, Богословскій Вѣстникъ, 1909, t. I, pp. 108-126. Suam autobiographiam, aut potius quaedam eius fragmenta, inseruit clarissimus vir in periodico Academiae mosquensis: Къ моей учено-литературной автобіографіи и матеріалы для характеристики безпринципной критики, Богословскій Вѣстникъ, 1907, t. II, pp. 401-425. Accuratum elenchum voluminum, opellarum, dissertationumque, quae ab anno 1870 usque ad annum 1895, A. Lebedev, conscripsit, I. Korsunsky concinnavit in opusculo inscripto: Двадцатилѣтіе учено-литературной дѣятельности проф. А. П. Лебедева, Serghievo, 1895. Praecipua quae in lucem edidit post annum 1895 recensuit A. Spassky, loc. cit., p. 104. Cf. etiam quae scripsimus in *Revue d'Histoire Ecclésiastique*, t. IX, 1908, pp. 885-886.

(2) De controversiis quoad originem atque authenticitatem symboli apostolici, quas Harnack in Occidente excitavit, fuse ac perdocte Lebedev disseruit in commentario periodico Academiae mosquensis: Берлинскій профессоръ, церковной исторіи Адольфъ Гарнакъ, и возбужденные имъ въ настоящее время споры по поводу символа апостольскаго (*Berolinensis professor historiae ecclesiasticae Adolphus Harnak, et polemicae in praesentiarum ab eo exagitatae circa symbolum apostolicum*), Богословскій Вѣстникъ, 1893, t. IV, pp. 308-344, 481-520. De symbolo vero nicaeno-constantinopolitano in sequentibus scriptis egit: О символѣ константинопольскомъ или нашей православной церкви (*De symbolo constantinopolitano sive de symbolo nostrae orthodoxae Ecclesiae*), Mosquae, 1881 (Excerptum ex commentario periodico Чтенія въ обществѣ любителей духовнаго просвѣщенія, 1881, t. II); Новости иностранной церковно-исторической литературы (*Opera ad historiam ecclesiasticam spectantia, nuperrime in lucem edita apud exteras nationes*), Прибавленія *ad opera Sanctorum Patrum russice versa*, t. XXXVI, 1885, pp. 707-710; Вселенскіе соборы IV и V вѣковъ (*Concilia oecumenica IV et V saeculi*), Serghievo, 1895, pp. 111-124; Новый взглядъ на происхожденіе символа константинопольскаго, или что тоже, нашей православной церкви (*Nova opinio circa originem symboli constantinopolitani, sive quod idem sonat,*

Ut compositius de sententia prof. Lebedev tractatio instituatur, haec nobis inquirenda sunt: α′) *Quid senserit ipse de arte critica protestantium*: β′) *Quid de silentio Gregorii Nazianzeni circa symbolum constantinopolitanum*; γ′) *Quid de huiusce symboli cognatione cum symbolo Cyrilli et Epiphanii*; δ′) *Quaenam sit relatio eiusdem symboli ad symbolum nicaenum.*

α′) Ad primum quod attinet, sive lacunas, sive praeiudicatas persuasiones partiumque studia scriptorum protestantium in rimandis antiquioribus christianae litteraturae documentis detexit Lebedev, ac festiva castigavit ironia. « Plurimi quidem sunt in Germania, inquit, suam qui operam in studia impendunt, viresque ingenii. Quae tamen ab eis in lucem proferuntur volumina, neque nos delectant, neque nos alliciunt, vel in extasim nos rapiunt. Perdocta eorum scripta arida nobis sunt, taedio nos afficiunt, diversa plane inter se uno recinunt tenore, gravitate styli et robore exuuntur. Quod apud eos optime conscriptum laudatur, quodque haud parum conferre posset in historiam ecclesiasticam elaborandam, tractationem sine vita exhibent, quisquiliis persaepe obrutam. ***Μονοτονία***, quam vocant, ac vitalis flaminis defectus, praecipuas constituunt notas methodi germanicae in historia ecclesiastica pervestiganda »(1). Scientia, quae a protestantibus nomen suum mutuata est, suam libertatem in quacumque materia disquirenda miris extollit laudibus, eique acceptos refert suos in palaestra scientifica progressus. Oppido tamen fallitur quisquis huiusce liberae scientiae vindices a partium studiis nullatenus praepeditos in suis investigationibus aestimet. Quaelibet enim Ecclesia in orbe christiano belligerans panditur, atque in id potissimum spectat, ut suis asseclis, renovatis indesinenter bellis, triumphum adipiscatur. Huic fato se non subduxit protestantium scientia.

Haec enim scientia, cum saepe saepius nequeat directe ostendere auctores novarum doctrinarum, quibus suffragatur, rectum tramitem

---

symboli nostrae Ecclesiae orthodoxae), Вѣра и Церковь, 1889, t. II, pp. 535-564; О нашемъ символѣ вѣры (*De nostro symbolo fidei*), Serghievo, 1902. Sententiam Lebedev quoad symbolum nicaenum-constantinopolitanum breviter enucleavit Orlov: *A russian view of the creed of Constantinople, The journal of theological Studies*, Londini, t. IV, 1903, pp. 285-290. Ab ea commemoranda abstinuit I. Bois in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, Parisiis, 1908, coll. 1229-1230. Eandem tantummodo meminit Leclercq apud Hefele, *Histoires des conciles* t. II, 1, pp. 11-12.

(1) Церковная исторіографія въ главныхъ ея представителяхъ съ IV-го вѣка до XX-го (*Historiographia ecclesiastica in suis praecipuis cultoribus a saeculo IV usque ad saeculum XX*), Petropoli, 1903, p. 553.

persecutos fuisse, suum finem eos tuendi felicius consecuturam sibi persuasit, si pro eo ut in suum systema errores non irrepsisse probaret, quae in adversariorum systematis haud satis demonstrata sunt, vel corrupta, vel a veritate aberrantia, vel sequiore illita fuco, in lucem proferret meridianam (1).

Ut rem exemplo illustremus, qui hocce modo se gerit, coecutientem imitatur hominem, falso sibi in animum inducentem se non amplius sua infirmitate laborare, cum primum detexerit complures, aeque ac se, coecultare. Huic methodo adstipulata, plus quam semel scientia lutherana suae dignitati et quaestui offecit. Superbia tumidi aliquot scriptores protestantes infallibilitatis dono in exolvendis intricatioribus quaestionibus scientificis sese praeditos autumarunt (2), et quisque suis opinionibus, nulla interdum probabili ratione firmatis, statim non suffragatur, inter sciolos ardelionesque ab eis recensetur, inscitiae notae ei inuritur; documenta, quae ipse affert, spuria, suppositicia, interpolata, praepostera interpretatione explicata, declarantur. Haec eadem contigerunt, cum mota est quaestio in Germania de authenticitate symboli constantinopolitani (3).

β') Hisce praepositis Lebedev explanare conatur quî factum sit ut Gregorius Nazianzenus, quamvis huic concilio munere praesidis interfuerit, nihilo secius in suis scriptis symbolum constantinopolitanum non referat, ac tantum de nicaeno mentionem injiciat. Auctor symboli constantinopolitani, si Nicephorum Callistum audias, habetur Gregorius Nyssenus (4). Id Marcus Ephesinus Gregorio Nazianzeno tribuit (5). Haec tamen sententia nullum meret suffragium. Gregorius Nazianzenus, Arianorum blasphemiis vehementer obsistens, ac fere divinae

(1) О нашемъ символѣ вѣры, pp. 2-3.

(2) P. 3.

(3) P. 4. Optime de Adolpho Harnack eiusque methodo scientifica disseruit auctor noster in praecitato opere *Historiographia*, pp. 460-517. Lepide aiebat A. Khomiakov, quemlibet protestantem parvum papam sese aestimare, Zavitnevitch, Алексѣй Степановичъ Хомяковъ, t. I, lib. II, Kioviae, 1902, p. 1272.

(4) *Τὴν τοῦ παναγίου Πνεύματος δόξαν, ὡς ἰσότιμον καὶ ὁμόδοξον τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ τῷ θείῳ συμβόλῳ τῆς ἐν Νικαίᾳ πίστεως προσετέθησαν, τοῦ Νύσσης Γρηγορίου τὸ λεῖπον τῷ ἱερῷ συμβόλῳ ἀναπληρώσαντος.* — *Hist. Eccles.*, l. XII, c. XIII; *P. G.*, t. CXLVI, col. 784. Cf. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. IX, Bruxellae, p. 262. Quae contra hancce sententiam objiciuntur Lebedev exponit in opere de *Conciliis IV et V saeculo habitis*, pp. 120-121.

(5) « Huius concilii propugnator et dux, et huius symboli conscriptor, ut dicitur, magnus Gregorius fuit, cuius agnomen proprie attribuitur a theologia ». — Mansi, t. XXXI, 2, col. 1626.

eloquentiae laude perillustris, multorum in se concitavit invidiam atque inimicitiam (1).

A plebe, quam sanctis imbuebat doctrinis, summopere amabatur: clerus vero, compluribus episcopis haud exceptis, eum odio prosequebatur, eo quod peregrinus esset in urbe totius imperii capite, ac praeclaris mentis animique dotibus enitesceret (2).

Concilio constantinopolitano interfuerat Gregorius ut pacem foveret, ac subdolis haereticorum artibus per clariores pressioresque dogmatum orthodoxae fidei definitiones, obviam iret. Cum tamen nihil profecisset in suis conatibus ut discordes animos ad unitatem revocaret, archiepiscopalis munere sese abdicavit, locumque cessit Nectario in praeficiendo sessionibus concilii.

Mirum est, symbolum quod hocce concilium in lucem edit, Gregorium penitus ignorasse, ac nicaenum tantum meminisse. Ad sententiam tamen Lebedevii, loci adsunt, ex quibus, quanquam subobscuris verbis, fas est eruere Gregorium symbolum agnovisse, idque silentio praeteriisse, quia suis persuasionibus haud erat consonum. *In carmine de seipso* Patres Concilii vehementer increpat Gregorius, eo quod « dulcem ac praeclarum fontem antiquae fidei, quae Triadis in unam coniunxit adorandam naturam, cuiusque schola aliquando extitit Nicaea, utramque in partem opinantes, salsis fluctibus misere turbarent » (3). Ex hisce verbis abunde patet Concilii patres sententiae Gregorii non favisse, qui theologis alexandrinis adstipulatus, textum symboli nicaeni nullis amplius mutationibus obnoxium mordicus tuebatur. Coniectura licet assequi acres controversias in synodo excitatas fuisse, patres magna contentione animi disputasse utrum verba *ἐξ οὐσίας τοῦ Πατρός* ex simbolo expungenda essent necne, vel natura divina Spiritus Sancti expressius innueretur, novis superinductis in symbolo nicaeno.

Pergit Gregorius dolens « complures episcopos adversis partibus addictos fuisse: clamasse, qui volet, huc introeat (in concilium),

(1) Theod., *Hist. Eccles.*, l. V, c. VIII, *P. G.*, t. LXXXII, col. 1209.

(2) Socrat., *Hist. Eccl.*, l. V, c. VII; *P. G.*, t. LXVII, col. 573; Sozom., *Hist. Eccl*, l. VIII, c. VII; ib., col. 1432; Ullmann, *Gregorius von Nazianz der Theologe: ein Beitrag zur Kirchen und Dogmengeschichte des vierten Iahrhunderts*, Darmstadii, 1825, pp. 174-182.

(3)

... *Τὴν γλυκεῖαν καὶ καλὴν*	*Ἧς ἦν ποθ' ἡ Νικαία φροντιστήριον,*
Πηγὴν παλαιᾶς πίστεως, ἣ Τριάδος	*Ταύτην ἑώρων ἁλμυραῖς ἐπιρροαῖς*
Εἰς ἓν συνῆγε τὴν σέβασμον φισιν	*Τῶν ἀμφιδόξων ἀθλίως θολουμένην.*

vv. 1703-1708, *P. G.*, t. XXXVII, col. 1148.

etiamsi bis se aut pluries in contraria verterit, statuisse imperite illos se gerere qui uni tantum adfixi fuerint fidei, cum vita varios habeat exitus » (1). Gregorius igitur satis aperte innuit Arianorum fautores praesertim efflagitasse ut novum conderetur symbolum fidei: hocce autem condere, ad sententiam Gregorii, sibi voluisset, intemeratam fidem concilii nicaeni perfecte non agnoscere, atque in Arianorum agmina declinare. Dolet insuper Gregorius novitatum statores sua vafritie in suam sententiam adducere conatos fuisse episcopos, qui coacti synodo interesse firmiter nicaenae fidei adhaerebant, eique nihil addendum profitebantur. Hisce nova non placebant: attamen incaute eis assentire coeperunt, eoque progressi sunt ut fautorum novi symboli incitamentis commodarent aures, eorumque in agminibus reciperentur (2).

Hocce ut sequeretur exemplum nullis rationibus induci passus est Gregorius, qui vehementer declarat, prius « naturam fontium effluendam retrorsum, vel ignem contrario motu ferendum, quam quidquam se prodituram » (3). Pro fide tuenda non timet verborum strepitum nec telorum ictus (4).

Suspicatur etiam Lebedev acriter disceptatum esse in Synodo de tertia persona Ssmae Trinitatis, ac Gregorium ne fides in Spiritum Sanctum labefactaretur, instanter postulasse, ut professio explicita eius divinitatis in symbolo insereretur, cui coniecturae fulcrum praebet *Carmen de seipso et adversus invidos* (5). Patres vero, cum nollent renovare controversias, quae in synodo nicaena ex termino *ὁμοουσίου* profectae sunt, ac dissensiones ne augerent magis quam sopirent, Gregorio non indulsere. Hinc factum est ut Gregorius, dolore correptus, cum putaret per lenitatem animi Patrum ac perniciosas concessiones fidem in periculum adductam fuisse, concilium suamque simul urbem episcopalem relinqueret, et quieti se traderet. Symbolum igitur innuit ut novitatem, quae causae fidei nocuerit, idque ut verum non agnovit symbolum, quapropter nicaenum symbolum, altero neglecto, in rebus

(1)

Ἡμεῖς δὲ πῶς ποθ' οἱ φιλάνθρωποι λίαν;
Προυθήκαμεν κήρυγμα πρόσθεν βημάτων.
Πᾶσι βοῶμεν· « Ὅς θέλει, δεῦρ' εἰσίτω,
Κἂν δίστροφός τις ἢ πολύστροφος τύχῃ.
Πανήγυρις ἔστηκεν. Ἀπίτω μηδεὶς
Ἀπραγμάτευτος ἂν μεταστραφῇ κύβος
(Καιροῦ γὰρ οὐδὲν ἐστιν εὐστροφώτερον).
Ἔχεις τὸ τεχνύδριον, ἀνάδραμε πάλιν.
Οὐκ εὐμαθὲς πίστει τὸ προσκεῖσθαι μιᾷ,
Βίων δὲ πολλὰς εἰδέναι διεξόδους.

Carmen de seipso, vv. 1723-1732; *P. G.*, t. XXXVII, col. 1150.

(2) V. 1760, col. 1152.

(3) Vv. 1774-1776, col. 1153.

(4) *Carmin.*, l. II, carm. XIV, v. 38, col. 1248.

(5) Ib., vv. 26-37, coll. 1247-1248.

fidei adhibendum edocet. Proculdubio, animadvertit Lebedev, coniecturae quae heic evolvuntur maioris faciendae non sunt quam hypotheses, quae claritatem certitudinemque demonstrationis sibi non vindicant. Hasce tamen coniecturas, quae historicam probabilitatem praeseferunt, despiciendi sine validis argumentis nemini datur ius (1).

γ') Non diffitetur Lebedev cognationem dari inter cyrillianum symbolum et constantinopolitanum: haecce tamen cognatio non testatur alterum ex primo dimanasse. Praenotandum « scriptores optimae notae inter protestantes omnem omnino fidem pervetustis antiquitatis christianae documentis abiudicasse. De ipsamet religione christiana somniat Harnack eam hinc, illinc, nescio ex quot amplius fontibus haustam fuisse: ac si de toto christianae fidei aedificio sibi ius vindicant haec effutiendi hypercritici protestantes, nil mirum si audaciori nisu symbolum constantinopolitanum adoriantur » (2).

Symbolum, quod hierosolymitanum audit, reapse non extitit. Quodpiam symbolum baptismale Hierosolymis in usu fuisse, nemo inficias iverit. Omnis enim Ecclesia aetate illa suo potiebatur symbolo, quod catechumenis recitandum esset cum baptismum acciperent. Praeterea symbolum cyrillianum titulis constat, quibus catecheses ab eo exaratae inscribuntur. Quisnam vero sit horum titulorum auctor, Cyrillusne an ignotus scriptor, non satis inter eruditos constat. Verisimilius tamen est, eos Cyrillum auctorem non habuisse. Adde, quod si singuli tituli in unum iubeantur breviarium fidei coire, vix ac ne vix quidem symbolum constantinopolitanum adumbrent, tot scatent lacunis. Schmidtio supputante, ex 176 verbis quibus symbolum constantinopolitanum texitur, solummodo 38 in eo communia cum symbolo cyrilliano haberi comperitur. Unde patet cognationem illam, quam inter bina symbola hypercritici protestantes constituunt, merum esse figmentum, absonamque veritati viam ingredi, qui paucis tantum verbis symboli constantinopolitani in cyrilliani catechesibus expiscati, statim inferunt ex hisce symbolum illud profluxisse, seseque hierosolymitani symboli textum in pristinam formam redintegrasse.

Neque maioris ponderis aestimandum est argumentum, quod ad hypothesin, quam memoravimus, fulciendam, ex praesentia Cyrilli in synodo constantinopolitano deducitur. Compertum quidem est inter Patres concilii Cyrillum adnumerandum: ex hoc tamen eventu nullatenus sequitur eum symbolum composuisse, nihilque de hoc apud veteres scriptores ecclesiasticos occurrit.

(1) Lebedev, op. cit., pp. 29-34; *Concilia IV et V saeculi*, pp. 133-138.
(2) Lebedev, p. 35.

Verba denique Epiphanii qui testatur suum symbolum, maxima coniunctione cum constantinopolitano sociatum, ex *sancta* profectum esse *civitate* (ἡ ἁγία πόλις), insubida tantum interpretatione, ad corroborandam eamdem hypothesin in medium proferuntur. Epiphanius enim heic loquitur de patribus concilii nicaeni, ideoque τῆς ἁγίας πόλεως epitheton ad Nicaeam refertur, ubi fides orthodoxa, tot assultibus exposita, suis periculis exempta est, ac tutissimis aeneisque clathris obsita, incursionibus grassantium haereseon validissimum aggerem exstruxit. Hac in re adhuc meminisse iuvabit Hierosolymas saeculo IV nominae Aeliae etiam in documentis ecclesiasticis distinctam fuisse (1).

Potior adhuc obiectio desumitur ex verbis S. Epiphanii in *Ancorato*, qui liber decem annos ante concilium constantinopolitanum exaratum, symbolum persimile symbolo huiusce concilii exhibet. Hinc arguitur, ex opere S. Epiphanii concilium id hausisse. At, si textus S. Epiphanii, qui chronologiae Ancorati determinandae inservit, sine praeiudicatis opinionibus explicetur, ad consecutiones osorum symboli constantinopolitani infirmandas mirum in modum confert. Audiatur Epiphanius: « Quoniam aetate nostra aliae post alias haereses emerserunt, ad hoc usque tempus, sub Valentiniani et Valentis imperio, quorum decimus iam annus agitur, et Gratiani sextus, a Diocletiano vero nonagesimus: propterea tam vos, quam nos ipsi et orthodoxi omnes episcopi, et, ut uno verbo dicam, tota Ecclesia catholica adversus prodeuntes identidem haereses, consentaneeque cum exposita paulo ante sanctorum Patrum fidei formula, iis praesertim qui baptismo initiandi sunt, praecipit, ut hoc modo profiteantur ac dicant » (2).

Quid pronum est colligere ex hisce verbis? ... Colligitur eo tempore, quod tam perspicue circumscribit Epiphanius, novas haereses in lucem prolatas fuisse. Alienum igitur esset a veritate, affirmare hancce temporis determinationem ad compositionem Ancorati referri. Epiphanius tradit novas haereses unam post aliam ortum habuisse, ideoque

(1) Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι. — Mansi, t. II, col. 672; Lebedev, pp. 34-38.

(2) Ἐπειδὴ δὲ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ γενεᾷ ἐνέκυψαν ἄλλαι τινὲς αἱρέσεις ἀλλεπάλληλοι, τουτέστιν ἀπὸ χρόνου Βαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος τῶν βασιλέων, κατὰ τὸ δέκατον αὐτῶν τῆς βασιλείας ἔτος, καὶ πάλιν κατὰ τὸ ἕκτον ἔτος Γρατιανοῦ, τουτέστιν ἐν τῷ ἐνενηκοστῷ ἔτει Διοκλητιανοῦ τοῦ τυράννου, τούτου χάριν ἡμεῖς τε καὶ ὑμεῖς, καὶ πάντες οἱ ὀρθόδοξοι ἐπίσκοποι, καὶ συλλήβδην πᾶσα ἡ ἁγία καθολικὴ Ἐκκλησία πρὸς τὰς ἀνακυψάσας αἱρέσεις, ἀκολούθως τῇ τῶν ἁγίων ἐκείνων πατέρων προτεταγμένῃ πίστει, οὕτως λέγομεν μάλιστα τοῖς τῷ ἁγίῳ λουτρῷ προσιοῦσιν, ἵνα ἀπαγγέλλωσι καὶ λέγωσιν οὕτως. — *Ancoratus*, c. CXX, *P. G.*, t. XCIII, col. 234.

ponenda est quaedam temporis intercapedo inter successivum haereseon ortum, atque Ancorati conscriptionem, ut Epiphanius earum doctrinas apprime cognoscere ac refellere potuisset. Quod si admittatur, satis clarebit, post convocationem concilii constantinopolitani, Ancoratum prodiisse in lucem, ideoque Patres huiusce concilii ex eo symbolum mutuatos non fuisse.

Insuper, veritati non repugnaret asserere symbolum constantinopolitanum nullo modo in textu primitivo Ancorati contentum fuisse. Symbolum enim, ab Epiphanio vocatum, libro Ancorati appingitur tanquam appendix, et neminem latet in supplementis facilius mutationes vel additiones invehi, praesertim si manuscripta sint volumina. Concilium igitur const. ex fontibus Epiphanii suum non hausit symbolum, quia hocce symbolum adhuc non extiterat, quamvis fortasse Ancoratus iam conscriptus fuisset. « Symbolum Epiphanii, ait Lebedev, figmentum est. Nulla Ecclesia, neque syriaca, neque cypriaca, neque ex Asia Minori, nihil de eo compertum habuit, eoque in baptismate conferendo usa non est. Hocce symbolum baptismale lucem numquam aspexit, neque ab ullo cathecumeno in baptismate accipiendo recitatum est. Ipsummet orphanus est eiectus, *μετέωρον*, illusio, quam opticam, vocant » (1).

Et re vera, deleantur ex symbolo Epiphanii verba illa quae propria sunt symbolo constantinopolitano. Quid nobis obiicietur?... Symbolum nicaenum, sincerum hoc symbolum in primitiva sua facie, serioribus demptis additionibus. At nemo profecto negaverit quaedam in symbolo Epiphanii expuncta, quae adsunt in symbolo constantinopolitano. Quî potuit hoc fieri, cum exploratum sit professiones fidei in conciliis oecumenicis sancitas tantam meruisse venerationem apud fideles, ut eis vel voculam auferre magnum habitum sit crimen?

Iuxta sententiam Lebedev, ab initio in Ancoratum symbolum nicaenum intextum est. Hoc licet coniectura assequi, sive perpendatur symbolum nicaenum, demptis constantinopolitani additionibus, fere integrum reperiri in symbolo Epiphanii, sive ad memoriam revocentur verba huiusce doctoris, « fidem, quae ab eo traditur, 310 patres et amplius in civitate sancta fidelibus perpetuo servandam commendasse ». Hac verba ad symbolum constantinopolitanum nullimode referri in comperto est. Symbolum igitur Epiphanii constat ex artificiosa symbolorum nicaeni et constantinopolitani coagmentatione. In Ancorato primum extitit symbolum nicaenum, quod ante concilium constantinopolitanum plures variantes habuisse Lebedev autumat, cum ex actis synodi

(1) Pp. 47-48.

chalcedonensis constat, bis in eo, iisdem verbis lectum non fuisse. Huic symbolo adiectum est labentibus annis symbolum constantinopolitanum. Breviter prius symbolum altero per interpolationem appingitur.

Haec autem interpolatio post concilium constantinopolitanum perpetratam fuisse suspicatur Lebedev. Probabile est subsecutam fuisse concilium chalcedonense, quod symbolum constantinopolitanum oecumenicitatis nota instruxit, suaque sanctione maximam ei diffusionem in Oriente adeptum est. Priusquam hoc fieret per symbolum chalcedonense, symbolum Ancorati ad formam nicaeni symboli quam maxume accedebat, immo, unum idemque cum eo erat.

Quoad vero huiusce interpolationis adiuncta, coniecturis tantum nobis nitendum est. Ex Ancorati exscriptoribus quidam, fortasse in marginibus codicis, eas transcripsit symboli locutiones, quae in symbolo nicaeno desiderantur. Serioris aevi autem amanuenses marginales notas in textu symboli nicaeni, eadem pagina exarati, inseruere. Si cui vero hoc mirum forte videatur, is profecto mirari desinet, si revocet in memoriam symbolum constantinopolitanum tantum post concilium chalcedonense, ubique, ut professionem fidei baptismalem, viguisse. Haud igitur a veritate aberraret qui exscriptorem quendam huiusce interpolationis auctorem faceret, praesertim si ponatur symbolum constantinopolitanum professionem fidei baptismalem constituisse illius Ecclesiae, quam exscriptor ille suam ut Ecclesiam venerabatur. Indubium tamen signum posteris reliquit exscriptor, ut eos non lateret se vetus symbolum nicaenum in Ancorato non servasse. Manum enim non admovit ad prooemium corrigendum, quod in opere Epiphanii textum symboli praecedit: hocce autem prooemium, ut iam innuimus, ad symbolum nicaenum unice refertur, cum in eo sermo sit de 310 Patribus et de Nicaea, civitate sancta.

Haec denique interpolatio nihil habet, quod pervolutanti christianae antiquitatis historiam, fucum faciat. Convenit enim inter eruditos huiusmodi interpolationes vel tanta veneratione dignos Sacrarum Scripturarum codices perpessos fuisse (1). Ex hucusque igitur dictis fas est nobis eruere symbolum constantinopolitanum, quod Germani *Kunststück* vocant, captiunculam videlicet quoad symbolum perpe-

(1) Korsunsky, Переводъ LXX. Его значеніе въ исторіи греческаго языка и словесности (*Versio Septuaginta Interpretum: eius momentum in historia linguae et litteraturae graecae*), Serghievo, 1898, pp. 99-100; Lebedev, Профессія церковнаго писателя, и книжное дѣло въ древне-христіанское время (*Ars exscriptoris ecclesiastici, et commercium librarium apud veteres christianos*), Mosquae, 1888 (*Excerptum ex* « Прибавленія » *Operibus Sanctorum Patrum russice versis*, t. XLI, 1888); Lebedev, pp. 38-56.

tratam, *pseudo-symbolum*, si velimus scientificos terminos adhibere, constituere.

δ') Excussis protestantium argumentis, Lebedev statuit firmiter tenendum symbolum constantinopolitanum immediate subsecutum fuisse symbolum nicaenum in dignitate symboli oecumenici. Ex symbolo nicaeno profluxisse constantinopolitanum asserendum est. Duplex, quo hocce symbolum exornatur epitheto, seriorem artificiosamque praesefert originem; pervulgatum est enim, cum iam symbolum nicaenum ex liturgia expunctum, in praxi oblivione tectum, locum cessit constantinopolitano. Ne autem penitus periret memoria symboli, quod scriptores IV saeculi nomine symboli confessorum et martyrum condecorarunt, quodque S. Athanasius ceterique huiusce doctoris aequales, permultis laboribus ad eius defensionem exantlatis, summis laudibus extulerunt, serioris oevi scriptores nomen saltem posteris commendandum sibi proposuere. Nicaeno-constantinopolitanum igitur symbolum vocaverunt quod reapse constantinopolitanum dicendum esset: ita formularium symboli nicaeni in desuetudinem abiit, sed nomen asservatum est. « Sic transit gloria mundi! Historia suae ipsius logicae praecèptis obtemperat, nec laqueis irretitur affectionis animae, quam hodierni scriptores *sentimentalismum*, barbarica utar voce, appellitare consueverunt » (1).

En summatim breviterque descriptam sententiam viri, cuius nomen non obscurabit oblivio. Meum non est argumenta, quibus ea innititur, sub examen revocare, ac perdoctis investigationibus consecutiones Lebedev dubiis aspergere. Ut liquido innotesceret interpolatio symboli, quod Epiphanio tribuitur, nobis pervolutandi essent codices Ancorati qui saeculo V prae manibus christianorum scriptorum terebantur. Quisnam vero hosce codices nobis commodabit?...

Cum tamen in pervestiganda symboli constantinopolitani origine per coniecturas tantum nobis fas est quidpiam assequi, hypothesis Lebedev eo contemptu inspicienda non est, quo non pauci scriptores protestantes, contracta fronte obductoque supercilio, de scriptis sive catholicorum, sive orthodoxorum suis sententiis adversantium, iudicant. Si quaedam interpolatio in historia symboli constantinopolitani admittenda est, facilius mihi videtur certiusque asserere eam in praecitatam Ancorati *παράγραφον* irrepsisse, quam in acta concilii chalcedonensis. Facilior autem hypothesis, quae paucioribus difficultatibus ansam praebet, quae veterum ac venerandarum traditionum auctoritatem sartam tectamque magis servat, quae rerum humanarum processui magis consentanea videtur, lubentius nobis probanda est, quam hypothesis arbitraria, difficulta-

(1) Pp. 34-35.

tibus quae scatet, quaeque testimonia sibi contraria temere reicit, ut spuria, et *subiectivismo*, quem vocant, in perquirendis factis historicis usque ad ultimam exaggerationem abutitur. Sententia Lebedev de origine symboli constantinopolitani maiorem induere probabilitatem autumo, quam negationem authenticitatis eiusdem symboli, quae statores habet vindicesque hypercriticos protestantes.

Postremo, silentio non est praetermittendum scriptores catholicos haud parum contulisse, ut suam Lebedev enuclearet sententiam. Quoad symbolum Epiphanii, clarissimus vir adoptavit opinionem Card. Franzelin, qui haec habet: « Ego nondum video cur istam appendicem symbolorum Epiphanius superstes usque ad annum 403 non potuerit Ancorato addere post concilium constantinopolitanum: nam computatio temporis altera quam instituit n. 121, facile intelligi potest de tempore insurgentium haereseon, non de tempore quo edita sunt duo symbola, quae recitat, unum identicum cum constantinopolitano, alterum paulo prolixius » (1). Plura etiam ex opere τοῦ Vincenzi ad suam fulciendam sententiam auctor noster deprompsit (2).

11. Symbolum, quod communiter Athanasianum audit, sive ratione antiquitatis, sive perspicuitate expositionis, vel puritate doctrinae, permagni habetur in theologia catholica. « Tanta est, ait Mabillonius, symboli Athanasii dignitas, tam concors omnium Ecclesiarum in eo non solum recipiendo, sed etiam alternantibus choris publice recitando consuetudo, ut non mirum si in eius investigando scriptore, eruditorum desudet industria, in diesque novae prodeant de eiusmodi argumento lucubrationes » (3). Theologi e contra orthodoxi, ii praesertim qui nostra aetate theologicis disciplinis vacant operam, quique vehementissimo feruntur odio in latinam fidem redolentia symbola, quamvis haec suffragio venerandae antiquitatis firmentur, ipsummet flocci faciunt.

De symbolo athanasiano dicturis inquirendum est: α') *Utrum vere dici queat S. Athanasium symbolum, quod ab eo vocatur conscripsisse;* β') *Quonam tempore et quonam loco hocce symbolum compositum fuerit;* γ') *Quaenam sit eius auctoritas in orbe christiano;* δ') *Quid de explicita professione Filioque in eo contenta sentiendum sit.*

(1) *Tractatus de Deo Trino*, p. 508.

(2) *De processione Spiritus Sancti*, pp. 106-107. Sententiam huius catholici scriptoris excutit Lebedev in praecitato opere de Symbolo constantinopolitano, pp. 40-42, atque in Прибавленія *operibus Sanctorum Patrum russice versis*, t. XXVIII, 1881, pp. 583-588.

(3) *P. G.*, t. XXVIII, coll. 1567-1568.

α') Communis est opinio apud scriptores orthodoxos, quibus uno veluti agmine adstipulantur scriptores protestantes, Athanasium symbolum *Quicumque* non composuisse. Argumenta, quibus haec innititur negativa sententia, ex fontibus tum orthodoxis, tum lutheranis, pronum est haurire. Praecipua in medium proferimus: *a*) Septimo saeculo vel octavo primum iniicitur mentio symboli *Quicunque* tanquam professionis fidei ab Athanasio enucleatae (1). Initio praefatum symbolum perillustris doctoris nomine non designabatur. Si constaret Iulium I, Romanum Pontificem (337-352) rogasse Athanasium professionem fidei, certo certius asserere possemus eum symbolum nicaenum, quod tam miris extollit laudibus, illi praestitisse. Multo post aetatem Athanasii, ignotus quidam adulterator ex Latinis huic spurio documento epitheton athanasiani appinxit (2).

b) Symbolum athanasianum penitus latuit scriptores ecclesiasticos usque ad saeculum VII. In pervetustis operum S. Athanasii codicibus ipsummet non adest, vel verbis inscribitur, quae satis liquide declarant Athanasium id non composuisse. Interdum enim disserte innuitur hocce symbolum *vulgo* aut *perperam* Athanasio tribui (3). Adde, quod Athanasius non solum constanter tacuit se aliquod symbolum condidisse, verum etiam persaepe testatus est fideles nullis amplius indigere professsionibus fidei. Symbolum enim nicaenum sufficit ad eversionem omnium haereseon ad tutelam utilitatemque ecclesiasticae doctrinae (4). Haec fides nicaena perfecta est, in eamque ulterius inquirere vetamur (5).

Haecce fides cunctis ad amussim est sequenda neminique ius conceditur novum symbolum condendi (6). In apologiis ceterisque Athanasii scriptis, ne indicium quidem reperire fas est, quod eum prodat novi symboli auctorem. Perantiqui Patres vel scriptores qui Athanasium laudarunt, ut Gregorius Nazianzenus, vel de rebus ab eo gestis

(1) Mesoloras, p. 58; Swainson, *The nicene and apostle's Creed*, p. 195.

(2) *Πολλῷ ὕστερον μετὰ τὴν ἐμφάνισιν αὐτοῦ ἐπέθετό τις τῶν δυτικῶν, ἴσως καὶ αὐτὸς ὁ συντάκτης, τὴν ἐπιγραφὴν σύμβολον ἀθανασιανόν, ἵνα σημασία δογματικὴ καὶ διάδοσις μεγίστη δοθῇ τῷ συμβόλῳ.* — Mesoloras, p. 58.

(3) Francke, *Libri symbolici Ecclesiae lutheranae*, p. XI.

(4) *Ἱκανὰ μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ Νικαίᾳ ὁμολογηθέντα, καὶ αὐτάρκη ... πρός τε ἀνατροπὴν πάσης ἀσεβοῦς αἱρέσεως, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ὠφέλειαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας.* — *Ep. ad Afros episcopos*, n. 1, *P. G.*, t. XXVI, col. 1029.

(5) *Ἠξιώσαμεν μὲν μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν πλὴν τῆς κατὰ Νίκαιαν ὁμολογίας.* — *Tomus ad Antiochenos*, n. 5, *P. G.*, t. XXVI, col. 801.

(6) *Ep. ad Iovianum*, n. 1, Ib., col. 816. *Ταύτῃ τῇ πίστει ... πάντες ἐπιμένειν ἀναγκαῖον, ὡς θείᾳ καὶ ἀποστολικῇ, καὶ μηδένα μετακινεῖν αὐτὴν πιθανολογίαις καὶ λογομαχίαις.* — Ib., n. 4, col. 817.

disseruere vitaeque curriculum descripsere. symbolum hocce silentio praetergrediuntur. Concilia constantinopolitanum I, ephesinum et chalcedonense illud *Quicumque* penitus latuisse tenendum est, alioquin id meminissent ac probassent. Etenim in eo tam luculenter comprehenditur fides christologica, ut sine ulla dubitatione plurimum contulisset ad nestorianam eutychianamque haereses explodendas (1). Merito igitur asseri potest symbolum *Quicumque* fidem praestare, quae in synodo chalcedonensi definita est, ideoque hancce synodum subsecutum fuisse.

c) Philologice exploratum est symbolum *Quicumque* ex graeco fonte non manasse. Sive verborum structuram, sive periodorum complexionem, sive styli colorem inspicias, abunde patebit latine conscriptam fuisse hancce professionem fidei, quod tam clarum testatumque est, ut nullus artis criticae cultor in praesentiarum ambigat latinum textum maiorem praeseferre auctoritatem, quam graecas versiones, quae, sequiore oevo, ad finem vergente saeculo XII, vel albente saeculo XIII, comparatae fuere (2). Nil mirum igitur si sua in *Bibliotheca symbolica* Hahn tanti faciat textum latinum illius *Quicumque*, ut sese omnino abstineat a graecis versionibus edendis (3). *Absolute* quidem nemini datur ius affirmandi Athanasium latinum idioma non calluisse. Attamen vix ac ne vix credibile est, eum latinae fidei professionem composuisse, ea praesertim aetate, qua graecum idioma ubique in Occidente vulgatum erat, ita ut non defuerint Patres scriptoresque latini qui in scribendo eodem uterentur. Insuper nullum proferri potest testimonium, quo constet Athanasium aliquid latine conscripsisse (4).

d) Denique animadvertimus praeclarum illud vocabulum, quod fidei athanasianae tessera est, cuius tuendi causa omnes labores exantlavit, tot minis exagitatus est, tot discrimina pertulit Athanasius, *τὸ ὁμοούσιον*, signum illud perenne victoriae fidei orthodoxae in synodo nicaena, deesse in symbolo *Quicumque*. Num concipi poterit Athanasium, si praefatum symbolum composuisset, hocce vocabulum in idipsum non intexuisse?...

(1) Mesoloras, pp. 58-59; Schaff, *The creeds of Christendom*, t. I, pp. 35-37; Tentzel, *Judicia eruditorum de symbolo athanasiano studiose collecta et inter se collata*, Gothae, 1687, pp. 125-155.

(2) Mesoloras, p. 60; Tentzel, pp. 163-166; Philaretus, Историческое ученіе объ отцахъ Церкви, t. I, Petropoli, 1882, p. 50.

(3) P. 175.

(4) Ommanney, *A critical dissertation on the athanasian creed, its original language, date, authorship, titles, text, reception and use*, Oxoniae, 1897, pp. 334-335; Vossius, *De tribus symbolis*, pp. 48-51; Köllner, *Symbolik der lutherischen Kirche*, t. I, 1837, pp. 56-83.

Ex hucusque dictis consequitur eis, qui sine studio partium in symbolum athanasianum inquirunt, necessario fatendum Athanasium id non composuisse, sed theologum quendam occidentalem de industria Athanasio affinxisse (1). Ad sententiam Harnackii ipsummet expositio ordinata est fidei, quam aetate criticae artis experte Athanasio tribuerunt (2). Expositio haec fidei ab initio privata fuit. Cum tamen veterum conciliorum oecumenicorum systema dogmaticum perfectissime enucleet, ac plane conveniat cum fide latinae Ecclesiae, pedetentim in Occidente invaluit ut *fides catholica*, vel *symbolum catholicum* (3).

Quid in hisce controversiis cum catholica Ecclesia sentiendum?... Praenotandum ducimus quaestionem de authenticitate symboli athanasiani nullimode ad fidem referri, in eaque pervestiganda romanam Ecclesiam, quidquid cuique libuerit statuendum, indulgere. Haud quidem adversatur catholicae theologiae tueri symbolum *Quicumque* « dici athanasianum, quod summam fidei et doctrinae quam S. Athanasius adversus scelerosos et pervicaces haereticos suo tempore propugnavit, contineat, et quod ex eius operibus quam diligentissime sit collectum: similem fere in modum, quo symbolum omnium antiquissimum appellatur apostolicum, non quasi ab Apostolis sit confectum, verum quod ita ab iisdem fuerit praedicatum, ut exacte respondeat verbis apostolorum et evangelistarum » (4). Non diffitebor complures inter latinos haud infimi subsellii theologos, imprimis Genebrardum, Bellarminum, Serrarium, Binium, Possevinum (5), Mazzella symbolum *Quicumque* Athanasio vindicasse, infelici tamen exitu. Argumentum enim Bellarmini (6) ex oratione S. Gregori Nazianzeni in laudem S. Athanasii haustum (7) non ad symbolum *Quicumque* refertur, sed ad fidei exposi-

(1) *Πάντες οὗτοι οἱ ἐκτεθέντες λόγοι πείθουσι τὸν ἀμεροληπτως τὰ πράγματα ἐξετάζοντα, ὅτι ὁ μέγας Ἀθανάσιος δὲν εἶναι ὁ συγγραφεὺς τοῦ φερωνύμου συμβόλου, ἀλλὰ δυτικός τις θεόλογος, ὅστις σκοπίμως τῷ Ἀθανασίῳ τὴν σύνταξιν τούτου προσεπεγράψατο.* — Mesoloras, p. 61.

(2) « Es ist eine Lehrordnung nach Athanasius, welche in kritiklosen Zeiten zu einem Symbol des Athanasius geworden ist ». — *Dogmengeschichte*, t. II, p. 297.

(3) Hahn, pp. 174-175.

(4) Oldecop, *Disputatio theologica exhibens symboli athanasiani perbrevem descriptionem historicam, eiusdemque ex sola Scriptura Sacra deductionem et prolationem*, Helmstadii, 1675, n. XIV.

(5) Tentzel, pp, 102-103.

(6) *De Christo*, l. II, c. XXV, *Opera*, t. I, p. 225.

(7) *Πρῶτος καὶ μόνος, ἢ κομιδῇ σὺν ὀλίγοις ἀποτολμᾶ τὴν ἀλήθειαν σαφῶς καὶ διαρρήδην, τῶν τριῶν μίαν θεότητα καὶ οὐσίαν ἐγγράφως... Ταύτην μοι δοκοῦσιν αἰδούμενοι τὴν ὁμολογίαν, οἵ τε τῆς Ἑσπερίας, καὶ τῆς Ἑῴας, ὅσον βιώσιμον.* — *Or.* XXI *in laudem Athan.*, P. G., t. XXXV, coll. 1121-1124.

tionem quam Athanasius exaravit: *ἔκθεσις τῆς πίστεως* (1). Exigui etiam ponderis rationes sunt quibus innititur Card. Mazzella in tuenda sententia, quae auctorem praefati symboli statuit Athanasium (2). Equidem verum est, Romanam Ecclesiam illud semper inscripsisse, atque adhuc inscribere, Athanasio: nihil tamen obstat quominus asseramus praefatum symbolum athanasianum dici, quatenus doctrinam S. Athanasii methodice digestam exhibet. Ait Card. Mazzella sententiae affirmativae, quam tuetur, suffragari Ecclesias Constantinopolitanam, Serviauam, Bulgaricam, Russicam et Moscovitam. Ex dicendis pronum erit colligere contrariam huic sententiam tenuisse ac tenere Ecclesias, quas memoravimus. Ultro damus S. Thomam ac permultos scholasticae doctores tutatos fuisse originem athanasianam illius *Quicumque*. Neminem tam fugit aetate illa, quam mediam vocamus, artis criticae methodum in historia eruditionisque subsidiis parum excultam fuisse. Nil mirum igitur si Doctores scholastici traditionem sequioris oevi servaverint, quin eam critice excuterent. Denique provocat Card. Mazzella ad decretum Eugenii IV pro Armenis: « Compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis praebemus » (3). Hocce quidem decretum valorem dogmaticum habet pro rebus dogmaticis. Vehementer tamen falleretur, qui contenderet in eodem Eugenium IV definisse symbolum *Quicumque* inter genuina opera Athanasii percensendum. Quoad huiusce symboli auctoritatem Eugenius IV communem amplexus est sententiam, quae tunc temporis in theologia catholica vigebat. Hancce tamen de fide tenendam non docuit, neque docere potuisset, cum ad fidem non pertineat.

Sententia negativa confirmatur auctoritate theologorum, qui inter catholicos theologiae positivae scientia, Patrumque studio maxime inclaruere. Satis habeo nomina proferre Petavii, Combefisii, Cabassutii, Natalis Alexandri (4). Ipsammet tuiti sunt scriptores O. S. B. qui opera Athanasii typis mandanda curarunt (5). Perdoctis argumentis

(1) *P. G.*, t. XXV, coll. 199-208. Huic sententiae favent editores operum S. Athanasii: « Nemo non videt levissima, imo nulla ratione, verba S. Gregorii Nazianzeni de symbolo *Quicumque* dici. Quid causae enim est, ut ad symbolum *Quicumque* id referatur, cum binae exstent Athanasii confessiones fidei, quarum prima *Ἔκθεσις πίστεως* titulum habet; secunda ad Iovianum nuncupatur; et in utraque pariter trium personarum deitas et substantia praedicatur? ... ». — *P. G.* t. XXVIII, coll. 1569-1570.

(2) *De v rtutibus infusis*, p. 293.

(3) Mansi, t. XXXI, 1, col. 1059.

(4) Tentzel, pp. 102-103.

(5) *P. G.*, t. XXVIII, coll. 1573-1576,

eam enucleavit Dominicus Maria Speroni Ord. Min. Conv. (1), eamque nostra aetate generatim scriptores catholici tuentur (2).

At, cum denegemus authenticitatem symboli *Quicumque* ad auctorem quod spectat, authenticitatem doctrinae, quae in eo ex sinceris fontibus catholicis hausta est, mordicus tenemus. Quapropter hocce symbolum, quod athanasianum dicitur, eo quod contineat medullam theogiae athanasianae de Trinitate atque Incarnatione, aeque dici potest catholicum, quia numeris omnibus absoluta professio est fidei catholicae, per antiquos scriptores nobis commendata.

Oppido igitur falluntur, qui, ex eo quod symbolum istud Athanasio tribui nequeat, comclamant Romanam Ecclesiam portendere spurium documentum tanquam genuinum, nebulonem quendam latinum id composuisse ut fidem corrumperet, ac Romanos Pontifices inconsiderate id probasse in librosque liturgicos intexuisse. Nobis, non de symboli auctore, sed de doctrina in eo contenta, decertandum est. Si haecce falsa declaretur, tunc licebit Romanam Ecclesiam insimulare corruptae fidei. Sed, si fatentibus theologis tam luteranis quam orthodoxis, doctrina illius *Quicumque* cum ea plane convenit, quam Sacrae Scripturae nobis enucleant, compendiose refert quae in synodo chalcedonensi discussa sunt ac sancita, praeiudicatis partium studiis, non veritati inserviret, qui contra praefatum symbolum temere oblatraret.

β') Symbolum *Quicumque*, ait Heurtley, amplificatio est articulorum fidei symboli apostolici, in eis quae ad Trinitatem Incarnationemque spectant (3), symbolum ad fidei defensionem comparatum, ut verbis utar Ludolphi a Saxonia. Idipsum perlegenti, vel primo intuitu satis abunde patebit binas in eo reperiri partes, plane distinctas. Prior sane doctrinam trinitariam enucleat (vv. 1-26); altera vero doctrinam christologicam. Tam evidens utriusque distinctio est, ut complures critici in eam venerint sententiam, hocce symbolum duobus fragmentis, diversa quidem aetate compositis, contextum fuisse (4).

Mesoloras tenet symbolum *Quicumque* in lucem prodiisse, ad finem saeculi V, cum in disceptationem vocarentur ac tutius enuclearentur dogmata de duplici in Christo natura et voluntate. Huiusmodi controversiae dogmaticae vehementer animos occupabant in Occidente.

(1) *De symbolo vulgo S. Athanasii*, Diss. I, Patavii, 1750; II, Ib., 1751.

(2) « Das sogennante *Symbolum Athanasianum*, ist ein treffender Ausdruck der Lehre des hl. Athanasius, aber nicht von ihm verfasst. Es ist vielmehr auf lateinischen Boden erwachsen, und wahrscheinlich im 5 Jahrundert, vielleicht in Südgallien, entstanden ». — Bardenhever, *Patrologie*, p. 222.

(3) *A history of the earlier formularies*, Londini, 1892, p. 143.

(4) Harnack, *Dogmengeschich e*, t. III, ed. III, pp. 279-280.

ac turbas concitabant, quibus ut obviam iretur, ac fidei iactura praecaveretur, symbolum vulgo athanasianum compositum est (1). Eandem tuetur sententiam Andrutsos, qui nulla probabili ratione innixam declarat praeiudicatam opinionem statuentium, symbolum *Quicumque* saeculo VII vel VIII, sub dominatu Caroli Magni, pervulgatum fuisse (2).

Huic sententiae lubenter subscribendum ducimus. Inprimis animadvertendum, symbolum pseudo-athanasianum maxima coniunctione sociari cum doctrina S. Augustini et Vincentii Lirinensis, quam arctam coniunctionem ante oculos ponit clarissimus Tixeront, locis parallelis utriusque scriptoris symbolique collectis, diligenterque in ordinem digestis (3). Cum integrae propositiones, ex operibus S. Augustini excerptae in eo deprehendantur, sua sponte fluit ipsummet ex discipulo quodam S. Augustini conscriptum fuisse, ut diu superstes in Occidente arianae haereseos germen penitus suffocaret (4).

Graecus quidam scriptor effutit primam huiusce symboli mentionem reperiri in quodam canone concilii Augustodunensis (5), quod anno 676 habitum est (6). Constat enim anno 633 concilium toletanum IV quaedam ex eo deprompsisse suaque in capitula fideique confessionem immiscuisse (7). Idipsum citat S. Isidorus Hispalensis in

(1) *Περὶ τοῦ χρόνου τῆς συγγραφῆς πιθανοθέρα φαίνεται ἡμῖν ἡ γνώμη τῶν λεγόντων, ὅτι περὶ τὰ τέλη τοῦ ε' αἰῶνος συνετάχθη τὸ σύμβολον τοῦτο, ὅτε συνεζητοῦντο καὶ ὡρίζοντο τὰ δόγματα περὶ τῶν δύο φύσεων καὶ θελήσεων τοῦ Σωτῆρος, περὶ ὧν τοῦτο διαλαμβάνει. Τότε δὲ ἦν ἡ ἔρις ἐν τῇ δύσει μείζων καὶ ἡ ἀνάγκη πρὸς κατάπαυσιν αὐτῆς ἐπαισθητοτέρα, ἐπιτευχθεῖσαν πῶς διὰ τῆς ἐμφανίσεος τῆς περὶ οὗ ὁ λόγος ὁμολογίας.* — Pp. 62-63.

(2) *Ἀπίθανα δὲ πάντῃ δϋϊσχυρίζονται νέωτεροί τινες ἀξιοῦντες, ὅτι, ὡς ἔχει σήμερον, ἀπετελέσθη τὸ πρῶτον τὸν ζ' αἰῶνα ἢ ἐπὶ Καρόλου τοῦ Μεγάλου.* — P. 31; Michalcescu, pp. 44-45.

(3) *Dictionnaire de Théologie*, t. I, coll. 2184-2185.

(4) « Das Bedürfniss nach einem angeführten Symbol dieser Art deckte sich mit dem Wunsche, ein Compendium der heiligen Paradoxien des Augustin, und zugleich eine scharfe Waffe gegen die im Westen so lange spuckenden trinitarischen arianischen Irrthümer zu besitzen ». — Harnack, t. II, pp. 297-298.

(5) « Si quis presbyter, diaconus, subdiaconus, vel clericus symbolum, quod inspirante S. Spiritu Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii praesulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab episcopo condemnetur ». — Mansi, t. XI, col. 125.

(6) « Nous ne trouvons aucune mention d'un tel symbole avant le concile d'Autun assemblé en l'an 676 ». — Lampryllos, p. 140. Communior est sententia hocce concilium congregatum fuisse anno 670. — Hefele, t. III, 1, Parisiis, 1909, pp. 307-309.

(7) Mansi, t. X, coll. 615-616.

duabus epistolis (1), quarum authenticitas perperam in dubium vocatur (2). Denique S. Caesarius Arelatensis id non latuit, ut in promptu est colligere perlegenti sermonem CCXLIV, inter opera S. Augustini insertum, sed falso ei tributum (3).

Ante saeculum igitur sextum statuenda est praefati symboli aetas (4). Non immoramur in loco pervestigando quo compositum fuerit. Cum tamen, adnotat Tixeront, testimonia, quae hocce meminerunt symbolum, ex gallicis profluant scriptoribus, eiusque antiquiores commentarii ab iisdem conscripti fuerint, haud absonum est veritati asserere in Gallia editum fuisse hocce formularium fidei, auctoremque habuisse scriptorem quendam, in insula Lerina vel Arelati vitam degentem (5).

Nihil de auctore nobis edisserendum. Multorum nomina ab eruditis circumferuntur, quos inter commemorandi Paulinus Aquileiensis, Hilarius Pictaviensis, Eusebius Vercellensis, Marius Mercator, Hilarius Arelatensis, Vigilius Thapsensis, Honoratus Arelatensis, Vincentius Lirinensis, Venantius Fortunatus, Hincmarus Remensis, Alcuinus (6).

(1) « Item nobis insinuare voluisti quorundam Graecorum obiectionem, quod in Nicaena vel Constant. Synodo sub anathemate prohibitum legitur in symbolo, et in illo S. Athanasii de fide catholica diminuere vel addere aliquid, atque ideo quidam ex Graecis latinos proterve nituntur reprehendere, quod in professione sanctae fidei Deo corde et ore decantent: *Qui ex Patre Filioque procedit,* cum in praedictis conciliis fuerit positum *ex Patre procedit,* et Sancta Romana Ecclesia ex Patre Filioque S. Spiritum procedere approbat atque credit ». — *Ep. Claudio duci,* VI, 4; *P. L.*, t. LXXXIII, col. 903. « Qui igitur debitam ei (Romano Pontifici) non exhibet reverenter obedientiam, a capite seiunctus, Acephalorum schismati se reddit obnoxium, quod sicut illud S. Athanasii de fide Sanctae Trinitatis Sancta Ecclesia approbat, et custodit, quasi sit fidei catholicae articulus: quod nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit ». — *Ep. Eugenio episcopo,* VIII, 3, Ib., col. 908. « Notandum est inter dubias vel spurias hasce litteras percenseri » in *P. L.*, coll. 907-908 in notis; *P. G.*, t. XXVIII, coll. 1569-1570. « Ex adducto in prioribus litteris loco Lampryllos arguit symbolum athanasianum antiquitus illud *Filioque* non continuisse ». — Op. cit., p. 141.

(2) *Dictionnaire de théologie,* t. I, col. 2184.

(3) *P. L.*, t. XXXIX, coll. 2194-2195; Morin. *Le symbole d'Athanase, et son premier témoin, Saint Césaire d'Arles, Revue bénédictine,* 1901, t. III, pp. 347-363.

(4) « The creed could not have been drawn up later than the sixth century, but probably originated in the fifth, indeed not after the middle of the fifth century ». — Ommanney, p. 343.

(5) *Dictionnaire de théologie,* coll. 2184-2186.

(6) Antelmi, *Nova de symboli athanasiani disquisitio,* Parisiis, 1693; Vossius, *De tribus symbolis,* pp. 39-58; Bianchini, *Enarratio pseudo-athanasiana in symbolum antehac inedita,* Veronae, 1732, p. 9; Waterland, *A critical history*

Ad mei operis institutum nihil pertinet inquirere cuinam ex praecitatis scriptoribus maiori probabilitate symbolum pseudo-athanasianum tribuendum sit. Mihi tamen videtur in praesentiarum lubentius sententiae Ommanney suffragandum, qui Vincentium Lirinensem illud *Quicumque* condidisse autumat (1).

γ') Symbolum pseudo-athanasianum, si auctoritatem spectes in rebus fidei, quidquid in contrarium oblatrent scriptores quidam infimi inter orthodoxos subsellii, eisque lenocinantes theologi anglicani, vere oecumenicum habendum est. Etenim, ut regula fidei, accipitur sive a catholicis sive a protestantibus atque orthodoxis. Apud theologos catholicos, ut verbis utar Card. Mazzella, « est certissima fidei regula, ab Ecclesia approbata, omnibusque fidelibus proposita. Longe ergo non distant ab haereticis et schismaticis, qui conviciis symbolum illud affecerunt » (2). Et revera, ut iam diximus, non auctorem, quanquam et hic suum habeat pondus, in formulariis fidei inspicit Ecclesia, sed in eis contentam doctrinam. Ecclesiae verbigratia nihil refert an Gregorius Nazianzenus, vel Nyssenus, vel quivis alius symbolum nicaeno-constantinopolitanum composuerit. Ei satis est doctrinam, quae in eodem disertissimis verbis expromitur, notam oecumenicitatis praeseferre, ex purissimis fidei fontibus haustam fuisse, revelationi apprime consonam esse. Si hisce notis symbolum aliquod exornari sibi persuaserit Ecclesia, nihil ei obstat quominus ipsummet suam in syllogen documentorum, quae authenticam sui magisterii fidem pandunt, inducat.

Si hoc decernat, scriptores, qui magisterium ecclesiasticum venerantur, ius adhuc servant pervestigandi quisnam hocce fidei formularium conscripserit, vel quaenam circumstantiae ac temporis adiuncta contulerint in illud adstruendum; fidem autem, quae per idipsum exprimitur, sub examen revocare, tanquam falsis inspersam sententiis, perinde ac si in dijudicandis authenticis fidei documentis Ecclesia subesset errori, in aprico est eis non licere.

Symbolum autem vulgo athanasianum, ut perpulchre scribit Tixeront, foetus est ignoti cuiusdam theologi, qui mirabili, qua utitur, claritate in enucleandis, vel potius caelandis Trinitatis atque Incar-

---

of the athanasian creed, Cantabrigiae, 1723, pp. 6-26; Soergel, *Paralipomena de symbolo athanasiano*, Gottingae, 1763; Th. D. Hardy, *The athanasian creed in connexion with the Utrecht psalter*, pp. 6-7; Francke, p. xiii; Schaff, t. I, pp. 35-37: Bardenhever, *Patrologie*, p. 222; Stanley, *The Athanasian creed*, Londini, 1871; Burn, *The Athanasian creed, and its early commentaries*. Cantabrigiae, 1896.

(1) Op. cit., pp. 337-391.

(2) *De Virtutibus infusis*, p. 293.

nationis dogmatis, auctoritatem illam sibi conciliavit, quae synodorum oecumenicorum definitionibus, veritatibusque infallibiliter ab Ecclesia propositis competit (1). Cum igitur, verbis utar S. Thomae, « integram fidei veritatem contineat, nil mirum si auctoritate Romani Pontificis receptum, quasi regula fidei habeatur » (2); nil mirum si, albente saeculo IX in officium divinum catholicae Ecclesiae invectum fuerit; nil mirum si, labentibus saeculis, nihil in eo innovandum, nihil ab eo expungendum magisterium ecclesiasticum deprehenderit (3).

Eadem, qua catholica Ecclesia, veneratione hocce symbolum prosequuntur, qui pseudo-reformationis signa extollentes, a catholicis castris defecerunt. Lutherus pleno ore id laudat (4). Prior editio *Prayer Book* Ecclesiae anglicanae sub rege Eduardo VI (1547-1553) anno 1549 comparata illud continet, in eoque praescribitur sollemnioribus diebus festis recitandum (5). « Omnia in symbolo athanasiano, ait Börner. cum ad sacrarum litterarum doctrinam examussim sint composita, et symbolum adeo hocce veram christianamque fidem profitendi normam, et notam praebeat, qua orthodoxi ab haereticis discernuntur, quem in Ecclesia ab antiquo obtinuit, inter symbola oecumenica locum, summo iure illud ipsum tuetur » (6). Gezelius von Schéele, episcopus lutheranus Wisbiensis (in Suecia) tenet symbolum athanasianum summam theologiae christianae exhibere, et formularium accuratissimum processus historici doctrinarum christologicarum, ideoque maximo semper honore condecorandum esse (7).

Non negaverim profecto inter hodiernos scriptores protestantes haud paucos characterem oecumenicum huiusce symboli negare, eique

(1) « Cette oeuvre d'un théologien inconnu, par la netteté puissante avec laquelle elle expose et, pour ainsi dire, burine la doctrine de la Trinité et de l'Incarnation, a conquis l'autorité qui s'attache aux définitions des conciles, et aux infaillibles enseignements de l'Église ». — *Dictionnaire de théologie*, t. I, coll. 2186-2187.

(2) *Sum. Theol.*, 2. 2. Q. I, a. X, ad 3.

(3) Bardenhever, pp. 222-223.

(4) *Dictionnaire de théologie*, t. I, col. 2186.

(5) Buddeus, *Isagoge ad theologiam universam*, p. 506; Ommanney, p. 422.

(6) Op. cit., p. 23.

(7) « Wir können es auch hinsichtlich der Grundzüge seines wesentlichen Lehrgehalts als ein Facit der Theologie bezeichnen, auf welche diese immer wieder zurückgehen muss, um zu prüfen, wie weit die Versuche zu wissenschaftlicher Prüfung der Grundprobleme des Christentums d. h. zur Vermittlung ihres Verständnisses für den Gedanken gelungen sind... Als präziseste Formulierung der vornehmsten Ergebnisse der theologischen und christologischen Lehrentwickelung der alten Kirche wird es stets in Ehren bleiben ». — Zöckler, *Handbuch der theologischen Wissenschaften*, t. II, p. 709.

infimam decernere auctoritatem (1). At neminem fugit, semper quidem, maiori autem in praesentiarum nisu scriptores protestantes contentissimo studio in id animum adiunxisse, ut vetera fidei monumenta enervarent suoque robore exuerent. Haec enim methodus ad hoc aptissima censetur, ut religio christiana, firmissimis traditionis destituta fundamentis, suum characterem supernaturalem amittat, seseque in hypotheseon infoecundum campum convertat.

Ad scriptores orthodoxos quod attinet, mihi dubium non est quin praecipui inter eos theologi permagni faciant symbolum vulgo athanasianum. Philaretus, qui Athanasio id abnuit, athanasianum censet vel Athanasio dignum, ob perpulchram styli theologici complexionem, doctrinaeque spiritum qui idipsum informat (2). In eo, ait Malinovsky, classica, si fas est ita dicere, claritate, praecisione, accuratione enucleatur doctrina de personarum divinarum in unitate divinae essentiae distinctione, ac de duabus Jesu Christi naturis in unione hypostatica (3). Macarius tenet Ecclesiam universalem symbolum athanasianum accepisse prosecutumque esse summa veneratione (4). Inter formularia fidei orthodoxae ipsummet recenset Antonius (Amphiteatrov) (5).

(1) « Dêr öcumenische Character des Symbols kann *formell* keineswegs, und *materiell* nur mit den grössten Einschränkungen behauptet werden... Die Protestanten haben das *Quicumque* zwar übernommen, doch wird es, ausserhalb der englischen Staatskirche, nirgends eine wirkliche Bedeutung besitzen ». - Müller, *Symbolik*, p. 56.

(2) Этотъ символъ, по образу выраженія и духу своему, достоинъ имени Аѳанасіева. — Истор. ученіе об отцахъ Церкви, t. II, p. 50. Hic meminisse juvat in libris symbolicis Ecclesiarum orthodoxarum, pluris mentionem injici de *Symbolo S. Athanasii*: *Ὁ μέγας Ἀθανάσιος πλατύτερος διδάσκωντας εἰς τὸ σύμβολόν του εἶπε.* — *Conf. orth.*, p. I, 9, X, Kimmel p. 67. Metrophanes Critopulos Athanasium laudat eo quod diserte in suo symbolo Spiritum Sanctum ex Patre procedere praedicaverit, et corruptos improbat latinos textus, qui illud *Filioque* continent: *Παρείτω ὁ ἐν ἁγίοις Ἀθανάσιος ὁ πολυάθλιος, διαρρήδην κηρύττων ἐν τῷ καθ' αὐτὸν συμβόλῳ, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πανάγιον Πνεῦμα. Εἰ καί τινες ἐν τῇ λατινικῇ μεταφράσει προσέθηκαν· καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ· ἀλλὰ χάρις τῇ θείᾳ προνοίᾳ μέχρι μὲν τοῦ φθαρῆναι τὸ λατινικὸν συγχωρησάσῃ κρίμασιν οἷς αὕτη οἶδε, φυλαξάσῃ δὲ τὸ ἑλληνικὸν ἀκίβδηλον.* — Kimmel-Weissenborn, II, p. 23. Cfr. Demetrescu, *Câte-va cuvinte asupra Simbolul Atanasian saŭ* Quicumque, *Biserica orthodoxă română*, Bucharestii, t. XXIII, 1899, pp. 481-498.

(3) Въ немъ, можно сказать, съ классическою ясностію, опредѣленностію, и отчетливостію, излагается ученіе о различіи и единосущіи трехъ лицъ въ Божествѣ, а также объ образѣ соединенія двухъ естествъ въ І. Христѣ. — Op. cit., t. I, p. 43. Haec verba adamussim transcripsit Malinovsky ex *Cursu theologico* ep. Sylvestri, t. I, p. 63.

(4) Принятый и уважаемый всею Церковію. Т. I, p. 17.

(5) Символъ ... излагающій съ особенною полнотою догматы о Пресв. Троицѣ и таинствѣ воплощенія. — Op. cit., p. 42; Rudakov, Православное догматическое богословіе, pag. XIII.

Prae ceteris tamen audiatur metropolita Plato, cuius auctoritas permagna est in Ecclesia orthodoxa: « Symbolum S. Athanasii Ecclesia nostra agnoscit, et inter libros ecclesiasticos reperitur, et ut eius fidem sequamur, inculcatur, tamen nunquam recitatur. Satis pro nobis est, quod nihil quidpiam in se contineat, quod sanae atque orthodoxae doctrinae non sit consentaneum » (1).

Adde quod hocce symbolum insertum est in appendice *Horologii* graeci, quae insertio, ut rite adnotat Ommanney, pandit graecam Ecclesiam id accepisse, ut formularium authenticum doctrinae christianae, expuncto tantummodo *Filioque* (2). In Ecclesia russica adnectitur communiter Psalterio: haec autem consuetudo inducta est a Simeone Polocensi, qui psalterium edidit (3).

Haec, quae attulimus, testimonia ex scriptoribus orthodoxis deprompta, qui primas tenent inter suae Ecclesiae theologos, satis habentur ad characterem oecumenicum symboli vulgo athanasiani statuendum. Acerbam igitur merent reprehensionem convicia, quae in hocce symbolum evomit Mesoloras: « In Ecclesia orientali nunquam symbolum pseudo-athanasianum magni factum est, vel consideratione donatum: e contra, vehementer in idipsum decertarunt, cum neminem lateret suppositititum esse symbolum, foetum scriptoris occidentalis. Nostra Ecclesia prudenter sapienterque se gerens primo ac maxime legitimo symbolo oecumenico Niceae et Constantinopoli sancito, supremam iure meritoque vindicat auctoritatem historicam ac dogmaticam. Etenim omnes circumstantiae adiunctaque, compositionem huiusce symboli quae provocarunt, ita perspicua ac determinata sunt, ut nemini detur ansa id, vel ambiguum, vel suspectum habendi » (4).

(1) Ommanney, p. 458.

(2) « The fact of its being admitted to this position under the express and repeated sanction of the ecclesiastical autorities at Cple may be understood apparently to indicate the acceptance and approval of our creed on the part of the eastern Church as a doctrinal formula, barring the doctrine of the double procession of the holy Ghost ». — Op. cit., p. 458.

(3) Haec editio psalterii lucem aspexit Mosquae, anno 1680. Cf. Sopikov, Опытъ россійской библіографіи, n. 1030, t. I, Petropoli, 1904, p. 57; Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы, p. 247; Историч. ученіе etc., p. 50.

(4) *Ἐν τῇ ἀνατολικῇ Ἐκκλησίᾳ οὐδέποτε σημασία τις καὶ ἀξία ἐδόθη τούτῳ τῷ συμβόλῳ, τοὐναντίον μάλιστα ὡς πλαστὸν καὶ προϊὸν δυτικῆς χειρὸς ἐπολεμήθη σφοδρῶς, καθ' ὅσον ἡ ἡμετέρα Ἐκκλησία, σοφῶς καὶ συνεπῶς φερομένη μόνον τῷ τῆς Νικαίας καὶ τῆς Κ. πρώτῳ καὶ κυριωτάτῳ οἰκουμενικῷ συμβόλῳ τὴν ὑψίστην δογματικὴν καὶ ἱστορικὴν αὐθεντίαν δικαίως πάνυ ἀπονέμει, διότι πᾶσαι αἱ ἀνάγκαι καὶ αἱ περιστάσεις, αἱ τὴν σύνταξιν τοῦ συμβόλου τούτου προκαλέσασαι, καταφανεῖς καὶ ὡρισμέναι ἦσαν, οὐδὲν τὸ ἀμφίβολον καὶ τὸ ὕποπτον ἡμῖν καταλιποῦσαι.* — P. 64.

En nugacissimas apinas, quas vendit theologus atheniensis castrametatus in arcibus hypercriticae lutheranae. Ex allatis superius testimoniis, facile erit cuique pro explorato habere apertissimis mendaciis cerdonem huncce graecae theologiae veritatem deturpasse, vel suae ipsius Ecclesiae historiam litterariam, scienterne an inscite declarare non audeo, ignorasse. Perstabit igitur immotum robur dogmaticum huiusce symboli, etiamsi palam conficiatur ad ipsummet conscribendum Athanasium manum non admovisse. Iacta in idipsum dicteria, quippe quod ex latinis promanavit fontibus, rationum pondere cordatis viris destituuntur, odiumque potius acerrimum pandunt, quam vehemens desiderium veritatis iura tuendi aperiendique.

δ') Quaenam est causa, quae graeculos praesertim theologos ad symbolum vulgo athanasianum contumeliis insectandum adigit? Eam apertissime prodit Mesoloras. Hocce symbolum comburendum, quia additamentum *Filioque*, canonibus ecclesiasticis oppositum, continet (1). En radix illa pessima, cuius venenum totum symbolum pervadit!

Praefatum additamentum spurium esse, communis est opinio theologorum orthodoxorum. Si enim in symbolo athanasiano ante schisma exortum illud *Filioque* adfuisset, cur Patres conciliorum oecumenicorum, quae concilium chalcedonense subsecuta sunt, id non meminerunt in tradenda orthodoxa de Spiritu Sancto doctrina?... Cur latini scriptores qui dogma latinum tuiti sunt, tam praeclarum testimonium silentio praeterierunt?... « Voces illae *ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ*, ait Samuel Mislavsky in notis ad Theoph. Procopovitch, graecis exemplaribus a Latinis inserta fuere. Hoc praeter alia, vel eo solo non certe contemnendo probant argumento, quod usque ad saeculum XIV nemo contra Graecos symbolum athanasianum produxerit, cum tamen controversia de processione Spiritus Sancti iam quingentos annos durasset. Quo argumento omnino usi fuissent latini, si non factae corruptionis sibi conscii essent. Haec certe ratio multum

(1) *Μόνον ἡ τοῦ Filioque σκόπιμος καὶ ἀντικανονικὴ προσθήκη, ἐλαττοῖ κατὰ πολὺ τὴν σημασίαν αὐτοῦ*, p. 63. Meletius, Patriarcha antiochenus, 1597 (?) eadem habet: « Athanasio falso adscriptum symbolum cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius contestamur ». Huncce locum proferunt in medium Müller, *Symbolik*, p. 56, nota 16, et Michalcescu, p. 47, tribuuntque Meletio, Patriarchae antiocheno. Haec assertio est evidenter falsa. Nullus enim Meletius anno 1597 sedem antiochenam tenuit, sed Ioachim Ziade, vel Ben Zaidada, Porphyrius Uspensky, Списокъ антіохійскихъ Патріарховъ (*Elenchus Patriarcharum Antiochiae*), p. 100. Suspicor igitur heic mentionem injici de Meletio Pigha, Patriarcha Alexandrino (1586-1601), qui pluries stilum acuit adversus Latinos, Demetracopulo, *Ὀρθόδοξος Ἑλλάς*, pp. 130-134; P. Uspensky, Александрійская Патріархія, t. I, Petropoli, 1898, pp. lix-lxxii.

valere mihi videtur, et contra latini symboli huius exemplaria. Etenim si vox *Filioque* iam tunc in symbolo hoc extaret, non certe Latini neglexissent, eam Graecis objicere » (1). Huiusce silentii causam in promptu est explicare, ad sententiam Mesoloraè, si ponatur, vel symbolum athanasianum usque ad saeculum X additamento *Filioque* caruisse, vel ipsummet symbolum ex graeco non promanasse fonte, vel plane neglectum fuisse, ac permultos latuisse (2).

Graeca pariter Ecclesia usque ad saeculum XIII nunquam audivit symbolum fidei extitisse Athanasio vulgo tributum, quod professionem explicitam illius *Filioque* exhiberet. Exploratum est enim anno 1223 (3) primum Graecos ex legatis Romanorum Pontificum stupentes didicisse symbolum athanasianum latinum dogma profiteri (4). Ad supposititiam originem praefati additamenti firmandam, maxime confert silentium, quod de symbolo athanasiano in concilio florentino servatum est a latinis (5).

(1) *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772, p. 238.

(2) P. 59.

(3) Philaretus, Истор. ученіе, p. 50. Legendum est anno 1233, aut potius 1234, cum apocrisiarii Sanctae Sedis in synodo Nymphaea symbolum *Quicumque* sub nomine S. Athanasii ad catholicum dogma tuendum in medium protulerunt, Laurentius Cozza, *Historia polemica de Graecorum schismate ex ecclesiasticis monumentis concinnata*, t. II, Romae, 1719, pp. 356-357; Katansky, Исторія попытокъ къ соединенію церквей греческой и латинской въ первые четыре вѣка по ихъ раздѣленіи (*Historia conatuum ad unitatem revocandi Ecclesias graecam et latinam quatuor prioribus saeculis ab earum scissione*), Petropoli, 1868, pp. 99-108; Demetrescu, *Grigoriŭ al IX-lea, papă al Romeĭ si Gherman al II-lea patriarch al Costantinopoluĭ, Biserica ortodoxă română*, t. XXIII, 1899, pp. 601-619; 768-784.

(4) Lampryllos, p. 145.

(5) Petavius ait « tam grave ac disertum testimonium Graeculos sic offendisse in concilio florentino, ut in Athanasium ipsum stolide debacchati sint, quod refert ac deplorat Gennadius » : Non verentur, inquit, dicere, sanctum Athanasium ebriosum fuisse, et, cum ista scriberet, vino plenum (*οὐκ αἰδοῦνται λέγειν, ὡς ὁ ἱερὸς Ἀθανάσιος μέθυσος ἦν, καὶ ὅτε ταῦτ' ἔγραψε, πλήρης ἦν οἴνου*). Stulta et inepta calumnia, risuque potius, et contemptu, quam seria expostulatione digna ». *De Trinitate*, l. VII, c. VIII, n. VII, t. III, p. 324. Huncce locum Gennadii calumniam vel putidissimum mendacium a Iesuitis inventum appellat Zoernicavius: *Διαβολὴ δέ, μᾶλλον δὲ ψεῦδός ἐστιν ἀναιδέστατον, ὅ τις τῶν Ἰησουϊτῶν ἀπεχρέμψατο γράφας. — Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ Ἁγίου Πνεύματος*, t. I, Petropoli, 1797, p. 225. Ex eo occasionem arripit Th. Procopovitch ut, ad morem suum, vehementissime in P. Nicolaum Cichovium S. I. invehat: « Si vero sobrius erat, cum haec scribebat iste Polonus, incredibili sane cum impudentia mentitus est: nihil enim tale in illo concilio reperiri potest », p. 239. De symbolo athanasiano locutus est Cichovius in colloquio polemico, mense Iunio 1646 cum Innocentio Gizel archimandrita († 1684) Kioviae habito. Haud abs re mihi videor facturus, si specimen hoc ve-

Graecis theologis, symboli athanasiani osoribus, recentiores quidam theologi anglicani accensentur, qui enixis viribus contendunt idipsum ex liturgia expungendum esse. Ad sententiam Ffoulkes symbolum athanasianum « fidelis est imago latini *dogmatismi*, fulcrum regiminis absoluti Ecclesiae romanae. Quoties id recitamus, evincimur rationem in eo, non Sacras Scripturas verba proferre: Carolum Magnum, non Athanasium fidem explanare, quae ex adverso stat fidei nicaenae et constantinopolitanae » (1).

Hisce assultibus in symbolum athanasianum, perpaucis obnitimur argumentis. Ultro damus symbolum athanasianum ab Athanasio conscriptum non esse. Num sequitur perillustrem huncce doctorem, catho-

---

teris polemicae heic producam: « S. Athanasius latine hoc symbolum scripsit, illudque latine scriptum in Africam delatum est; et ex eo S. Augustinus, S. Athanasii saeculo vicinus, aliqua delibavit. Institit Dominus rector (Gizel). Quis ergo scripsit graecum? Respondit Pater Nicolaus: Non constare: quod tamen graecus textus antiquior habuerit vocem *τοῦ Υἱοῦ*, convincit Gennadius, Patriarcha Const., scribens: Graecos in concilio florentino huic authoritati sibi obiectae, non habuisse quod responderent, sed tantum dixisse: S. Athanasium ebrium haec scripsisse. Ad haec dominus rector, non sine stomacho, ait: Unitus hoc scripsit; et quis ei fidem habeat? Respondit Pater: Nemini fides neganda, priusquam probetur indignus fide ». — *Tribunal Sanctorum Patrum orientalium et occidentalium ab orientalibus summe laudatorum*, Cracoviae, 1658, p. 321. Cum verum sit de symbolo athanasiano nihil disceptatum fuisse in concilio Florentino, verba quae Gennadius Scholarius vel ignotus scriptor hoc sub nomine latens Graecis tribuit, potius fabellam, quam historiam redolent. Opus Gennadii Scholarii, ex quo praecitatum locum deprompsit Petavius, Nicolao Methonensi tribuitur, Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, pp. 118-119. Rem totam sic narrat scriptor noster: « *Ἐλθέτω τοίνυν καὶ ὁ τῆς ἀληθείας κῆρυξ, καὶ ὁμολογητής, ὁ μέγας καὶ πολύς Ἀθανάσιος, τὰ αὐτὰ συμμαρτυρήσων ἡμῖν· οὗτος γὰρ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς ἑαυτοῦ πίστεως, ἧς ἡ ἀρχή* »: *ὅστις ἂν βούληται σωθῆναι, χρὴ πρὸ πάντων κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν, « οὕτω φησί ». Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, οὐ ποιητόν, οὐ κτιστόν, οὐ γεννητόν, ἀλλ' ἐκπορευτόν... Ἐν τούτῳ δὲ γενόμενος. ἔπεισί μοι καὶ σφόδρα θρηνῆσαι, καὶ φωνὴν ἐκρῆξαι μετὰ δακρύων τε καὶ ὀλολυγμοῦ, καὶ κλαῦσαι, τοὺς ἐκοντὶ οὕτω καμμύοντας τοὺς ὀφθαλμοὺς πρὸς τὸ φῶς, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀντικρούοντας· καὶ οὐ πόνον ἀντιλέγοντας τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἁγίους τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλους ἀθετοῦντας μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑβρίζοντας... οὐκ αἰδοῦνται λέγειν ὡς ὁ ἱερὸς Ἀθανάσιος μέθυσος ἦν, καὶ ὅτε ταῦτ' ἔγραψε πλήρης ἦν οἴνου. Ἀληθῶς πλήρης ἦν κρατῆρος πνευματικοῦ, σοφίας, καὶ χάριτος, ἐκ τῆς τοῦ Ἁγίου Πνεύματος πηγῆς. — *Expositio pro sancta et oecumenica synodo florentina*, l. I, P. G., t. CLIX, col. 1145.

(1) « It was at once the expression of latin dogmatism and the lever of latin despotism... Every time we recite the athanasian creed, it is reason, not Scripture that speaks; Charlemagne, not Athanasius that expounds a faith deliberately set up in opposition to the faith of Nicea and Constantinople ». — *The athanasian creed*, Londini, 1871, p. 276.

licam doctrinam, quam illud *Filioque* exprimit, reiecisse?... Luculenta testimonia ex eius scriptis deprompta contrarium evincunt. Iuxta S. Athanasium Spiritus Sanctus « donum est quod ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre esse conceditur, effulget, et ab eodem mittitur ac datur (1). Immo, si Filius, quia est ex Patre, proprius eiusdem substantiae est, necesse est similiter Spiritum, qui ex Deo esse dicitur, proprium quoque Filii esse secundum substantiam » (2). Clarissima praesertim recolenda sunt verba, quae in epistola III ad Serapionem occurrunt. Ibi enim diserte asseritur Spiritum Sanctum habere ad Filium eandem proprietatem, quam Filius habet ad Patrem. Et quemadmodum Filius dicit: « Omnia quaecumque habet Pater mea sunt », ita haec omnia per Filium in spiritu esse deprehendimus. Ac sicut Pater Filium his verbis indicat: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui », ita Filii quoque est Spiritus » (3). In hisce locis explanandis heic non immoramur.

Quantum eadem ad catholicum dogma *Filioque* corroborandum opem conferant, fuse docteque ostendunt Petavius (4), Cichovius (5), Franzelin (6). Ex negatione igitur authenticitatis symboli athanasiani, non sequitur catholicam doctrinam Athanasium in dubitationem vocasse, vel abnuisse.

Rationes autem quae afferuntur ad expungendum additamentum illud *Filioque*, nullius sunt ponderis. Ac primum, ut firmamentum suae sententiae statuerent, adversarii, quibus obnitimur, demonstrandum fuisset ante saeculum V vel VI in scriptis latinorum Patrum ne vestigium quidem dogmatis latini reperiri. Hoc autem facinus adversum

(1) *Ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ Υἱοῦ, τοῦ ζῶντος Λόγου, μίαν εἶναι δεῖ τελείαν καὶ πλήρη τὴν ἁγιαστικὴν καὶ φωτιστικὴν ζῶσαν ἐνέργειαν αὐτοῦ καὶ δωρεάν, ἥτις ἐκ Πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι. ἐπειδὴ παρὰ τοῦ ἐκ Πατρὸς ὁμολογουμένου ἐκλάμπει, καὶ ἀποστέλλεται, καὶ δίδοται.* — *Ep. ad Serapionem*, I, n. 20, *P. G.*, t. XXVI, col. 580.

(2) *Εἰ δὲ ὁ Υἱός, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ Πατρός ἐστιν, ἴδιος τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἐστιν, ἀνάγκη καὶ τὸ Πνεῦμα, ἐκ τοῦ Θεοῦ λεγόμενον, ἴδιον εἶναι κατ' οὐσίαν τοῦ Θεοῦ.* — Ib., n. 25, *P. G.*, t. XXVI, coll. 588-589.

(3) *Οἵαν γὰρ ἔγνωμεν ἰδιότητα τοῦ Υἱοῦ πρὸς τὸν Πατέρα, ταύτην ἔχειν τὸ Πνεῦμα πρὸς τὸν Υἱὸν εὑρήσομεν. Καὶ ὥσπερ ὁ Υἱὸς λέγει « Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστιν », οὕτως ταῦτα πάντα διὰ τοῦ Υἱοῦ εὑρήσομεν ὄντα καὶ ἐν τῷ Πνεύματι. Καὶ ὡς ὁ Πατὴρ ἔδειξε τὸν Υἱὸν λέγων, « Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ ηὐδόκησα », οὕτως τοῦ Υἱοῦ ἐστι τὸ Πνεῦμα.* — *Ep. III ad Serapionem*, n. 1, *P. G.*, t. XXVI, col. 625.

(4) Op. cit., t. III, coll. 287-288; 291.

(5) Op. cit., pp. 29-33.

(6) *Tractatus de Deo Trino*, pp. 470-472.

exitum habiturum nullum cordatum hominem latet. Fatente enim metropolita Macario, Augustinus, Fulgentius aliique Patres scriptoresque latini processionem aeternam Spiritus Sancti a Filio disertis verbis enuclearunt (1). Itaque, si symbolum athanasianum, ut iam declaravimus, ex studioso quodam theologiae augustinianae profectum est, admodum verisimile est ex penu S. Augustini additamentum illud depromptum fuisse, atque in symbolo insertum. Si pluries illud *Filioque* in scriptis S. Augustini deprehendimus, quid est admirandi causae, si saeculo V in documento fidei, quod lineamenta theologiae augustinianae accuratissime producit, idipsum offendimus?... Eo magis quod, ut rite animadvertit Card. Franzelin, « contextus ipse genuinitatem particulae demonstrat. Est enim oppositio inter generationem Filii, quatenus est a Patre solo, et inter processionem Spiritus Sancti, qui non ex solo Patre est, sed a Patre et Filio. Evidenter mancus est textus, si dicatur: « Filius a Patre solo est... Spiritus Sanctus a Patre » (2).

Objiciunt scriptores orthodoxi, praesertim Zoernicavius (3) et Procopovitch (4) « omnes editiones graecas symboli Athanasii in textu illud *Filioque* non habere ». Etiamsi ultro daremus hancce assertionem veritati consonam esse, haud sequeretur spurium esse additamentum. Latini enim codices, qui textum originalem, additamento instructum, portendunt, maioris momenti sunt, quam versiones graecae sequiore aevo comparatae (5). Insuper, falsum est in cunctis graecis versionibus id non adesse. Hac in re Samuel Mislavsky errorem voluntarium aut involuntarium Th. Procopovitch emendavit: « Etiamsi auctor cum aliis fateatur, omnes editiones graecas illud *ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ* non habere, attamen ego diffiteri non possum, voces illas in quibusdam exemplaribus graecis extare, cum ad manus habeam scripta eorum virorum, qui in colligendis criticeque dijudicandis symboli huius formulis laudabilem diligentiam collocarunt (6).

Denique non minus falsum deprehenditur quod scriptores orthodoxi perperam edicunt, ante saeculum X professionem *τοῦ Filioque*,

(1) Op. cit., t. I, pp. 339-340. Cfr. *Iohannes Henricus Hottingerus, fraudis et imposturae manifeste convictus a* Leone Allatio, Romae, 1661, pp. 298-303.

(2) *Examen doctrinae Macarii Bulgakov De processione Spiritus Sancti*, Prati, 1894, p. 71.

(3) *Ἐπ' οὐδετέρου τῶν ἑλληνικῶν ἐξεμπλαρίων, οὐχ ὅπως περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῆς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως ἁπλῶς μνεία γίγνεται.* — T. I, p. 224.

(4) Hahn, p. 175.

(5) Hahn, p. 175.

(6) P. 237. Cfr. Laemmer, Op. cit. p. 25.

in symbolo vulgo athanasiano contentam, omnes omnino theologos occidentales in Graecos increpantes latuisse. Alcuinus († 804) eam adducit in sua opella de Processione Spiritus Sancti (1): eandem profert Theodulphus Aurelianensis († 821) inter testimonia, iussu Caroli Magni collecta ad latinum dogma tuendum (2): haec eadem reperitur apud Ratramnum Corbeiensem (3), atque Aeneam Parisiensem (4), qui altero dimidio saeculi IX contra Graecos scripsere. Et si crebriores adhuc testes peroptas, memineris velim ante saeculum X polemicas Graecos inter et Latinos concertationes nondum acriter vehementerque exagitatas fuisse. Perpauca tamen, quae nobis innotescunt, testimonia, satis habentur ad probandum latinos theologos cum Graecis dimicantes ante saeculum X ex symbolo athanasiano pro tuendo dogmate *Filioque* argumentum deprompsisse.

At, ultro demus spurium, suppositititium, latinam fraudem, pontificium commentum esse additionem illam *Filioque* in symbolo athanasiano insertam. Ne obliviscamur tamen oportet, nobis disceptandum non esse de insertione in symbolo praefatae particulae, sed de doctrina dogmatica, quae per eam exprimitur. Si haec vera est, quî contendi poterit supremum Ecclesiae magisterium iure destitui ipsummet in symbolum invehendi?... De symbolo igitur athanasiano recte ea dicere possumus, quae lutheranus scriptor, catholicae infensissimus Ecclesiae, de symbolo nicaeno-constantinopolitano scripserit: « Additio particulae *Filioque* ad symbolum pertinet, quam etsi Graeci praeposteto anathematis Ephesini metu perculsi addendam negarent, recte tamen, cum res ipsa, processio scilicet Spiritus Sancti a Patre et Filio

(1) Beatus igitur Athanasius... in expositione catholicae fidei, quam ipse egregius doctor conscripsit, et quam universalis confitetur Ecclesia, processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio declarat, ita dicens: « Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens ». — *Lib. de Proc. Spiritus Sancti, P. L.*, t. CI, col. 73.

(2) *De Spiritu Sancto, P. L.*, t. CV, col. 247.

(3) Beatus Athanasius Alexandrinus in libello de fide quem edidit, et omnibus catholicis tenendum proposuit, inter caetera sic ait: « Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, non creatus, non genitus, sed procedens ». — *Contra Graecorum opposita*, l. II, c. III. *P. L.*, t. CXXI, col. 247.

(4) *Liber adversus Graecos*, c. XIX, *P. L.*, t. CXXI, col. 701. Hisce accensendus Hugo Etherianus, saeculi XII scriptor: « Magnus quoque Athanasius in confessione suae fidei, plane professionem ex Filio esse astruit. Ait enim: Spiritus ex Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens ». — *De haeresibus Graecorum*, l. III, c. XXI, *P. L.*, t. CCII, col. 393.

in Sacra Scriptura contineretur, additam compertissimum est, non ad ipsam fidem, sed eius externum tantum symbolum »(1).

Haud paucos inter scriptores orthodoxos offendes, qui religiosum inter Orientem atque Occidentem schisma quam maxume doleant, ac pro viribus in mediis pervestigandis insudent, quibus renovandae totius orbis christiani coniunctioni via communiatur. Praesumptis tamen opinionibus statuunt, ad huncce finem consequendum, Ecclesiae orthodoxae imprimis onus incumbere foederis ineundi cum Ecclesiis seu sectis occidentalibus, quae a Romana defecerunt unitate. « In sterile solum semina projiceret, ait Troitzky, nec non detrimentum conatibus renovandae unitatis ecclesiasticae afferret, quisquis sibi falso in animum induceret, cum Romana Ecclesia unionem prius fovendam, quam cum ceteris ab ea in Occidente seiunctis Ecclesiis. Oleum operamque absumeret, qui hancce deperiret unionem, quamdiu Romana Ecclesia in suo permanserit charactere romano, quamdiu scilicet haud desierit conceptum verae unitatis Ecclesiae depravare, in eoque reponere ut sibi velit *regiminis extrinseci* unitatem. Unionem igitur cum Romana Ecclesia appetere ac procurare, idem esset ac, pro consequenda unitate, huiusce unitatis quod caput est atque essentiam, inconsiderate projicere » (2). Romana exinde obliterata Ecclesia, qui in Graecia vel in Russia statores feruntur vindicesque renovandae unitatis ecclesiasticae, toti sunt in mediis inquirendis, quibus sub praetextu unionis, anglicanos et veteres catholicos in sinum Ecclesiae orthodoxae adigant.

Inter firmiores obices, qui Anglicanos deterrent quominus professioni fidei orthodoxae suffragentur, archim. N. Technopulos recenset symbolum vulgo athanasianum. Mirum est quot contumeliis hocce symbolum lancinet graeculus hic scriptor, qui vix a limine theologica studia salutavit. Ipsummet enim appellitat « symbolum pseudo-athanasianum, mendax; spurium documentum a papicolis confictum, falsoque nomine in lucem prolatum; ignotum penitus documentum, cuius ortus

(1) Diecman, *Exercitatio historico-theologica de Ecclesiarum orientalium et latinae in dogmate de Purgatorio dissensione, Leoni Allatio Chio et Abrahamo Ecchellensi Maronitae opposita*, 1671, p. 120.

(2) Совершенно безплодно и даже пріямо вредно для дѣла соединенія подымать вопросъ о соединеніи съ католическою церковью, пока она остается церковью римской, т. е., пока она продолжаетъ подмѣнять истинное понятіе единства Церкви понятіемъ единства государственнаго, правового. Говорить о соединеніи съ римскою церковью, это значитъ для цѣлей единенія жертвовать самою сущностью этого единенія. — Проблема возсоединенія съ англиканскою церковью (*Quaestio de stabilienda unione cum Ecclesia anglicana*), Странникъ, Petropoli, 1909, t. I, p. 338.

dubius est ac fraudulentus: symbolum suppositititium, quod latini theologi fabricati sunt ad pravam sententiam *Filioque* tuendam; pontificium *κακόπλαστον* luce meridiana clarius; symbolum ea carens auctoritate, quae authenticis Patrum monumentis vindicatur; symbolum per inscitiam vel dolum Athanasio appictum; reliquias pontificiae tyrannidis »(1).

Haec cum evomuisset dicteria in symbolum athanasianum, graecus archimandrita dolet quod terdecies in anno in liturgia, ex maiori instituto, anglicani id recitent (2). Amor veritatis eum movet ad patefaciendos errores, quibus illaqueantur theologi anglicani, spurii symboli adsertores. « Qui enim candide aperteque suam expromit sententiam circa ea quae falsa vel reprehensione digna in sanctis comperiuntur Ecclesiis, sine ulla dubitatione potiorem confert operam eis instaurandis promovendisque »(3). Huncce profectum, hancce instaurationem assequetur Ecclesia anglicana, cum primum portentum illud symboli athanasiani sua ex liturgia expulerit dederitque oblivioni.

Argumenta, quae hanc facere amputationem vehementer iubent, ad haec praecipua revocantur: α') Ecclesia Christiana unico tantum utitur symbolo. Confessio enim fidei vel symbolum sibi vult perbrevem expressionem expositionemque capitum essentialium et fundamentalium doctrinae cuiusdam Ecclesiae. Huiusmodi expositiones vel duo aut tres ponantur in eadem Ecclesia, vel una tantum. Si plures ponantur, vel idem dicunt, et sua sponte tunc conficitur easdem supervacaneas esse nec non inutiles, cum una tantum satagat ad finem fidei expromendae consequendum. Si aliae alia dicunt, nequit fieri ut simul censeantur unius eiusdemque Ecclesiae. Cum enim variam fidem unaquaeque por-

(1) *Ψευδο-αθανασιανόν, ψευδὲς σύμβολον, ἀμαθῶς εἴτε δολίως ἀποδοθὲν τῷ ἁγίῳ Ἀθανασίῳ, σύμβολον τὸ ὁποῖον στερεῖται τῆς ἀξίας καὶ τοῦ κύρους ἑνὸς συνήθους μέν, γνησίου δὲ πατρολογικοῦ ἐγγράφου· ἡ χρῆσις αὐτοῦ ἐν τῇ λειτουργίᾳ εἶναι ἓν τῶν λειψάνων τῆς παπικῆς τυραννίας· Σύμβολον ἐντελῶς ἄγνωστον, ἀμφίβολον καὶ ψευδώνυμον, φανερά τις παπικὴ πλαστογραφία, ἄκυρον σύμβολον, πλαστογραφὲν ὑπὸ παπιστῶν θεολόγων ἐπὶ τῷ σκοπῷ τοῦ ὑποστηρῆξαι τὴν ἑαυτῶν περὶ τοῦ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ πεπλανημένην διδασκαλίαν. — Ἡ δογματικὴ θέσις τῆς ἀγγλικανῆς Ἐκκλησίας καθ' ἑαυτὴν ἐξεταζομένη, Ἕνωσις τῶν Ἐκκλησιῶν*, Londini, 1904, n. 40, pp. 638, 640, 642, 644.

(2) Bredshaw, *On the use of the* Qnicumque vult *in the Book of common Prayer, The journal of theol. Studies*, t. V, 1903, pp. 458-460.

(3) *Φρονοῦμεν, ὅτι ἐκφράζοντες ἐλευθέρως καὶ εἰλικρινῶς τὰς ἡμετέρας γνώμας περὶ παντός, ὅπερ θεωροῦμεν ὡς πλάνας ἐν ἀμφοτέραις ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις, θαυμασίως δυνάμεθα νὰ βοηθήσωμεν καὶ συντελέσωμεν εἰς τὴν βελτίωσιν αὐτῶν. — Ἕνωσις τῶν Ἐκκλησιῶν*, 1904, n. 40, p. 635.

tendant, ad varias pertinere Ecclesias necesse est (1). Cum igitur concilium nicaenum statuerit suum symbolum cunctis fidelibus, ut fidei inviolatae atque inviolabilis tesseram habendum, quisquis alterum proponit symbolum, decreta conciliorum oecumenicorum, nec non divina atque infallibilia Ecclesiae Universalis oracula nihil pensi ducit. Ex dictis colligas quamlibet Ecclesiam, romanam, vel anglicanam aut protestantem, quae veneratur vel venerari conatur divinam conciliorum oecumenicorum auctoritatem, iure destitui symbola vulgo apostolicum atque athanasianum, nicaeno in liturgia praeferendi (2).

β') Symbolum athanasianum, uno veluti ore, spurium, theologi sive orientales sive occidentales edicunt. Si res ita se habet, liturgiam dedecore afficit, cum in eam intexatur. Equidem negandum non est abhinc fere quinquaginta annis in graecis editionibus *Horologii*, licet non in cunctis, insertum fuisse. Ecclesia tamen orthodoxa hoc peregit, quin praefatum symbolum maiore donaret auctoritate, quam sibi vindicat quodcumque perantiquum monumentum dogmaticum, profectu vel aedificationi fidelium aliqua ratione inserviens (3). Oppido falleretur, qui contenderet insertionem huiusce symboli in Horologio eidem auctoritatem, qua fides nicaena potitur, impertiri. Haec enim confirmata est in synodo oecumenica, quae divina Spiritus Sancti assistentia communitur: huiusmodi vero sanctionis expers est symbolum vulgo athanasianum. Adde quod *horologium* Graecorum *calendarium ecclesiasticum* tantummodo exhibet, ideoque ad illam non adsurgit dignitatem, quae agnoscitur magno *Euchologio*. Ex quo illud iam patet, in priore libro liturgico symbolum athanasianum invectum fuisse tanquam documentum perobscurae originis, quod accuratas comprehendit defini-

(1) *Ὁμολογία ἢ σύμβολον σημαίνει τὴν συντομωτάτην ἔκφρασιν καὶ ἔκθεσιν τῶν οὐσιωδεστάτων καὶ θεμελιωδῶν σημείων τῆς διδασκαλίας Ἐκκλησίας τινός. Ἀλλὰ τοιαῦται ἐκθέσεις δὲν δύνανται νὰ ὦσι δύο ἢ τρεῖς ἐν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ Ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ μία μόνη. Πρῶτον διότι ἂν μὲν αὗται εἰσὶ ταυτοσήμαντοι, τὸ πλῆθος αὐτῶν εἶναι ἐντελῶς ἄχρηστον καὶ περιττόν, μιᾶς μόνης τούτων ἐντελῶς ἱκανῆς οὔσης εἰς τὸ νὰ ἐκπληρῶσι τὸν ἐν λόγῳ σκοπόν. Δεύτερον, ἂν αὗται εἰσὶ διάφοροι ἀλλήλων, τότε δὲν δύνανται νὰ παρασιήσωσι καὶ ἐκφράσωσι τὴν διδασκαλίαν μιᾶς μόνης Ἐκκλησίας, ἀλλὰ τριῶν διαφόρων Ἐκκλησιῶν.* — Ib., pp. 635-636.

(2) *Πᾶσα οἱαδήποτε Ἐκκλησία, εἴτε Ἀγγλική, εἴτε Ῥωμαϊκή, εἴτε Προτεσταντική, ἤτις σέβεται, ἢ προσπαθεῖ νὰ σέβηται τὸ θεῖον κῦρος τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, τὸ κῦρος τῆς ὅλης οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας, δὲν δύναται νὰ ἔχῃ πρὸς τῷ Συμβόλῳ τῆς Νικαίας ἐν τῇ δημοσίᾳ θείᾳ λατρείᾳ οὔτε τὸ λεγόμενον ἀποστολικὸν σύμβολον, οὔτε τὸ ψεῦδο ἀθανασιανὸν σύμβολον.* — Ib., p. 636.

(3) *Διὰ ταύτης τῆς πράξεως ἡ Ἑλληνικὴ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία δὲν ἀπέδωκεν αὐτῷ ἀξίαν μείζονα ἐκείνης, ἣν ἀποδίδωσι ἀρχαίῳ τινὶ δογματικῷ ἐγγράφῳ, ὅπερ κατά τι δύναται νὰ εἶναι χρήσιμον, καὶ οἰκοδομητικὸν τοῖς πιστοῖς.* — Ib., p. 638.

tiones dogmaticas. A recentioribus vero *Horologii* editionibus, ne cuique daretur ansa falsas persuasiones sibi in animum inducendi, symbolum athanasianum procul ablegandum statuit graeca Ecclesia (1).

γ') Symbolum quod inter liturgica documenta meret ut inscribatur, eget sanctione conciliorum oecumenicorum, quae totius Ecclesiae personam gestant. At symbolum athanasianum penitus latuit Patres, qui in conciliis oecumenicis repetitis vicibus fidem nicaenam usu recipiendam in liturgia, eamque intaminatam servandam decreverunt. Anglicana igitur Ecclesia decisiones synodales contemnit, eisque non obtemperat, quia symbolo in synodo nicaena approbato, spurium symbolum anteponit. Etiamsi cunctis eruditionis praesidiis evinceretur Athanasium, symbolum, quod ei tribuitur, condidisse, probrum esset apertumque nefas huic doctori auctoritatem illam decernere, quae omnibus simul Patribus in synodo congregatis agnoscitur. Si igitur symbolum pseudo-athanasianum nullo sociatur vinculo cum professionibus fidei conciliorum oecumenicorum, melius rectiusque suae dignitati consuluisset Ecclesia anglicana, novum symbolum conficiendo. Etenim, symbolo supposititio in liturgiam intexto, divinam symboli nicaeni auctoritatem parvipendit, et non secus agit quam qui authentico Evangelio apocryphum evangelium adjiceret (2).

δ') Praecipua ratio, quae hocce symbolum indignum facit ut liturgiam invadat, ex eo repetenda est, quod ipsummet pontificiam originem aperte tradat. Romana Ecclesia ipsummet fabricata est pro tuendo dogmate *Filioque*, non secus ac falsa confinxit decretalia pro stabiliendo primatu Romanorum Pontificum. Papicolis primum hoc propositum fuit, ut liturgicas inter preces ei locus assignaretur. Clerus autem anglicanus, vel inscitiae merito arguitur, vel sacram aspernatur liturgiam, cum in ea mordicus asservandum contendat suppositititium symbolum, remota iam aetate per fraudes ac dolos Romanorum Pontificum invectum (3). Usque ad saeculum XII, antequam sub iugum tyrannidis pontificiae cervicem flecterent, Angli symbolum athanasianum in libros liturgicos ut irreperet non tolerarunt. Itaque ab eo expungendo tantummodo abhorrent *papicolae* vel *papizantes*, quibus in Ecclesia anglicana adhuc animus est hocce vinculum, quod cum Romana eos coniungit Ecclesia, non abrumpendi, quique spem habent quandoque in eius sinum sese receptum iri (4).

(1) Ib., pp. 638-639.
(2) Ib., pp. 644-645.
(3) Ib., p. 641.
(4) Ib., p. 642.

ε′) Symbolum athanasianum, praeterquamquod spurium agnoscitur, nullo potitur iure ad hoc quod catholicae fidei professio censeatur. Et revera praecipua doctrinae catholicae capita ipsum non edisserit. In eo tantummodo enucleatur doctrina Ssmae Trinitatis, quae pars quidem est, non autem complexio totius veritatis catholicae. Praeterea, quaedam continet mendosa, quae Romana Ecclesia sibi effinxit, Ecclesiis orientalibus ab ea dissentientibus (1).

ς′) Hoc symbolum in liturgia inutile est, immo perniciosum. Perdifficilem enim captui, simpliciorum praesertim fidelium, continet doctrinam, quae rite non intellecta, haeresibus viam explanare potest. Quid opus est, in precibus ad Deum extollendis, hisce perobscuris definitionibus fidei?... (2). Certo certius huiusce symboli abrogatio nullas cieret turbas inter anglicanos, neque sibi vellet anglicanam Ecclesiam fidem in eo contentam rejicere. Symbola enim fontes non sunt doctrinae Ecclesiae, sed tantum rivuli ab ea deducti. Hac de causa queunt aboleri, quin sacra doctrina, quae verbo Dei scripto vel tradito continetur, projiciatur (3).

Ex hucusque dictis, iuxta Technopulum, liquidissime patet necessitas abolendi symboli athanasiani. Si, omni cunctatione abiecta, Anglicani sibi tandem persuadere potuissent se optime facturos cum symbolum athanasianum expulerint, nemini est dubium quin sanae logicae praeceptis sapientius obtemperarent, suamque Ecclesiam purioris orthodoxiae nota exornarent. Huc accedit quod, eo sublato, gravissimus obex tolleretur, qui nunc temporis peroptatam Ecclesiae Orientalis cum Anglicana coniunctionem in longius differt tempus (4).

Metum tamen Technopulos incedit, ut theologi anglicani, alii alia sentientes, huncce scopulum, quo praepeditur Ecclesiarum unio, removeant. Anglia enim, ad religionem quod spectat, simillimam veteris Babylonis imaginem refert. « Quot in eo capita, tot sententiae. Hoc inter discrimina maxumum, favente Deo, in orthodoxis regionibus timendum non est. Apud Anglos e contra religio commune est nego-

(1) Ib., p. 644.

(2) Ib., n. 42, pp. 670-671.

(3) *Τὰ σύμβολα ἐν γένει δὲν εἶναι αἱ πηγαί, ἀλλὰ αἱ ἀπόρροιαι τῆς διδασκαλίας τῆς Ἐκκλησίας. Ἐντεῦθεν δύνανται ταῦτα νὰ καταργηθῶσι χωρὶς νὰ ἐπηρεάσωσι τὴν ἐν γένει διδασκαλίαν τῆς Ἐκκλησίας, ἥτις ἐστὶ ὁ γραπτὸς καὶ ὁ ἄγραφος λόγος τοῦ Θεοῦ.* — Ib., n. 40, p. 642.

(4) *Διὰ τῆς καταργήσεως τοῦ ψευδο-Ἀθανασιανοῦ συμβόλου ἡ δογματικὴ θέσις τῆς ἀγγλικανικῆς Ἐκκλησίας ἔσται λογικωτέρα, καὶ ὀρθοδοξοτέρα, διότι δι' αὐτῆς ἀρθήσεται ἓν τῶν κωλυμάτων τῆς ἑνώσεως τῆς ἑλληνικῆς ὀρθοδόξου καὶ τῆς ἀγγλικανικῆς Ἐκκλησίας.* — n. 41, p. 649.

tium cunctis civibus. Nemine excepto, omnes sibi ius arrogant pro arbitratu cogitandi, disserendi, statuendi de rebus fidei, ad Ecclesiae magisterium pertinentibus, immo de veritatibus dogmaticis. In promptu est apud eos videre tum clerum, tum *laicos*, viros simul ac mulieres, doctores e suggestu in athenaeis rivulos scientiarum deducentes, una cum ephebis prima lanugine mala flaventibus, theologos sacram doctrinam apprime callentes, una cum iis qui theologicas disciplinas a vestibulo fere salutarunt, hosce omnes, inquam, videre in promptu est suam sententiam in difficillimis implexisque fidei controversiis superciliose crepantes exspuentesque. Haec scabies discutiendi vel altissimas quaestiones dogmaticas, quae Anglos, ut ita dicam, ad radices usque capillorum pervasit, est logicum consectarium principiorum fundamentalium protestantismi, qui cuique ius tribuit pro suo lubitu magisterium in rebus fidei gerendi » (1).

Haec graecus theologus, qui renitentes Anglos in castra Ecclesiarum orthodoxarum adducere somniat. Ex anglicanis theologis haud pauci in eam venerunt sententiam, ut scriptorum orthodoxorum placitis subscribendum sit, ac symbolum athanasianum procul a liturgia ablegandum. Emendatio liturgiae anglicanae a primis inter anglicanos atque orthodoxos concertationibus pro ineunda Ecclesiarum unione proposita est. Inter conditiones anno 1716 statutas *ad concordiam inter Ecclesiarum britannicarum reliquias catholicas et orthodoxas et sanctam ecclesiam orientalem catholicam et apostolicam stabiliendam*, decernitur « ut liturgia anglicana antiquissima, tanquam ad ecclesiarum orientalium usum magis accedens, quam illa quae nunc apud Anglos in usu est, quam primum reducatur, et restituatur; idque non sine eiusmodi additionibus ac emendationibus, quae tam Ecclesiae Orientalis, quam primoevo omnium Ecclesiarum fundamento ac statere maxime congruere videtur » (2).

(1) *Ἐν ζητήμασι θρησκευτικοῖς ἡ Ἀγγλία εἶναι Βαβυλωνία, ὅπερ, χάρις τῷ Θεῷ, δὲν ὑπάρχει ἐν ταῖς ἡμετέραις εὐλογημέναις χώραις. Ἐν Ἀγγλίᾳ ἡ θρησκεία εἶναι ζήτημα κοινὸν εἰς ὅλας τὰς τάξεις τοῦ λαοῦ. Μηδενὸς ἐξαιρουμένου, πάντες ὁμιλοῦσι, γράφουσι καὶ συζητοῦσι περὶ θρησκευτικῶς ζητημάτων, καὶ δὴ δογματικῶν πολλάκις. Οὐ μόνον οἱ κληρικοί, ἀλλὰ καὶ οἱ λαϊκοί, οὐ μόνον οἱ ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ αἱ γυναῖκες, οὐ μόνον οἱ καθηγηταὶ Πανεπιστημίων, ἀλλὰ καὶ οἱ φοιτηταί, οὐ μόνον δόκιμοι θεολόγοι, καὶ μὴ θεολόγοι κληρικοὶ ἀποφαίνονται περὶ δυσχερεστάτων θεολογικῶν ζητημάτων... Ἡ Βαβυλωνία αὕτη γνωμῶν καὶ κρίσεων θεολογικῶν εἶναι ἀποτέλεσμα... προτεσταντικῶν ἀρχῶν, καθ' ἃς πᾶς χριστιανὸς εἶναι διδάσκαλος ἐν τῇ ἑαυτοῦ Ἐκκλησίᾳ, καὶ δύναται νὰ δίδῃ γνώμην περὶ παντὸς θρησκευτικοῦ ζητήματος.* — Ib., n. 41, pp. 650-651.

(2) *Ἡ τῶν λειτουργιῶν ἀγγλειακῶν παλαιοτάτη παραυτίκα ἐπαναγέσθω καὶ εἰς χρῆσιν καθημερινὴν καθιστάσθω, ἐπειδὴ μὲν ταῖς τῶν ἀποστολικῶν ἐκκλησιῶν*

Plus simplici vice saeculis XVII et XVIII disceptatum est de symbolo athanasiano in liturgia abolendo (1). Recentiori aevo renovatae sunt huiusmodi disceptationes in comitiis anglicanis annis 1871, 1879, 1904 habitis, eaeque in praesens producuntur, duce praesertim atque auspice societate anglicana pro ecclesiis orientalibus: *Eastern Church association* (2). Non omnes tamen anglicani theologi acerrimo feruntur odio in symbolum athanasianum. Inter eos non defuere, neque in praesentiarum desunt, qui symbolum athanasianum in liturgia ut servetur peroptent, nihil affirmantes in eo reperiri, quod Ecclesiarum orthodoxarum doctrinam inficiat. Casus enim genitivus quoad processionem Spiritus Sancti sine praepositione in versione anglica huiusce symboli adhibetur: *The holy Ghost is of the Father and of the Son: sublata igitur graeca praepositione ἐκ* in latina versione, doctrina Patrum Graecorum per S. Iohannem Damascenum luculenter expressa, videlicet, quod Spiritus Sanctus est *Spiritus Filii*, enucleatur: *Τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ* (3). Hocce effugium reprobat Technopulos, tanquam puerorum crepundia in gravissimis de fide controversiis. Etenim cum in symbolo athanasiano verbum *procedere* exstet, clare innuitur quod Spiritus Sanctus est Spiritus *ex* Filio procedens.

Censoria virgula notant alii illud *Filioque* in symbolo insertum (4). Hore id appellat infelicem additionem, quae Anglicanos non secus atque Graecos torquet (5). Episcopus anglicanus Brown dolet quod Anglicanis Romana Ecclesia perniciosum illud appinxerit additamentum (6). Illud *Filioque* proculdubio veritatem dogmaticam praesefert: id tamen in symbolum intexere non licuit (7). Consequitur inde ex

---

συγγενεστέρα ἢ ἐκείνη ἢ νῦν ἡμῖν, εἰθισμένη· καὶ προσέτι γενέσθω τοιαῦτα ἐπιβλήματα καὶ ἐπανορθώσεις, ἅτινα καὶ ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς ἀνατολικαῖς καὶ τῇ πρώτῃ καὶ παλαιοτάτῃ, τῇ πασῶν Ἐκκλησιῶν θεμελίῳ καὶ κανόνι, μάλιστα διοικήσει συμφωνεῖν. — MANSI-PETIT, t. XXXVII, col. 385.

(1) SCHAFF, t. I, pp. 41-42.

(2) *Ἕνωσις τῶν Ἐκκλησιῶν*, n. 41, p. 649. Haec sodalitas instituta fuit anno 1864, atque instaurata anno 1893. Cf. *La Terre Sainte*, t. XXIV, 1908, pp. 285-287.

(3) Ib., n. 42, p. 668.

(4) FOULKES, op. cit., p. 367.

(5) « The infortunate introduction, which many anglicans equally with Greeks deplore, of the Filioque into the Western Creed ». — *Student's history of the greek Church*, Londini, 1902, p. 497.

(6) « I regret that the Church of England was dragged into that addition the Filioque by its union with a Church from wich we afterwards had to break ». FORTESCUE, op. cit., p. 260.

(7) « I believe filioque to be a fact in the meaning with which we use it. But regret its interpolation in every way ». — VENABLES, *The Nicene creed, the only Creed of Christendom, Ἕνωσις Ἐκκλησιῶν*, n. 57, 1905, p. 920.

symbolo illud *Filioque* expungendum, quin symbolum ipsum ex liturgia expellatur. Etenim, si hoc fieret, grassante religiosae indifferentiae, quem vocant, spiritu, insinuaretur falsa persuasio graviter olim Ecclesiam errasse in professione fidei extollenda, quae corruptam continet doctrinam. Ad praecavendum igitur fidelium scandalum, ac fortasse novum schisma, symbolum athanasianum adhuc in liturgia recitandum est, idque in libris liturgicis adnotatiuncula instruendum, qua fideles admoneantur ut fidei *expositionem* idipsum appellitent.

Quidam denique symbolum athanasianum ex provincia liturgica penitus convellendum conclamant. Hisce scriptoribus videntur Ecclesiae orthodoxae rite se gerere, cum symboli unicitatem tueantur: si fides una est, etiam symbolum unum sit oportet (1). Illud *Filioque* imprimis explodendum. Symbolum enim formularium est, in rerum substantia quas comprehendit, praecise determinatum, in eadem forma perpetuo servandum iisdemque verbis posteris propagandum. Si ius nobis agnoscatur ipsum immutandi, amplificandi, minuendi, character symboli extemplo evanescet. In Ecclesia anglicana perpauci veneratione, qua dignus est, prosequuntur Spiritum Sanctum, eo quod *Filioque* additamentum quodammodo insinuare videtur Patrem et Filium Spiritui Sancto praecellere (2).

Oleum igitur operamque perdent theologi anglicani in mediis inquirendis ad foedus cum orthodoxis pangendum, nisi prius decernatur quid de symbolo athanasiano eiusque additamento faciundum sit. Unio religiosa praesupponit animorum concordiam in fide, quae in templis Dei iisdem verbis enuntianda est. In controversia autem *τοῦ Filioque* Ecclesia orientalis ita se gessit, ut merito exornaretur epitheto *orthodoxae*. Necesse itaque est eius vestigiis insistant anglicani, qui sub anathemate concilii ephesini contra violatores fidei nicaenae illato, adhuc miserrime perstant (3).

Hisce expositis ad Graecorum Anglicanorumque sententias quod spectat, de tota controversia ut nostrum feramus iudicium locus hic

(1) « There is only one creed for Christendom. Whatever value we may attach—whatever reverence we may accord to « the Apostles Creed », or to « the Athanasian creed » we cannot regard them as creeds. To do so is to infringe the sole and unique prerogative of the one creed ». — Ib., n. 53, 1905, p. 848.

(2) Ib., p. 849.

(3) « Our plain duty is to conform to the exact words of the unique Symbol: and in default of the we remain under Ephesine and Chalcedon Anathema and suffer the undefined yet assured undoubted consequences. All efforts towards Unity must be futile until we put ourselves right in regard to this crucial preliminary... The eastern Church is in this matter orthodox, and to be one with them we must become orthodox ». — Ib., p. 850.

admonet. Ad cavillationes tamen adversariorum penitus rimandas diluendasque antequam progrediamur, praenotandum ducimus maximi momenti hasce disceptationes pro defensione catholicae fidei nobis haberi. Mirum igitur cuique non erit, longius in eis concinnandis immorari nos voluisse. Etenim, contra osores symboli athanasiani, haud quidem hocce symbolum tantum tuemur, sed et insuper traditionem christianam, in quam evertendam vineas pluteosque agunt novatores, quibus obnitimur. Horum enim effraenata licentia factum est, ut quidquid latinum praeseferat characterem, ortumque in Occidente habuisse comperitur, statim in suspicionem veniat, everrendis spuriorum documentorum quisquiliis accenseatur, errorum tenebris infuscatum portendatur, corruptum interpolatumque declaretur. Ad hasce praecavendas calumnias nihil conferunt puritas fidei, originis antiquitas, styli elegans praecisio, saeculorum praeteritorum concors veneratio, fidelium cultus, perillustrium doctorum consensus, Romanae denique Ecclesiae solemnis confirmatio. « Latinum est; ergo commentitium! Romanam fidem exhibet; ergo in rogales flammas inferendum! ».

Haec scriptores illi, quos memoravimus, continenter crepant. Sicut peccatum originale omnes inficit mortalium animas, in eisque obicem ponit ad supernaturalem Dei gratiam accipiendam, ita romanus character, qui nitet in plurimis fidei documentis, ad mentem scriptorum, quorum sententias exposuimus, nativam eorum pulchritudinem doloso incrustat tectorio.

Quantum a recto tramite, qui haec effutiunt, aberrent, res adeo plana est, ut nostra non indigeat commentatione. Vetera enim monumenta fidei, quae ante schisma exortum ad nos usque pervenere, communia sunt tam romanae quam graecae Ecclesiae, eadem sane potiuntur vi dogmatica, eandem praeseferunt auctoritatem, eademque veneratione impense excolenda sunt. Novem prioribus a Christo nato saeculis Ecclesia latina et graeca nomine tantum dividuntur: vinculo enim unitatis, quo Romana sedes cunctos in orbe fideles alligat, devinciuntur. Apertissimum igitur est mendacium Graecam tantum Ecclesiam traditionis sacrae fontem extitisse, ab eaque tantum profecta fidei formularia, dogmatica pollere auctoritate. Symbola, quae originem occidentalem portendunt, apostolicum atque athanasianum, unam eamdemque tradunt fidem, quam symbolum nicaeno-constantinopolitanum. Ne verbulum quidem, si doctrinam spectes, in illis reperire fas est, quod, vel explicite, vel implicite, suam confirmationem in symbolo nicaeno haud nanciscatur.

Num igitur duo symbola latina delenda, quia latino conscripta sunt idiomate?... quia romanorum Pontificum confirmata sunt suf-

fragio?... Si res ita se habet, symbolum ipsum nicaenum repudiandum est, quod Romani Pontifices sua communierunt sanctione, quod, ut superius diximus, in voce illa *τοῦ ὁμοουσίου* romanum pandit influxum in se exercitum. Traditio sacra non in eo consistit ut graecos solummodo scriptores, in veritatibus, quas comprehendit, consentientes habeat. Haec traditio universalis est non secus atque Ecclesia; Orientem inter atque Occidentem non distinguit, diversisque loquitur idiomatis ut eandem expromat doctrinam. Fac ut mirabilis ista consensio in veritatibus fidei discingatur, ac traditionis nec vola nec vestigium manebunt amplius (1).

Si corradendum ex liturgia symbolum apostolicum, quia Romae conditum est, nec non symbolum athanasianum, quia latinis ex fontibus processit, cur simul non exularent ex ditissimis christianae traditionis thesauris omnes Patres latini, qui eundem romanum influxum suis in scriptis apertissime produnt?... Si romana lineamenta, ut cavillantur Mesoloras, Technopulos eiusdemque furfuris theologi, lethalius elementum, quam lues inter humanos, aestimanda essent, traditio christiana, quae suam vim ex omnium antiquarum Ecclesiarum cum Romana Ecclesia consensione depromit, ab imis rueret fundamentis. Haud igitur ab aetate Photii ortus schismatis arcessendus foret. Relabendum erit ad ipsissima incunabula religionis christianae, ut schismatis causae nobis innotescant. Al initio dicendum foret in duos adversos campos Ecclesiam Christi dispertitam esse: dextrorsum fideles, qui graeco usi idiomate, ne extremis quidem digitis haeresim contrectaverint; sinistrorsum latini, qui, Romanae subditi sedi, nil aliud a priscis illis temporibus praestare potuerint, nisi fidem radicitus corruptam, sordibus haeresεon commaculatam. Si enim symbola, quae

(1) Pulcherrimis verbis doctrinam quam tuemur, enuclearunt Tertullianus atque Irenaeus. Ad prioris sententiam, « quid apostoli praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt. Omnem proinde doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspirat, tenendum est Ecclesias ab apostolis accepisse, Apostolos a Christo, Christum autem a Deo ». — *Liber de praescr.*, c. XXI, *P. L.*, t. II, col. 38. Inter hasce Ecclesias, quae in eadem fide conspirant, doctrinaeque consanguineitatem praeseferunt, Ib., c. XXXII, coll. 53-54, primus locus assignandus est Ecclesiae romanae, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, Ib., c. XXXVI, col. 58. Eadem sentit Irenaeus, qui traditionem apostolorum toto mundo manifestatam in omni adesse Ecclesia affirmat, *Adversus haereses*, l. III, c. III, n. 1, *P. G.*, t. VII, col. 848, praesertim in omnium Ecclesiarum maxima et antiquissima. Ib., n. 2; Cf. etiam, l. IV, n. 8, col. 1077. — Franzelin, *Tractatus de Divina Scriptura et Traditione*, Romae, 1896, pp. 63-64; 92-93.

Romana Ecclesia indesinenter adhibuit, suaque prosecuta est veneratione, tot merent convicia, tot dicteria, quibus obruuntur a praecitatis scriptoribus, fidem ipsam Occidentis ab initio vitiatam fuisse colligendum esset. Aniles igitur inter fabulas puerorumque nenia amandandus consensus ille universalis, qui tessera verae fidei merito habetur.

Non diffitemur symbolorum, quae in Ecclesia romana usu recepta fuere, auctores nobis non innotescere. Attamen ex eo quod nos lateat auctor cuiusdam monumenti dogmatici, non sequitur id tanquam falsum, tanquam mendax rejiciendum esse. De compluribus enim Sacrarum Scripturarum libris non satis constat, quisnam eos conscripserit. Inde tamen non conficitur eos divina, ex parte scriptorum, caruisse inspiratione. Ecclesia enim eos in suo canone recepit, tanquam Dei verbum authenticum, tanquam revelationem a scriptoribus sacris, afflante Spiritu Sancto, litteris consignatam. Dubium igitur de persona auctoris in fidei haerens documentis, quae sua sanctione munivit Ecclesia, non subsequitur dubium de veritate atque authenticitate doctrinae, quae in iisdem expromitur.

In documentis fidei dijudicandis, res in eis contentas perpendit Ecclesia, et si deprehendit in eisdem sinceram antiquitatis christianae fidem, nullis maculis adspersam proponi, planum est atque obvium nugas recinere, quisquis ea oblivione sepelienda decernat. Absurda ergo non loquimur, cum asserimus, in controversia quoad symbolum athanasianum traditionis christianae iura catholicam theologiam tueri. Catholicorum enim theologorum nihil interest utrum Athanasius symbolum condiderit, quod ab eo vocatur, necne. Sollicitudinem nostram in eo reponimus, ut luculenter pateat fidem symboli athanasiani, plane convenire cum fide conciliorum oecumenicorum graecorumque Patrum. Si hoc evincatur, satis liquet postulatis eorum cedere, qui ob vehementissimum in latinos odium hocce symbolum unius aestimant assis, idem esse ac monumenta traditionis christianae evertere, in castraque protestantium sese recipere, qui Sacras Scripturas unicum divinae revelationis fontem perperam edicunt.

Ad singulares, quas nobis obtrudunt adversarii, obiectiones, haec reponimus:

a) Perridiculum dilemma nobis astruit Technopulos, cum unum tantum in Ecclesia symbolum servandum statuit, ceteris deletis. Symbolum enim expositio fidei est, ac nullibi legitur quod oporteat eiusdem fidei, ad verborum structuram quod attinet, non autem ad substantiam, unam tantum professionem haberi. Arguit graeculus noster complures fidei professiones, vel eadem portendere, vel diversa: si

primum, una tantum sufficit, ceteraeque supervacaneae; si alterum, plures consequeretur dari Ecclesias, ab invicem separatas, quippe quae dissentientem inter se fidem profiteantur.

In hisce cavillationibus refellendis multis haud morabimur. Exploratum est sanae rationi non repugnare, quod variae dentur professiones fidei, identitatem praeseferentes in veritatum credendarum complexu, differentiam vero in verborum ambitu rerumque enuntiatione. Symbolum enim compendium est fidei, quod principia divinae revelationis concinna brevitate, formulisque praecisis ac determinatis coarctat. Nihil autem vetat quominus haec principia, vel pressius contrahantur, vel fusius producantur, prout temporum adiuncta, vel utilitas fidelium, in quorum commodum haec enuncleantur compendia, efflagitant. Itaque, si vere symbolum compendium est scientiae fidei, huic scientiae detrimentum non infertur, cum in variis compendiis concinnatur, cum ab eis qui legitimi censentur in rebus fidei magistri, uni compendio alterum adnectitur, in quibus eadem principia, non eodem stylo verborumque ambitu, proponantur. Supervacanea igitur non sunt complura symbola, quae eandem tradant fidem: in eis enim reperitur quaedam distinctio, distinctio nimirum formae, quo fit ut unum alterum compleat, ut unum, aptius quam alterum, temporum adiunctis respondeat. Sicut Ecclesia non constringitur neque irretitur formulis verbisque in fidei veritatibus enucleandis, sed, legibus obtemperans progressus theologici, novas formulas aptioraque verba excogitare et sancire potest ad eandem immutabilem veritatem expromendam, ita et in symbolo non uni alligatur formulario, sed in suo munere obeundo plura simul adhibere potest formularia, eaque tanquam symbola promulgare, eandem fidem nunc contractius proponentia, nunc fusius explicantia.

Adversariorum ratio pondus haberet, si nobis constaret verba, quibus symbolum conflatur, non secus ac veritates, quae in eodem systematice coalescunt, divinitus revelata fuisse. Haec tamen praesumptio, quam absona sit veritati, conciliorum oecumenicorum historia, quae varias fidei professiones enuclearunt, satis edocet. Cum igitur, quoad suam extrinsecam faciem, nimirum, quoad verborum ambitum, veritates in symbolo contentae subiiciantur processui theologico Ecclesiaeque magisterio, quae simul accuratioribus formulis vocabulisque haud raro veritates fidei clarius et pressius determinant, unicitas symboli, quam adversarii crepant, de fide in eo contenta intelligenda est, non autem de verborum, ut ita dicam, quibus veritates symboli obteguntur, involucris.

Res tam plana est, ut graecus theologus, cui obnitimur, invitus coactus sit fateri nihil obstare, quominus « vetus symbolum per Ec-

clesiam aboleatur, eique novum substituatur ». Hoc Patres nicaeni egerunt, qui, symbolo apostolico deleto, symbolum nicaenum cunctis imposuere fidelibus, ut fidei orthodoxae authenticam professionem. Adde, quod, fatentibus ipsis scriptoribus orthodoxis, primis christianae religionis saeculis, tot symbola pervulgata fuere quot erant Ecclesiae particulares. Unicitas igitur symboli, loquimur de unicitate formulae, qua fides in eo exprimitur, ex praxi antiquioris Ecclesiae falsa deprehenditur.

Haec cum ita sint, novum statuit principium Technopulos, unum symbolum in Ecclesia conclamans adhibendum, ceteris, quamvis antiquitate, aut doctrinae perspicuitate, aut Ecclesiae suffragio praestantibus, corrasis. Totum eius aedificium logicum, aut potius illogicum, simplici distinctione ex imis ruit fundamentis. Cum enim ponitur: « Duo vel tria symbola, si idem dicunt, supervacanea sunt », distinguimus: Si idem dicunt, iisdem plane verbis, iisdemque formulis, ut, sive respectes, sive extrinsecam, quam induunt, formam, nihil in eis deprehendatur, quod unum ab altero secernat, *concedo;* si idem dicunt, vario tamen verborum ambitu, variaque rerum earumdem explicatione, quo fit ut unum symbolum disertius, fusius, clarius, quam alterum, easdem fidei veritates exprimat, *nego*. Naturam intrinsecam omnium symbolorum, quae sua communivit Ecclesia sanctione, identicam contendimus; extrinsecam vero, ut ita dicam, vestem, absimilem. *Unicitatem* symboli *quoad fidem credendam* tutamur: *varietatem* symbolorum, *quoad fidem exponendam*, asserimus. Fides enim pro temporum adiunctis minore vel maiore indiget explicatione. Hocce factum fuisse per symbolum athanasianum comperimus, quod conditum est ut arianismi serpentis in Occidente recideret nervos. Symbolum igitur nicoenum tanta donare auctoritate, ut cetera symbola idipsum abrogare statuatur, sibi vellet ius demere magisterio ecclesiastico, pro fidei defensione contra haereticorum assultus, divinam revelationem in formulariis authenticis fusius exprimendi, clariusque determinandi. Haec si placeret conclusio, dicendum foret Patres nicaenos rivos clausisse, qui ex magisterio ecclesiastico divinitus instituto ad sacram doctrinam sartam tectamque servandam indesinenter effluunt.

b) Lepidum effugium ad fucum veritati faciendum excogitavit Technopulos. Cum enim nullimode negare potuisset symbolum athanasianum insertum esse sive in psalterio liturgico russico, sive in *horologio* graecae Ecclesiae, pro arbitratu huic vel illo libro liturgico maiorem minoremve tribuit auctoritatem. Haec distinctio inter libros liturgicos nullis nititur firmamentis. Scriptores, qui de rebus liturgicis apud Graecos Russosque agunt de horologio Graecorum non secus lo-

quuntur ac de euchologio, triodio, hirmologio ceterisque libris liturgicis. *Euchologium* quidem liturgias continet, ac rituales preces pro sacramentorum administratione; *horologium* vero divini officii ordinem, quo fit ut prius nostro in latina Ecclesia respondeat *Missali*, posterius *Breviario* (1). Indiscriminatim tamen unum alterumque inter libros liturgicos orthodoxarum Ecclesiarum recensentur. Idem asserendum de binis psalteriis Russorum, quae vocantur, primum псалтырь слѣдованная, scilicet, ordine liturgico dispositum atque horologium (часословъ) complectens, et psalterium simplex: псалтырь простая, келейная, малая. In utroque symbolum athanasianum reperitur, utrumque suum locum habet in elencho liturgicorum librorum (2).

Itaque si Graeca Ecclesia sua sponte symbolum athanasianum in horologium invexerit, satis abunde patet hocce symbolum tanta veneratione ab ea donari, ut ei locum dederit suas inter liturgicas preces. Concedimus quidem graecam Ecclesiam in praesentiarum illud ex novis editionibus horologii expunxisse. At, compertum est haud semel graviora Ecclesiam graecam temere innovasse, ut latinorum osoribus morem gereret. Sicut in praesens symbolum athanasianum procul a libris liturgicis ablegandum statuit, ita et saeculo XVIII baptisma latinorum, quod validum a suis maioribus semper habitum est, vesano ausu invalidum pronuntiavit iterandumque decrevit. Quod igitur, ut laudabile facinus decantat graecus theologus, dedecori potius graecae vertitur Ecclesiae, quae praeclaram fidei confessionem, ne displiceret obstrepentibus Romanae Ecclesiae hostibus, oblivione sepeliendum toleravit.

c) Quae petulanter objicit graecus theologus, necessitatem praetexens sanctione synodorum oecumenicarum, ut symbola communiantur authenticitate verae legitimaeque professionis fidei, facile diluuntur. Usque ad concilium nicoenum variis symbolis Ecclesia Christi, iuxta traditiones particularium Ecclesiarum, utebatur. Numquid asserendum est haec omnia fidei documenta, eo quod ante concilium nicaenum sanctionem non habuerint conciliorum oecumenicorum, spuriam fidem exhibuisse?... Post peractum concilium oecumenicum primum, post promulgationem fidei nicaenae, ut satis declarant symbola Cyrilli Hierosolymitani atque Epiphanii, particulares Ecclesias sua symbola non

(1) Clugnet, *Dictionnaire grec-français des noms liturgiques en usage dans l'Église grecque*, Parisiis, 1895, pp. 59, 171.

(2) Nikolsky, Пособіе къ изученію устава богослуженія православной церкви (*Manuale pro adiuvando studio τοῦ τυπικοῦ liturgici Ecclesiae orthodoxae*) Petropoli, 1894, p. 129.

semper aboluere, eaque servanda censuerunt, nicoeni symboli explicationibus adiectis.

Hisce tamen disputatis, haud nobis est animus ex eis inferre pro suo lubito hancce vel illam Ecclesiam particularem, huncce vel illum episcopum iure potiri novum symbolum fidei condendi, vel vetera symbola pro arbitratu immutandi explicandique. Ut symbolum aliquod auctoritate documenti dogmatici pro Ecclesia universali praeseferat, ab ea necesse est proponatur potestate, quae Ecclesiae universali in rebus fidei infallibiliter docendis explanandisque divinitus praeest. Hancce infallibilitatem vindicamus quidem conciliis oecumenicis: haec tamen, cum rarissimi congregentur, si statuatur iisdem tantum infallibilitatis praerogativam competere, magisterium ecclesiasticum a Jesu Christo institutum, ut ad finem usque mundi depositum sacrae fidei tutetur, suisque instruat explicationibus nonnisi septies viginti saeculorum intervallo, suo munere absolvisse, perperam dicendum foret (1).

At symbolum athanasianum latuit Patres septem conciliorum oecumenicorum, qui fidem nicaenam in liturgia adhibendam statuerunt. Esto. Patres latuit hocce symbolum; num fides, quae in eo exprimitur, ipsos latuit?... Scriptores orthodoxi vel inviti fatentur Trinitatis atque Incarnationis mysteria symbolum athanasianum tanta praeseferre accuratione, locutionumque dogmaticarum praecisione, ut haereses christologicae ex asse explodantur. Fides igitur huiusce symboli, prorsus eadem est ac fides symboli nicaeni, cuius illud est fusior explicatio. Ex eo igitur quod Patres statuant aliam fidem, praeter nicaenam, adhibendam non esse, haud sequitur ad eorum mentem symbolum athanasianum expungendum fore. In utroque enim symbolo una prostat fides. Qua de causa, pro eo ut perperam insudarent in congerendis contumeliis ad symboli athanasiani auctoritatem prostrandam, eo quod de eius auctore nobis certo non constet, rectius commodiusque egissent praecitati theologi, si comparatione instituta symbolum nicaenum inter atque athanasianum, luce meridiana clariorem utriusque

(1) « Ad rem Heinrich: Es können Iahrhunderte verlaufen, ohne das solche Entscheidungen erlassen, oder allgemeinen Concilien gehalten werden. Die Kirche ist aber nicht nur in jenen seltenen Momenten: sie ist allezeit und in jedem Momente die unfehlbare Hüterin und Lehrerin des apostolischen Glaubensdepositum, die Säule und Grundfeste der Wahrheit. Sie ist keineswegs nur in der Uebung ihres Richteramtes bei Glaubensstreitigkeiten unfehlbar, sie ist auch im Frieden und in der regelmässige Uebung ihres ordentlichen Lehramtes. Nicht erst durch jene richterlichen Entscheidungen wird der Glaubenstand der Kirche fortgestellt: er steht fest von Anfang an, und allezeit durch die Lehre und den Glauben der Kirche ». — *Dogmatische Theologie*, t. II, p. 58.

identitatem prodidissent. Qua identitate semel adserta, symbolum athanasianum in liturgia delere, idem sonaret ac symbolum nicaenum abrogare.

d) Symbolum athanasianum mordaci lancinat lingua Technopulos eo quod latinum additamentum illius *Filioque* exhibet. Eadem semper chorda nobis oberrandum non est, ad omnem larvam hisce commentis detrahendam. Latinum additamentum sudes est graecorum theologorum oculis, qui locutionis novitatem acerbissime perstringunt. Etiamsi nova esset in theologia christiana locutio haec, ad rem facerent verba S. Athanasii, qui Arianos iurgia consarcinantes in vocem *ὁμοούσιον*, hisce increpat verbis: « Si murmurent quod illae voces in Scripturis non exstent, hoc ipso tanquam futiles et mente non sani, sunt rejiciendi. Seipsos porro hic etiam potissimum accusent, quod prius huic rei locum dederint, qui ipsi excogitatis vocibus, quae in Scripturis non habentur, bellum Deo coeperunt inferre. Noverit tamen quisquis studiosus fuerit, etiamsi ipsae voces in Scripturis non exstent, sententiam tamen quam continent, vere in Scripturis haberi » (1).

Ampullas autem projiciunt scriptores, quos commemoravimus, cum latinos sub anathemate constituant synodi ephesinae, in violatores fidei nicaenae illato. Ut iam edisseruimus, concilium ephesinum vetuit quominus *privati homines* suo arbitratu in symbolum inveherent determinationes fidei: hocce tamen ius magisterio universalis Ecclesiae, Patres concilii non denegasse, canonem ephesinum attentius perlegenti statim erit perspectum (2). Adde quod, ut Socolovius rite animadvertit,

(1) *Εἰ δ' ὅτι καὶ μὴ ἔγγραφοί εἰσι, πάλιν γογγύζουσιν, αὐτόθεν μὲν αὐτοὶ ἐκβαλλέσθωσαν ὡς κενολογοῦντες καὶ τὸν νοῦν οὐχ ὑγιαίνοντες· ἑαυτοὺς δὲ καὶ ἐν τούτοις αἰτιάσθωσαν, ὅτι, πρῶτοι παρασχόντες τὴν τοιαύτην πρόφασιν, ἐξ ἀγράφων θεομαχεῖν ἤρξαντο. Γινοσκέτω δὲ ὅμως, εἴ τις ἔστι φιλομαθής, ὅτι, εἰ καὶ μὴ οὕτως ἐν ταῖς Γραφαῖς εἰσιν αἱ λέξεις, ἀλλά... τὴν ἐκ τῶν Γραφῶν διάνοιαν ἔχουσιν, καὶ ταύτην ἐκφωνούμεναι σημαίνουσι τοῖς ἔχουσιν εἰς εὐσέβειαν τὴν ἀκοὴν ὁλόκληρον.* — *De decretis nicaenae synodi*, n. XXI, *P. G.*, t. XXV, col. 453.

(2) Haec est ratio, quae iuxta S. Athanasium, suasit Patribus synodi sardicensis ne novum conderent symbolum, Hefele, *Histoire des conciles*, t. I, 2, p. 757. Concilium sardicense sancivit fidem sufficere a Patribus nicaenis promulgatam, quippe quae in nullo deficeret plenaque pietatis esset. Votis autem eorum, qui novum peroptabant symbolum non satisfaciens, vetuit quominus novum ederetur symbolum, ne, quae Niceae conscripta fuere, imperfecta reputarentur, neve occasio iis daretur, qui saepenumero de fide scribere ac definire volunt. Unde si quis illud aliudve proponat, potius compescendi, atque ad studium pacis revocandi: nihil in eis agnoscitur, quam solum contendendi studium: *Ἡ δὲ ἁγία Σύνοδος ἡ ἐν Σαρδικῇ συναχθεῖσα ἠγανάκτησε, καὶ ὥρισε μηδὲν ἔτι περὶ πίστεως γραφέσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν Πατέρων ὁμολογηθείσῃ πίστει, διὰ τὸ μηδὲν αὐτῇ λείπειν, ἀλλὰ πλήρη εὐσεβείας εἶναι, καὶ ὅτι μὴ δεῖν δευτέραν ἐκτίθεσθαι*

praefatus « canon docet ne quis aliam fidem proferat, aut conscribat; non autem illud prohibet, ne quid symbolo conveniens et consentaneum interpretationis causa addatur; sed simpliciter ne quis aliam fidem conscribat, hoc autem est, diversam, pugnantem, planeque contrariam ab illa, quam sancti tradiderunt Patres. Cum canon igitur dicit componere, producere, proferre, conscribere, non excludit interpretari, explanare, illustrare: quae longe diversa sunt et nonnumquam plane necessaria » (1). Conficitur inde latinum additamentum canonem ephesinum haud violare, qui ad fidem nicaenam refertur, non autem ad formulas, quibus haec fides exprimitur, et consequenter apertissimum est mendacium asserere additamentum latinum anathema concilii ephesini promerere.

e) Risum movet, quod ad catholicitatem symboli negandam adducitur argumentum, ex lacunis depromptum, quas in symbolo athanasiano graecus theologus adinvenit. Symbolum enim compendium praecipuarum fidei veritatum exhibet, quin omnia comprehendat quae in fidei deposito habentur. Veritates in symbolo athanasiano contentae ad Deum pertinent in sua divina essentia personarumque Trinitate perspectum, atque ad Filium Dei, qui, nostra assumpta natura, genus humanum benigne redemit. Praecipua igitur fidei mysteria complectitur, eisque per formulas accuratissimas enucleatis, omnes removet haereticorum cavillationes. Nullum concilium definivit, nullus theologus statuit, quot vel quaenam veritates fidei in symbolum inducendae sint. Hoc iure iudicium exclusive pertinet ad magisterium ecclesiasticum, quod iustis de causis symbolum producere potest, ut dogmata explicatius in eo non contenta, debacchantibus haeresibus, ei adnectantur. Si perlegatur historia symbolorum, assertio nostra liquidissima evadet. Symbolum illud primitivum, quod aetate apostolica confectum fertur, non omnes in variis conciliis oecumenicis definitas veritates fidei comprehendebat, sed formulam perbrevem, quae fidem in Deum unum et trinum exprimebat. Si cuidam theologo symbolum athanasianum despiciendum videtur, quia lacunas in veritatibus fidei percensendis

---

πίστιν, ἵνα μὴ ἡ ἐν Νικαίᾳ γραφεῖσα ὡς ἀτελὴς οὖσα, νομισθῇ, καὶ πρόφασις δοθῇ τοῖς ἐθέλουσι πολλάκις γράφειν καὶ ὁρίζειν περὶ πίστεως. Ὅθεν κἂν τοῦτό τις, ἢ ἕτερον προβάλληται, παύετε τοὺς τοιούτους, καὶ μᾶλλον εἰρηνεύειν αὐτοὺς πείθετε καὶ γὰρ οὐδὲν πλέον συνείδομεν ἐν τούτοις ἢ φιλονεικίαν μόνην. — Tomus ad Antiochenos, n. V, *P. G.*, t. XXVI, coll. 800-801. Itaque S. Athanasius non denegat concilio facultatem novi symboli condendi, sed rationem opportunitatis adducit ut hoc non fiat, praesertim quia privatae personae novum symbolum quaerunt disputationum studio.

(1) *Censura Ecclesiae Orientalis*, Cracoviae, 1582, p. 12.

exhibet, aeque facili ratione alteri theologo symbolum nicaenum ut lacunosum, mancum non probabitur, quia fidem christologicam fuse diserteque non tradit. De ratione symboli est ut praecipuas fidei veritates exbibeat, easque concinna brevitate formulisque accuratissimis: hisce autem dotibus exornari symbolum athanasianum in aprico est, ideoque non est ex liturgia expungendum.

f) Gerras denique clamitat Technopulos, cum perniciosum faciat symbolum athanasianum, eo quod difficillimas captui pertendat doctrinas viamque haeresibus explanet. Tot iam saecula praeteriere, quibus hocce symbolum in liturgia apud catholicos aeque ac protestantes usu venit, et calamitates, quas graecus theologus sibi effingit, nunquam extitere. Ex proposito graeci theologi argumento sequeretur athanasianum symbolum ad salutem non conducere, eo quod difficillimam captui fidem, quantumvis rectam, proponat. Quam ineptissimae hae sint ineptiae, nemo est qui non videat. Pro rudioribus enim fidelibus veritates fidei in symbolo expositae ea nunquam affunduntur luce, quae cunctas dispellat tenebras. Difficultates igitur, quas in symbolo athanasiano fidelis offendit, in symbolo nicoeno-constantinopolitano eadem reperiuntur ratione. Si criterium dijudicandorum symbolorum statuantur veritatum fidei in eis expositarum claritas et perspicuitas, omnia symbola ex libris liturgicis praecidenda forent, quia veritates fidei, praecisis formulis vel expressae, pro rudiorum fidelium captu nebulis involutae perpetuo manebunt.

Subiectivum elementum invocat graecus theologus, ut suam fulciat sententiam; hocce autem elementum, quam varium sit ac diversum, verbis opus non est ad demonstrandum, quapropter nequit fieri criterium Ecclesiae in veritatum revelatarum compendiis redigendis. Ecclesia de obiectiva tantum rerum in symbolo contentarum veritate iudicat, cumque sibi perspectum fuerit eas plane convenire cum divina revelatione, sua sanctione symbolum illud tanquam fidei authenticam expositionem approbat, a maiore vel minore difficultate, quam fideles in eis concipiendis experiuntur, abstrahendo. Si Athanasianum symbolum expungendum esset ex liturgia, eo quod praecelsam mysteriorum fidei doctrinam edisserit, quae male intellecta in mentibus parum excultis haereseon germina conserere posset, non video cur simul expungenda non essent Sacrarum Scripturarum excerpta, ceteraeque preces liturgicae, quae persaepe difficultatibus scatent.

In crassum huncce errorem non incidisset Technopulos, si perspectam sibi habuisset communem symboli definitionem, quod, ut verbis utar scriptoris orthodoxi, doctrina est paucis, sed accuratis verbis exposita, quae cunctis christianis orthodoxis de fide credenda est, com-

pendium doctrinae christianae, in qua vera Ecclesiae fides exponitur obiective (1). Ad rationem igitur symboli brevitas pertinet, in formulisque accuratio, non autem tam mira perspicuitas, ut primo intuitu perlegentibus vel rudissimis divinarum veritatum sensum patefaciat. Si per symbolum omnis tolleretur difficultas in principiis fidei universalioribus concipiendis, inutiles sane forent tot symboli expositiones quae a remota iam aetate ad nostra usque tempora continenter in lucem prolatae fuere. Itaque symbolum, ut paucis rem expediam, finem ob quem conditum est, assequitur, si doctrinam christianam compendiose ac praecise contrahat, etiamsi nebulas non dispellat, quae in concipiendis rebus fidei mentem nostram involvunt.

g) Anglicanos demum monitos volumus non secus ac veteres catholicos, qua par est animi sinceritate in controversiis fidei semper adhibenda, sese non gerere. Theologi orthodoxi non modo additamentum illius *Filioque* damnant, sed et insuper doctrinam ipsam dogmaticam, quam *Filioque* exprimit, reprobant. In Patriarcharum responsionibus ad propositiones ex Britannia missas de unione et concordia cum orientali Ecclesia (18 aprilis 1718), primum legitur « nefas esse particulas quasdam in symbolo inseri, nec non oportere ut hocce sincerum servetur, et non adulteratum, et ita dicatur et recitetur sicut ab initio a sanctis illis synodis compositum et decretum fuit »(2). Ratio deinceps adiungitur, quae Patriarchas movet ad latinum additamentum reprobandum: « Sicut enim Filius non generatur a Patre mediante Spiritu Sancto, ita nec Spiritus Sanctus processit a Patre mediante Filio »(3). Unde conficitur « vitiose opinare latinos Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, quod contrarium est Domini et sanctorum Patrum doctrinae »(4).

(1) Символъ вѣры-это въ краткихъ, но точныхъ словахъ изложенное ученіе о томъ, во что долженъ вѣровать всякій православный христіанинъ. Въ символѣ истинная вѣра церкви становится объективною. — Filevsky, Ученіе о священномъ преданіи, p. 547.

(2) *Ὅθεν οὐδὲ τὰ τοιαῦτα μόρια προστεθῆναι εἰς αὐτὸ οὐδόλως ἀνεχόμεθα, δηλονότι ἡ τὴν διὰ ἢ τὴν ἐξ πρόθεσιν, καὶ λέγειν ἢ ἐξ υἱοῦ ἢ διὰ τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ βουλόμεθα τοὺς μεθ' ἡμῶν ἦναι καὶ κοινωνεῖν καὶ συμφρονεῖν ἡμῖν βουλομένους ἀνόθευτον αὐτὸ τηρεῖν καὶ ἀκίβδηλον καὶ λέγειν καὶ ἀναγινώσκειν, ὡς ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τῶν ἁγίων συνόδων ἐκείνων συνετέθη καὶ ἐθεσπίσθη.* — Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 421.

(3) *Ὥσπερ ὁ υἱὸς οὐκ ἐγεννήθη ἐκ τοῦ Πατρός, μεσιτεύοντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οὕτως οὐδὲ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρός, μεσιτεύοντος τοῦ Υἱοῦ.* — Ib., p. 423.

(4) *Σφαλερῶς δοξάζουσιν οἱ λατῖνοι ὡς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ὅπερ ἐστὶ παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου καὶ τὴν τῶν ἁγίων Πατέρων διδασκαλίαν.* — Ib., p. 423.

Si consulantur scriptores orthodoxi, qui disciplinis theologicis ex instituto operam navarunt, pronum erit ex eorum scriptis colligere processionem Spiritus Sancti ex *solo* Patre inter dogmata fidei orthodoxae percensendum, et consequenter explodendam sententiam veterum catholicorum qui theologicas inter opiniones, de quibus disceptare licet, illud *Filioque* amandandum autumant. Itaque si theologiam orthodoxam audiamus, illud *Filioque* expungendum esset ex symbolo, quia falsam exhibet doctrinam, Scripturae sacrae Patrumque traditioni absonam (1).

Non idem sentiunt anglicani theologi. Ad eorum sententiam illud *Filioque* verum exprimit dogma doctrinae revelatae rationique in fidem inquirenti consentaneum (2). Pater est primus in Sancta Trinitate, ait Hall, quapropter τὸ esse communicat ceteris personis divinis, quin ab eis suum accipiat esse. Filius ordine secundus est in eadem Trinitate, quapropter a Patre gignitur. Spiritus Sanctus est tertius, quapropter ab utroque procedit (3). Extra dubitationem positum est, adjicit Stone, quod Spiritus Sanctus simul procedat ex Patre et Filio, tanquam ex unico principio (4). Itaque, si theologice spectata probatur eis doctrina quae aeternam a Patre Filioque processionem astruit, non satis assequor cur in symbolo eam profiteri non valeant. In re tam gravissima, summa diligentia vitandum est quidquid praeiudicatis opinionibus latam sternat viam.

(1) Старокатолическіе богословы и ихъ единомышленники совершенно напрасно настаиваютъна допустимости богословскаго мнѣнія о Сынѣ Божіемъ, какъ о нѣкоторой причинѣ, имъ нѣкоторомъ орудіи или условіи исхожденія Духа Святаго къ бытію. Это мнѣніе разнообразно противорѣчитъ съ догматомъ объ исхожденіи Духа отъ одного отца, и потому должно быть отброшено. — Gusev, Отвѣтъ старокатолическому профессору Мишо по вопросу о *Filioque* и пресуществленіи (*Responsio ad veterem catholicum professorem Michaud circa controversiam Filioque et transsubstantiationis*), Kharkoviae, 1899, p. 82. Cf. *Une réponse du général Kireev à M. le prof. Goussef sur l'ancien catholicisme* (*Revue Internationale de Théologie*, t. VI, 1898, p. 128). Quod processio ex *solo* Patre dogma sit pro theologis orthodoxis fuse demonstrat prof. Vladimirus Kerensky: Старокатолицизмъ, его исторія, и внутреннее развитіе, преимущественно въ вѣроисповѣдномъ отношеніи (*Vetus catholicismus, eiusque historia atque interior evolutio, praesertim sub adspectu professionis fidei perpensus*), Kasan, 1894, pp. 198-205; Къ старокатолическому вопросу (*Quaedam ad quaestionem Veterum catholicorum spectantia*), Kasan, 1897, pp. 10-15; Христіанское Чтеніе, 1904, t. II, pp. 391-402; Старокатолицизмъ подъ защитою о. П. Свѣтлова (*Vetus catholicismus, iuxta apologiam professoris Svietlov*), Petropoli, 1906, pp. 58-68.

(2) Ἕνωσις Ἐκκλησιῶν, 1905, n. 57, p. 920.

(3) *Theological outlines*, t. I, Milwaukee, 1892, pp. 129-130.

(4) *Outlines of christian dogma*, Neo-Eboraci, 1900, pp. 29-30.

Theologi orthodoxi, ad unionem cum Anglicanis ineundam, postulant ut eradetur in symbolo illud *Filioque*. Ad eorum mentem expulsio illius *Filioque* ex symbolo sibi vellet anglicanos reiecisse doctrinam, quam haec formula exprimit. Ad mentem autem Anglicanorum, *Filioque* delendum esset in symbolo ex motivis canonicis tantum, non autem ex motivis theologicis, cum certo certius eis constet dogmaticam veritatem τὸ *Filioque* exhibere. Ab invicem igitur se deciperent scriptores tam anglicani, quam orthodoxi in expungendo ex symbolo latino additamento, quapropter eorum unio, si unquam iniretur, dogmaticas inter eos discrepantias toleraret. In concilio florentino de additamento in symbolo parum sollicit fuere latini, dum eis concederetur dogma, quod diserte per id exprimitur, divinam ad revelationem pertinere: anglicani vero, licet suis in disquisitionibus dogmaticis veritatem *Filioque* tueantur, in praxi tamen, si additamentum symboli rejicerent, illam negarent. Compertum est enim, ut veterum catholicorum recens edocet historia, pro theologis orthodoxis expulsionem illius *Filioque* ex Symbolo negationem processionis Spiritus Sancti ex Filio sibi velle (1). Quae cum ita sint, fallaciis vicissim abuteruntur scriptores tam orthodoxi quam anglicani in suarum Ecclesiarum unione promovenda. Priores enim expulsionem illius *Filioque* ex symbolo in sensu negationis doctrinae, quam haec locutio exprimit, accipiunt: posteriores vero tenent additamentum illud pro concordia ineunda delendum esse, asserendam tamen ut veritatem fidei, processionem aeternam Spiritus Sancti a Filio, quam indicat illud *Filioque*. Quae pugnantia inter se fucatam tantum ac mendacem unionem promovere posse, nemo est qui non videat, nisi oculos in occipitio gerat (2).

(1) Вообще, по нашему мнѣнію, слѣдуетъ считать несомнѣннымъ то, что старокатолики въ настоящее время отвергаютъ латинское ученіе объ исхожденіи Св. Духа и отъ Сына, какъ догматъ. — Kerensky, Старокатолицизмъ, p. 205.

(2) Praeter recensita iam opera de symbolis pertractantia in russica Ecclesia, haec quae sequuntur, memoranda ducimus: A. Muravev, Изложеніе символа вѣры восточной каѳолической Церкви (*Expositio symboli fidei Ecclesiae catholicae orientalis*), Petropoli, 1838; Naumov, Всеобъемлимость символа вѣры (*Absoluta rerum comprehensio quae in symbolo fidei continentur*), Petropoli, 1876; A. Gezen, Исторія славянскаго перевода символа вѣры (*Historia versionis slavicae symboli fidei*), Petropoli, 1884. De hoc opere disserit Voskresensky, Прибавленія *operibus Sanctorum Patrum russice versis*, 1886, t. I, pp. 428-442; A. Iunitsky, Изъ исторіи символовъ древней восточной Церкви (*Exercitationes quaedam in historiam symbolorum veteris Ecclesiae orientalis*), Kostromae; B. D. Popov, Апостольскій символъ (*Symbolum apostolicum*), Kioviae, 1908. Quamvis auctor apostolicitatem symboli apostolici pressius acceptam rejiciat, non abnuit tamen traditionem rufinianam in pluribus historicae veritaticonsonam esse resque indubias figmentis

12. « Conciliorum oecumenicorum sententiae dogmaticae, ait Michalcescu, fundamenta sunt, quibus innititur totum Ecclesiae graecae orthodoxae aedificium *doctrinale* » (1). Hac de causa inter monumenta symbolica, quae sua in sylloge inseruit, primum assignat locum dogmaticis definitionibus conciliorum oecumenicorum. Haud abs re id factum esse dicimus. Nullum enim reperies apud Graecos vel Russos theologiae dogmaticae compendium, quod continenter ad conciliorum statuta non provocet, ex eisque regulas et normas hauriendas non statuat, quibus nobis veritas vel falsitas in doctrinis ad christianam fidem spectantibus pandatur.

Heic de conciliis oecumenicis fusam longiusque petitam instituere tractationem, nobis non est animus (2). Ad nostrum quod attinet pro-

---

permixtas habere. — Pp. 26-27. Codex slavicus 287 (saeculi XVII bibliothecae synodalis mosquensis, continet (ff. 28-58) opus polemicum adversus Latinos, quod inscribitur: Краткое и извѣстное показаніе, яко зовомый апостолькій символъ, не есть святыхъ апостоловъ слогъ, но чуждый отъ Св. Церкве, зане подобенъ есть слогу Маркелла еретика (*Parva et certa demonstratio, quod symbolum, cui epitheton apostolici, compositum non est a sanctis apostolis, sed opus est a Sancta abhorrens Ecclesia, cognationemque praesefert cum symbolo Marcelli haeretici*), Gorsky et Nevostruev, Описаніе славянскихъ рукописей московской синодальной библіотеки (*Descriptio codicum manuscriptorum slavicorum bibliothecae synodalis mosquensis*), t. III, sectio II, Mosquae, 1862, Cod. 287. In eodem codice reperiuntur tres aliae dissertationes polemicae in symbolum apostolicum. De additione illius Filioque in symbolo inserta quaedam habentur in periodico Воскресное Чтеніе: Послѣднее опредѣленіе церкви вселенской касательно неизмѣнности символа вѣры (*Postrema determinatio Ecclesiae universalis quoad immutabilitatem symboli fidei*), 1841, t. IV, pp. 397-401.

(1) « Die Lehrbeschlüsse der ökumenischen Synoden sind die Grundlage, auf welcher das ganze Lehrgebäude der griechisch-orthodoxen Kirche beruht ». — *Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας*, p. 1.

(2) Conciliorum oecumenicorum historiam in Russia conscripsere: 1) Iohannes Mitropolsky, episcopus аксайскій, vicarius eparchiae, cui flumen Tanais suum nomen indidit (Донская). Opus suum: Исторія вселенскихъ соборовъ (*Historia conciliorum generalium*) primum edidit Mosquae, anno 1871 (excerptum ex commentario periodico Душеполезное Чтеніе), ac trium tantum conciliorum, Nicaeni I, Constantinopolitani I, atque Ephesini historiam enarrabat. Altera editio, quae septem conciliorum oecumenicorum historiam complectitur, in urbe Novocerkassk lucem aspexit anno 1896. Haec recusa est Petropoli, anno 1906. Cf. Православная богословская енциклопедія, t. VII, Petropoli. 1906, coll. 156-159. — 2) Alexius Petrovitch Lebedev. Hic vir in conciliorum historia versatissimus, typis initio vulgavit: Исторія четырекъ послѣднихъ вселенскихъ соборовъ (*Historia quatuor postremorum conciliorum*), Mosquae, 1876 (Excerptum ex commentario periodico Душеполезное Чтеніе); deinceps: Вселенскіе соборы IV и V вѣка: обзоръ ихъ догматической дѣятельности въ связи съ направленіями школъ Александрійской и Антіохійской), Mosquae, 1879 (Excerptum ex commentario periodico Чтенія въ

positum, nitemur tantum disserendo assequi quaenam sit auctoritas decisionum dogmaticarum in oecumenicis conciliis promulgatarum. Huiusce quaestionis solutio maximi momenti est, ut earum valor dogmaticus inter monumenta symbolica veteris Ecclesiae nobis innotescat.

Общ. любителей духовнаго просвѣщенія). Haec duo volumina in lucem prodierunt iterum Mosquae et Serghievo annis 1896 et 1897, ac Petropoli tertio 1904. Hocce in opere praeclarus scriptor enituit perspicuo dicendi genere, acumine critico, diligentia in purioribus fontibus rimandis, ac sana eruditione. Id tamen acriter carpserunt *πρωτοϊερεῖς* Ivantzov-Platonov in volumine quod inscripsit: Религіозныя движенія на христіанскомъ востокѣ въ IV и V вѣкахъ: критико-историческія замѣчанія по поводу сочиненія проф. Лебедева (*Motus religiosi in Oriente christiano IV et V saeculis: observationes critico-historicae in opus prof. Lebedev*), Mosquae, 1881; et Th. Matvieev: Нѣсколько словъ въ защиту отцовъ перваго вселенскаго собора и вообще православія (*Pauca in defensionem Patrum primi concilii oecumenici, et fidei orthodoxae in genere*), Mosquae, 1879. Suis criticis respondit Lebedev opella, quae inscribitur: Изъ исторіи вселенскихъ соборовъ IV и V вѣковъ. Pendant къ сочиненію: Вселенскіе соборы IV и V вѣковъ (*Excerpta ex historia conciliorum oecumenicorum IV et V saeculi. Complementum operis: Concilia oecumenica IV et V saeculi*), Mosquae, 1882. Conatus est Ivantzov-Platonov apologiam Lebedev refellere in nova responsione: Отвѣтъ г. проф. Лебедеву на новую книгу, "изъ исторіи вселенскихъ соборовъ„ Православное Обозрѣніе, 1882, t. III, pp. 594-630. Res tamen ei male cessit. Etenim Lebedev in audaciam sui adversarii lepide lusit, duabus in lucem editis opellis: Нѣсколько словъ по поводу рекритики профессора протоіерея Иванцова, Mosquae, 1883 (excerptum ex Прибавленія operibus Sanctorum Patrum russice versis), 1882, t. I, p. 267-361; 571-661; t. II, p. 218-299; 1883, t. I, p. 352-384; А. М. Иванцовъ, я и свящ. Н. Добронравовъ, защитникъ перваго (*A. M. Ivantzov-Platonov, ego et presbyter Dobronravov, defensor priori*), Mosquae, 1899. Ad conciliorum oecumenicorum historiam illustrandam haec etiam pertinent opera quae A. Lebedev in lucem edidit: Исторія константинопольскихъ соборовъ IX в. (*Historia conciliorum quae Constantinopoli IX saeculo habita fuere*), Mosquae, 1888. De hoc opere disseruit N. Suvorov, Юридическій Вѣстникъ, 1889, t. II, pp. 660-677; О происхожденіи актовъ Вселенскихъ соборовъ (*De origine actorum conciliorum oecumenicorum*), Serghievo, 1904; Происхожденіе и характеристика древнѣйшихъ соборовъ (*Origo et character antiquissimorum conciliorum*), Mosquae, 1904; Уроки и примѣры изъ исторіи древнихъ соборовъ (*Monita atque exempla ex historia veterum conciliorum*), Душеполезное Чтеніе, 1907, t. I, pp. 21-62; Предстоящій всероссійскій Соборъ съ точки зрѣнія древнихъ соборовъ (*Proximum concilium generale russicae Ecclesiae ad lumen veterum Conciliorum*), Ib., t. I, pp. 336-359. Ad nostram provinciam explorandam opera quae russici scriptores typis mandarunt iuvat heic percensere: A. Golubtzov, Краткая исторія третьяго вселенскаго собора (*Parva historia tertii concilii oecumenici*), Petropoli, 1842; Краткая исторія перваго вселенскаго никейскаго собора (*Brevis historia primi concilii oecumenici nicaeni*), Petropoli, 1842, Христ. Чтеніе, t. II, p. 73-103; Краткая исторія третьяго вселенскаго собора (*Brevis historia tertii concilii oecumenici*), Ib., 1842, t. III, pp. 339-450; Maksimovitch, Историческое обозрѣніе VII вселенскаго собора (*Conspectus histo-*

In antecessum monendum dicimus nos locuturos de concilio oecumenico perfecto, videlicet de concilio quod cuncta Ecclesiae docentis membra in perfectum coalescere corpus iubet. Ridiculum enim esset de vivente hominis corpore disserere, cui caput abscissum fuerit: ca-

---

ricus VII concilii oecumenici), Kioviae, 1845; Краткая исторія втораго вселенскаго собора (*Brevis historia secundi concilii oecumenici*), Христіаснкое Чтеніе, 1846, t. III, pp. 434-452; Краткая исторія собора Халкидонскаго (*Brevis historia concilii chalcedonensis*), Христіанское Чтеніе, 1847, t. IV, pp. 112-167; Краткая исторія пятаго вселенскаго собора (*Brevis historia quinti concilii oecumenici*), Ib., 1847, t. IV, pp. 447-503: Краткая исторія шестаго вселенскаго собора (*Brevis historia sexti concilii oecumenici*), Ib., 1848, t. II, pp. 3-35: Краткая исторія седьмаго вселенскаго собора (*Brevis historia septimi concilii oecumenici*), Ib., 1848, t. II, pp. 394-437; A. Pomortzev, Историческое обозрѣніе соборовъ бывшихъ въ первые три вѣка христіанства (*Conspectus historicus conciliorum quae habita sunt tribus prioribus a Christo nato saeculis*), Oreliae, 1861; Соборы Вселенскіе (*Concilia oecumenica*), Православное обозрѣніе, 1863, t. IV, pp. 32-57, 316-330 (*Excerpta ex opere* Stanley, *History of eastern Church*); T. Barsov, О вселенскихъ соборахъ (*De conciliis oecumenicis*), Христіанское Чтеніе, 1869, t. II, pp. 191-242; 378-409; 795-829; 981-1011; S., Второй вселенскій Соборъ (*Concilium oecumenicum II*), Ib., pp. 180-234; Leonov, 64^{e} правило св. вселенскаго шестого собора (*Canon LXIV concilii oecumenici VI*), Mosquae, 1880; Ternovsky, Греко-восточная Церковь въ періодъ вселенскихъ соборовъ (*Ecclesia graeco-orientalis tempore conciliorum oecumenicorum*), Kioviae, 1883; Ostroumov, Догматическое значеніе VII вселенскаго собора (*Valor dogmaticus VII concilii oecumenici*), Karlsruhe, 1884; Smirnov, Обозрѣніе источниковъ исторіи перваго вселенскаго собора (*Conspectus historicus fontium primi concilii oecumenici*), Iaroslaviae, 1888; Lopukhin, Седьмой вселенскій Соборъ по взгляду англійскаго журнала (*Septimum concilium oecumenicum iudiciumque de eo anglici periodici*), Христіанское Чтеніе, 1897, t. II, pp. 285-314 (Commentarius periodicus cui alludit auctor, est *The Church Eclectic*); Smirnov, Памяти святыхъ отцовъ седьмаго Вселенскаго собора (*In memoriam Patrum septimi concilii oecumenici*), Petropoli, 1901; A. Khakhanov, Правила VI вселенскаго собора (*Canones VI concilii oecumenici*), Mosquae, 1903. Continet eorum versionem georgianam; Ghidulianov, Изъ исторіи развитія церковно-правительственной власти: восточные патріархи въ періодъ четырекъ первыхъ вселенскихъ соборовъ (*Exercitationes in historiam progressus potestatis ecclesiastico-civilis: Patriarchae orientales tempore quatuor priorum conciliorum oecumenicorum*), Iaroslaviae, 1908. Praecitatis operibus haec alia ducimus accensenda, quae inedita asservantur: N. Ilminsky († 1891), О вселенскихъ соборах, 1846 (*De conciliis oecumenicis*), in Bibliotheca academiae ecclesiasticae kasanensis. Cf. Spassky, Просвѣтитель инородцевъ казанскаго края (*Illuminator alienigenarum regionis kasanensis, Nicolaus Ivanovitch Ilminsky*), Samarae, 1900, p. 22; M. A. Jivotonosov († 1870), О символахъ вѣры, употреблявшихся до перваго вселенскаго собора (*De symbolis fidei quae usu venerant usque ad primum concilium oecumenicum*), 1854. Ib., Cf. Ternovsky, Русская и иностранная библіографія по исторіи византійской церкви (*Bibliographia russica atque extera circa historiam Ecclesiae byzantinae*), Kioviae, 1885, pp. 701-702;

daver hocce mutilum corpus potius vocandum erit quam vivens homo. Haec quae de nostri corporis compagine asserimus, ad concilia oecumenica eadem sane referuntur ratione. Concilium oecumenicum personam gestat totius Ecclesiae, quae indefectibili instruitur vita, in orbem terrarum rutilantes veritatis radios perpetuo iaculatur, suique magi-

---

S. Golubev, prof. academiae ecclesiasticae kiovensis, Участіе соборовъ вселенскихъ и помѣстныхъ въ образованіи богослуженія (*Participatio conciliorum oecumenicorum et particularium in elaboranda liturgia*). In bibliotheca eiusdem academiae, Ternovsky, pp 654-655; Nevzorov, Церковное управленіе и судъ по дѣяніямъ вселенскихъ соборовъ (*Administratio ac tribunal ecclesiasticum secundum acta conciliorum oecumenicorum*), 1877. Asservatur in bibliotheca academiae ecclesiasticae kasanensis. Cf. S. Ternovsky, Историческая записка etc., p. 522. Per transennam notamus hanece materiam pertractasse Nicolaus Sokolov († 1874) duabus dissertationibus: Каноническое устройство церковнаго суда по началамъ вселенскаго соборнаго законодательсва (*Structura canonica tribunalis ecclesiastici iuxta principia legislationis conciliorum oecumenicorum*), Православное обозрѣніе, 1870, t. III, pp. 587-609; 752-768; Id., Практика церковнаго суда на вселенскихъ и помѣстныхъ соборахъ (*Πρᾶξις iudicii ecclesiastici in conciliis oecumenicis et particularibus*), Ib., 1871, t. I, pp. 196-229; Dobrotvorsky, Исторія ефесскаго разбойничьяго собора 449 года (*Historia concilii quod vocant latrocinium ephesinum anno 449 habiti*), 1880. Asservatur in bibliotheca academiae kasanensis. Ternovsky, Историч. записка, p. 534; N. Livanov, Правила вселенскихъ и помѣстныхъ соборовъ касательно христіанскаго богослуженія (*Canones conciliorum oecumenicorum et particularium ad christianam liturgiam spectantium*), 1882. In eadem bibliotheca, Ternovsky, Ib., p. 560. Conciliorum oecumenicorum acta russice verterunt professores Academiae kasanensis: Дѣянія вселенскихъ соборовъ въ переводѣ на русскій языкъ, Kasan, 1858-1878 (septem volumina); altera editio, 1878-1893. Minoris momenti haec sunt: Никейскій вселенскій Соборъ I, Воскресное Чтеніе, Kioviae, 1837, t. I, pp. 53-57; Никейскій 2-й вселенскій Соборъ, Ib., pp. 383-386; Воспоминаніе св. шести вселенскихъ соборовъ (*Festum commemorationis sex conciliorum oecumenicorum*), Ib., 1838, t. II. pp. 133-136; Седмый вселенскій Соборъ, или Никейскій вторый, Ib., 1848, t. XI, pp. 513-522; Iohannes (episcopus urbis Smolensk), Правила перваго вселенскаго собора никейскаго (*Canones primi concilii oecumenici nicaeni*), Христ. Чтеніе, 1850, t. I, pp. 12-24; Id., Правила собора Конст., Ib., t. I, pp. 151-170; Id., Правила собора ефесскаго, вселенскаго IV-го, Ib., pp. 170-183; Id., Правила собора халкидонскаго, Ib., pp. 315-374; Id., Правила собора вселенскаго пято-шестого, трулльскаго, Ib., 1850, t. II, pp. 74-122; 151-182; 279-336; 385-399; Dimitrachko, Истинные вселенскіе соборы въ сопоставленіи съ нынѣшнимъ мнимо соборомъ въ Римѣ (*Genuina concilia oecumenica comparata cum spurio concilio oecumenico, quod nunc temporis Romae habetur*), Руководство для сельскихъ пастырей, 1870, t. I, 61-73; 223-34; 364-73; t. II, 8-21; 527-37; 551-58; III, 411-19; 505-12; 1871, t. II, pp. 80-90; 197-207; Zelenev, Смыслъ седьмого правила III-го вселенскаго собора на основаніи Дѣяній III и IV вселенскихъ соборовъ (*Sensus septimi canonis III concilii oecumenici iuxta acta III et IV concilii oecumenici*), Прав. Путеводитель, Petropoli, 1904, t. II, pp. 274-80; 398-407; 1905, t. I, pp. 210-23; t. II, 58-76.

sterii munere defungitur. Humano sicut in corpore, mystico Ecclesiae organismo membra, quae varia praestant officia, indissolubili nexu adhaerent. Fac tamen ut caput ei amputetur, ac statim ab eo defluet vita. Caput autem totius Ecclesiae docentis, ut alias fusiore calamo scribemus, Romanus Pontifex est, quo sublato, concilii, demortui tanquam cadaveris, non amplius audietur vox (1). Res tam clara est ac testata, ut in ea explicanda longius non immoremur. Quocunque sensu accipiatur Ecclesia, omnino necessarium est ut suo a capite non abscindatur, si velimus eam vitalibus instrui viribus. Si regnum est, ab eo separari non potest qui regale gestat sceptrum: si civitas est, supremo cuidam moderatori adiungitur: si familia toto in orbe terrarum diffusa censetur, patrem familias praesumit, qui eam regat: si arbor est quae patulis ramorum foliis omnes inumbret regiones, radice indiget qua vitales succos ex humido solo ebibat: si navis est, expedit ut prudente instruatur nauta, qui tutum in portum eam deferat. Ecclesia igitur, quacumque exprimatur similitudine, abscindi nequit a rege, moderatore supremo, patrefamilia, radice, nauta. Hoc si fieret, demortua nobis exhiberetur Ecclesia, regnum in se divisum ac desolatum, civitas quae seditionum procellis exagitatur, familia quae sine duce dissolvitur, arbor quae radicibus adustis exarescit, navis quae iratis quatitur undis. Concilium igitur, vel totius Ecclesiae repraesentatio, sine Romano Pontifice rege careret, vel moderatore, patrefamilias, et nauta, et consequenter iure destitueretur repraesentandi Ecclesiam universalem, eiusque vocem expromendi (2).

Haec preliminaris explicatio omittenda non erat, quia prima fronte nulla videtur discrepantia intercedere inter theologos catholicos atque orthodoxos, ad conciliorum oecumenicorum definitionem quod spectat. Concilium oecumenicum, ait Seredinsky, cum sit repraesentatio Ecclesiae universalis infallibilis in rebus fidei et morum, conficitur eadem

(1) « Sicut caput necessarium est integritati corporis, ita Papa tanquam caput Ecclesiae necessarium est concilio oecumenico, quod universam Ecclesiam repraesentat, quo quidem capite si careret, corpus esset monstruosum atque acephalum ». — Ballerini, *De potestate ecclesiastica summorum Pontificum et conciliorum generalium.* — Migne, *Theologiae Cursus Completus*, t. III, Parisiis, 1860, col. 342.

(2) « Si in concilio reliqua deessent membra, caput sine corpore vegetari Spiritu, aut vigere sensu Ecclesiae haud posset; si autem ecclesiastici corporis repraesentatio sine capite existeret, et omni influxu atque auctoritate legitimi Romani Pontificis careret, tunc deesset mutua potestatis communio, et quod necessario consequitur, totius Ecclesiae repraesentatio ». — Chrisman, *Regula fidei catholicae.* — Migne, *Theol. Cursus*, t. VI, Parisiis, 1862, col. 945.

instrui infallibilitate concilium oecumenicum (1). Alter traditionis fons, praeter Sacram Scripturam, adjicit Filevsky, sunt concilia oecumenica, comitia scilicet sanctorum Patrum et doctorum, quantum fieri potest, totius Ecclesiae universalis, in unum congregatorum ad veram fidem morumque disciplinam confirmandas (2). In praefatis definitionibus latet anguis. De concilio enim imperfecto, quod romanum Pontificem excludit eiusque renuit approbationem, haec verba intelliguntur. Satis igitur patet elementum essentiale hisce definitionibus deesse, auctoritatem scilicet romanorum Pontificum, quibus absentibus, nihil possent concilia nomine totius Ecclesiae de rebus fidei decernere (3). Si romanorum Pontificum auctoritas in definitione concilii oecumenici silentio praetereatur, concilium ipsum oecumenicum, quod totam repraesentat Ecclesiam, evanescet: deficiente enim capite, ut rite Mazzella animadvertit, deficeret repraesentatio Ecclesiae universalis (4).

Concilia oecumenica in theologia catholica firmiter tenemus, afflante Spiritu Sancto, decisiones in rebus fidei et morum promulgare, quae cunctis catholicis infallibiles habendae sint. « Catholici omnes, ait Bellarminus, tenent concilia generalia a summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide explicanda, nec in tradendis morum praeceptis toti Ecclesiae communibus » (5). Dicimus confirmata, cum firmum sit in theologia catholica « nec convocationem Papae, nec praesidium, neque utrumque simul omnino sufficere ad synodales sententias infallibilitate donandas » (6). Per confirmationem romanorum Pontificum, « concilia generalia supremam habent in Ecclesia auctoritatem, in definiendis iis quae ad fidem et mores spectant; adeo ut nemo fidelium ab eorum definitionibus dissentiri valeat, et qui dissenserit, tanquam haereticus sit habendus » (7).

In catholica sententia de infallibilitate conciliorum oecumenicorum tuenda, cum Theophane Procopovitch nobis dimicandum est. Theo-

(1) Вселенскій соборъ есть представитель вселенской Церкви, а вселенская Церковь непогрѣшима въ дѣлахъ вѣры и благочестія, слѣдовательно, непогрѣшимъ и вселенскій соборъ. — Папа римскій и соборъ вселенскій (*Romanus Pontifex et concilium universale*), Rigae, 1897, p. 276.

(2) Ученіе православной церкви о священномъ преданіи, p. 557.

(3) Lottini, *Introductio in sacram theologiam*, p. 642.

(4) *De religione et Ecclesia*, Prati, 1905, p. 796.

(5) Bellarminus, *De conciliis*, l. II, c. II; *Opera*, t. II, Neapoli, 1857, p. 43.

(6) De Groot, *Summa apologetica de Ecclesia catholica*, p. 465. — De Schaezler, *Introductio in sacram Theologiam*, pp. 166-170.

(7) Patuzzi, *Prodromus ad universam morum theologiam*. — Migne, *Theol. Cursus*, t. XI, col. 41.

logiae lutheranae principiis imbutus, statuit Theophanes Sacras Scripturas unicum existere fontem divinae revelationis (1), quapropter decretis conciliorum oecumenicorum characterem infallibilem abnuendum: « Definitiones conciliorum non habentur pro canonica Scriptura: tametsi nihil falsi contineant, et imo nihil aliud sint, nisi explicationes Scripturae (2). Conciliorum praesertim generalium, sed legitimorum, maxima est auctoritas, ut ille qui eorum definitionibus contradicere vellet, pro haeretico habendus. Ceterum auctoritas illa in hoc sita est, quod Scripturae, hoc est, ipsius Dei sententiam declarent Concilia, et facilius et melius hoc praestent, quam singuli sigillatim doctores, cum sint et numero multi; in multorum autem conventu de eadem re serio et fideliter cogitantium, facilius discutiuntur tenebrae, et lux veritatis oritur, cum quod me latebat, alius reperiat, et quod illi non subiit, subeat alteri, et unus alterius errorem deprehendere possit, quem non videbat qui errabat. Atque ita omnia facile corriguntur, ac vera a falsis discernuntur » (3).

Ad mentem igitur russici theologi, conciliorum oecumenicorum decreta humanis mediis condita sunt, humanam tantum promerentur fidem, ac mutationibus subjiciuntur. Patres Conciliorum in id unice incumbunt, ut, collatis consiliis, loca difficiliora Sacrarum Scripturarum explanatius enucleent. Affirmat quidem Theophanes Spiritus Sancti assistentiam non deesse Patribus Conciliorum: « Spiritus Sancti et gratia Christi adsistit concilio legitimo. Christus interest, illustrando magis mentes piorum theologorum, quasi iunctis manibus ad defensionem veritatis concurrentium: magis, inquam, quam si soli seorsim id agerent. Siquidem conventus huiusmodi et religionis in Deum, et mutuae charitatis, quam a nobis tantopere Christus efflagitat, publicum testimonium est. Illustrat autem mentes aperiendo intellectum ad intelligendas Scripturas, quemadmodum fecit primis theologis, apostolis suis post resurrectionem. Hoc pacto non errat in definiendis dogmatibus concilium, et maximae auctoritatis est » (4).

Haec verba, si attentius perpendantur, nihil aliud nobis detegunt nisi *valorem humanum* decretorum, quae concilia oecumenica sua munierunt sanctione: ad sententiam enim Theophanis huiusmodi decreta ab errore vacant, quia veritas quae in eis continetur, diuturnis di-

(1) *Christiana orthodoxa theologia*, t. I, Lipsiae, 1782, p. 12.

(2) Ib., p. 265.

(3) Ib., pp. 267-268.

(4) Ib., p. 269. « Animadvertimus capitulum theologiae Theophanis, ex quo locos superius adductos excerpsimus, non a Theophane, sed a Samuele Mislavsky concinnatum fuisse ».

sceptationibus exactis, clarissima luce circumfusa est. Nequeunt tamen inter fontes divinae revelationis percenseri, quia divina revelatio ex unico tantum fonte, videlicet, ex divinis Scripturis, scaturit (1).

Sententia catholica de infallibilitate conciliorum oecumenicorum adversus Theophanem Procopovitch argumentis α') *ex Sacris Scripturis*; β') *Patrum traditione*; γ') *Conciliorum oecumenicorum actis*; δ') *ratione theologica*; ε') *scriptorum orthodoxorum doctrina*, depromptis, liquidissima evadit.

α') *Ex Sacris Scripturis.* Primum omnium satis constat concilium oecumenicum perfectum *realiter* totam repraesentare Ecclesiam, nomine totius Ecclesiae loqui, disceptare, leges rogare, canones condere et promulgare. Huic igitur concilio praerogativas, quibus catholica Ecclesia in suo magisterio gerendo exornatur, adserendas, ex luculentis Sacrarum Scripturarum testimoniis comperimus. Atqui ex Sacris Scripturis edocemur, Ecclesiam Christi in legibus ferendis de fide et mo-

(1) Theophani Prokopovitch suffragantur eius discipuli, Sylvester, episcopus perejeslavensis, et Irenaeus Falkovsky. Ad prioris sententiam « definitiones conciliorum non habentur pro canone Scripturae, quamvis nihil falsi in se contineant, et imo nihil aliud sint, nisi explicationes Scripturae, quoniam pondus suum habent ex Sacra Scriptura, et nihil valuissent si unde non penderent. Concilium quodlibet sententias suas non potest ad eam sublevare auctoritatem, ut habeantur deinceps pro dogmate, tanto rigore observando, ut nulla necessitas, nulla alia potestas ecclesiastica possit eas dissolvere, quemadmodum se habent praecepta divina ». — *Compendium theologiae classicum, didactico polemicum, doctrinae orthodoxae christianae maxime consonum, per theoremata et quaestiones expositum, usibus theologicis in omnibus fere materiis adornatum*, Mosquae, 1805 (ed. II), pp. 58-59. Iuxta Falkovsky « Concilia non possunt proponere ut dogma credendum id, quod in Scriptura nec verbo, nec virtute continetur ». — *Christianae orthodoxae dogmatico-polemicae theologiae, olim a clarissimo viro Theophane Prokopowicz eiusque continuatoribus adornatae compendium in usum russicae studiosae iuventutis concinnatum*, Mosquae, 1802, t. I, pp. 31-32. In eandem sententiam propendit Philaretus metropolita mosquensis: Изложеніе разности между восточною и западною церковію вд ученіи вѣры (*Expositio discrepantiarum, quae in fidei provincia rescindunt occidentalem Ecclesiam ab orientali*), Чтенія любителей духовнаго просвѣщенія, Mosquae, 1872, t. III, p. 21. Supervacaneum ducimus ostendere huiusmodi sententias scriptores russos e penu theologorum protestantium deprompsisse, qui iam ab incunabilis pseudo-reformationis statuere « concilia tam universalia quam particularia errare posse in fide et in moribus, etiam a Papa approbata » nec non « conciliorum auctoritatem ex Sacris Scripturis omnino dependere, et tum demum haec rata haberi, si cum analogia fidei consentiant ». — Ginesius, *Popismus, hoc est errorum pontificiorum methodica enumeratio, et brevis pia atque modesta refutatio*, Giessae, 1623, p. 225; Becmann, *De auctoritate Conciliorum*, Francofurti, 1672; Quenstedtus, *Theologia didactico-polemica, sive systema theologicum in duas sectiones, didacticum et polemicum, divisum*, Vitembergae, 1696, I, p. 147.

ribus divina Spiritus Sancti assistentia, nec non infallibilitatis charismate communiri. Ergo et concilium oecumenicum, afflante Spiritu Sancto, infallibile suis in decretis evadit. Iesus Christus suis discipulis pollicetur se missurum Spiritum veritatis, qui eos doceat omnem veritatem: *τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν*, Io., XVI, 12. Haec autem verba, si vera sint de singulis apostolis; de *singulis* apostolorum successoribus, nempe de episcopis, ut saepissime testatur historia, dici nequeunt. Insuper apostolis tantum *exclusive* tribui non possunt, alioquin consequeretur post eorum mortem munus illud veritates christianas in orbe terrarum tradendi, servandi, atque explanandi, quod maxime necessarium est pro tuenda Christi Ecclesia, penitus desiisse. Ergo nisi velimus asserere verba Iesu Christi fallaces exhibere promissiones, opus est affirmemus omnes episcopos, non seorsim sumptos, munus infallibiliter edocendi fideles absolvere. Quod uni non competit episcopo, cunctis coniunctim sumptis, vindicandum est. Singulis membris Ecclesiae docentis, capite tantum excepto, infallibilitatem individualem largitus non est Redemptor noster: haec tamen membra, si cum capite in mystico Ecclesiae corpore sumatur, infallibilitatem *collectivam*, quae in capite simul est individualis, (non cessat enim, etiamsi consideretur seiunctum a ceteris membris) participant. Atqui haec infallibilitas collectiva, qua membra capiti coniuncta in eodem munere adimplendo amice coniurant in conciliis oecumenicis tantum, ad effectum adducitur. Ergo conciliorum oecumenicorum statuta in rebus fidei et morum infallibilia merito censentur. Ad rem Bellarminus: « Cum episcopos seorsim existentes non docet Spiritus Sanctus omnem veritatem, dicendum est saltem episcopos omnes in unum congregatos docturum omnem veritatem. Et sane cum non sit in Ecclesia maior aliqua cathedra, per quam Deus nos doceat, quam summi Pontificis cathedra, adiuncto consensu generalis concilii, si haec etiam cathedra falli posset cum universam Ecclesiam docet, nescio quomodo sit vera illa promissio: « *Docebit vos omnem veritatem* » (1).

Ex verbis etiam Iesu Christi, quae in Evangelio Matthaei referuntur, infallibilitatem conciliorum oecumenicorum eruunt theologi: *οὗ γάρ εἰσιν δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν*, XVIII, 20. Horum verborum sensum ita Bellarminus aperit: « Si duo vel tres congregati in nomine meo, obtinent semper quod petunt a Deo, nimirum sapientiam et lumen quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quae ipsis necessaria sunt, quanto magis episcopi

(1) *De conciliis*, loc. cit., p. 44.

omnes congregati in nomine meo, semper obtinebunt quod iuste petunt, idest sapientiam et lumen ad iudicanda ea, quae ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent? » (1). Allatis superius verbis, divina promittitur assistentia ut satis abunde patet ex orationis contextu, iis qui in Ecclesia ius habent fideles edocendi, ac sententias ferendi. Si duobus vel tribus in unum congregatis Iesus Christus pollicetur se cum eis moraturum, ne in rebus fidei edocendis fallantur, nemini dubium erit quin hoc idem praestet conciliis plenariis totius Ecclesiae, in quibus legitimos apostolorum successores in provincia fidei disceptantes ac leges ferentes cogit.

Quod sensus, quem allatis superius verbis affingimus, veritati rei consonus sit, testatur nobis luculenter tam Sacra Scriptura, quam christiana traditio. Apostoli, in concilio hierosolymitano congregati affirmant se non suo nomine tantum, sed etiam Spiritus Sancti nomine gravissimas controversias, quae in eo exagitatae sunt, diremisse: *ἔδοξεν γὰρ τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ ἡμῖν*, Act. Ap., XV, 28. Documenta christianae traditionis, quae ad concilia spectant oecumenica, haec eadem verba in medium proferunt ad supernaturalem Spiritus Sancti assistentiam conciliorum Patribus vindicandam eorumque decisionibus infallibilitatis notam. In *litteris ad synodum ephesinam* Coelestinus I (422-432) haec habet: « Certum est quod legimus (quia non potest veritas mentiri, cuius in Evangelio ista sententia est), *ubi duo vel tres congregati fuere in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum*. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum » (2). In *Epistola concilii Chalcedonensis ad Leonem Magnum*, praecitata verba explicantur: « Supercoelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo vel tres congregati in nomine eius, et ibi se in medio eorum fore perhibuit; quantam circa quingentos viginti sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui et patriae et labori suae confessionis notitiam praetulerunt? Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras, in iis qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens » (3). Iisdem utitur verbis concilium toletanum III ad affir-

(1) Ib., p. 44. — Suaresius, *De fide*, Disp. V, sectio VII, n. 6, *Opera*, t. XII. Parisiis, 1858, p. 159; Régnier, *De Ecclesia Christi*. — Migne, *Theol. Cursus*, t. IV, Parisiis, 1861, coll. 552-554. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, t. III, Romae, 1886, p. 426.

(2) *P. L.*, t. L, col. 505.

(3) *Τὸν ἐπουράνιον νυμφίον ἐν ἡμῖν ὁρῶν ἐδοκοῦμεν ἐνδιατῴμενον. Εἰ γὰρ ὅπου εἰσὶ δύο, ἢ τρεῖς, συνηγμένοι εἰς τὸ αὐτοῦ ὄνομα, ἐκεῖ ἔφη εἶναι ἐν μέσῳ*

mandum beatam Ssmae Trinitatis divinitatem suis sessionibus interfuisse (1). Eadem occurrunt in actis VI concilii oecumenici ad statuendum concilium rectae fidei reperisse perfectam praedicationem (2). Longius non excurremus. Ex allatis enim testimoniis liquidissime infertur Sacras Scripturas, iuxta interpretationem traditionis christianae, conciliorum oecumenicorum infallibilitatem testari (3).

β′) Ex Patrum traditione thesis nostra probatur. Etenim apud Patres frequens occurrit mentio de conciliis oecumenicis tanquam de supremis Ecclesiae tribunalibus, quorum iurisdictio ad fideles ubique gentium dispersos sese extendit. Si Patres audias, conciliorum decreta sententiae sunt divinitus inspiratae; oracula Dei quae non licet hominibus in dubitationem adducere; leges, quae semel sancitae, nullis amplius mutationibus obnoxiae sunt aeternumque permanebunt; affata quae maximam promerentur venerationem, quibusque mentem ac voluntatem non subjicere, sibi vellet a catholicis castris deficere, haeresumque in coeno volvi. Conceptissimis verbis docent Patres concilia non humanas sententias, sed infallibile Dei verbum orbi christiano prodidisse.

Athanasius tenet « verbum Domini per oecumenicam nicaenam synodum prolatum in aeternum manere » (4). Nicaena synodus cippus est inscriptus contra universas haereses (5) eiusque decreta sufficiunt

---

αὐτῶν, πόσην περὶ πεντακοσίους εἴκοσιν ἱερέας τὴν οἰκείωσιν ἐπεδείκνυτο, οἵ καὶ πατρίδος, καὶ πόνου, τῆς εἰς αὐτὸν ὁμολογίας τὴν γνῶσιν προέθηκαν· ὧν σὺ μέν, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες, ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι, τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος. — Mansi, t. VI, col. 147.

(1) Ib., t. IX, coll. 979-980.

(2) *Διὰ τῆς καθ'ἡμᾶς θεοσυλλέκτου ταύτης καὶ ἱερᾶς ὁμηγύρεως τὸ τῆς ὀρθοδόξου ἤρε τέλειον κήρυγμα.* — Mansi, t. XI, col. 636.

(3) *De Concilio Hierosolymitano I disseruere in Russia* N. P. Komarov, Соборъ апостольскій въ Іерусалимѣ, 1872, t. I, pp. 791-817; t. II, 10-34; 110-35; 249-82; M. B. Barsov, Сборникъ по истолковательному и назидательному чтенію Дѣяній Св. Апостоловъ и Апокалипсиса (*Sylloges ad interpretanda Acta Apostolorum atque Apocalypsin, ex eorumque lectione profectum spiritualem capiendum*), Simbirsk, 1894, pp. 316-343; N. Glubokovsky, Православная богословская энциклопедія, t. VI, Petropoli, 1905, coll. 427-441; Журналы и протоколы засѣданій высочайше учрежденнаго II недсоборнаго Присутствія (*Acta et relationes sessionum comitii quod decreto imperiali constitutum est ad parandum concilium generale russicae Ecclesiae*), t. I, Petropoli, 1906, pp. 15-36.

(4) *Τὸ δὲ ῥῆμα τοῦ Κυρίου τὸ διὰ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐν τῇ Νικαίᾳ γενόμενον μένει εἰς τὸν αἰῶνα.* — *Ep. ad Afros episcopos*, n. 2; *P. G.*, t. XXVI, col. 1032.

(5) *Αὕτη γὰρ ἡ ἐπὶ Νικαίᾳ σύνοδος, ἀληθῶς στηλογραφία κατὰ πάσης αἱρέσεώς ἐστιν.* — Ib., n. 11, col. 1049.

ad subversionem omnis haereticae impietatis, nec non ad tutelam utilitatemque ecclesiasticae doctrinae (1). Unde fit ut nicaenae synodi fides per omnes Ecclesias agnita sit et pervulgata (2), totiusque catholicae Ecclesiae fidem exhibeat (3). Patres Nicaeni tam probe scripserant, ut qui sincero animo eorum scripta evolvant, ex iis reminisci valeant pietatis erga Christum, quae in divinis praedicatur Scripturis (4). Quapropter non sine Spiritu Sancto eos egisse dicendum est (5). Memoratu praesertim digna, quae in *Epistola ad Epictetum episcopum Corinthi* praeclarus Doctor tradit: « Arbitrabar equidem omnium, qui unquam fuere haereticorum, vanam loquacitatem a nicaena synodo compressam fuisse. Nam quae illic a Patribus ex divinis Scripturis promulgata fides est, tum ad impietatem omnem evertendam, tum ad piam Christi fidem asserendam, sufficit » (6). Qui igitur nicaenam fidem rejiciunt, inter haereticos computandi sunt, cumque a Patrum scriptis diversam plane sententiam consectentur, eorum filii nequeunt vocari (7).

S. Athanasium Gregorius Nazianzenus laudat eo quod in concilio nicaeno, ubi Spiritus Sanctus in unum coegerat tercentos et duode-

(1) *Ἱκανὰ μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ Νικαίᾳ ὁμολογηθέντα, καὶ πρός τε ἀνατροπὴν πάσης ἀσεβοῦς αἱρέσεως, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ὠφέλειαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας.* — Ib., n. 1, col. 1029; *Ep. ad Maximum Philosophum*, n. 5; *P. G.*, t. XXVI, col. 1090.

(2) *Ἦν μὲν οὖν αὕτη* (fides nicaena) *πανταχοῦ κατὰ πᾶσαν Ἐκκλησίαν ἀδόλως γινωσκομένη τε καὶ κηρυττομένη.* — *Ep. ad Iovianum*, n. 1; Ib., t. XXVI, col. 816.

(3) *Ἦν γὰρ ἡ σύνοδος ἐγγράφως ὡμολόγησε πίστιν, αὕτη τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐστί. Ταύτην ἐκδικοῦντες οἱ μακάριοι Πατέρες οὕτως ἔγραψαν, καὶ κατέκριναν τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν.* — *De decretis nicaenae synodi*, n. 27; *P. G.*, t. XXV, col. 468.

(4) *Καὶ ἔγραψαν οὕτως καλῶς, ὥστε τοὺς γνησίους ἐντυγχάνοντας τοῖς ἐκείνων γράμμασι δύνασθαι παρ' αὐτῶν ὑπομιμνήσθαι τὴν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς καταγγελλομένην εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν.* — *De synodis Arim. et Seleuc.*, n. 6, *P. G.*, t. XXVI. col. 690.

(5) *Ἀλλ' ἐάσῃς ἐμμένειν ἡμᾶς τοῖς παρὰ τῶν προγόνων ὁρισθεῖσί τε καὶ νεοθετημένοις· οὓς ἅπαντα μετὰ ἀγχινοίας τε καὶ φρονήσεως καὶ Πνεύματος ἁγίου πεποιηκέναι φήσαιμεν ἄν.* — Ib., n. 10, col. 700.

(6) *Ἐγὼ μὲν ἐνόμιζον πᾶσαν ματαιολογίαν πάντων, ὅσοι δηποτοῦν εἰσιν, αἱρετικοί, πεπαῦσθαι ἐκ τῆς γενομένης ἐν Νικαίᾳ συνόδου. Ἡ γὰρ ἐν αὐτῇ παρὰ τῶν Πατέσων κατὰ τὰς Θείας Γραφὰς ὁμολογηθεῖσα πίστις αὐτάρκης ἐστὶ πρὸς ἀνατροπὴν μὲν πάσης ἀσεβείας, πρὸς σύστασιν δὲ τῆς εὐσεβοῦς ἐν Χριστῷ πίστεως.* — N. 1, *P. G.*, t. XXVI, coll. 1049-1052.

(7) *Ἡ τοίνυν ἀρνήσασθε τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον, καὶ ὡς αἱρετικοὶ παρεισφέρετε ταῦτα· ἢ εἰ βούλεσθε τέκνα τῶν Πατέρων εἶναι, μὴ φρονεῖτε παρ' ἐκεῖνα, ἅπερ ἔγραψαν αὐτοί.* — Ib., n. 4, col. 1056.

viginti lectissimos viros, quantum in ipso fuit morbum compressit (1). Ad sententiam S. Basilii fides concilii nicaeni est insuperabilis (2). quapropter Cyriacum Tarsensem vehementer hortatur ut hancce fidem profiteatur, nullamque in ea vocem rejiciat, sciens trecentos decem et octo Patres, qui citra contentionem convenerunt, non sine Spiritus Sancti afflatu locutos esse (3).

Eusebius Caesariensis divinam phalangem vocat Patres in concilio nicaeno congregatos (4), conciliumque ipsum imaginem chori apostolici (5), cuius inspector Deus ipse habetur (6). In *litteris ad Ecclesias de synodo nicaeno*, quas idem refert scriptor, Constantinus imperator admonet, quidquid in sanctis episcoporum conciliis gestum fuerit, ad divinam referendum esse voluntatem (7). Iuxta Cyrillum Alexandrinum, conciliorum oecumenicorum decreta sufficiunt ad pietatem et doctrinam, omnemque simul haereticorum pravitatem arcendam (8). Ad eius sententiam « fidem optime et cum Deo definitam expositamque a sancta illa et magna synodo fundamentum et fulcrum inconcussum ac firmum esse nostrarum animarum, si quis asserere velit, vere quidem dicet, et laudem apud Christum consequetur, fidelissimusque ac verus adorator elucebit ». Symbolum autem nicaenum ab eodem vocatur divinum et sacrum oraculum, accuratum et omnimodis veritatum sententiis elaboratum (9).

(1) *Καὶ διὰ τοῦτο πρῶτον μὲν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ, καὶ τῷ τῶν τριακοσίων ὀκτὼ καὶ δέκα ἀριθμῷ ἀνδρῶν λογάδων, οὓς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς ἓν ἤγαγεν, ὅσον ἦν ἐπ' αὐτῷ, τὴν νόσον ἔστησεν.* — *Or.* XXI, n. 14, *P. G.*, t. XXXV, col. 1096.

(2) *Ep.* LXXXI, *P. G.*, t. XXXII, col. 457.

(3) *Ὁμολογεῖν ὑμᾶς τὴν ὑπὸ τῶν Πατέρων ἡμῶν ἐκτεθεῖσαν πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ ποτὲ συνελθόντων, καὶ μηδεμίαν τῶν ἐκεῖ λέξεων ἀθετεῖν, ἀλλ' εἰδέναι, ὅτι τριακόσιοι δέκα καὶ ὀκτώ, ἀφιλονείκως συνιόντες, οὐκ ἄνευ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐνεργείας ἐφθέγξατο.* — *Ep.* CXIV, Ib., col. 529.

(4) *Θεοῦ φάλαγξ.* — *De Vita Const.*, l. III, c. VI, *P. G.*, t. XX. col. 1060.

(5) *Εἰκὼν χορείας ἀποστολικῆς.* — Ib., c. VII, col. 1061.

(6) *Τῷ πάντων ἐφόρῳ Θεῷ.* — Ib., c. XVII, col. 1073.

(7) *Πᾶν, εἴ τι δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν ἐπισκόπων συνεδρίοις πράττεται, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν.* — Ib., c. XX, col. 1080.

(8) *Πρὸς πᾶσαν ἐξαρκεῖ καὶ εὐσέβειαν, γνῶσιν, πάσης καὶ αἱρετικῆς κακοδοξίας ἀποκήρυξιν.* — *Ep.* XXXIX, *P. G.*, t. LXXVII, col. 176.

(9) *Τὴν γὰρ ἄριστά τε καὶ μετὰ Θεοῦ διωρισμένην τε καὶ ἐκτεθεῖσαν πίστιν παρὰ τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης ἐκείνης συνόδου, κρηπῖδα καὶ ὑποβάθραν ἀκατάσειστόν τε καὶ ἐρηρεισμένην τῶν ἡμετέρων, ψυχῶν εἴ γε τῷ φάναι σκοπός, δοκιμώτατα μὲν ἐρεῖ, καὶ ἐπαίνων τεύξεται τῶν παρὰ Χριστῷ, πιστότατος δὲ καὶ ἀληθινὸς ἀναλάμψει προσκυνητής. Ἐπ' αὐτῆς δὲ ἡμῖν ἀναγεγράφθω λέξεως τὸ θεῖον καὶ ἱερώτατον τῆς ἁγίας ἐκείνης συνόδου χρησμώδημα, τουτέστι, τὸ ἀπεξεσμένον καὶ τετορευμένον, ταῖς εἰς πᾶν ὅτιοῦ ἀληθὲς ἐννοίαις, τῆς πίστεως σύμβολον.....* — *De Sanctissima Trin., Dialogus* I, *P. G.*, t. LXXV, col. 668.

Cum Sabinus, Macedonianae sectae antesignanus, testimoniis nicaenorum Patrum refragaretur, eosque qui illic congregati fuere rudes omnique scientia destitutos fuisse diceret, Socrates eum increpat, quippe qui illud non reputaverit, eos qui ad synodum illam convenerunt, quamvis rudes essent atque imperiti, Dei tamen et Spiritus Sancti gratia collustratos, nullatenus a veritate aberrare potuisse (1).

Inter latinos Patres, S. Ambrosius concilia generalia vocat haereditaria signacula, nulla temeritate violanda (2). S. Augustinus totius Ecclesiae consensionem appellitat concilium generale (3). Iisdem fere verbis utitur S. Gelasius Papa: « uniuscuiusque synodi constitutum universalis Ecclesiae probavit assensus » (4). Praeclara in hac re nobis videntur S. Gregorii Magni verba: « Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor... tota devotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his veluti in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit, et cuiuslibet vitae atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium iacet » (5).

Innumera autem testimonia ad nostram thesim firmandam nobis affert Leo Magnus, romanus Pontifex, cuius supremam in Ecclesiam auctoritatem conceptissimis verbis fassum est concilium chalcedonense. Sanctus Doctor pluries affirmat nicoenos canones per Spiritum Sanctum ordinatam conditionem exhibere (6), Dei Spiritu conditos fuisse, et totius mundi reverentia consecratos (7). Divinitus privilegio synodus nicaena ita fuit consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum (8). Decreta a concilio chalcedonense prolata, instruente Spiritu Sancto irreprehensibiliter definita fuere (9), divinitus (10), quapropter inviola-

(1) *Σαβῖνος δὲ ὁ τῆς Μακεδονίου αἱρέσεως προεστώς, τούτοις μὲν ἐκὼν οὐ προσέχει· ἀλλ' ἰδιώτας, καὶ μὴ ἔχειν γνῶσιν, τοὺς ἐκεῖ συνελθόντας φησίν... καὶ οὐκ ἐνθυμεῖται, ὡς εἰ καὶ ἰδιῶται ἦσαν οἱ τῆς συνόδου, κατελάμποντο δὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς χάριτος τοῦ ἁγ. Πνεύματος, οὐδαμῶς ἀποσχῆσαι τῆς ἀληθείας ἐδύναντο.* — *Hist. eccl.*, l. I, c. IV, *P. G.*, t. LXVII, col. 88.

(2) *De fide*, l. III, c. XV, n. 128, *P. L.*, t XVI, coll. 639-640.

(3) *De baptismo contra Donatistas*, l. I, c. XVIII, n. 28, *P. L.*, t. XLIII, col. 124; l. IV, c. VI, n. 8, col. 159.

(4) *Ep. XIII, ad episcopos Dardaniae*, *P. L.*, t. LIX, col. 63.

(5) *Ep.* XXV, l. I, *P. L.*, t. LXXVII, col. 478.

(6) *Ep.* CVI, n. 2, *P. L.*, t. LIV, col. 1003.

(7) *Ep.* XIV, ib., col. 672.

(8) *Ep.* CVI, n. 2, col. 1003.

(9) Mansi, t. VI, col. 323.

(10) *Ep. ad Leonem Aug.*, Mansi, t. VI, col. 345.

bilia sunt (1). Nihil eis addere conceditur, ita ut si quis adversus aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat (2). Si quidpiam in eis violetur, omnes dissolventur regulae ecclesiasticae (3). De conciliorum definitionibus nihil oportet discuti, ne contra fas aliquid videatur infringi (4). Eae non possunt, neque debent aliqua novitate violari (5). Inter catholicos omnino computandus non est, qui definitionibus venerabilis synodi nicaenae, vel sancti chalcedonensis concilii regulas non sequatur: cum utrorumque santa decreta ex evangelio et apostolico manifestum sit fonte prodire (6). Nil igitur mirum si decreta conciliorum mansura sint usque in finem mundi, et si quid aliter quam illi Patres statuatur, sine cunctatione cassandum sit (7).

Ex hucusque allatis Patrum testimoniis pronum est colligere decreta conciliorum oecumenicorum ad fidem moresque spectantia, nota infallibilitatis exornari. Etenim in iis condendis Patres conciliorum dicuntur auxiliatorem ducemque habuisse Spiritum Sanctum, qui eos ab erroribus sospitavit: adjicitur hasce decisiones consensu totius Ecclesiae communitas fuisse, qui consensus apertissimum signum est in ea vel falsitatis umbram irrepere non posse: edicitur eos omnes qui synodalia decreta plenissima mentis ac voluntatis subiectione non accipiant, inter haereticos esse adscribendos: eadem ad Evangelia proxime accedere, si doctrinam in eis contentam spectes, asseritur: considerantur denique tanquam principia quae inconcussa per omnem saeculorum decursum permanebunt. Cum igitur proprietates, quibus exornantur, ad veritates illas pertinent quae humanis vacant deliramentis, scilicet quae proficiscuntur ab auctoritate in suo magisterio infallibili, inter infallibilia doctrinae christianae documenta conciliorum oecumenicorum decreta ad fidem moresque spectantia, sunt adnumeranda.

γ') *Ex conciliorum praxi.* De auctoritate canonum ad fidem moresque spectantium, quae in conciliis oecumenicis conditi fuere, illud nobis ferendum est iudicium, quod in ipsis conciliorum actis, tanquam iudicium universalis ecclesiae producitur. Ne quis autem nos temere increpet, eo quod conciliorum oecumenicorum infallibilitatem

(1) *Ep. ad episcopos qui in syn. chalced. congregati fuere,* Mansi, t. VI, col. 227.
(2) *Ep.* CV, n. 2 *P. L.*, t. LIV. col. 999.
(3) *Ep.* CVIII, col. 1009.
(4) *Ep. ad ep. et clerum Aegypt.*, Mansi, t. VI, col. 337.
(5) *Ep*, CXIX, *P. L.*, t. LIV, col. 1043.
(6) *Ep. ad Leonem Aug.*, Mansi, t. VI, col. 340.
(7) *Ep.* CVI, n. 4, *P. L.*, t. LIV, col. 1005.

eorundem conciliorum testimonio suffulti, asserimus, id monendum ducimus concilia, ad suorum decretorum auctoritatem quod spectat, nihil aliud loqui nisi communem totius Ecclesiae sententiam. Etenim concilia oecumenica tanquam divinitatus inspirata suis in decisionibus, summa veneratione cuncti fideles prosecuti sunt. Vel haeretici ab eorum auctoritate contemnenda sese abstinuere, ac tantum ad eorum sententias suos in pravos sensus detorquendas animum appulerunt. Cum igitur concilia suam auctoritatem infallibilem saepissime testentur, perperam de eis diceres seipsos laudantibus extollentibusque fidem adiungendam non esse. Patres enim, uno veluti ore, idem reddunt testimonium, quod maius robur ex omnium haereticorum explicita confessione haurit.

In actis conciliorum oecumenicorum, in litteris quibus episcopi totius orbis christiani suam adhaesionem statutis a conciliorum Patribus significant, eaque in rebus ad fidem et mores spectantibus *irretractabili assensu*, verbis utor S. Leonis Magni, amplecti declarant, sexcenties enuntiatur terminos Concilii gratia Spiritus Sancti confixos fuisse (1); decreta Conciliorum Sancto Spiritu divino quodam sale esse condita (2); Spiritu Sancti virtute constituta (3), ac divinitus inspirata (4). Spiritus Sanctus est qui Conciliorum Patres erudit (5), qui eos congregat et convocat (6), qui eis, christianae veritatis adsertoribus ac vindicibus, suam lucem supernaturalem largitur (7). Conciliorum oecumenicorum princeps non homo, sed Christus est (8), quo fit ut eorum decreta expressio sint voluntatis divinae (9), crepido immobilis fidei (10), scuta contro haereticos (11). Per hancce divinam Spiritus Sancti assistentiam, vera fides in conciliis stabilitur (12), fides, quae est salus nostra (13), et verbum veritatis (14), dogmata complectentem numquam rectitudini contraria (15). Patres conciliorum inspectores

(1) Mansi, t. VII, col. 542.
(2) Ib., col. 544.
(3) Ib.. col. 544.
(4) Ib., coll. 556. 572, 588.
(5) Ib., col. 545.
(6) Ib., col. 605.
(7) Ib., col. 620.
(8) Ib., col. 543.
(9) Ib., col. 551.
(10) Ib., col. 550.
(11) Ib., col. 952.
(12) Ib., col. 952.
(13) Ib., col. 30.
(14) Ibid. col. 524.
(15) Ib., col. 538.

et ministri sunt verbi divini (1), quos Deus elegit, ad impietatem omnium saeculorum abjiciendam (2), ad fidem apostolicam spiritu apostolico in mundum praedicandam (3), ad propulsandos errores (4), ad claudendam omnem machinationem contra veritatem (5). Conficitur inde, ut qui violet eorum sententias, apostolorum sanctiones laedat (6), haereses amplectatur, imo in multis haeresibus languescat (7).

Ad rem nostram praesertim faciunt disertissima verba concilii oecumenici VI in *Litteris ad Agathonem Papam*: « In nos Spiritus Sancti gratia illuxit, potestatem largiens cunĉta zizania, et omnem arborem non facientem fructum bonum excidendi, et iubens ut igne consumetur. Et corde nos, et lingua, et manu convenientes, omnis erroris expertem, certamque nec fallantem definitionem vivifici Spiritus ope edimus » (8). Memoratu etiam digna quae in canone I septimi concilii oecumenici traduntur: « Divinos canones amplectabiliter in pectore recondimus et integram illorum praeceptionem, ac immobilem tenemus: tam scilicet illorum qui ab almis et laudabilissimis Apostolis Sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum qui a sex sanctis et universalibus synodis, atque his conciliis quae localiter collecta sunt in expositionem huiusmodi decretorum pervulgati sunt; nec non et eorum qui a sanctis patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque Spiritu illustrati definierunt quae expediunt » (9).

Supervacaneum ducimus consecutiones ex allatis testimoniis eruere. Heic recolenda quae de Patrum effatis paulo ante disseruimus. Si toto orbe christiano suffragante, Patres concilii testantur se in haeresibus confodiendis, ac fide sincera enucleanda Spiritus Sancti gratia collu-

(1) Mansi, t. VII, col. 579.
(2) Ib., coll. 554, 560.
(3) Ib., col. 613.
(4) Ib., col. 109; t. VI, col. 133.
(5) Ib., col. 113.
(6) Ib., col. 558.
(7) Ib., col. 586.
(8) *Ἐφ' ἡμᾶς ἡ τοῦ Παναγίου Πνεύματος χάρις ἐπέλαμψε, τὴν ἐξουσίαν... χαρισαμένη τοῦ πᾶν ζιζάνιον καὶ ξύλον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόψαι, καὶ πυρὶ καταναλῶσαι κελεύσασα... καὶ καρδίᾳ, γλώσσῃ τε καὶ χειρὶ συμφωνήσαντες ἀπλανέστατόν τε καὶ ἀσφαλέστατον τῇ συνεργίᾳ τοῦ Ζωποιοῦ πνεύματος ὅρον ἐξεφωνήσαμεν.* — Ib., t. XI, 685.
(9) *Ἀσπασίους τοὺς θείους κανόνας ἐνστερνιζόμεθα, καὶ ὁλόκληρον τὴν αὐτῶν διαταγὴν καὶ ἀσάλευτον κρατύνομεν, τῶν ἐκτεθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων καὶ σαλπίγγων τοῦ Πνεύματος πανευφήμων ἀποστόλων, τῶν τε ἓξ ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τῶν τοπικῶς συναθροισθεισῶν ἐπὶ ἐκδόσει τοιούτων δογμάτων, καὶ τῶν ἁγίων Πατέρων ἡμῶν. Ἐξ ἑνὸς γὰρ ἅπαντες καὶ τοῦ αὐτοῦ Πνεύματος αὐγασθέντες ὥρισαν τὰ συμφέροντα.* — Mansi, t. XIII, col. 417.

stratos fuisse, nec non oracula formulis aeternum permansuris edidisse, nemini dubium erit quin suis sententiis infallibilis verbi divini auctoritatem apertissime vindicarint (1).

δ') *Ex ratione theologica.* — *a*) Exploratum est apud theologos, qui Sacras Scripturas ac Traditionem ut fontes divinae revelationis venerantur, Ecclesiam suo in munere edocendi fideles, charismate infallibilitatis instrui. Atqui concilium oecumenicum realis habetur atque authentica totius Ecclesiae docentis repraesentatio. Ergo et concilium oecumenicum in suis decretis condendis infallibile est. Maior in tractatu de Ecclesia multorum argumentorum segete fulcitur. In praesens satis habeo meminisse Iesum Christum ita suam Ecclesiam firmasse, ut portae inferi adversus eam nunquam sint praevaliturae, videlicet lues haereseon corpus mysticum Christi nunquam inficient ad exitiumque perducent. Hoc tamen ut impleatur, necesse est divinitus instruatur Ecclesia virtute discernendi ab humanarum opinionum commentis genuinum Dei verbum, veritates aeternum sine alteratione custodiendas. Hancce virtutem, nimirum infallibilitatis charisma, si deneges Ecclesiae, totum ruet christianorum dogmatum aedificium: consequeretur enim Ecclesiam in veritatibus fidei proponendis, errorum laqueis interdum irretiri, scilicet portas inferi adversus eam praevalere. Minor constat ex eis quae superius statuimus de concilio perfecto, quod corpus mysticum Iesu Christi in sua nativa integritate praesefert.

b) Theologi sive catholici, sive orthodoxi, concorditer docent necessitatem infallibilis regulae fidei pro fide ipsa elucidanda, explananda et tuenda. Atqui haec regula fidei in conciliis oecumenicis habetur. Ergo et concilia oecumenica praerogativa infallibilis magisterii instruuntur. Si maiorem in dubitationem vocas, dicendum tibi erit controversias, quae saepe saepius gravissimas fidei veritates, imo religionis christianae fundamenta pertingunt, usque ad finem mundi productum iri, quin dirimentur: cuicumque licere dubiis fidem christianam aspergere, quin Ecclesia sua auctoritate contendentibus silentium indicet, viamque veritatis errantibus aperiat; inter discrepantes sententias fideles continenter vacillaturos, quin supremum aliquod tribunal, quid eis sentiendum sit, decernat. Hisce consecutionibus suffragari si velimus, conclamatum esset de Christi Ecclesia. Non secus enim ac ceterae philosophorum scholae vel sectae, quae humanarum opinionum commentis adstipulantur,, pugnantibus ab invicem faveret sententiis; in inquisitione veritatis haereret; nihil certi, nihil firmi, suis asseclis tradere posset. Minor ex eo constat quod in singulis Ecclesiae membris regula

(1) Suarez, *De Fide*, D. V, sectio VII, n. 7, *Opera*, t. XII, p. 155.

fidei infallibilis reponenda non est, sed in toto corpore mystico cui invisibiliter Christus praeest, visibiliter autem Romanus Pontifex. Sed corporis mystici Iesu Christi, quod Ecclesiam vocamus, legitima repraesentatio est concilium oecumenicum. Ergo et concilium oecumenicum infallibile est regula fidei.

c) Historia auspice et duce, satis abunde constat concilia oecumenica, nemine refragante, leges condidisse, quae cunctos in orbe christiano fideles alligant: sibi ius vindicasse decernendi quaenam sit vera fides, cui teneantur omnes suum assensum praebere; sese gessisse tanquam supremum tribunal, cuius sententiae sine provocatione accipiuntur. Atqui haec omnia infallibilis auctoritatis praerogativae iure censentur. Ergo conciliorum oecumenicorum auctoritas infallibilis est. Diximus *nemine refragante*: quidquid enim omnium fidelium consensioni in Ecclesia firmatur, notam veritatis inconcussae praesefert. Cum ergo concilia oecumenica, totius Ecclesiae tam docentis quam discentis consensione praerogativis exornantur, quae infallibilitatem praesumunt, infallibilitate ea donanda in comperto est. Etenim, nisi sua decreta vel umbra erroris vacua essent, quî potuissent Concilia sibi ius usurpare obstringendi cunctos fideles ut sibi obtemperent, suamque vocem audiant, ceterisque doctrinis abiectis, fidei, quam tradunt, assentiantur?... Concilium enim, quod charismate infallibilitatis non instruitur, erroribus obnoxium est, ideoque, cum suas definitiones edit, « vel populus fidelis tenetur stare hisce definitionibus, vel potest etiam repugnare. Si tenetur, iam errante concilio populus in eodem errore versabitur; sin repugnare potest, ubinam illud est: *Qui vos audit, me audit?* » (1). In dubium revocarentur omnes haereses, quae in conciliis damnatae fuere; in dubium vel libri inspirati, quos in canonem Sacrarum Scripturarum concilia oecumenica retulerunt (2). Summatim, conciliorum oecumenicorum infallibilitate repudiata, Ecclesiae simul infallibilitas tolleretur: Ecclesiae autem infallibilitate sublata, fides nostra suis destitueretur firmamentis, ac facile dilaberetur (3).

(1) Melchior Canus, *De locis theologicis*, l. V, c. 4. *Opera*, t. I, p. 279.

(2) Bellarminus, loc. cit., p. 46.

(3) « Da ein ökumenisches Decret der feierlichste und allseitig vollkommenste Ausspruch des kirchlichen Lehramtes und die vollkommenste Norm für den Glauben der Kirche ist, so kann man die unfehlbare Autorität eines ökumenischen Glaubensentscheidung nur dann leugnen, wenn man überhaupt das unfehlbare Lehramt der Kirche leugnet ». Heinrich, *Dogmatische Theologie*, t. II, pp. 522-523. — Cfr. Serry, *Praelectiones theologicae*, t. IV, Venetiis, 1742, pp. 12-14. — Tournely, *Praelectiones theologicae de Ecclesia Christi*, Venetiis, 1746, pp. 178-186. — Marcellius, *Institutiones theologicae*, t. I, Fulgini, 1847, pp. 186-188. — Tomassini, *Dogmata theologica*, t. V, Parisiis, 1868, pp. 173, 176-179, 208-211;

ε') *Ex theologorum orthodoxorum consensione.* Thesim, quam in catholica theologica tuemur, ac superius demonstravimus, sua confirmant auctoritate, sive libri smybolici Ecclesiarum orthodoxarum, sive qui theologiae christianae peritissimi inter scriptores orthodoxos habentur.

In *Confessione orthodoxa*, Petrus Moghilas disertis verbis tradit, « quidquid S. Patres in omnibus universalibus ac particularibus conciliis orthodoxis, quocumque loco habitis statuerunt, id a Spiritu Sancto profectum esse, quemadmodum in synodo suo ipsi loquuntur Apostoli: *Visum est Spiritui Sancto ac nobis* (1). Merito igitur synodis oecumenicis auctoritas vindicatur examinandi atque approbandi Sacras Scripturas (2), nec non omnes articulos fidei (3). Fidem etiam adiungendam conciliis oecumenicis statuit Synodus hierosolymitana, anno 1672 habita (4), eique adstipulatur Dositheus, patriarcha hierosolymitanus, qui concilia oecumenica sanctorum Patrum Doctorumque regulas vocat (5). Antimus VII, Patriarcha constantinopolitanus (1895-1896) decreta conciliorum oecumenicorum, quae in Spiritu Sancto coaluerunt ex episcopis vel episcoporum legatis omnium Ecclesiarum, ad sanam fidei doctrinam pervestigandam contra statores haereseon, universalem ac perennem in Ecclesia christiana auctoritatem promereri statuit (6).

Das oecumenische Conzil, Stimmen aus Maria Laach, Friburgi, 1869, t. I, 3, pp. 11-16. — Jacobatius, *Tractatus de conciliis*, Parisiis, 1870, pp. 233-234, 448. — Scheeben, *La dogmatique*, t. I, p, 376. — Liebermann, *Institutiones theologicae*. t. I, pp. 492-497. — Egger, *Enchiridion theologiae dogmaticae generalis*, t. I, pp. 535-536. — Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, t. I, (1894), pp. 261-264. — Hurter, *Theologiae dogmaticae compendium*, t. I (1896), pp. 292-294. — Schell, *Katholische Dogmatik*, t. I, pp. 535-536. — Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae*, t. I, p. 506. — Hefele, *Histoires des Conciles*, t. I, 1, pp. 74-77.

(1) *Εἰς ὅλας τὰς οἰκουμενικὰς συνόδους καὶ τοπικάς, τὰς ὀρθοδόξους, ὅπου καὶ ἂν ἐγίνησαν, πίστευε πῶς ὅ, τι ἀποφασίσασιν οἱ ἅγιοι Πατέρες, νὰ εἶναι ἀπὸ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καθὼς εἶπασιν οἱ Ἀπόστολοι εἰς τὴν Σύνοδον· ἔδοξε τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ ἡμῖν.* — P. I, q. LXXII, Kimmel, ed. II, p. 144.

(2) *Ἡ Ἐκκλησία ἔχει τὴν ἐξουσίαν τούτην, ὥστε μὲ τὰς συνόδους τὰς οἰκουμενικὰς νὰ δοκιμάζῃ τὰς Γραφάς.* — Ib., q. LXXXVI, p. 159.

(3) *Πρέπει νὰ κρατῇ διὰ βέβαιον καὶ ἀναμφίβολον ὁ ὀρθόδοξος χριστιανός, πῶς ὅλα τὰ ἄρθρα τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας εἶναι παραδεδομένα ἀπὸ τὸν Κύριον ἡμῶν, καὶ αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι τὰ ἐρμηνεύουσαν καὶ τὰ ἐδοκίμασαν.* — Ib., n. 4, p. 58.

(4) Ib, p. 333.

(5) Ib. p. 444.

(6) *Αἱ ἑπτὰ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, ἐν ἁγίῳ Πνεύματι συγκροτηθεῖσαι ἐκ ἀντιπροσώπων πασῶν τῶν ἁγιῶν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησιῶν πρὸς διευκρίνησιν τῆς ὀρθῆς τῆς*

Generatim theologi orthodoxi, dogmatica decreta conciliorum oecumenicorum inter fontes authenticos divinae revelationis percensent (1). Vox conciliorum oecumenicorum, ait Malinovsky, totius Ecclesiae vox est: hisce igitur concilis donum illud infallibilitatis assignandum est, quod Iesus Christus suae promisit Ecclesiae, eisque Deus ipse adstat (2). Concilia oecumenica, ad sententiam Philareti cernigoviensis, ut profitetur Ecclesia, supremam auctoritatem toto in orbe christiano constituunt (3). Docet Andrutsos, ea quae in conciliis oecumenicis definita sunt a Patribus valorem decisionum infallibilium sibi vindicare, quibus omnis teneatur fidelis suum assensum praebere. Patres in concilio convenientes sane non ignorarunt Spiritus Sancti gratia collustratos fuisse, suasque sententias, afflante Spiritu sancto, promulgatas, non secus ac sententias Apostolorum, qui in concilio hierosolymitano congregati, dixere: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (4).

πίστεως διδασκαλίας κατὰ τῶν αἱρετιζόντων ἔχουσι κῦρος καθολικὸν καὶ ἀΐδιον ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Χριστοῦ. — *Ἐγκύκλιος πατριαρχικὴ καὶ συνοδικὴ Ἐπιστολή*, Constantinopoli, 1895, n. III, p. 4; Nikitsky, Вѣра ... по символическимъ книгамъ, t. I, Mosquae, 1889, pp. 8-9.

(1) Rudakov, Православное догматическое богословіе, pp. x, xiii; Antonius. Догматическое богословіе, p. 42; Gorodkov, Догматическое богословіе Филарета, p. 17.

(2) Голосъ вселенскаго собора-это голосъ всей Церкви. По этому имъ, по преимуществу, принадлежитъ свойство непогрѣшимости, обѣтованное Христомъ Церкви, съ ними присутствуетъ самъ Богъ. — Очеркъ православнаго догматическаго богословія, t. II, Serghievo, 1908, p. 246.

(3) Православное догматическое богословіе, t. II, p. 265 Ex antiquis theologis russis, episcopus Iuvenalis declarat concilia oecumenica legitima infallibilitate potiri: не могутъ погрѣшить. — Христіанское богословіе, Mosquae, 1826, t. III, pp. 30-31. Idem sentit Macarius Petrovitch, Церьви восточныя православное ученіе, Petropoli, 1873, pp. 116-117. Cf.: Непогрѣшимость вселенскихъ соборовъ (*Infallibilitas conciliorum oecumenicorum*), Воскресное Чтеніе, 1888, pp. 381-384; Iarmolovitch, Чѣмъ обусловливается авторитетъ постановленій вселенскихъ соборовъ (*Ex quanam conditione pendet auctoritas decretorum quae condita sunt in conciliis oecumenicis* ?...), Руководство для сельскихъ пастырей, 1890, t. I. pp. 284-293. Animadvertimus veteres scriptores lutheranos, qui Orientem peragrarunt, haud raro Graecos improbasse, eo quod conciliorum oecumenicorum acta tanquam divina complecterentur oracula, ad eaque de fide et religione ipsorum sciscitantes remitterent. — Chytraeus, *Oratio de statu Ecclesiarum hoc tempore in Graecia*, Wittembergae, 1850, p. 66.

(4) *Τὰ ὑπὸ τῶν Συνόδων τῶν ἱεραρχῶν θεσπιζόμενα εἶναι ἀποφάσεις ἀλάθητοι, εἰς ἃς ὑποχρεοῦται πᾶς πιστός. Οἱ μὲν ἱεράρχαι συνερχόμενοι ἐν συνόδοις συνοίδασιν ἑαυτοὺς ὡς τοὺς φορεῖς τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ τὰς ἀποφάσεις αὐτῶν τῇ ἐπιστασίᾳ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ληφθείσας, ὅθεν καὶ ἐκφέρουσιν αὐτάς, ὡς οἱ ἐν Ἱερουσαλὴμ συνελθόντες Ἀπόστολοι, χρώμενοι τῷ τύπῳ «Ἔδοξε τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι.* — *Δογματική*, p. 288.

Doctrina dogmatica conciliorum oecumenicurum, ait Filevsky testimonium historicum est vocis infallibilis, quae in Ecclesia usque ad finem mundi personabit. Veritas universalis et certitudo doctrinae christianae nobis accipiuntur ex traditione dogmatica simul et canonica conciliorum oecumenicorum, quae continent et confirmant verbum divinum, haud quidem nova producta Spiritus Sancti revelatione, sed Spiritus Sancti auxilio atque assistentia. Quo factum est, ut concilia oecumenica, ad placita strictioris doctrinae orthodoxae, supparem plane Evangeliis auctoritatem suscipiant. Vera doctrina conciliorum oecumenicorum ad fidem pertinens, inspirata est a Deo, atque infallibilis, eadem sana ratione ac Sacrarum Scripturarum verbum. Conficitur inde definitiones symbolicas conciliorum oecumenicorum aeternum stare, eandemque mereri venerationem quam doctrina dogmatica in Sacris Scripturis contenta. Unum idemque est verbum Dei, quod simul in Sacris Scripturis ac Traditione includitur, quamvis inter se discrepent quoad modos quibus utrumque gradatim panditur, et confirmatur in Ecclesia. Auctoritas doctrinalis conciliorum oecumenicorum nihil aliud est nisi *idealis* atque in seipsa immutabilis essentia traditionis orthodoxae christianae *in concreto* »(1).

Infallibilitatem conciliorum oecumenicorum firmis argumentis Macarius et Sylvester, inter graecos theologos maxime commendandi, fulciunt. Hancce eruunt infallibilitatem: *a*) Ex eo quod concilia repraesentent Ecclesiam universalem, quae est infallibilis (2); *b*) ex testimoniis Sacrarum Scripturarum, quae commemoravimus. Haec testimonia praesentiam Spiritus Santi Patres in conciliis illustrantis, apertissime produnt (3); *c*) ex uberrima Patrum traditione (4); *d*) ex testimoniis ipsorum conciliorum oecumenicorum (5): *e*) ex anathemate quo Patres conciliorum damnatas haereses profligarunt (6); *f*) ex praxi Ecclesiae

(1) Вселенскіе соборы, по строго-православному взгляду, вполнѣ уравниваются съ записаннымъ словомъ Божіимъ. Истинное ученіе вселенскихъ соборовъ о вѣрѣ также богодухновенно и непогрѣшимо, какъ и библейское слово. Отсюда символическія вѣроопредѣленія вселенскихъ соборовъ имѣютъ непреходящее значеніе и равночесны съ догматическимъ ученіемъ писанія. Слово Божіе одно, и въ писаніи, но историческіе способы его преемственной передачи и всецерковнаго утвержденія различны. Учительный авторитетъ вселенскихъ соворовъ есть не что иное, какъ идеальная и неизмѣняемая по своему составу сущность православно-церковнаго преданія in concreto. — Op. cit., pp. 558-559.

(2) Введеніе къ православное богословіе, ed. VI. Petropoli, 1897, p. 377.

(3) Ib. pp. 377-378.

(4) Ib., pp. 378-379 Sylvester, Опытъ православнаго догматическаго богословія, t. IV, Kioviae, 1897, pp. 320-321.

(5) Macarius, pp. 379.380.

(6) Sylvester, p. 317.

orthodoxae, quae peculiares dies festos instituit ad concilia oecumenica commemoranda (1); *g*) ex monumentis hymnographicis, in quibus concilia oecumenica cum septem columnis comparantur quae sua mole inconcussa totam sustinent veritatem fidei orthodoxae, ab eaque propellunt haereticorum agmina ; *h*) ex eo quod suam fidem amplexuris Ecclesia orthodoxa statuat in cunctis assentiendum, quae concilia oecumenica decrevere (2); *i*) ex eo denique quod consecrationem episcopalem accepturis praecipiat fidei professionem legendam, in qua de conciliorum oecumenicorum auctoritate mentio inijcitur (3).

Quî autem se habeat haec supernaturalis Spiritus Sancti illuminatio, quae Patres in conciliis oecumenicis congregatos infallibiles reddit, explanat Andrutsos: « Praesentia Spiritus Sancti in conciliis oecumenicis non est inspiratio, vel novorum dogmatum revelatio, sed tutamen quoddam, vel illuminatio, quae Patres ab erroribus sospitavit in suis decretis condendis. Divina revelatio complectitur dogmata: Ecclesia vero in ea invigilat, nil aliud praestat nisi quod ea explicet, sive ad fideles suas doctrina imbuendos, sive ad reprobandas pravas haereticorum interpretationes et commenta. Patres Concilii non expectant gratiam Spiritus Sancti, lapidea tanquam simulacra, sed ut nobis in concilio Apostolorum ceterisque fas est videre, iuxta suas vires humanas adlaborant, pervestigant. Etenim Spiritus Sanctus humani ingenii opes non amovet: eas e contra adauget altiusque extollit, viam ad veritatis possessionem ipsi praemonstrando (4).

(1) Memoria primi concilii nicaeni (Воспоминаніе перваго вселенскаго собора) celebratur in Ecclesia orthodoxa die 29 maii vel septima hebdomada post Pascha, Sergius, Полный мѣсяцесловъ Востока (*Calendarium orientale completum*), t. II, Vladimir. 1901, p. 161; Дни богослуженія православной каѳолической восточной Церкви (*Dies liturgici Ecclesiae catholicae orthodoxae orientalis*), t. II, Petropoli, 1858, pp. 179-183. Die 16 julii celebratur memoria 630 Patrum qui concilio chalcedonensi interfuere (Память св. отецъ шестисотъ и тридесяти, иже въ Халкидонѣ), Sergius, II, p. 415; Дни, etc., II, pp. 202-205; et die 11 octobris memoria septimi concilii oecumenici (Воспоминаніе седмаго вселенскаго собора), Sergius, II, p. 315.

(2) Maltzev, *Ritus der Vereinigung mit der orthodoxen Kirche*, Berolini, 1897, p. 49.

(3) Id., *Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, Borolini, 1898, p. 402.

(4) *Ἡ ἐν ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις παρουσία τοῦ ἁγίου Πνεύματος δὲν εἶναι ἔμπνευσις καὶ ἀποκάλυψις νέων δογμάτων, ἀλλ' ἐπισιασία, ἤτοι φωτισμὸς προφυλάσσων τοὺς συνοδικοὺς ἀπὸ τῆς πλάνης ἐν ταῖς ἀποφάσεσιν αὐτῶν· Τὰ δόγματα περιέχει ἡ θεία Ἀποκάλυψις· ἡ δὲ Ἐκκλησία ἡ τὴν φύλαξιν αὐτῶν πεπιστευμένη οὐδὲν ἕτερον πράττει ἢ ἐξηγεῖται αὐτὰ εἴτε πρὸς διδασκαλίαν τῶν πιστῶν, εἴτε τὰς αἱρετικὰς παρερμηνείας καὶ νοθείας αὐτῶν καταδικάζουσα. Ἐντεῦθεν καὶ ἐν*

Hic desino. Quae hucusque attulimus testimonia satis habentur ad evincendum theologos orthodoxos cum catholicis plane convenire in veterum conciliorum infallibilitate tuenda. Quapropter in hocce rerum capite, theologis protestantibus ac Theophani *lutheranizanti* Ecclesias orthodoxas strenue adversantur. Neminem enim latet theologiam protestantem decretis in conciliis oecumenicis sanctis, tam auctoritatem, quam infallibilitatem denegare (1).

Non diffitebor tamen in doctrina de conciliis enucleanda vehementer theologos orthodoxos a catholicis discedere in eo quod statuant maiorem potestatem quam eam quae conciliis oecumenicis vindicatur, non dari in Ecctesia Dei, omnesque sive Patriarchas, sive Episcopos exsequi tantum Conciliorum praeceptiones. Ex hisce statutis eo usque progrediuntur theologi orthodoxi, quos memoravimus, ut Romanos Pontifices concilia convocare, eisque sive per seipsos, sive per suos legatos praeesse eorumque decisiones confirmare, necessarium non autument (2). Discutiemus alias rationes, quae ad novas hasce sententias comprobandas, e penu theologiae orthodoxae depromuntur. In praesens satis habeo demonstrasse in praecipuis veteris traditionis christianae monumentis impense excolendis, summaque veneratione prosequendis, theologos orthodoxos cum theologis catholicis in contentionem venire.

ταῖς συνόδοις οἱ ἱεράρχαι δὲν ἀναμένουσι μηχανικῶς τὴν τοῦ ἁγ. Πνεύματος ἐνέργειαν, ἀλλ' ὡς βλέπομεν ἔν τε τῇ Συνόδῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ ἐξῆς ἐν ταῖς ἄλλαις συνόδοις, ἐργάζονται κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας αὐτῶν δυνάμεις, συζητοῦντες, ἐρευνῶντες, τὸ δ' ἐπιστατοῦν ἅγιον Πνεῦμα μὴ αἴρων τὴν ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν ἐνισχύει μόνον καὶ ἐξαίρει αὐτὴν καθοδηγοῦν εἰς τὴν ἀλήθειαν. — Op. cit., p. 291.

(1) « Non vocabantur leges conciliorum decreta, sed canones, quod instar regulae cuiusdam ac normae essent, sed scripturae sacrae longe inferioris, quippe quae sola, si adcurate loqui velimus, pro fide atque vitae regula habenda... Non aliter conciliorum decretis obsequium deberi, quam si cum Scriptura sacra consentiant: inde quoque evincitur quod concilia infallibilitatis non gaudent privilegio, et quemadmodum errare possunt, ita etiam ea interdum errasse historiarum monumenta nos condocent ». Buddeus, op. cit, pp. 750, 791.

(2) Sylvester, t. IV, p. 329; Malinovsky, t. II, p. 246.

CAPUT VIII.

De recentioribus documentis symbolicis Ecclesiarum orthodoxarum.

1. De necessitate librorum symbolicorum, ac de iure, quod Ecclesiae tribuitur, ea condendi. — 2. *Confessio fidei* Gennadii Scholarii, Patriarchae Constantinopolitani, ac *Dialogus* ei adscriptus. — 3. *Responsa* Hieremiae II, Patriarchae Constantinopolitani, lutheranis theologis, de ineunda cum Ecclesiis orthodoxis unione sollicitis. — 4. *Confessio fidei* Cyrilli Lucareos, Patriarchae Constantinopolitani. — 5. Concilium constantinopolitanum anni 1638, et reprobatio confessionis Cyrilli Lucareos. — 6. Synodus Iassiensis, anno 1642 adversus Cyrillum Lucarim habita. — 7. Synodus Hierosolymitana, anno 1672 congregata. — 8. *Confessio fidei* Dosithei, Patriarchae Hierosolymitani. — 9. Controversia de authenticitate confessionis fidei Cyrilli Lucareos. — 10. *Orthodoxa Confessio fidei catholicae,* cuius auctor fertur Petrus Moghilas. — 11. *Confessio fidei* Metrophanis Critopuli. — 12. Concilia particularia veteris Ecclesiae, ut documenta symbolica in theologia orthodoxa. — 13. Concilia particularia Ecclesiae graecae sub dominatu Turcarum, et russicae. — 14. *Litterae encyclicae,* vel dogmaticae patriarcharum Constantinopolitanorum, ut documenta symbolica. — 15. *Catechismus* Philareti, metropolitae mosquensis, eiusque valor symbolicus. — 16. De auctoritate librorum symbolicorum Ecclesiarum orthodoxarum. — 17. Necessitas primatus atque infallibilitatis Romanorum Pontificum, ut libri symbolici, qua par est, auctoritate in rebus fidei potiantur.

1. Disseruimus iam de veteris Ecclesiae monumentis symbolicis, quae apud scriptores orthodoxos permagni habentur. Provinciam exploravimus, quam vix ac ne vix theologiae catholicae compendia pertingunt: hancce tamen silentio praetermittere mihi visum non est, eo quod, iure an iniuria nescio, mea est sententia, praecipuas rationes, quae vel schisma provocarunt, vel id in praesens alunt foventque, ex diversa plane ratione tam dogmata, quam magisterium ecclesiasticum concipiendi, proficisci. Gradum nunc facimus ad recentioris oevi monumenta symbolica, quae in theologia orthodoxa maxume commendantur, pervestiganda. Antequam tamen ad rem nostram proprius tractandam accedamus, quaedam de librorum symbolicorum necessitate in Ecclesia Christiana latiore sensu accepta, haud abs re erit delibare.

Hancce necessitatem ex triplici capite vindicamus Ecclesiae: α′ quia Ecclesia *vivit*; β′ quia *docet*; γ′ quia *bellat*. Quatenus *vivit*, omnes qui christiano nomine gloriantur, alloqui tenetur; quatenus *docet*, in id tendere debet, ut cunctis in orbe terrarum dispersis fidelibus, suam fidem rite proponat; quatenus *bellat*, suo deesset officio, si catervas hostium in suos thesauros involantium, ad fugam non impelleret.

α′) Quod, Ecclesia sua vita potiatur, cuique facile patebit finem inspicienti, ob quem Iesus Christus eam condidit, vel munera, quae inter humanos absolvit, perpendenti. Ad hoc enim instituta est Christi Ecclesia, ut uberrimos redemptionis fructus in orbe terrarum colligat, ut genus humanum, quod tot pravae animi affectiones totque laquei ad eius exitium interitumque dispositi in discrimen adducunt, a periculis sospitaret, ac tutum in portum adveheret. Neminem autem arbitror latere hocce munus, quod per suam Ecclesiam implendum statuit Redemptor noster, ad unam tantum vel paucas *generationes*, ad hunc vel illum populum tantum sese non extendere. Ecclesia Christi institutio non est, quae tempori edacitate corroditur, suum fatum quandoque habitura, suisque muneribus ad tempus defunctura, donec perfectior institutio novis superstructa fundamentis, eam supervacaneam reddat. Iuxta promissiones Iesu Christi, ad finem usque mundi ipsa manebit, cunctos populos in suo sinu complectetur, in omnes regiones suum dominatum exercebit, foedus inter coelum terramque pactum per omnem saeculorum decursum integrum servabit. Si res ita se habet, dubium nou est quin Ecclesia indefectibili potiatur vita. Sicut enim demortuum cadaver nihil agit, ita et corpus Christi mysticum, si tot teneatur in orbe officia absolvere, vivat necesse est, alioquin inertia laboraret. Ecclesia igitur vivit, imo, non solum vivit, sed et insuper vitae supernaturalis uberrimus fons iure meritoque habetur. Suos enim filios mortuos resuscitat, vivos alit, debiles roborat, vacillantes firmat, pererrantes inter venenata pasqua ad suaveolentia Iesu viridaria reducit.

Si vita potitur Ecclesia, alloqui tenetur fideles, ne suo silentio in falsam eos inducat persuasionem, se paralysi laborare, ac speciem tantum corporis viventis praeseferre. Homo, qui loquendi facultate destituitur, ac membris perfractis et praepeditis, haud aliter atque immobile iacet cadaver, impar habetur suis muneribus obeundis suoque operi perficiendo. Hoc idem de Ecclesia asserendum est, si eam nunquam locuturam statuamus, ut Dei verbum, Deum sitientibus profundat.

Quae ab incunabulis religionis christianae munera persolvit Ecclesia, haec eadem in praesentiarum implet. Si primaeva illa aetate

sanguineis rivulis ex discerptis martyrum membris scaturientibus steriles ethnicorum agros fertilitate donavit, nunc etiam temporis infoecunda barbarorum arva suo sanguine non desinit irrigare, ut facilius in eis germina fidei christianae radices agant, viridesque in arbores excrescant. Ab exordio, suos inter natos sanctitatis flores excoluit, vel in perustis ac desertissimis locis, quae uberrima reddidit: nostra etiam memoria perstat in Ecclesia mira haec vis perditos homines vel cereas animas atque infirmas ad supremum moralis perfectionis fastigium attollendi, simillimamque Christi imaginem in eis renovandi. Munus igitur fideles alloquendi, quod illis temporibus adimplevit Ecclesia, adhuc adimplet. Praeteritorum saeculorum consule historiam, ac tibi perspectum erit nullam extitisse aetatem, qua Ecclesia veluti fessa laboribus suo in opere absolvendo constiterit, vel turpi consenuerit otio, vel oscitanter sese gesserit, praesertim in verbo Dei praedicando, in thesauris divinae revelationis aperiendis, in provinciis explorandis, in quas Christi vexilla nondum tulerat. Ab initio locuta est Ecclesia, ut fideles christianis imbueret praeceptis, moresque instauraret, suamque fidem ab haereticis, humanarum opinionum commentis eam infuscare conantibus, tutaretur. Haec autem vox, quae tam late in orbe terrarum olim personuit, suum robur integrum servat. Testatur historia nullum extitisse saeculum a Christo natum, quo fideles eam non audiverint eique non paruerint. Verbum Dei nuntiavit, ac non cessat quin nuntiet Ecclesia; verbum fidei quae salvos facit homines, *ἡ πίστις σου σέσωκέν σε*, Matth., IX, 22; quae corda nostra purificat per virtutem Spiritus Sancti, *τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν*, Act. Ap., XV, 9; quae annuntiatur in universo mundo, *ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ*, ad Rom., I, 8; ex qua iustus vivit, *ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται*, ad Gal., III, 11; et in qua iustificabimur, *ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ*, ib., II, 16.

Hoc autem verbum fidei in libris symbolicis, prout ferunt tempora, loquitur Ecclesia. Sicut continenter vitam, quae per fidem inducitur, in animas lavacro baptismatis ablutas, ipsa effundit, ita a verbis proferendis, quae suam fidem exprimunt, nunquam sese abstinet. Vires suppeditat animo, ac luce mentem illustrat; ad ambulandum in viam salutis homines instruit, eosque iam ambulantes, quorsum sese vertere debeant, admonet. Haec verba, quae rectam praedicant fidem, quae fideles, a recto tramite ne deflectant, praecavet, quae nebulas errorum dispellit, in suis libris ac documentis symbolicis tradit Ecclesia. Non secus ac magisterium necessarium est Ecclesiae, ita necessaria sunt documenta quibus hoc magisterium suam sententiam expromit, suamque enucleat doctrinam, eo magis necessaria, quo frequentius, coetus, ut ita dicam, socialis, exterior compago Ecclesiae, immutatur.

Generatio praeterit, ac generatio advenit, *γενεὰ πορεύεται καὶ γενεὰ ἔρχεται*, Eccles., I, 4, et quaevis generatio Ecclesiam loquentem audire deperit. Haud quidem mihi est animus hisce verbis insinuare magisterium ecclesiasticum in diversa plane distrahi, iuxta temporum vices; eadem enim est fides, quam omni aetate fideles edocet, at non semper eisdem utitur verbis in sua fide declaranda. Immutabilitati doctrinae, ad fidem quod attinet, haud obstat mutabilitas verborum, quibus haec doctrina expromitur, quibusque fusius vel pressius enucleatur. Iesus Christus enim immutabilem fidem Apostolis tradidit, eisque omne in oevum sese adstiturum pollicitus est, ne in hac fide edocenda deficiant; quî tamen haec eadem fidelibus exponenda sit, tacitus praeteriit. Itaque, necessarium est ex instituto divino quod suam fidem poscentibus rite exponat Ecclesia: eius tamen sapientiae dijudicandum relinquitur, quibusnam verbis, vel quanam methodo haec fides sit exponenda, eodemque modo quo primis saeculis locuta in suis symbolis, ita quavis aetate loqui potest, atque interdum debet, suis in libris symbolicis. Hoc si denegetur, consequeretur in suis primordiis Ecclesiam iure potitam fuisse suos fideles alloquendi, ut verbum Dei eos edoceret; in posterum vero hoc ius cum gravissimo eorum detrimento amisisse, eosque in falsam induxisse suspicionem, ad instar obmutescentis cadaveris sese gerere (1).

β') Ecclesia vivit, ergo loquitur; Ecclesia loquitur, ergo docet. Divino enim magisterio instruitur, ut fidelium mentes supernae doctrinae rivulis continenter irriget, ut omnes populos fidem Iesu Christi edoceat. Ab hoc munere obeundo si quando cessaret, discipulorum agmina nobis obversarentur, qui sine duce, in diversa distracti, loca pererrarent pravis stirpibus consita, hostiles inter se manus consererent, crassorum errorum laqueis irretirentur, Ecclesiam in antrum converterent, in quod omnium haereseon protervi coniunctim ruerent venti. Quo fieret ut prorsus imparem sese proderet Ecclesia suo muneri persolvendo, dolosas inter praeiudicatarum opinionum syrtes mortales in rectum veritatis tramitem pertrahendi, eorumque saluti potius officeret quam opitularetur.

(1) « Ad praecavendas ardelionum calumnias, qui abhinc paucis annis scriptorum catholicorum opera cursim et properanter evolvunt, eo tantum fine ut in ipsis haereseon germina expiscari possint, monendum ducimus mutabilitatem verborum, quam tuemur, ad majorem minoremve fidei expositionem, vel accuratiorem explanationem referri. Certum est enim neminemque latet quaedam verba, valorem dogmaticum exhibentia, verbigratia *ὁμοούσιον*, et transsubstantiationem, non secus ac dogmata per ea expressa, nullis unquam mutationibus subiectum iri.

At Ecclesia, si docet, temporum adiuncta, immutatas civilis societatis conditiones, in qua suum gerit magisterium, perpendere tenetur. Ultro damus Ecclesiam ad id non obstringi, ut saeculi ingenio semper indulgeat: novas tamen quae in societate civili labentibus annis necessitates exoriuntur, nec non ex progressu mentis humanae novarum *idearum* germina inducta, superciliose praetervehere non potest. Etenim, qui cuiusvis doctrinae tradendae onus suscipit, suos praesertim aequales alloqui contendit, quamobrem ei inquirendum est quaenam methodus sit aptior, quaenam verba magis idonea ad eos suis praeceptis imbuendos. Omnis humani generis aetas suas habet peculiares notas, suo, ut ita dicam, idiomate utitur, quod in pluribus a maiorum idiomate discedit, suumque scientiarum incrementis locupletatum possidet patrimonium, ita ut illud vere dici queat unius aetatis faciem, alterius aetatis similem non esse. Si haec deprehenditur inter humanos ex temporum vicibus cogitandi loquendique varietas, Ecclesia Christi, quae, licet societas supernaturalis sit, ad suam originem naturamque quod attinet, ex hominibus tamen constat, cum hominibus conversatur, suamque vitam in terris degit, in quibusdam, societatis civilis conditionibus morem gerere debet.

Hocce idem praestitit Deus, ut opus redemptionis promoveret, ac fidelium necessitatibus satius consuleret. In exordio enim religionis christianae, cuius nondum divinitas tot signis enitebat, quibus in praesens ea facile dignoscitur, supernaturalium charismatum exundantes amnes effudit, innumerisque patratis miraculis, Evangelii propagationi planiorem communivit viam. Hisce tamen insuetis mediis, quibus vel invitos ad profitendum Christum Deum allexit, haud semper utendum statuit divina Providentia, ut luculenter confirmat historia. Ad rem S. Gregorii Magni verba: « Haec prodigia necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam convaluisse videmus, et si semel radicem fixerint, in rigando cessamus »(1). Cum enim, tot propagata laboribus, tot illustrata victoriis, tot onusta trophaeis, Ecclesia suam divinam originem ac naturam cunctis populis perspicuam reddidit, supernaturalis illius segetis, quae initio mirifice excrevit, pristina cessit ubertas, ac miracula, quin desinerent, ne crebrius fierent Deus censuit. Haec cum ita sint, conficitur, in divinae redemptionis oeconomia, suoque in regno amplificando, humani generis conditionibus atque infirmitati Deum prospexisse.

(1) *Hom.* XXIX, *in Ev.*, *P. L.*, t. LXXVI, col. 1215.

Eadem sane ratione agit Ecclesia in doctrina exponenda, cuius ipsa vindex est ac magistra. Haec doctrina in seipsa immutabilis est: ab ea, labentibus saeculis, ne latum quidem unguem discedere licet; nihil ei adiungitur, quod novitatis notam praeseferat. Methodus tamen docendi non semper eadem est; modi quibus exponitur, prout ferunt tempora, variant. In primordiis Ecclesiae, cum propiores aetate Christo Apostolisque fideles, plenis haustibus, ex fontibus divinae revelationis ebiberint, cum haeretici nondum in unum coactas nubes ad veritatem christianam obfuscandam induxerint, expositiones fidei aurea simplicitate et brevitate nitebant: nihil priscis illis fidelibus potius fuerat quam Iesum Christum, et hunc crucifixum, profiteri. At fervor ille pietatis in Deum, quae primaeva christianae fidei aetate vigebat, obsequiumque illud mentis et cordis veritati divinitus revelatae, paullatim deciderunt: sensus christianus, ut ita, dicam, hebescere coepit: curiositas in rebus fidei inquirendis fideles pervasit, qui in concertationibus cum haereticis frequentius rationem suae fidei exposcere aggressi sunt, ne per ignorantiam a purissimis veritatis fontibus deflecterent. Quid in hisce rerum adiunctis Ecclesiae agendum?... Num supercilium tollendum, suisque filiis respondendum: « Expositio illa fidei, quae data est ab incunabulis religionis christianae satis habetur: meam fidem aliis verbis vel fusius explanare non patiar » ? Hoc fortasse egisset Ecclesia, si novercae potius quam matris more in suos filios sese gereret. At, cum summa eos prosequatur benevolentia, in eisque ad Deum per innumeras plane vias adducendis tota sit, non potuit quin eorum votis satisfaceret, eisque clariorem fidei faculam accenderet. Haud aliter egit ac magister, qui suae scientiae principia addiscentibus proponit. Concinna enim utitur brevitate, cum tirones, rudes qui eam vix delibarunt, alloquitur; enodatius vero ac fusius, eos qui, primis rudimentis acceptis, ad pleniorem scientiae cognitionem sibi comparandam animum adiungunt. Principia scientiae utraque in institutione mon immutantur; docendi tamen methodus differt. In exponendis veritatibus fidei, hanc etiam viam ingreditur Ecclesia. Principia enim semper eadem proponit: in hisce tamen enucleandis, non eadem semper utitur methodo.

De fidei expositionibus, in libris symbolicis plus vice simplici ab Ecclesia promulgatis, illud evenit, quod de catechismis contigisse testatur historia. Decurtata fidei christianae compendia, quae tribus prioribus a Christo nato saeculis cathechumenis exhibebantur, subsecutae sunt fusiores fidei professiones, quae in conciliis, ad luem haereticam arcendam, conditae fuere. Debacchante autem pseudo-reformamatione, cum necessitas orta esset fideles praemuniendi, ne pravas in

sententias dilaberentur, explicatior adhuc catechismus in catholicam Ecclesiam invectus est, quo planiore methodo ac locupletiore doctrina fidei veritates traderentur. Nostra autem aetate, cum tanta errorum colluvies in societatem civilem exundet, institutiones catecheticae vel uberiorem materiarum segetem amplectuntur. « Non enim, ut verbis utar S. Gregorii Nysseni, idem doctrinae modus convenit omnibus verbi auditoribus, sed pro religionum diversitate (loquitur S. Doctor de modo pertrahendi Iudaeos atque ethnicos, vel haereticos ad fidem christianam), mutanda et accomodanda erit catechesis, orationis quidem eundem sibi proponendo scopum, et ad eum intuendo, sed non eodem modo probando, et confirmando »(1).

Eadem sane ratione perbreve symbolum Ecclesiae primitivae, subsecuta sunt productiora conciliorum oecumenicorum symbola. Proficientibus autem fidelibus in fide, explicatius suam doctrinam in symbolis contentam enucleavit Ecclesia, ut fidelium necessitatibus consuleret, eosque efficacius tueretur. Itaque suo iure Ecclesia utitur, cum libros symbolicos condit, eosque necessarios ad sanam fidei doctrinam inculcandam, merito contendimus. Sicut enim Ecclesia quatenus vivit a veritate divina praedicanda sese nequit abstinere, ita quatenus docet, ab eadem veritate *auctoritative* exponenda desinere non debet. Si vero reponas eadem semper methodo iisdemque semper verbis atque in primordiis religionis christianae fidem semper exponendam, ideoque libros symbolicos necessarios non esse, dicendum tibi erit, Ecclesiam, quae omnes complectitur aetates, ita constitutam fuisse, ut mutationes in societatem civilem inductas nihil pensi habeat; ut dissonis sua inter agmina concertationibus intersit, quin ab eis usquam desistere iubeat; ut provectiores aetate, atque in doctrina Christi exercitatiores discipulos suis praeceptis imbuat, non secus ac discipulos in eis plane hospites. Cum hoc repugnet, Ecclesiae abnuendum non est ius libros symbolicos edendi, in quibus methodo aetati, qua vivit, consona, immutabilem Christi doctrinam proponat. Hocce, quod ei vindicamus, ius, consectarium est magisterii ecclesiastici: si hoc magisterium revera existit, si ei munus docendi incumbit, si hoc munus usque ad finem mundi persolvet, dubium non est quin pluries, prout ferunt tempora, et mutatae societatis conditiones, suam doctrinam, quoad res contentas immutabilem, in libris symbolicis non eadem semper methodo iisdemque verbis proponat.

(1) *Οὐ μὴν ὁ αὐτὸς τῆς διδασκαλίας τρόπος ἐπὶ πάντων ἁρμόσει τῶν προσιόντων τῷ λόγῳ. Ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν θρησκειῶν διαφορὰς μεθαρμόζειν προσήκει τὴν κατήχησιν, πρὸς τὸν αὐτὸν μὲν ὁρῶντας τοῦ λόγου σκοπόν, οὐχ ὁμοιοτρόπως δὲ ταῖς κατασκευαῖς χρωμένους.* — *Oratio catechetica magna: praefatio, P. G.*, t. XLV, col. 9.

γ') Si Ecclesia docet, necessarium est etiam ut proelietur. Nullum datur doctrinarum corpus, nullum scientiarum systema, quod una cum suis adstipulatoribus, obtrectatores suos adversariosque non percenseat. Ea est enim humanae naturae conditio, ut firmitate suis in cogitatis careat, saepe saepius in errorem rapiatur, nihil habeat quantumvis stabile atque inconcussum, quod adoriri, vel dissolvere non conetur. Insuper, cum incuriose frequenter in ea inquirat quae suum captum pervadunt, quaeque ingenii opes assequi non valent, cavillationibus haud raro faciles commodat aures, ac longe a veritatis semita abstrahitur. Haec quae in scientiarum humanarum provincia eveniunt, vel in fide pervestiganda accidere compertum est. Fides enim, si accipitur ut cognitio supernaturalis, quae thesauros divinarum veritatum ad Deum pertinentium humanis mentibus aperit, doctrinas complectitur, quae vel excultissimorum ingeniorum vires penitus superant. Itaque, in hisce doctrinis inquirendis saepe saepius contingit, ut sapiens haereat, ut eas rite non capiat, suisque commentis inficiat, ut superbia tumidus, cum nolit magisterio in Ecclesia divinitus instituto subiacere, potiusquam eis lucem adfundat, noctem afferat. Hinc factum est ut omni fere aetate homines fuerint, qui veterem christianam doctrinam, fascinatis et corruptis oculis dispicientes, suis commentis inficere ac pervertere aggressi sint, eam suo captui accommodare studentes.

Si fides autem, ut virtus consideretur, quae, intellectu superno lumine collustrato, ad morum instaurationem confert, a vitiis consectandis humanum cor avertere nititur, nec non terrena flocci facere, coelestia intueri, pravarum affectionus stirpes in dies magis germinantes succidere, eam acriores adhuc adversarios osoresque nancisci in comperto est. Sicut enim inani superbia tumentes scioli fidei iugum abjiciunt, eo quod non patiantur suum intellectum divinae sapientiae dominatui subesse, ita etiam non desunt homines, qui suis cupiditatibus atque illecebris laxatis habenis, fidem illam aversentur, qua christianus vir ex imis terrarum regionibus per supernaturalium virtutum cultum ad coelum effertur.

Mirum igitur non est tam mentem quam corde perversos extitisse homines, quos S. Athanasius « inconstantes in variandis sententiis, depingit, quasi camaleontes in mutando colore, qui cum convincuntur erubescunt, haerent cum examinantur, ac tandem vana impudenter praetexunt »(1); homines « qui tanquam mali cauponatores, aggre-

(1) *Εἰσὶ γὰρ ποικίλοι καὶ παλίμβολοι τὰς γνώμας, ὡς οἱ χαμαλέοντες ἐν τοῖς χρώμασι, καὶ ἐλεγχόμενοι μὲν ἐρυθριῶσιν, ἀναχρινόμενοι δὲ ἀποροῦσι, καὶ λοιπὸν ἀναιδευόμενοι προφασίζονται.* — *De decretis nicaenae synodi*, 1, *P. G.*, t. XXV, col. 416.

diuntur divinum argentum efficere reprobum, mixtione haereticorum et adulterinorum sensuum verbi splendorem obscurantes »(1).

Quî sese gerere debet Ecclesia, ut fides saevientibus haereseon procellis, e vado emergat?... Num ei licebit turpe in otium vitam agere, ac sese abstinere a novis vallis aggerandis ut validius suos thesauros tueatur? Hancce inertiam si bello anteponeret Ecclesia, ducem imitaretur qui permultis ductis triumphis, moenia suae arcis, quae tempore pacis asylum ei praebent, vetustate iam fatiscentia, quominus instaurentur, vetaret; desidiosum referret hominem qui lapides suae perpulchrae domus a maioribus acceptae pateretur ut eripiantur, falsa nisus persuasione hancce domum firmissimis superstructam fundamentis, incolumem permansuram. Ecclesia divinitus instituta est, non modo ut suas veritates tranquille contempletur, verum etiam ut eas uberiores reddat, latius pervulget, et cum necesse erit, strenue defendat. Suo igitur muneri deesset Ecclesia, si, haereticis fidem adorientibus, silentium fidelibus indiceret, eisque explanatius suam doctrinam in libris symbolicis non expediret. Si exoriuntur haereses, *ἀντίδοτον*, quod vocant, opus est comparet Ecclesia. Si pravae haereseon grassentur sententiae, officium competit Ecclesiae suos milites ab eis sospitandi. Si fuco puritas fidei ita illinitur, ut fides nativam suam pulchritudinem amittat, non potest Ecclesia quin ingruentem errorum pestem avertat, haereseon foeditates denudet, earumque propagationem accuratarum expositionum fidei obice intercludat. Pientissima enim ut mater suos filios tenetur alloqui, edocere, ac simul tueri.

Supervacaneum arbitror immorari in re tam clara ac testata discutienda. Suam fidem contra subdolas haereticorum alterationes clarissimis verbis ita exponendi, ut eam omnibus conspicuam faciat, onus Ecclesiae incumbit. Hoc autem praestat Ecclesia per libros symbolicos, quos grassantibus haeresibus peropportune condit ac pervulgat. Non secus ac theologi, qui veritates fidei systematico elaborant ordine, scrutantur ac tuentur, easdem veritates Ecclesia, temporibus indulgens, clarius, fusius, compositius, enodatius suis in documentis symbolicis exponere potest, ut fideles, eis communiti, haereticorum technas propellere valeant. Absonum enim esset veritati affirmare Ecclesiam recte agere cum novis definitionibus fidem suam, munitissimis veluti propugnaculis vallat; suoque vero ab officio decedere, cum easdem veritates,

(1) *Οἱ πονηροὶ κάπηλοι, ἀδόκιμον ἐπιχειροῦσι ποιεῖν τὸ θεῖον ἀργύριον, τῇ μίξει τῶν αἱρετικῶν τε καὶ κιβδήλων νοημάτων ἀμαυροῦντες τοῦ Λόγου τὴν λαμπηδόνα.* — S. Greg. Nyss., *In illud, quando sibi subiecerint omnia* etc.. *P.G*, t. XCIV, col. 1304.

aptiore methodo ac fusioribus verbis in libris symbolicis enucleat. Hisce libris ablegatis, interdum sine armis fideles praelia miscerent.

Argumenta nostra scriptor lutheranus, cuius verba heic placet referre, confirmat: « Carere quidem libris symbolicis potest Ecclesia, si nulli essent *ἀντιλέγοντες τῇ ἀληθείᾳ*, et omnes, quotquot christianum profitentur nomen, sanam atque salutarem sacrarum litterarum integram et incorruptam servarent doctrinam. Iam cum tot a vera fide aberrantes in orbe christiano sint coetus, totque identidem oriantur *ψευδοδιδάσκαλοι*, qui illos ipsos, quos spargunt, errores pro divinis veritatibus haberi volunt, necesse omnino est, ut Ecclesia, qua puriorum est partium, sua habeat scripta symbolica, quippe quae id maxime praestant, ut ne haeresibus inficiantur orthodoxi et ut ad *τὸ αὐτὸ λέγειν* certa confitendi formula, adstricti omnes in unitate fidei, pacis concordiaeque vinculo contineantur. Quanquam igitur librorum symbolicorum non absoluta est necessitas, sunt tamen illi utique necessarii, necessitate hypothetica » (1).

Libri igitur symbolici *documenta sunt, quae vocem Ecclesiae docentis, praesertim ad fidem contra grassantes haereses tuendam eandemque clarius exponendam, exhibent.* Dicimus *vocem exhibent,* ut innuamus hoc esse proprium Ecclesiae ut nunquam in suo munere praedicandae verae fidei deficiat; epithetum *docentis* Ecclesiae adiunximus ad significandum Ecclesiam munus magisterii perpetuo obituram; verba denique *ad fidem tuendam clariusque exponendam* finem proximum indicant, quem sibi Ecclesia in libris symbolicis condendis praestituit. Itaque libri symbolici Ecclesiam nobis patefaciunt un *praeconem*, ut *magistram*, ul *ducem*. Ut *praeco*, fidem Christi ipsa nuntiat; ut *magistra*, eam docet; ut *dux*, eam tuetur, quod triplex munus, cum necessario persolvendum sit ab Ecclesia, consequitur et necessario ei ius tribuendum libros symbolicos condendi promulgandique.

2. Primus, qui nobis exhibetur librorum auctor in Ecclesia orthodoxa, post captam a Turcis byzantinam urbem, est Gennadius (Georgius) Scholarius I, *Γεννάδιος Σχολάριος*. Clarissimus hicce scriptor, cui chronologice postremus assignatur locus inter byzantinos scriptores, qui theologiae polemicae operam navarunt, natus est Constantinopoli, fortasse saeculo XV exoriente; magistrum habuit, ut ferunt, Marcum

(1) Boerner, *Institutiones theologiae symbolicae*, Lipsiae, 1751, pp. 7-8. — Luhn, *De formularum fidei necessitate*, Witembergae, 1717, pp. 12-25. — Wernsdorf, *De auctoritate librorum symbolicorum*, Wittembergae, 1698. — Moebius, *De auctoritate librorum symbolicorum non repudianda*, Lipsiae, 1706. — Wideburg, *De auctoritate librorum symbolicorum*, Helmstadii, 1708. — Schwarze, *Vindiciae necessitatis librorum symbolicorum*, Halae Sal., 1752. Animadvertimus, hosce scriptores, theologos protestantes fuisse.

Ephesinum, vel potius eo usus est tamquam amico et consiliario. *Κριτὴς τῆς βασιλικῆς κρίσεως* sub dominatu Iohannis VIII Palaeologi (1425-1448), una cum imperatore ceterisque graecis episcopis concilio florentino interfuit. Non sine theologica eruditione et eloquentia pro tuendis adversus concives suos latinis dogmatis decertavit. In patriam tamen reversus, factioni Marci Ephesini sese adiunxit, atque in Latinos acriter invehere coepit. Post urbem captam, cum praeclaram sibi doctrinae famam comparasset, iussu Mahumetis II, ad sedem patriarchalem evectus est, summisque honoribus decoratus. Paucis post annis, suo munere sese abdicavit, atque in monasterium secessit S. Iohannis Baptistae, in monte Menecaeo (*ἐπὶ τοῦ ὄρους τῆς Μενοικέως*) prope Serras in regione Macedoniensi, ibique diem supremum obiit anno 1460, vel ut alii suspicantur, 1464 vel 1468.

Meum non est heic tenebras discutere quae huiusce viri totam obnubilant vitam. Diu disputatum est, an sub nomine Gennadii Scholarii duo extiterint scriptores, quorum unus Romanae Ecclesiae firmiter adhaeserit, in eamque a Graecorum theologorum assultibus tuendam omnes contulerit ingenii vires: alter vero in latinorum odio enutritus, ab eis dicteriis calumniisque insectandis nunquam destiterit. Mea quidem sententia, in quam praesertim descendendum puto post acutissimas Drăsekii investigationes (1), unus tantum Gennadius Scholarius habendus est auctor operum, quae eius nomine veniunt, quaeque prius ad latina dogmata tutanda, posterius ad ea evertenda, conscripta fuere. Maxima levitate animi hicce scriptor, post suum in urbem byzantinam reditum, factiosis schismatis sectatoribus nomen dedit, eorumque in castra se recepit. At de hisce controversis ad vitam Gennadii spectantibus, ne in alienam provinciam irruamus, scriptores historiam litteraturae byzantinae pervestigantes adeundi (2).

(1) *Zu Georgios Scholarios, Byzantinische Zeitschrift*, t. IV, 1895, pp. 561-580. — Id., *Zum Kircheneinigungsversuch des Jahres 1439*, t. V, 1896, pp. 572-586.

(2) Inter scriptores, qui de vita rebusque gestis Scholarii in Occidente pertractarunt, memoratu digni: Allatius, *De Ecclesiae orientalis atque occidentalis perpetua consensione*, Coloniae, 1648, coll. 959-966; Renaudotus, *Dissertatio de Gennadii vita et scriptis*, Parisiis, 1709; *P. G.*, t. CLX, coll. 249-308; Oudinus, *Dissertatio de doctrina et scriptis Georgii Scholarii, Commentarius de scriptoribus Ecclesiae antiquis*, t. III, Lipsiae, 1722, coll. 2469-2514; Fabricius, *Bibliotheca graeca*, t. VIII, pp. 91-92; t. XI, ed. Harl., pp. 349-393; t. XII, pp. 104-144; Gass, *Gennadius und Pletho: Aristotelismus und Platonismus in der griechischen Kirche*, Vratislaviae, 1844; Mynas Minoides, *Georges Scholarius, surnommé Gennadius, patriarche de Constantinople, contre les doutes de Plethon sur Aristote*, Parisiis, 1858; Ehrhard, apud Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, Monachii, 1897, pp. 119-121. Ex scriptoribus orthodoxis

Haec fidei confessio cui adnectitur *Sermocinatio de recta et inculpata christianorum fide*, colloquium nempe illud quod fertur Gennadius

---

praesertim consulendi: Manuel Malaxus, apud Crusium, *Turco-graeciae, libri octo, quibus Graecorum status sub imperio turcico, in Politia et Ecclesia, oeconomia et scholis, iam inde ab amissa Constantinopoli ad haec usque tempora, luculenter describitur*, Basileae, 1584, pp. 15-17; 107-109; Dositheus Hierosolymitanus, *Περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις πατριαρχευσάντων*, Bucharestii, 1715, pp. 911-914; Meletius, Atheniensis, *Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία*, t. III, Vindobonae, 1784, pp. 309-310; 330-331; Seraphimov, Писатели греческой Церкви по паденіи Константинополя (*Scriptores Ecclesiae graecae post captam a Turcis urbem Constantinopolim*), Христіанское Чтеніе, 1851, t. I, pp. 121-135; Philaretus Cernigoviensis, Геннадій Георгій Схоларій, патріархъ Константинопольскій XV вѣка, Православное Обозрѣніе, 1860, t. I, pp. 511-534; Sathas, *Νεοελληνικὴ Φιλολογία*, Athenis, 1868, pp. 12-22; Comnenus Hypsilantes, *Τὰ μετὰ τὴν ἅλωσιν*, Constantinopoli, 1870, pp. 3-6; Demetracopulos, *Ὀρθόδοξος Ἑλλάς*, Lipsiae, 1872, pp. 116-118; Zaviras, *Νέα Ἑλλάς*, Athenis, 1872, pp. 19-33; Mathas, *Κατάλογος ἱστορικὸς τῶν πρώτων ἐπισκόπων καὶ τῶν ἐφεξῆς Πατριαρχῶν τῆς ἐν Κ. ἁγίας καὶ μεγάλης τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας*, Athenis, 1884 (ed. II), pp. 99-103; Gedeon, *Πατριαρχικοὶ Πίνακες*, Constantinopoli, 1890, pp. 471-479; Lebedev, Геннадій Схоларій, первый К. Патріархъ послѣ паденія византійской имперіи, Богословскій Вѣстникъ, 1894, t. III, pp. 389-412; Id., Исторія грековосточной Церкви подъ властію Шурокъ, Petropoli, 1903, pp. 199-221; Tryphon Evangelides, *Γεννάδιος Β' ὁ Σχολάριος, πρῶτος μετὰ τὴν ἅλωσιν οἰκουμενικὸς Πατριάρχης· ἱστορικὴ καὶ κριτικὴ μελέτη*, Athenis, 1896 (scatet erroribus); Papaioannes, *Μελέται περὶ Γενναδίου τοῦ Σχολαρίου*, *Ἐκκλ. Ἀλήθεια*, Constantinopoli, t. XVIII, 1898, pp. 430-434; 470-474; Kyriakos, *Geschichte der orientalischen Kirche*, Lipsiae, 1902, pp. 6, 49; Sokolov, Прав. Бог. Энц., t. IV, Petropoli, 1903, coll. 190-194. Evangelides mentionem injicit ineditae cuiusdam scriptiunculae, a Damasceno, Naupactensi metropolita saeculo XVI compositae, quae in Bibliotheca *μετοχίου* S. Sepulchri in urbe Const., Cod. 462, asservatur. Inscribitur: *Διήγησις τῶν τεσσάρων Πατριαρχῶν, Σχολαρίου, Ἰσιδώρου, Ἰωάσαφ, καὶ Μάρκου τοῦ Ξυλοκαραβᾶ*, p. 115. Ab eruditis orthodoxis, complura Gennadii Scholarii scripta inedita, quorum heic subnectimus elenchum, typis pervulgata fuere: Norov, Исторія православія во время и послѣ флорентійскаго собора: новые матеріалы для нея: Марка Ефесскаго и Георгія Схоларія, неизданныя сочиненія (*Historiae Ecclesiae orthodoxae ante ac post concilium florentinum: nova documenta ad eam concinnandam: opera inedita Marci Ephesini et Gennadii Scholarii*), Parisiis, 1859, cf. Странникъ, 1860, t. II, sectio III, pp. 160-167; Arsenius (Ivachtchenko), episcopus († 1903), Георгія Схоларія, сочиненіе Новый Мыслитель, Neogardiae, 1869. *Νεόφρων ἢ Ἀερομυθία*, ex codice 253 Bibliothecae synodalis mosquensis, cf. Vladimirus, Систематическое описаніе рукописей московской синодальной библіотеки, t. I, Mosquae, 1894, p. 318; Id., *Σχολαρίου Διάλογος*, Neogardiae, 1896, ex cod. 243 eiusdem bibliothecae, Vladimirus, p. 323; Papaioannes, *Γενναδίου τοῦ Σχολαρίου, Ἐπιτάφιος εἰς Θεόδωρον τὸν Σοφιανόν*, *Ἐκκλ. Ἀλήθεια*, t. XIX, 1899, pp. 24-28; Id., *Περὶ τῆς ὥρας καθ' ἣν ἐσταυρώθη ὁ Ἰησοῦς Χριστός*, Ib., t. XX, 1900, pp. 159-160; Id., *Περὶ τῆς ἁφῆς τοῦ Κυριακοῦ Σώματος, ὅπως τῇ μὲν Μαγδαληνῇ ἐκωλύετο, ἐπετράπη δὲ τῷ Θωμᾷ*, Ib., XX, 1900, pp. 165-167; Id., *Ἐπὶ τῇ μνήμῃ τῆς ἀποτομῆς τοῦ τιμίου Προφήτου Προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ*, Ib., pp. 385-388; 430-434.

cum Mahumete habuisse primum tenet locum inter nova documenta symbolica Ecclesiarum orthodoxarum (1). Utraque pluries edita est. Graece et latine, cura et studio Iohannis Alexandri Brassicani, primum lucem aspexit Vindobonae, hocce titulo: *Gennadii Scholarii patriarchae constantinopolitani de synceritate christianae fidei Dialogus qui inscribitur, περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπων, idest de via salutis humanae*, anno 1530 (2). Parisiis recusa est, latine tantum, anno 1532: *Libellus, de quibusdam fidei articulis quos turcorum imperator voluit ab eo scire, factusque est inter eos de his dialogus, qui inscribitur via salutis hominum, nusquam antehac impressus* (3). Ex postremis hisce verbis constat editorem parisiensem de priore editione vindobonensi nihil compertum habuisse. Versio latina, quae in eo continetur, comparata est a Georgio Hermonymo Spartano, qui haec tradit de origine *Confessionis* Gennadii: « A maximo Thurcorum imperatore Mahumeta olim hortatus ut cum doctoribus sacerdotibusque de nonnullis articulis fidei nostre, precipue de Sancta Trinitate, publice verba faceret, ea serie illis interrogantibus Gennadius respondit que in hoc brevi uolumine continentur; quam postmodum ipsemet, uolente imperatore, scripture commisit » (4). David Chytraeus eam inseruit in *Oratione de statu Ecclesiarum hoc tempore in Graecia, Asia, Africa, Ungaria, Bohemia* etc., Francofurti, 1583, pp. 173-1794 (5), et Mar-

(1) De colloquio Gennadii Patriarchae cum Mahumete, haec tenet Kollar: « Nisi mea me fallit opinio, videtur Gennadius Patriarcha nunquam cum ipso Muhammede II, verum coram illo cum alio quodam legis muhammedicae perito turca de christianae fidei mysteriis sermones miscuisse. Persuadent enim hoc mihi illa cum nostrae epigraphes tum etiam crusianae verba: *μετὰ Αμοιρᾶ τοῦ Μαχουμέτου*. Quae verba, aut de quodam ex stirpe Muhammedis pseudoprophetae oriundo intelligenda esse putem aut certe de alio, eiusdem tamen stirpis, Muhammedis II Sultani et auspicia et castra sequente ». — *Ad P. Lambecii commentationes de bibliotheca caesarea vindobonensi libros VIII supplementa*, l. I, Vindobonae, 1790, p. 139.

(2) Legrand, *Bibliographie hellénique du XV-XVI siècle*, t. III, Parisiis, 1903, pp. 328-329. — Lambacher, *Dissertatio litteraria de opusculo quodam, quod vulgo tribuitur Gennadio Scholario, patriarchae Constantinopolitano, inscribiturque Περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπων, id est, de via salutis humanae, graece et latine edito per Iohannem Alexandrum Brassicanum* Viennae Austriae, a. D. 1530, Viennae 1737.

(3) Legrand, III, pp. 343-345.

(4) Ib., t. III, p. 344; Fabricius, t. VIII, pp. 102-104.

(5) Ib , t. IV, Parisiis, 1906, pp. 260-261. Haec epistola primum edita fuit Francofurti, anno 1580. Non repetitur tamen in hac priore editione. Ib., p. 230; deinde Wittembergiae, 1592; Ib., pp. 243-245. Meminit etiam Legrand editionem Wittenbergensem, quae adnexa est *Epistolae Constantinopoli recens scriptae, De praesenti turcici imperii statu*, anno 1592, pp. 242-243; nec non editionem basileensem, in Sylloge quae *Haereseologia* inscribitur, anno 1556 insertam, pp. 797-802, t. IV, pp. 58-59; Fabricius, t. VIII, pp. 797-802.

tinus Crusius in *Turco-Graecia* (1). Studio Ioannis a Fuchte lucem aspexit Helmstadii prolixiore hocce titulo: *Sapientissimi viri, D. Gennadii cognomento Scholarii Patriarchae Constantinopolitani Dialogus* **Περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπου**, *id est, De via salutis humanae, in qua Mahometi sectatores, atque omnes qui sacrosantam et adorandam Trinitatem in divina essentia negant et impugnare conantur, solide et erudite confutat, graece et latine quam emendatissime editus,* anno 1611 (2) Typis eam vulgavit Cygneae (Zwickau, in Saxonia), anno 1677 Christianus Daumius (3). In vernaculam recentiorum Graecorum linguam conversam, Ioannes Princos (**Πρίγκος**), **ἐκ Ζαγορᾶς**, quae urbs est in Thessalia Magnesia, eam adnexuit *Confessioni orthodoxae* Eugenii Bulgareos (4). Ex recentioribus, in *Monumentis fidei Eccleeiae ortentalis* dialogum edidit Kimmel, latine tantum, hocce titulo: *Sapientissimi et doctissimi viri D. Gennadii Scholarii, Patriarchae Constantinopolitani novae Romae, Sermocinatio habita de recta et inculpata christianorum fide: translata est autem haec confessio in turco-arabicam linguam ab Achmate Berrhoeae Praetore, qui Muhumetis Zelebi Commentariensis pater fuit* (5). Confessio vere ab eo graece hisce verbis inscribitur: **Τοῦ σοφωτάτου καὶ τιμιωτάτου Κυρίου Γενναδίου τοῦ Σχολαρίου, Πατριάρχου Κωνστ., νέας Ῥώμης, ὁμολογία ῥηθεῖσα περὶ τῆς ὀρθῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως τῶν χριστιανῶν πρὸς τοὺς Ἀγαρηνούς. Ἐρωτηθεὶς γὰρ παρὰ τοῦ Ἀμηρᾶ Σουλτὰν Μεχεμέτ, Τί πιστεύετε ὑμεῖς οἱ χριστιανοί; ἀπεκρίνατο οὕτως** (6). Eam deinceps ediderunt Gass (7), Otto (8), Migne (9), Mesoloras (10), Michalcescu (11).

Confessio Gennadii Scholarii 20 capitibus absolvitur. In ea proprietates divinae essentiae auctor enucleat, bonitatem praesertim. Gra-

(1) Pp. 109-120.

(2) Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII siècle*, t. V, Parisiis, 1903, p. 14.

(3) Ib., pp. 107-108.

(4) **Ὀρθόδοξος Ὁμολογία συσχεδιασθεῖσα παρὰ τοῦ σοφολογιωτάτου ἱεροδιακόνου κυρίου Εὐγενίου τοῦ Βουλγάρεως. Ὁμοίως καὶ εἰς ἁπλουστέραν διάλεκτον 20 κεφάλαια συσχεδιασθέντα παρὰ τοῦ σοφολογιωτάτου διδασκάλου κυρίου Γενναδίου τοῦ Σχολάρεως**, Amstelodami, 1767. Cf. Vretos-Papadopulos, **Νεοελληνικὴ φιλολογία**, t. I, Athenis, 1854, n. 239, pp. 86-87.

(5) II ed., pp. 1-10. Graece, apud Michalcescu, pp. 255-61.

(6) Ib., pp. 11-23.

(7) *Gennadius und Pletho*, pp. 3-15.

(8) *Des patriarchen Gennadios von Konstantinopel Confession, kritisch untersucht und herausgegeben, nebst einem Excurs über Aretha's Zeitalter*. Vindobonae, 1864, pp. 23-28. Eam Otto inscribit: **Βιβλίον περί τινων κεφαλαίων τῆς ἡμετέρας πίστεως.**

(9) *P. G.*, t. CLX (graece et latine).

(10) Op. cit., pp. 73-78.

(11) Op. cit., pp. 17-21.

dum deinceps facit ad principia et fontes *proprietatum illarum, quibus Deus sempiterne vivit in seipso,* nempe ad tres divinas hypostases patefaciendas. Doctrinam christianam de Sanctissima Trinitate perpulchre tradit, vocibus adhibitis *νοῦ, σοφίας,* atque *ἀγάπης,* ad personas divinas designandas (1). Postquam locutus est de Incarnatione Iesu Christi, eiusque vita passione et resurrectione, ac de proprietatibus Verbi divini, resurrectionem animarum edocet, iudiciumque cui in altera subsunt vita. Septem deinde enumerat rationes, quibus demonstret necessarium fuisse, ut Verbum Dei humanam sibi indueret naturam.

Ut aperte produnt loci a Kimmelio et Michalcescu collati, platonicam redolet doctrinam et locutiones opus Gennadii (2), quod, *modo indirecto, mahometanam religionem convellit,* cum statuat Iesum Christum revelationem divinam in orbe terrarum absolvisse. Id summis laudibus varii scriptores, qui de ea disseruerunt, extollunt. « Confessio Gennadii, ait Schrammius, brevis est, sed nervosa, et fidei probatae » (3). In ea, ad sententiam Kimmelii, « gravitas et sententiarum pondus atque ubertas aeque conspicua est ac fidei, quam repraesentat antiquitas, sensus ac mentis simplicitas » (4). Hancce simplicitatem, quae rhetoricis pigmentis non fucatur, laudat Michalcescu (5). Spiritus orthodoxus, quo alitur tota, maxume placet Mesolarae (6). Non eidem tamen sententiae favet Andrutsos, qui eam omnis characteris symbolici expertem declarat, eo quod praecipua tantum capita doctrinae christianae enucleet, quin discrepantias dogmaticas varias inter Ecclesias pertingat (7). Hoc iudicium veritati haud absonum censeo. Etenim confessiones vel formularia eadem plane ratione qua concinnavit Gennadius permulti composuere scriptores in Ecclesia vel episcopi, quae licet uberiores vel accuratiores, inter libros symbolicos non recensentur. Cur igitur hoc decus confessioni gennadianae tribuendum, quae perfectioribus quam illae notis non exornatur, nullasque in theologiae chri-

(1) Kimmel, p. 13.

(2) Ib., pp. X-XVI. — Michalcescu, pp. 13-16.

(3) *De praecognitis dissidiorum cum graecis et orientalibus disputationibus publicis in principia theologiae revelatae,* Helmstadii, 1724, p. 29.

(4) P. XVI.

(5) *Expunerea este in general simplă, forma preste tot correspunḑătóre fonduluĭ, şi lipsită de orĭ-ce sofisme şi artificiĭ retorice.* — P. 69.

(6) *Οἱ συμβολικοὶ δικαίως πάνυ συγκαταριθμοῦσι ταύτην ὡς τὸ πρῶτον, μετὰ τὸ κύριον σύμβολον τῆς Νικαίας καὶ τῆς Κ. συμβολικὸν βιβλίον τῆς ἑλληνικῆς Ἐκκλησίας, διότι τὰ κυριώτατα δόγματα καὶ ἐν γένει αὐτὸ τοῦτο τὸ ὀρθόδοξον αὐτῆς πνεῦμα ἐν ταύτῃ ὡρισμένως ἐκτίθεται.* — P. 72.

(7) *Ἡ ὁμολογία αὕτη ... στερεῖται πάσης συμβολικῆς ἀναχρώσεως, μόνον περὶ τὴν ἔκθεσιν τῆς καθόλου χριστιανικῆς διδασκαλίας, οὐδαμῶς δὲ εἰς τὰς ἐπὶ μέρους διαφορὰς τῶν Ἐκκλησιῶν κατερχομένη.* — P. 32.

stianae veritatibus determinandis vel tuendis partes habuit? (1) Adde, quod authenticitas octo priorum capitum merito in dubitationem ab eruditissimis viris vocatur (2). Hancce denegat Müller. Haec enim capita desunt in antiquioribus codicibus, nec non in versione latina a Georgio Hermonymo in lucem prolata. Insuper, si haec capita attentius perpendes, perspectum tibi erit eadem cum prioribus logica coniunctione non sociari, variumque stylum exhibere. Nil mirum igitur si quidam theologi orthodoxi, verbigratia Antonius, Malinovsky, Nikitsky, libris symbolicis eam non accenseant (3).

In *Sermocinatione de recta fide*, quae forma dialogica producitur, perbrevis instituitur tractatio de Deo, ac de Sanctissima Trinitate. In ea diserte profitetur auctor « Patrem generare Filium et a Patre et Filio procedere Spiritum Sanctum, haud aliter ac substantia solis producit radios, et a sole et radiis procedit lumen » (4). Praeclari scriptores affirmant huncce dialogum latinam praeseferre originem, sive methodum scholasticam disputandi perpendas, sive styli colorem (5). Adde quod Gennadii aequales latuit eum praecitatum dialogum conscripsisse (6). Absonum videtur veritati rationem disserendi Gennadium adhibuisse qua Mahumetes

(1) Heineccius confessionem gennadianam inter libros symbolicos recensitam fuisse tenet, eo quod Gennadius nomine totius Ecclesiae eam protulerit. — *Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche*, Lipsiae, 1711, p. 235. Nihil nobis constat ex historia de hypothesi quam excogitavit hicce scriptor.

(2) Lambacher, p. 4.

(3) A. Lebedev authenticitatem totius confessionis tuetur, Исторія грекопосточной церкви подъ властію Шурокъ, pp. 212-214. Sylvester, p. 64 et Macarius, p. 51 in elencho librorum symbolicorum eam meminerunt. Confessionem Gennadii illustrarunt Purgold, *Die Rechtglaubigkeit der heiligen griechischen Kirche*, Magdeburgi, 1774, pp. 22-23; Gass, *Symbolik der griechischen Kirche*, pp. 34-41, Schaaf, op. cit., t. I, pp. 46-50; Papaioannes, *Ὁ γνήσιος Γενναδίου τοῦ Σχολαρίου λόγος περὶ τῆς μονῆς ὁδοῦ πρὸς τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων, ἐν ἀντιθέσει πρὸς τὸν ἐσφαλμένως ὑπὸ τὸ ὄνομα αὐτοῦ φερόμενον Διάλογον περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων*, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια; t. XVI, 1896, pp. 194-195; 203-208; 210-212; 219-222; 227-229; Demetrescu, *Mărturisirea credinței ortodoxe a lui Ghenadie Scolarul*, *Biserica ortodoxă română*, t. XXV, 1901, pp. 601-609.

(4) *Ὥσπερ ὁ δίσκος ὁ ἡλιακὸς γεννᾷ τὴν ἀκτῖνα, καὶ παρὰ τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἀκτίνων ἐκπορεύεται τὸ φῶς, οὕτω ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ γεννᾷ τὸν Υἱὸν καὶ λόγον αὐτοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα το Ἅγιον.* — *P. G.*, t. CLX, col. 321. Iuxta Lambacher additio illius Filioque nequaquam est ipsius authoris, sed ab interprete latino contra mentem scriptoris graeci perperam additi. — P. 14-15.

(5) Der Dialog ist von einem latinisirenden Griechen fast wörtlich aus einem pseudo-athanasianischen Dialoge entnommen. — Otto, p. 11.

(6) Der Dialog vom Heilswege enthält eine logisch-scholastische Auseinandersetzung der Trinitätslehre, ausgehend vom Gottesbegriff... alles in trockner rein theoretischer Kunstform, und nach dem üblichen Schema eines lateinischen Dogmatikers. Abgesehen von dem Mangel äusserer Begläubigung — denn die Zeitgenossen des Gennadius wissen nicht von dieser Schrift — spricht schon die Verschiedenheit der dialektischen Form gegen die Echtheit. — Gass, p. 38.

tanquam discipulus humillime rogat, ac sibi exposita argumenta lubenter approbat. Mea quidem sententia, cuique hancce confessionem perlegenti patebit, discipulum illum rogantem atque obiectantem, christiana doctrina iam imbutum fuisse. Explanationes igitur efflagitat, potius ad pleniorem locupletioremque de Deo uno et trino scientiam sibi comparandam, quam ad suam inscitiam dispellendam. Imo, rectius dicerem, Mahumetem, in *Dialogo*, speciem praeseferre magistri, qui discipulum quendam, disciplinis theologicis operam navantem, percunctatur, eadem sane ratione qua in scholis theologicis alumnos, post expletum studiorum curriculum, interrogamus, ad laurea magistrali eos condecorandos (1).

Confessio Gennadii Scholarii in Turcarum idioma translata est ab Achomat Kadde Berrhoensi (احمد قاضی حلب), nato patre Machumet, Tzelepe scriba (2) (محمود شلبی الیازجی).

Hancce versionem, graecis litteris transcriptam ediderunt Crusius (3) et Migne (4), eamque innumeris mendis transcriptor deturpavit. Iosephus de Hammer conatus est, turcicis litteris adhibitis, in primitivam formam eam restituere (5). Res ei tamen non semper bene cessit. Novam textus turcici instaurationem aggressus est in Russia N. Ilminsky: Предварительное сообщеніе о турецкомъ переводѣ изложенія вѣры патріарха Геннадія Схоларія, Kasan, 1880. A coniecturis Hammeri haud raro discedit Ilminsky, quamvis textus, quem ipse restitutum exhibet, lacunis quidem non careat: at felicius in eo quaedam *σφάλματα*, quae in hammeriana reperiuntur versione, emendata fuerunt. Perpauca tantum exemplaria suae opellae typis vulgavit Ilminsky, eaque passus non est, ut apud bibliopolas venalia prostarent, quo factum est ut vel Russos eadem lateant. Ob hanc causam theologiae orientalis studiosis rem gratissimam facturum confido, textum turcicum gennadianae confessionis ab Ilminskio restitutum heic procudendo, una cum graeco textu, ex sylloge Kimmelii deprompto. Praemonendum ducimus in paragraphis dispertiendis, Ilminsky ordinem divisionis servasse, quem Crusius et Migne habent: a paragrapho vero VII veterem ordinem immutavit Kimmelius, quo fit ut *παράγραφα* utriusque textus (graeci ac turcici) a paragrapho praecitata inter se non conveniant.

(1) Suspicatur Mesoloras graecum quendam scriptorem ex sententiis in *Confessione* Gennadii contentis materiam praecitati *Dialogi* excerpsisse, eamque methodice digessisse. — P. 71. Habetur versio russica huiusce dialogi: Разговоръ Магомета II султана турецкаго, съ патріархомъ Конст. Геннадіемъ о христіанской вѣрѣ, Воскресное Чтеніе, 1840, t. IV, pp. 184-191.

(2) Kimmel, p. 23.

(3) *Turco-Graecia*, pp. 110-119.

(4) *P. G.*, t. CLX, coll. 333-351.

(5) *Textus colloquii Patriarchae Gennadii cum Mohammede II e pronunciatione corrupta graeca historiae patriarchicae a Martino Crusio traducta, in idioma turcicum restitutus, Fundgruben des Orients.* t. I, Vindobonae, 1809, p. 461; t. II, (1811), pp. 105-106, 164-166, 316-318, 470-473.

CONFESSIO GENNADII

Textus graecus ex KIMMELIO.

1. ***Πιστεύομεν, ὅτι ἔστι Θεὸς δημιουργὸς πάντων, ὅσα εἰσίν, ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι. Καὶ ὅτι οὔτε σῶμα ἐστίν, οὔτε σῶμα ἔχει, ἀλλὰ ζῇ νοερῶς· ἔστι νοῦς ἄριστος, καὶ τελειώτατος, καὶ σοφώτατος· ἀσύνθετός ἐστιν, ἄναρχος, ἀτελεύτητος· ἔστιν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ὑπέρ τὸν κόσμον· οὐκ ἔστιν ἐν οὐδενὶ τόπῳ. Ταῦτα εἰσίν ἰδιώματα τοῦ θεοῦ, δι' ὧν χωρίζεται ἀπὸ τῶν κτισμάτων αὐτοῦ, καὶ ἄλλα ὅμοια.***

2. ***Ἔστι σοφὸς, καὶ ἀγαθὸς, καὶ ἀληθὴς, καὶ ὅσα προτερήματα ἔχουσι τὰ ποιήματα αὐτοῦ μεμερισμένως, ἔχει αὐτὸς μόνος, καὶ καθ' ὑψηλότερον τρόπον· καὶ ταύτας τὰς τελείοτητας ἔχουσι τὰ κτίσματα, διότι αὐτὸς δίδωσι ταύτας τοῖς κτίσμασιν αὐτοῦ· καὶ ὅτι ἀγαθός ἐστι, καὶ τὰ κτίσματα αὐτοῦ ἀγαθά· ὅτι σοφὸς, σοφά· ὅτι ἀληθὴς, ἀληθῆ· καὶ ὅσα ὁμοίως·***

Textus turcicus ex ILMINSKIO.

1. اعتقادمز بونك اوزرنده‌در كيم الله واردر خالق جله موجودات‌در كيم يوقدن وار ايلدى نه جسم‌در نه‌جسمانى‌در حن‌در عقل كبى وهم عقل‌در عقله بكزمز كامل و مكمل عليم بسيط قديم بلا نهايه عالم ايچنده‌در ـــــ در لاملان در هر يرده حاضردر اشبو ذكر اولنان صفتلر الله مخصوص‌در بونلاركله مخلوقندن ممتاز اولور دخى نكه بونلاره بكزر وارسه.

2. يعنى عليم‌در وحليم‌در كرجك‌در و كرجك كندى‌در نقدر خيرات وارسه فخلوقنده تقسيم اولنمش فجوعيسى عالى مرتبه ايله كنديده موجوددر اشبو ذكر اولنان‌خصلتلر مخلوقنله‌ده واردر زيرا كيم مخاوقنه دخى ويرور كورمزموسن كندو حليم اولديغيچون مخلوقنده دخى حلم واردر علىم‌در مخلوقنده‌ده علمى واردر صديق‌در

πλὴν ὅτι μὲν Θεὸς κυρίως ἔχει ταῦτα, τὰ δὲ κτίσματα κατὰ μετοχήν.

3. Πιστεύομεν, ὅτι εἰσὶν ἐν τῷ Θεῷ ἄλλα τρία ἰδιώματα, ἅτινά εἰσιν ὥσπερ ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων τῶν ἄλλων ἰδιωμάτων αὐτοῦ· καὶ διὰ τούτων τῶν τριῶν ἰδιωμάτων ζῇ ὁ Θεὸς ἀϊδίως ἐν ἑαυτῷ, καὶ πρὸ τοῦ δημιουργηθῆναι ὑπ' αὐτοῦ τὸν κόσμον, καὶ διὰ τούτων ἐδημιούργησε τὸν κόσμον, καὶ διὰ τούτων κυβερνᾷ αὐτόν. Καὶ ταῦτα τὰ τρία ἰδιώματα ὀνομάζομεν τρεῖς ὑποστάσεις· καὶ διότι αὐτὰ τὰ τρία ἰδιώματα οὐ μερίζουσι τὴν μίαν καὶ ἁπλουστάτην οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, διὰ τοῦτό ἐστι Θεὸς, καὶ μετὰ τῶν ἰδιωμάτων τούτων, καὶ εἷς Θεὸς, καὶ οὐκ εἰσί τρεῖς Θεοί.

4. Πιστεύομεν, ὅτι ἐκ τῆς φύσεως τοῦ Θεοῦ ἀνατέλλουσι Λόγος καὶ Πνεῦμα, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ πυρὸς φῶς καὶ θέρμη· καὶ καθάπερ τὸ πῦρ, καὶ εἰ μὴ ἐστι τι τὸ φωτιζόμενον καὶ θερμαινόμενον ὑπ' αὐτοῦ, ὅμως αὐτὸ τὸ πῦρ ἀεὶ ἔχει φῶς καὶ θέρμην, καὶ ἐκπέμπει φῶς καὶ θέρμην· οὕτω καὶ πρὸ τοῦ δημιουργηθῆναι τὸν κόσμον, ἦσαν ὁ Λόγος καὶ Πνεῦμα, ἐνέργειαι τοῦ Θεοῦ φυσικαί, ἐπεὶ ὁ Θεὸς νοῦς

مخلوقك دخى صدفى واردر دخى نكيم بونلاره بكز روارسه إلّا بو قدر واردر كيم باريله ذاتى‌در مخلوقنله آندن‌در.

3. يعنى اعتقادمز بونك اوزرنده‌در كيم باريده اوچ صفت وارد‌ر غيرى صفتلرك مبداء و معدنى كبى‌در وبو اوچ صفتله حى‌در حيانى غير مَرْءيله؟ عالمى يراتمازدن او كُدين دخى وعالمى دخى بو اوچله يراتدى وعالم ايچنده حركات وسكنات بو اوچله‌در اويله اولسه بو اوچ صفتـه ـــــ واوچ صورت ديو تسميه ايدرز شونكيچون كيم اشبو صفت آيـرمـز اول بـر حقيقتنى بار ينك بونكچون اشبو اوچ صفتله بر الله‌در اوچ دكول.

4. يعنى اعتقادمز بونك اوزرنله در كيم باريده ظاهر اولور نطق وارادت نتكم اوتدن حرارت وشعله اكر؟ اوتك حرارتى محررى وشـعـلـه‌سى واردر ـــــ ـــــ حرارت وشعله‌كونـدرور ـــــ كائنات‌يوغيكن دخى نـطـق و ارادت بار ينك قديمى عنايتى؟ اول اوچ كيم ديرز عقل و نطق وارادت‌در بو اوجه بر تكرى ديرز نتكم آدمك جانيده عقل و نطقى عقلى وارادت

عقلی واردر اویله اولسه اول اوج جانك حقیقتنه نظر بر جان‌در و دخی کور(?) بارینك نطقنه علم الله و قدرت الله و ابن الله تسمیه ایدرز زیرا کیم انلر بارینك حقیقتندن متولد اولندی (نتکیم آدمدن توغانه ابن آدم دیرز ونتکیم آدمك فکری‌ده روحدن متولد اولندی) (hic repetitur) و دخی کور? ارادت الله وروح قدس و محبت الله دیو تسمیه ایدرز ودخی عقله اب دیرز زیرا کیم عقل لسه‌دن توغمدی نطق و ارادت بوندن توغار ودخی یك درست کیم مخلوقك حقیقتینی بلمی ایچین دکلدر بلکه کندینك حقیقتن دخی یکرك بیلور وا کلر نه تلکسز کندینك حقیقتن تعقّل ایتد کچون انك اوچون نطقی واردر وعلمی واردر اول علمله ابدی حقیقتن آکلر وبیلور زیرا امان ودخی دیرز کیم همان مخلوقینی سَوَر ودیلر دکولدر بلکه کندیسی دَخی یکرك سَوَرو دیلر آنك اچون نطق وروح قدس دایم اللهدن کلور وابدی کندیله‌در اول سببدن باریه بر الله دیرز.

ἐστιν, ὡς προείρηται. Καὶ ταῦτα τὰ τρία, Νοῦς, Λόγος καὶ Πνεῦμα, εἷς Θεός ἐστιν, ὥσπερ ἐν τῇ μιᾷ ψυχῇ τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ νοῦς, καὶ λόγος νοητός, καὶ θέλησις νοητή· καὶ ὅμως ταῦτα τὰ τρία εἰσὶ μία ψυχὴ κατ' οὐσίαν τῇ ἀληθείᾳ. Πάλιν τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ὀνομάζομεν σοφίαν τοῦ Θεοῦ καὶ δυναμιν, καὶ υἱὸν αὐτοῦ. Καὶ ὥσπερ τὸ γέννημα τῆς φύσεως τοῦ ἀνθρώπου καλοῦμεν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὥσπερ τὸ νόημα τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ γέννημα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν θείων αὐτῶν. Πάλιν ὀνομάζομεν τὴν θέλησιν τοῦ Θεοῦ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀγάπην, αὐτὸν δὲ τὸν νοῦν καλούμενον τὸν πατέρα· διότι αὐτός ἐστιν ἀγέννητος καὶ ἀναίτιος, αἴτιος δὲ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος. Ὅτι οὖν ὁ Θεὸς οὐ νοεῖ μόνον τὰ κτίσματα αὐτοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον νοεῖ καὶ γινώσκει ἑαυτὸν, καὶ διὰ τοῦτο ἔχει λόγον καὶ σοφίαν, δι' ἧς νοεῖ ἑαυτὸν ἰδίως, ὁμοίως οὐδὲ θέλει καὶ ἀγαπᾷ μόνον τὰ ποιήματα αὐτοῦ ὁ Θεὸς, ἀλλὰ θέλει καὶ ἀγαπᾷ ἑαυτὸν πολλῷ μᾶλλον· διὰ τοῦτο ἀϊδίως προέρχονται ἐκ τοῦ Θεοῦ ὁ Λόγος καὶ Πνεῦμα ἑαυτοῦ, καὶ ἀϊδίως εἰσὶν ἐν αὐτῷ· καὶ ταῦτα τὰ δύο μετὰ τοῦ Θεοῦ εἷς ἐστὶ Θεός.

5. *Πιστεύομεν, ὅτι Θεὸς διὰ τοῦ λόγου τῆς σοφίας καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ἐδημιούργησε τὸν κόσμον, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος τῆς ἀγαθῆς θελήσεως αὐτοῦ καὶ ἀγάπης προνοεῖται καὶ κυβερνᾷ καὶ κινεῖ πᾶσαν τὴν φύσιν ἐν τῷ κόσμῳ πρὸς τὸ ἀγαθὸν, κατὰ τὴν τάξιν ἑκάστης φύσεος· καὶ διὰ τοῦτο πιστεύομεν, ὅτι, ὅτε ἠθέλησεν ὁ θεὸς διὰ μόνην τὴν ἐλεημοσύνην αὐτοῦ, ἐπιστρέψαι τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῆς πλάνης τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς εἰδωλολατρείας, διότι πλὴν τοῦ ὀλίγου τόπου τῶν Ἰουδαίων, ἐν ᾧ προσεκυνεῖτο καὶ ἐπιστεύετο εἷς Θεὸς ἐκ τοῦ νόμου νοῦ Μωσέος, ἡ ἄλλη πᾶσα οἰκουμένη ἐσεβάζετο τὰ κτίσματα τοῦ Θεοῦ τοὺς μὴ ὄντας ἀντὶ τοῦ ἑνὸς καὶ ἀληθινοῦ· καὶ ἐπολιτεύοντο κατὰ τὰς ἰδίας ἕκαστος ἐπιθυμίας, καὶ οὐ κατά τινα Θεοῦ νόμον· τότε ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὴν τοιαύτην ἀνάπλασιν τῶν ἀνθρώπων διὰ τοῦ Λόγου καὶ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος αὐτοῦ· καὶ διὰ τοῦτο Λόγος τοῦ Θεοῦ ἐνεδύθη τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, ἵνα ὡς μὲν ἄνθρωπος ὁμιλήσῃ ἀνθρώποις, ὡς δὲ λόγος τοῦ. Θεοῦ, καὶ σοφία διδάξῃ τοὺς ἀνθρώπους πιστεύειν εἰς τὸν ἕνα καὶ ἀληθῆ Θεὸν καὶ πολιτεύεσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὃν αὐτὸς ἔδωκεν· καὶ**

5. اعتقادمز شونك اوزرنده‌در باری نطقی ایله وعلمیله وقدرتیله عالمی یر اتدی وروح قدسیله کیم انك احسن اختیاری ومحبتی‌در انك ایله تحیه ایدر وهم کتورر وتحریك ایدر عالم ایچنده‌هر شیء علی عجده کندی خصاصنه کوره ودخی انك اوچون اینانورز کیم اول وقتن کیم الله تبارك وتعالی‌دیلدی کندینك کال شغقتندن دوندرمك ایچون آدملری شیطان اضلا لندن وپت پرستلکدن زیرا کیم ینك برلکنه وموسی نك کتابنه اعتقاد ایدرلر واینانورلر ایدی انلردن غیری آدملر کیم یر یوز نده‌کی وار ایدی اللهه‌اعتقاد ایتمزلر ایدی بلکه مخلوقنه تاپارلر ایدی‌بت کبی آی کبی کون‌کبی چوق تکرید تاپرلر ایدی بر کرچك تکریه تاپمزلر ایدی شیطان ـــ نفسلری هوسنه اویارلر ایدی الله امر نه امتتال ایدب موسی کتابنه اینانمزلر ایدی.

6. انك ایچون آدم صورتنده نطقی ایله وروح قدسیله بوبلاری ارشاد ایلدی بوندن اوتری نطق باری آدم صورتن کسوه‌لنب آدم کبی آدملرله مصاحبت ایده نطقیله وعلمیله

πάλιν ὡς μὲν ἄνθρωπος, ἵνα δῷ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ παράδειγμα τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ· πρῶτος γὰρ αὐτὸς ἐτήρησεν τὸν νόμον, ὃν ἔδωκεν τοῖς ἀνθρώποις· ὡς δὲ Λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ δύναμις δυνηθῇ κατορθῶσαι τὸ παγκόσμιον ἀγαθόν, ὅπερ ἐβούλετο. Διότι ἦν ἀδύνατον, ἑνὸς ἀνθρώπου δυνάμει ἐπιστρέψαι τὴν οἰκουμένην πρὸς τὸν Θεόν· καὶ ὄντες διὰ μὲν τοῦ Λόγου ἔσπειρε τὴν ἀλήθειαν ὁ παντοδύναμος καὶ ἀόρατος Θεὸς ἐν Ἱερουσαλήμ, διὰ δὲ τὸ Πνεῦμα αυτοῦ ἐφώτισε καὶ ἐνέσχυσε τοὺς ἀποστόλους αὐτοῦ, ἵνα σπείρωσιν αὐτοὶ τὴν ἀλήθεαν εἰς πάντα τὸν κόσμον, καὶ ἵνα καταφρονήσωσι τοῦ θανάτου, διὰ τὴν ἀγάπην τοῦ πέμψαντος αὐτοὺς Θεοῦ, καὶ διὰ τὴν ἀγάπην τῆς σωτηρίας τοῦ κόσμου κατὰ τὸ παράδειγμα Ἰησοῦ, ὅστις ἑκουσίως ἀπέθανε κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ὑπὲρ τοῦ σωθῆναι τὸν κόσμον. Οὕτω πιστεύομεν ἡμεῖς τὸν ἕνα Θεὸν ἐν τριάδι, πατέρα, υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, καθὼς ἐδίδαξεν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς. Καὶ διότι ἐστὶν ἀληθὴς, πιστεύομεν, ὅτι ἐστὶ καὶ αὐτὸ ἀληθές. Καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ οὕτω πλατύτερον ἡμᾶς ἐδίδαξαν· οὕτω νοοῦμεν καὶ ἀπὸ τῆς δυνάμεως τῆς σοφίας.

عالمده ارشاد ايدب فاسد اعتقادلر ينى ابطال ايليه اللهنك وحدايتنه اعتقاد ايده‌لر عيسى كورسدكى كبى وهم آدم كبى عالمه عمل ايدوب عملله ارشادينى تكميل ايليه وهم‌او يله ايلدى وهم الله نطقى وقدرتى ايله قادر اولب جميع عالمى اصلاح ايده كندى اختيارى اوزره زيرا مكن دكلدر كيم بر كشى جميع عالمى حق دينه دوندره اويله اولد غچون اول پادشاه عالمى ازل قدير قيوم نطقيله كرجك قدس مبارك كله اكدى وهم روح قدس‌له حوار يونى مُنَوَّر ايلدى وقوّتلندردى اول كرجك جميع عالمه اكيچون؟ وهم ـــــ ـــــ ـــــ كرچكك محبتى وامرك امرى مجتندن اوترو وعالمى ضلالتدن قورتامقدن اوترو ودخى عيسى كبى كندى اختيارى ايله ادملك صورتله اولدى كبى اولمق ايچون مخلوقاتى حضرت باريه كتوشدرمك ايچون اويله اعتقاد ايدرز بر اول بر اللهى بواوچ ايله اب ابن روح قدس ايله ارشاد ايلدى ر بّمز عيسى كندى كرچك‌اولد غچين اعتقاد ايدرز كيم ارشادى دخى كرجكدر شاهدلرى دخى احسن‌راء ايله اكْلرز بز دخه علمى فوّتله.

6. *Πιστεύομεν, ὅτι Λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὃν ἐνεδύθη ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, ἐστὶν ὁ Χριστός· καὶ ἡ μὲν ζωὴ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἦν ζωὴ ἀνθρώπου ὑπεραγίου· ἡ δὲ δύναμις τῆς σοφίας καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ ἦν Θεοῦ δύναμις.*

7. یعنی اعتقادمز بودر كیم الله‌سوزی وآدملك انك كبی آدملك كه نطق بارمز الله سوزی انی كسوه‌لندی عیسی‌در عیسانك حیات جسمانیسی آدم حیاتی ولیلر حیاتی كبی‌در دخی ـــــ ـــــ وعملی كل معجزلری قوّت الاهی‌در

7. *Πιστεύομεν, ὅτι ὥσπερ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου γίνεται εἷς ἄνθρωπος· οὕτως ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀφ' ἑνὸς μέρους, καὶ ἀπ' ἄλλου μέρους ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα εἰσὶν πάντοτε δύο φύσεις μεμερισμέναι τελείως ἐν ὀνὶ ἀνθρώπῳ. Οὕτω καὶ ἡ ἀνθρωπότης καὶ θεότης εἰσὶν ἐν τῷ Χριστῷ μεμερισμέναι τῇ φύσει τελείως, καθ' ὑπόστασιν μόνον καὶ προσωπικῶς ἡνομέναι. Καὶ οὔτε ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ μετεβλήθη εἰς τὴν σάρκα ἢ τὴν ψυχὴν τοῦ Χριστοῦ, οὔτε ἡ σὰρξ τοῦ Χριστοῦ, ἢ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετετράπη εἰς λόγον Θεοῦ· ἀλλὰ ἦν καὶ ἔστιν ἐν τῷ Χριστῷ μετὰ τὴν ὑπερθαύμαστον οἰκονομίαν ἐκείνην ὁ μὲν τοῦ Θεοῦ Λόγος, Λόγος Θεοῦ· ἡ δὲ ἀνθρωπότης τοῦ Λόγου τοῦ Χριστοῦ τὴν θεότητα, ἀλλὰ ἡ θεότης τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ προσέλαβε τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, ἐν αὐτῷ τῷ προσ-*

8. یعنی اعتقادمز بونك اوزرنله‌در كیم بر آدم شول جانله تن قیم بر شخصه نظر بر آدم اولندیغی كبی (?) بارینك نطف تحلیصی بر طرفدن و بر طرفدن روح ایله جسمیسی عیسی ابن مر یم صورتی عیسی اولندی ونتكیم جسمی دایم آدمده ایكی حقیقت ایدی هر بری علی حده حقیقتلی حقیقتی ایله بر برندن غیری ایدی (vel اخری ایدی) نه خود اول نطق الاهی جسد عیسی اولندی عناصر كبی و نه خود جان اولندی ونه خود عیسانك تنی وجانی نطق الاهی اولندی اَوَت ـــــ ـــــ نطق الاهی وآدملك ودخی هر نسته كیم باریله‌در واندە‌در حقیقت باری‌در زیراكیم باریله عرضی دكل‌در ذاتی‌در انكچون بارینك نطق تحلیصنه باری

دیرز واینانورز زیرا بو نطق باری عیسیله اولدغیچون عیسایی تاری (= تکری ?) وآدم دیرز آدم تسمیه اولندی روحله جسله نظر اسم باریه تسمیه اولندی باری نطق تحلیصنه نظر.

ληφθῆναι συστᾶσαν. Πᾶν ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ Θεῷ, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ φυσικῶς, Θεός ἐστιν, διότι οὐκ ἔστιν ἐν τῷ Θεῷ συμβεβηκός· καὶ διὰ τοῦτο τὸν νοητὸν λόγον τοῦ Θεοῦ Θεὸν ὀνομάζομεν καὶ πιστεύομεν· καὶ διότι οὗτος ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἦν ἐν τῷ Χριστῷ, διὰ τοῦτο τὸν Χριστὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον ὁμολογοῦμεν, ἄνθρωπον μὲν, διὰ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα, Θεὸν δὲ, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ λόγον τοῦ Θεοῦ.

9. یعنی اعتقادمز بونك اوزرنله‌در کیم نطق باری عیسی ایدی ودنیاده ایدی وکوکده ایدی ویرده ایدی وبار یده ایدی وباری آتاسنله ایدی زیرا نطق باری لا مکاندر نتکم بونی توغران باری لا مکاندر قدرتی دخی لا مکاندر إلّا بو قدر واردر باریله اخری جهت ایله‌در.

8. Πιστεύομεν, ὅτι ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐστὶν ἐν τῷ Χριστῷ, καὶ ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῷ Θεῷ, καὶ ἐν τῷ πατρί· διότι ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐστιν ἄπειρος, ὥσπερ καὶ Θεός ἐστιν ἄπειρος ὁ γεννῶν αὐτὸν, ἤγουν νοῶν, καὶ ἄπειρον δύναμιν ἔχει, πλὴν ἐν τῷ Θεῷ κατ' ἄλλον τρόπον καὶ ἐν τῷ Χριστῷ κατ' ἄλλον, καὶ ἐν τῷ κόσμῳ κατ' ἄλλον.

10. یعنی اعتقادمز یونك اوزرنله‌در کیم شو وقت کیم باری کمال حلمندن وبخشایشندن مخلوقندن بر ینه عطا ایده بو عطادن کندی ایچون نقصان کلمز بلکه دخی کمال بولور زیراکیم مجلوقنداغی کمالدن کندی عظمتی ظاهر اولور اول مقدار اللهك علمی وکمالی ظاهر اولور ودخی بونك اوچون کیم اللهك شفقتی ومحبتی آدملره وغیری آدملره کوندور دکندن

9. Πιστεύομεν, ὅτι, ὅταν ὁ Θεὸς κοινωνεῖ τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ καὶ τῆς χάριτος κτίσματί τινι, οὐδαμῶς ζημιοῦται, ἀλλὰ μᾶλλον μεγαλύνεται· διότι ἐκ τῆς ἀρετῆς τῶν κτισμάτων τὸ ὕψος τοῦ Θεοῦ

φανεροῦται· καὶ ὅσῳ μᾶλλον βελτιοῦται τὸ κτίσμα τῇ πλειόνι κοινωνίᾳ τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, τοσοῦτον πλέον ἡ ἀγαθότης Θεοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη εἰς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἡ δύναμις δείκνυται. Διὰ τοῦτο ἡ ἀγαθότης τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ ἀγάπη εἰς τοὺς ἀνθρώπους πλέον ἐμεγαλύνθη, ἐκ τοῦ ἐλθεῖν αὐτὸν Θεὸν μετὰ πάσης αὐτοῦ δυνάμεως εἰς τὸν Ἰησοῦν, ἢ ὅτι ἔπεμπεν εἰς τοὺς προφήτας αὐτοῦ μίαν χάριν ἢ δύο, καὶ εἰς ἄλλον μὲν προφήτην ἐλάττονα, εἰς ἄλλον δὲ μείζονα.

دخی زیاده اولندی اول نطق باری جمیع کمالی ایله عیسایه کلدکی ایچون بوندن اوکدن کلن پیغمبرلره علی قدر مراتب کلدیکده حاصل اولاندن عیسایه کلنجک مخلوقلره شفقت‌الله ومحبت‌الله دخی زیاده اولندی.

10. *Πιστεύομεν, ὅτι Χριστὸς ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανεν οἰκείῳ θελήματι, διὰ πολλὰς καὶ μεγάλας ὠφελείας, δεομένας πολλῶν λόγων· καὶ πάντα ταῦτα κατὰ τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ κατεδέξατο. Ὁ γὰρ Λόγος τοῦ Θεοῦ οὔτε σταυροῦται, οὔτε ἀποθνήσκει, οὔτε ἀνίσταται· ἀλλὰ μᾶλλον ἀνίστησιν αὐτοὺς τοὺς νεκρούς, ὥσπερ καὶ ἀνέστησε καὶ τὴν σαρκα, ἣν ἐφόρησεν.*

11. يعنى اعتقادمز بونك اوزرنده‌در عيسى چارمينه اولندى واولدى كندى اختيارى ايله چوق تورلى فايله‌لردن اوتر و اشبو نسته آدملكه نظر در يعنى بارينك سوزى نه جر مله اولر ونه كير و حيات بولور آوت كندى احياء اموات ايتدى هم كندى كسوه‌لندكى جسمى احيا ايتدكى كبى وهم كيرو حيات بولد قدن صكره كوكه صعود ايلدى كيرى يره اينوب حاكم اولسه كرك.

11. *Πιστεύομεν, ὅτι Χριστὸς ἀναστὰς ἀνελήφθη εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ πάλιν μέλλει ἔρχεσθαι μετὰ δόξης, ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον.*

12. يعنى اعتقادمز بونك اوز رنله دركيم آدملرك روحى اولمز زيرا آنلرك تنلرى كيرى حيات بوليسى‌در حيات ابدى ايله زحمت‌سز منوّر خفيف يمه‌دن اچمه‌دن برى اولالر و كسوه‌دن فى الجمله نفسانى آرزولردن

12. *Πιστεύομεν, ὅτι αἱ ψυχαὶ τῶν ἀνθρώπων εἰσὶν ἀθάνατοι, καὶ ὅτι τὰ σώματα τῶν ἁγίων ἀναστήσονται ἄφθαρτα, φωτεινὰ, ἐλαφρὰ, μήτε τροφῆς χρήζοντα, μήτε πόσεως, μήτε ἐνδύματος, μήτε ἄλλης τινὸς σωματικῆς ἡδονῆς· καὶ ὅτι αἱ ψυχαὶ καὶ τὰ σώματα τῶν καλῶς πιστευόντων καὶ καλῶς πεπολιτευμένων ἀπελεύσονται εἰς τὸν παράδεισον· τῶν δὲ ἀμετανοούντων, πονηρῶν, καὶ ἀπίστων, εἰς τὴν κόλασιν. Καὶ ὁ μὲν παράδεισος τῶν ἁγίων καὶ ἡ ἀπόλαυσις ἐστὶν ἐν τῷ οὐρανῷ, ἡ δὲ κόλασις τῶν πονηρῶν ἐν τῇ γῇ. Καὶ ἡ ἀπόλαυσις τῶν ἁγίων οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ, ὅτι τελειωθήσονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἰς τὴν γνῶσιν, καὶ τότε θεωρήσουσι τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ, ἃ νῦν οἳ γινώσκουσιν, εἰ μὴ διὰ πίστεως μόνης.*

13. *Διὰ τί δὲ ἦν ἀναγκαῖον σαρκωθῆναι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸν, εἰσὶν ἀναγκαῖοι καὶ πολλοὶ λόγοι· καὶ ὅταν ᾖ χρεία, ἑσμὲν ἕτοιμοι δοῦναι αὐτούς. Ἐπέκεινα δὲ ἐκείνων τῶν λόγων πληροφοροῦσιν ἡμᾶς τὴν ἀλήθειαν τῆς πίστεως ἡμῶν τὰ ἑπτὰ ταῦτα.*

14. *Ὅτι προεφήτευσαν οἱ προφῆται τῶν Ἰουδαίων, οὓς στέργο-*

بری اولەلر شول ار واح کیم خیری عملر قیلمشلر ایدی واعتقادلرنده خلل اولمامش ایدی آنلر جنته کرەلر شونلر کم کناه استادی و کناەلرنده مصر اولدیلر اصراری اوسترە کندیلر ـــــ ـــــ اولەلر جنت کوکده وجهنم یرده وولیلر اول در کیم بونده تقلیدیله بلدکلری اسرار الهی انله معاینه کیرەلر.

13. یعنی نطق باری جسد عیسیٔ کسوەلدکنه حکمت نەدر دیو استەسار اولنورسه محکم جوابی کتوررز اول جوابلمردن غیری یدی تورلی حجتمز واردر کیم بو دینک حقیقتی صحیح‌در.

14. یعنی اوّلکی حجت اولدر کیم بنی اسرایل قومی پیغمبرلری کیم‌بزده آبلری تصدیق لرز عیسی ایچون هرنه کیم اشلدی و کندیه واقع اولدغن جیعسی دیدیلر و شاهدلری کیم‌حواریون در آنلر نه ایلدکل واولارە واقع اولانن (lacuna) اولی تعظماتله عیسانک منقابن بز (?) دیدکمز کبی شهادت قیلدیلر شهادتلری کرچک

μεν ἡμεῖς τὸν Ἰησοῦν, καὶ ὅσα ἐποίησε, καὶ ὅσα ἐγένοντο, καὶ ὅσα ἐποίησαν ὕστερον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τῇ δυνάμει αὐτοῦ· ὁμοίως προεφήτευσαν καὶ τὰ μαντεῖα τῶν Ἑλλήνων, συγχωρήσει Θεοῦ, καὶ οἱ ἀστρονόμοι τῶν Περσῶν καὶ Ἑλλήνων· καὶ ταῦτα μὲν μετὰ εὐφημίας τοῦ Ἰησοῦ.

ایدکن استفسار اولنورسه جوابی کتوررز.

15. Ὅτι αἱ γραφαὶ τῆς πίστεως ἡμῶν συμφωνοῦσιν ἐν πᾶσι, διότι εἶχον οἱ γράψαντες αὐτὰς ἕνα διδάσκαλον, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ· ἄλλως γὰρ ἔμελλον ἔν τισι διαφωνεῖν.

15. یعنی ایکنچی حجت اول‌در کیم نه قدر دینمزه متعلق کتابلرمز وارسه البری برنه مخالف دکول زیرا کیم ـــــ بر ایدی کیم باری ایدی اکر اویله اولمسه ایدی بری برنه مخالق اوله ایدی.

16. Ὅτι ἐδέξαντο τοιαύτην τὴν πίστιν νέην οὖσαν καὶ παράδοξον οἱ ἄνθρωποι μετὰ σπουδῆς πανταχοῦ, καὶ μετὰ κινδύνων πολλῶν· καὶ οὐ μόνον ἰδιῶται ἀλλὰ καὶ οἱ φρόνιμοι καὶ οἱ σοφοί· καὶ διὰ τοῦτο κατελύθη τελείως ἡ πλάνη τῶν δαιμόνων.

16. یعنی اوچنچی حجت اول‌در کیم اشبو دین یکی وعجیب دین ایدی رغبت ومحبت برله اول بتپرستلر وآتشپرستلر هر یرده قبول ایلدیلر چوق زحمت ومشقت چکبن همان جاهللری بو دینه ایمان کتورمدی بلکه عالمللری وعاقللری دخی یکرك اعتقاد ایلد یلر بونك ایله اول باطل دین فاسد اولندی.

17. Ὅτι ἡ πίστις αὕτη οὐδὲν περιέχει ἀδύνατον, οὔτε ἀσύμφωνον, οὔτε σωματικὸν, ἀλλὰ πάντα πνευματικά· καί ἐστιν ὁδὸς φέρουσα τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώ-

17. درتنچی حجت اولدر بو دین ایچنده ـــــ مخالف نسته یوقدر مبتداء نفسانی دکلدر مبتداء روحانی‌در بر طریق مستقیم‌در کیم روحلرمزی محبت‌الله وحیات ابدینه ایلتور.

πων εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς μελλούσης αἰωνίου ζωῆς.

18. یعنی بشنجی حجت اولدر کم شولار کیم اشبو دینی قبول قیلدیلر بونل اوزرنه ثابت اولندیلر وخیر عمل اشلدیلر مرتبه حاصل قیلدیلر هم چوق معجزه‌لر اشلدیلر عیسی ادی ایله بو بویله اوڭز ایدی اکر بو دین حق اولمله‌ایدی.

18. Ὅτι ὅσοι ἔλαβον ταύτην τὴν πίστιν, καὶ ἐπολιτεύσαντο ἐναρέτως, κατὰ τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ, ἔλαβον μεγάλα χαρίσματα ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ δυνάμεις ἐποίησαν πολλάς· ὅπερ οὐκ ἂν ἦν, εἰ ἡ πίστις αὕτη ἦν ψευδής.

19. یعنی آلتنجی حجت اول‌در هر کمسه اشبو دینك ـــــ مستلوك اوله جوابی کتوررز.

19. Ὅτι ὅσα λέγουσί τινες κατὰ τῆς πίστεως ταύτης, εὐκόλως λύειν δυνάμεθα, καὶ εὐλόγως καὶ καθαρῶς.

20. یعنی یدنجی حجت اولدر اوجیوز اون سکز یل اشبو دینك ابطالنه مقاتله ایله محاربه ایله مجادله ایله اول زمانك پادشاهلری کیم چوق تکّر یه وبتلره تاپارلر ایدی مَسْتلوك اولب ابطال لیده‌مدیلر بلکه قوّت بولندی عاله‌ده تاشمدیه دکین اکر اللهك رضاسی اوبله اولمایه ایدی بویله اوله‌مز ایدی.

20. Ὅτι τῇ πίστει ταύτῃ ἐπολέμησαν διὰ πολλῶν τιμωριῶν καὶ φόνων οἱ βασιλεῖς τῆς οἰκουμένης, τότε πλείστους χρόνους πολύθεοι ὄντες καὶ ἰδωλολάτραι, καὶ οὐδὲν ἴσχυσαν· ἀλλὰ ἐνίκησεν ἡ πίστις, καὶ διαμένει μέχρι τοῦ νῦν, καὶ ἐλθὼν ὁ Κύριος εὑρήσει αὐτήν· καὶ εἰ μὴ ἦν πίστις αὕτη ἐκ θελήματος Θεοῦ, ἐξελύθη ἂν τότε εὐκόλως. Αὐτῷ γὰρ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ, Θεῷ ἀληθεῖ, δόξα. Ἀμήν.

بعنی دینمز باینله او یله دیرز بز اختصار ایدبن تمت تمام اولندی.

Ταῦτα λέγομεν ἡμεῖς περὶ τῆς πίστεως ἡμῶν συντόμως.

3. Inter recentiores Ecclesiarum orthodoxarum libros symbolicos, merito percensentur responsa Hieremiae II, Patriarchae Constantinopolitani, ad lutheranos theologos Germaniae, de ineunda cum orthodoxis unione admodum sollicitos. Haecce enim responsa, ut Mesoloras animadvertit, et fidem orthodoxam enucleant, et protestantes directe refellunt, indirecte autem catholicos: quo fit ut sincerum exhibeant characterem documentorum, quae symbolica audiunt (1).

Commercium litterarium ac theologicum inter graecos orthodoxos ac germanos protestantes iam ab initio alterius dimidii saeculi XVI coepit. Ioasaphus II, Patriarcha Const. (1555-1565) Wittembergam misit diaconum Demetrium Mysum, ut novitates lutheranes pervestigaret (2). Melanchthon, quem vehemens tenebat desiderium Ecclesiae graecae vitam statumque addiscendi, in eius familiaritatem sese insinuavit, eique, priusquam Constantinopolim rediret, Confessionem Augustanam, in graecum versam idioma, una cum suis litteris ad Patriarcham, obtulit. Quisnam vero lutheranum librum symbolicum graece reddidit, haud satis inter eruditos constat. Quistorpius eam tribuit Melanchthoni, qui ementito Pauli Dolschii nomine, Basileae anno 1559 eam evulgavit (3). Geisius vero tenet Paulum Dolscium, virum fuisse a Melanchtone distinctum, Halensem theologum, eumque graecis litteris apprime imbutum, versionem quam memoravimus, comparasse (4). Quidquid tamen sit de huiusmodi controversia, compertum est hosce primos conatus Graecos in Lutheranorum castra pertrahendi, infelicem exitum habuisse. Litterae enim Melanchthonis ad Ioasaphum delatae, ad commercium epistolare cum lutheranis ineundum, eum non impulere (5). Cuius rei causam non obscure innuit Geisius, eaque talis est

(1) *Αἱ ἀποκρίσεις Ἱερεμίου τοῦ Β', εἰσὶν ἡ πρώτη συγγραφὴ καθαρᾶς συμβολικῆς χροιᾶς ἐν τῇ σημασίᾳ, ἣν οἱ νεώτεροι θεολόγοι τῇ περὶ τῶν ὁμολογιῶν ἐπιστήμῃ διδόασι, διότι οὐ μόνον τὴν διδασκαλίαν τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας θετικῶς περιέχουσιν, ἀλλὰ καὶ ταύτην ἐλεγκτικῶς ἀντιπαρατιθέασιν ἀμέσως μὲν πρὸς τὴν τῆς διαμαρτυρομένης, ἐμμέσως δὲ πρὸς τὴν τῆς δυτικῆς ἐκκλησίας.* — P. 78.

(2) Crusius, *Turco-graecia*, p. 484.

(3) *Dissertatio historica de christianismo graecorum, opposita Leoni Allatio, theologo romano, auctori perpetuae consensionis inter occidentalem seu latinam Ecclesiam et orientalem*, Rostochii, 1665, c. I, n. 1.

(4) *Destinata inter Patr. Ieremiam, et theologos Wirtembergenses coniuntio*, Wittembergae, 1705. n. V; Kiesling, *Historia concertationis Graecorum latinorumque de transsubstantiatione*, Lipsiae, 1754, pp. 264-265; Harboe, *Commentatio de augustana confessione ad Graecos delata*, Lipsiae, 1739; Lebedev, Исторія греко-восточной церкви, p. 579.

(5) Schelstrate *Acta orientalis Ecclesiae*, t. I, pp. 72-75; Renaudin, *Les églises orientales orthodoxes et le protestantisme*, *Revue de l'Orient Chrétien*, t. V, 1900, pp. 566-568; Kyriakos, *Geschichte der orientalischen Kirche*, p. 91.

ut Graecis orthodoxis summae vertatur laudi. Ait enim: « Quid igitur, quaerat aliquis, causae fuit, cur desiderata concordia consecuta non fuerit? Responsio est in promptu, si consideres nimium Graecorum in concilia, Patres addo et traditiones, amorem. Ab his enim, ne latum quidem unguem recedendum esse erronee arbitrantur » (1). Haec vero causa, quae saeculo XVI tentaminibus protestantium unionem cum orthodoxis ineundi obicem posuit in praesens adhuc perstat, quapropter omnem spem graecos in sua castra pertrahendi theologi luterani abiecere.

Anno 1573, Maximilianus II imperator (1564-1576) munus legationis constantinopolitanae gerendae assignavit Davidi Ungnadio, qui lutheranis novitatibus quam maxume erat addictus. Hicce tubingensem universitatem rogavit ut sibi probum doctumque mitteret pastorem ad officia divina persolvenda. Votis favens Ungnadii, senatus universitatis Tubingensis Constantinopolim misit Stephanum Gerlachium, theologiae magistrum, eique suas litteras dederunt Martinus Crusius et Iacobus Andreä, ut eas ad graecum deferret Patriarcham. In hisce litteris nihil de novitatibus lutheranis praecitati scriptores attigerunt, Patriarcham tantum deprecati, ut missum ei confessionis augustanae graecum exemplar perlegeret, ac sub examen revocaret (2).

Constantinopolitanam Ecclesiam tunc temporis regebat Hieremia Tranos (*Τρανός*), natus in urbe Anchialo anno 1536, ad sedem patriarchalem evectus anno 1572, ab eaque deiectus anno 1579, in eamque restitutus anno 1580 usque ad annum 1584, ac tertio, anno 1586 usque ad annum 1595, quo diem supremum obiit. Ob multiplicem, qua inclaruit, eruditionem, studiumque disciplinarum theologicarum, ac virtutum cultum, Meletius Atheniensis eum vocat *ἄνδρα στολισμένον ἀπὸ πᾶσαν ἀρετήν* (3). Hicce Patriarcha summis laudibus a graecis scriptoribus honestatur (4).

(1) Op. cit., n. 5.

(2) Schelstrate, pp. 76-77.

(3) *Ἐκκλησιαστικὴ Ἱστορία*, t. III, pp. 401-404.

(4) Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, pp. 186-190; Id., *Βιογραφικὸν σχεδίασμα περὶ τοῦ Πατριάρχου Ἱερεμίου Β'*, Athenis, 1870; Demetracopulos. *Ὀρθόδοξος Ἑλλάς*, pp. 127-130; Zaviras, *Νέα Ἑλλάς*, pp. 336-342; Hypsilantis, *Τὰ μετὰ τὴν ἅλωσιν*, pp. 108-118; Malichevsky. Александрійскій патріархъ Мелетій Пигасъ, t. I, Kioviae, 1872, pp. 208-223; Zotu, *Relațiunile intre biserica orthodoxa și protestantă in sec. XVI*, *Biserica ortodoxă română*, 1880, t. V, pp. 48-64; Gedeon, *Πατριαρχικοὶ Πίνακες*, pp. 518-523; 524-525; 531-536; Mystadikes, *Ὁ Πατριάρχης Ἱερεμίας Β' ὁ Τρανὸς καὶ αἱ πρὸς τοὺς διαμαρτυρομένους σχέσεις κατὰ τὴν ις' αἰῶνα*, *Ἐκκλησ. Ἀλήθεια*, t. XIV, 1894, pp. 300-301; 310-312; 317-320; Id., *Ὁ πατριάρχης Ἱερεμίας Β' ὁ Τρανὸς καὶ προσωπογραφία αὐτοῦ*, Ib., pp. 283-285; Прав., Вог. Энц., t. VI, Petropoli, 1905, coll. 293-300; Oeconomus, *Ἡ ἀναγέννησις τῶν γραμμάτων ἐπὶ Ἱερεμίου τοῦ Τρανοῦ*, *Ἱερὸς Σύνδεσμος*, 1907, n. 51, pp. 9-11.

Familiaritate Hieremiae tunc temporis utebantur Iohannes Zygomalas, ac Theodosius, eius filius, disciplinarum theologicarum, humaniorumque litterarum admodum periti, quamvis, ut eorum epistolae aperte produnt, haud parum solliciti de pecunia conquirenda (1).

Litteras et Confessionem Augustanam tradidit Gerlachius Patriarchae Hieremiae anno 1575, eumque, ut ipse ad Martinum Crusium scripserat, coeremoniis ac traditionibus deditissimum expertus est (2). Anno insequenti (1576) responsiones ad capita Confessionis Augustanae Hieremias theologis wittembergensibus misit, praepositis litteris, quibus eos admonet in nonnullis dogmatis eis gratum non fore; sibi tamen persuasum habere, eos nihil praelaturos veritati, et ipsi sapientiae divinae, et conciliis universalibus ac particularibus (3). Hisce verbis convellit Hieremias principium illud supremum protestantismi, quod in solis Sacris Scripturis, obliterato traditionis testimonio, fidei normam reponit. Eadem repetit initio suae primae responsionis, ubi testatur Spiritum Sanctum locutum fuisse per Concilia oecumenica et sanctos Doctores, ideoque eorum placita et sententias, utpote in verbo Domini fundata, aeternum permansura (4).

In hisce primis responsionibus agit Hieremias de processione Spiritus Sancti a Filio, quam repugnantem sibi fingit Sacris Scripturis ac traditioni; de praecipuis fidei articulis, quos nervose et summatim percenset; de peccato originali ac de mediis ad ipsummet delendum, quae sunt baptisma, sacri chrismatis unctio, et communio; in hacce paragrapho Latinos haud acriter obiurgat, eo quod triplicem immersionem in baptismo conferendo mittant; de fide iustificante, quam sine operibus mortuam statuit, ad salutem animarum penitus ineptam; de bonis operibus ac de gratia divina; de septem sacramentis eorumque natura; de sacerdotio quod valide suum officium adimplet, etiamsi morum sanctitate non semper polleat; de baptismo pueris conferendo, quibus accipienda etiam sacra Eucharistia, ut viaticum ad salutem necessarium. In capite 10, Hieremias dolet apud protestantes complura reperiri, ad sacramentum Eucharistiae quod attinet, quae theologis orthodoxis displicent, asseveratque per consecrationem panem et vinum realiter in corpus et sanguinem Christi mutari. Deinceps explanat, quomodo sese gerere debeat confessor in peccatis audiendis absolvendisque, eumque admonet ne suo officio abutatur ad sordidum quaestum conquirendum.

(1) Legrand, *Notice biographique sur Jean et Théodose Zygomalas*, Parisiis, 1899.

(2) Schelstrate, p. 78.

(3) Schelstrate, p. 148.

(4) Mesoloras, p. 124.

In capite 13 de sacramentis agit, ac de liturgia commodisque ab ea in salutem animarum promanantibus. In capite 14 necessitatem consecrationis sacerdotalis tuetur, ut rite possit aliquis sacramenta fidelibus administrare, ceteraque sacerdotii munere obire. In 15, preces, oblationes, festa, quae fiunt ad promerendam gratiam Dei, utiles tuetur Hieremias, animisque defunctorum piacularibus precibus opitulandum, nec non sanctos excolendos. In capite 17 civili potestati parendum esse statuit, ac vitam monasticam, quae bona terrestria voluptatesque flocci facit, ut in divinarum rerum contemplatione assidue versetur, a calumniis lutheranorum vindicat. In capite 18 breviter persequitur mortuorum resurrectionem ultimumque Dei iudicium: deinde disserit de gratia Dei et libero arbitrio, de peccato quod ex nostra corrupta voluntate procedit. In capite 20 protestantes carpit, eo quod ferias, ieiunia, soladitates, vitam monasticam, tanquam inutilia rejiciant. Denique, in capite 21, sanctorum cultum et venerationem tuetur.

Hisce capitibus subtexuit Hieremias quaedam circa fidei abusus (*καταχρήσεις*). Protestantes laudat eo quod communionem sub utraque specie fidelibus impertiantur: coniugium statuit presbyteris licere; ius negatur tamen eis, post consecrationem acceptam, uxorem ducendi: lutheranis favet in eo quod una tantum missa celebranda sit in Ecclesia: confessionem peccatorum necessariam declarat cunctis fidelibus: traditiones festorum atque ieiuniorum approbat in eisque abusus tantum ut compescantur decernit. Hortatur denique germanos theologos ut sese adiungant Ecclesiae orthodoxae, decreta apostolica et synodica servent eisque pareant (1).

Ex hisce breviter memoratis, satis abunde patet sua in responsione Hieremiam praecipua capita orthodoxae fidei exposuisse, ac testatum fuisse cum catholica doctrina ea generatim convenire dogmatisque protestantium ex adverso stare.

Primam Hieremiae responsionem theologi tubingenses, inprimis Martinus Crusius, Iacobus Andreä, et Lucas Osiander, sua trutina pensarunt, ac tractatum theologicum in eam conscripsere quem anno 1578 Hieremiae Patriarchae oblatum est (2). Iterum Hieremias respondit anno 1579, suaque in responsione praesertim agit de libero arbitrio in patrandis bonis et malis, de iustitia fidei et bonis operibus, de septem sacramentis, de invocatione sanctorum, ac de vita monastica. Prolixius capitulum illud est, in quo processionem Spiritus Sancti a Filio duplex principium in Trinitate astruere decernit. In fine suae responsionis,

(1) Mesoloras, p. 194.

(2) Meyer, *Die theologische Litteratur der griechischen Kirche im sechzehnten Iahrhundert*, Lipsiae, 1899, p. 95.

graecus Patriarcha vehementer hortatur Protestantes ut traditiones ecclesiasticas servent. Terminos a Patribus positos nemini licet violare. Qui rebus novis student, conantur aedificium Dei destruere. Si enim licentia concedatur moliendi novitates, totum corpus Ecclesiae pessumdaretur (1). Responsionis conclusio gravis est in lutheranos theologos obiurgatio. Hieremias eos adprecatur, ut novitates absurdas rejiciant (*πᾶσαν καινοτομίαν ἄτοπον*), quas oecumenici Patres tuiti non sunt, ut subjiciantur eis qui praeeunt, ut Scripturae sententias haud aliter quam oecumenici doctores interpretentur. « Si quid igitur hactenus peccatum est, id, ut mente praediti, corrigatis oportet, ut laudes a Deo hominibusque mereatis. Errare enim humanum est: corrigere vero errata angelicum et salutare » (2).

Ad Hieremiam tertio scripserunt theologi tubingenses, Sacras Scripturas pro arbitratu interpretandi sibi ius vindicantes, ablegata Patrum interpretatione. Vehementiore stylo Hieremias eis respondit anno 1581 dolens theologos lutheranos secum, vel potius cum veritate, convenire non posse (3). In hac tertia responsione agitur de libero arbitrio, de sacramentis, de invocatione sanctorum. Ad finem suae responsionis durisculis verbis Hieremias theologos lutheranos aggreditur eosque certiores facit se eorum technas detegisse. En verba Patriarchae quae theologos tubingenses a sua sententia dimoverunt Graecos in suas sententias pertrahendi: « Rogamus vos, ne in posterum labores nobis exhibeatis, neque de iisdem scribatis, et scripta mittatis. Nam theologos, qui Ecclesiae lumina fuerunt, alios aliter tractatis, et verbis quidem honoratis eos atque extollitis, factis autem abigite: armaque nostra inutilia declaratis, verba scilicet sancta et divina, quibus nos uti potuissemus ad scribendum vobis, vobisque obnitendum. Liberate igitur nos huiusmodi curis. Vestram sequamini viam, ac de dogmatis ne amplius nobis scribatis, sed amicitiae tantum causa » (4).

(1) *Στῶμεν ἐν τῇ πέτρᾳ τῆς πίστεως καὶ τῇ παραδόσει τῆς Ἐκκλησίας, μὴ μεταίροντες ὅρια, ἃ ἔθεντο οἱ ἅγιοι Πατέρες ἡμῶν, μὴ διδόντες τόπον τοῖς βουλομένοις καινοτομεῖν, καὶ καταλύειν τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας. Εἰ γὰρ δοθῇ ἄδεια παντὶ βουλομένῳ, κατὰ μικρὸν ὅλον τὸ σῶμα τῆς Ἐκκλησίας καταληθήσεται.* — MESOLORAS, p. 236.

(2) MESOLARAS, pp. 246-247.

(3) *Οὐδέποτε ἡμῖν, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν τῇ ἀληθείᾳ συναινέσαι δύνασθαι.* — MESOLORAS, p. 249.

(4) *Ἀξιοῦμεν δὲ ὑμᾶς τοῦ λοιποῦ μὴ κόπους παρέχειν ἡμῖν, μηδὲ περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν καὶ ἐπιστέλλειν, εἴ γε τοὺς τῆς Ἐκκλησίας φωστῆρας καὶ θεολόγους ἄλλοτε ἄλλως μεταχειρίζεστε, καὶ τοῖς λόγοις τιμῶντες αὐτοὺς καὶ ἐπαίνοντες, τοῖς ἔργοις ἀθετεῖτε, καὶ τὰ ὅπλα ἡμῶν ἄχρηστα ἀποδεικνύετε, τοὺς λόγους αὐτῶν τοὺς ἁγίους καὶ θείους, δι' ὧν ἂν ἡμεῖς γράφειν καὶ ἀντιλέγειν ὑμῖν εἴχομεν. Ὥστε τὸ*

Si res in hisce responsionibus contentas spectes, prima fronte diceres eas theologiam polemicam adversus lutheranos exhibere. Aliter tamen iudicandum censeo. Stylus et color polemici hisce desunt scriptionibus, quae irenicum scopum sibi proponunt. Doctrinam suae Ecclesiae, traditione praesertim nisus (frequenter enim Patrum effata in medium profert), exponit Hieremias, eoque non utitur argumentandi genere, quo diluimus obiectiones adversariorum. Cum igitur fidem orthodoxam responsiones Hieremiae exhibeant, concertationibus missis, quibus summopere delectatur theologia polemica, inter libros symbolicos eas enumerandas censeo.

Hancce sententiam tuetur Mesoloras qui responsiones Hieremiae tanquam normas rectae fidei suffragio confirmatas fuisse totius Ecclesiae orthodoxae testatur. Eidem favet sententiae Heineccius, qui eas extollit tanquam confessionem fidei nomine graecae Ecclesiae ab Hieremia Patriarcha promulgatam. Ut eas enim compararet, complures sibi adiutores delegit Hieremias inter episcopos doctioresque theologos graecos, quo factum est ut authentice declarent quid Graeci profiteantur quidque de lutheranis doctrinis sentiant (1). Valorem symbolicum eis

---

καθ' ὑμᾶς ἀπαλλάξατε τῶν φροντίδων ἡμᾶς. Τὴν ὑμετέραν οὖν πορευόμενοι, μηκέτι μὲν περὶ δογμάτων, φιλίας δὲ μόνης ἕνεκα, εἰ βουλητόν, γράφετε. — Mesoloras, p. 264. De commercio epistolarum Hieremiae II cum theologis tubingensibus praesertim egerunt: Chytraeus, *Oratio de statu Ecclesiarum*, Vittembergae, 1580, pp. 71-76; Philippus Cyprius, *Chronicon Ecclesiae Graecae*, Lipsiae, 1687, pp. 326-332; 421-427; Holtorf, *De controversiis theologicis inter graecos et evangelicos*, Helmstadii, 1726; Schelstrate, t. I, pp. 71-99; Schnurrer, *De Stephano Gerlachio nec non de actis inter tubingenses theologos et Patriarchas Constantinopolitanos accuratior disquisitio: Orationum academicarum historiam litterariam, theologiam et orientalem illustrantium delectus posthumus*, Tubingae, 1828, pp. 115-128. Pichler, *Geschichte des Protestantismus in der orientalischen Kirche im XVII Jahrhundert*, Monachii, 1862; Hefele, *Versuche zur Protestantisirung der griechischen Kirche, Beiträge zur Kirchengeschichte. Archäologie und Liturgik*, t. I, Tubingae, 1864, pp. 444-463. Hancce dissertationem, perpaucis missis, russice vertit Ossipin: Попытки протестантовъ къ соединенію съ православною восточною Церковью въ XVI вѣкѣ, Христіанское Чтеніе, 1865, t. I, pp. 38-61; Gass, op. cit., pp. 41-50; Mesoloras, pp. 78-123; Mystakides. *Notes sur Martin Crusius, ses livres, ses ouvrages et ses manuscrits, Revue des études grecques*, 1898, pp. 279-306; Meyer, pp. 87-100; Arsenius episcopus, Лѣтопись церковныхъ событій (*Chronicon rerum gestarum ecclesiasticarum*), Petropoli, 1900, pp. 603-604; 607-608; 610; Lebedev, pp. 580-620. Responsionum Hieremiae russicam versionem typis edidit Nilus archimandrita, Святѣйшаго патріарха Конст. Іереміи отвѣты Лютеранамъ: переводъ съ греческаго, Mosquae, 1866.

(1) « Denn einmahl sind sie von dem Patriarchen Ieremia, und also von dem vornehmsten Bischoff der orientalischen Kirche geschrieben, und ohn Zweiffel mit Zuziehung vieler anderer Geistlichen also abgefasset worden, und vors andere

denegat Gass, quin tamen eorum momentum utilitatemque pro studio fidei orthodoxae in dubitationem adducat (1). Censent alii, ut Mattes (2), Winer (3) eas theologicam potius scriptionem, a viro privato confectam (*Privatschrift*), quam documentum symbolicum nobis exhibere (4). Von Schéele denique eis quemcumque valorem abiudicat, quippe quae theologico careant acumine, nec non accuratione in doctrinis orthodoxis enucleandis (5). Catholicis enim theologis in lutheranis refellendis saepe saepius Hieremias indulsit. Ex hac sententiarum varietate nobis liquet scriptores protestantes, qui confessionem Cyrilli Lucareos inter libros symbolicos recensent, responsiones Ieremiae aspernari, eo quod suis placitis eas aversissimas comperiant.

Non immoramur in responsionum, quae nomine Hieremiae feruntur, auctoribus inquirendis. Communis est sententia eas composuisse Iohannem ac Theodosium Zygomalam, easque sua approbatione Hieremiam confirmasse (6). Absonum tamen non est veritati asserere, ad eas con-

---

geben sie uns einen völligen Begriff der griechischen Lehre, auch in denen Punkten, in welche sie mit denen evangelischen streitig sind, zu geschweigen, dass dieses Buch bey denen Griechen selbst in grossem Ansehen ist, und von ihnen öffters als ein Zeugniss ihrer Lehre angeführet wird, daher wir uns mit gutem Grund darauf beruffen können, also auf ein Bekänntniss, welche von dem Patriarchen selbst im Nahmen der griechischen Kirche abgestattet worden ». P. I, p. 233.

(1) « Die Sendschreiben des Ieremias liefern einen werthvollen Beitrag zu dem Material der Symbolik, weil der damalige Lehrbestand der griechischen Kirche, wie er dem Protestantismus gegenüber aufrecht erhalten wurde, aus ihnen erkannt werden kann ». P. 49.

(2) *Comparative Symbolik*, p 129.

(3) *Comparative Darstellung des Lehrbegriffes der verschiedenen christlichen Kirchenparteien*, Berolini, 1866, p. 11.

(4) *Τὰ τοῦ Ἱερεμίου γράμματα πνεύματι ὀρθοδόξῳ καὶ γλώσσῃ γραφικῇ καὶ ἐκκλησιαστικῇ γεγραμμένα, ὑφ' ἁπάσης τῆς Ἐκκλησίας, ὡς ὀρθαὶ τῆς πίστεως ἡμῶν ὁμολογίαι παραδεκτὰ ἐγένοντο δι' ὃ καὶ ἡ συμβολικὴ ἀξίαν πολλὴν τούτοις ἀποδίδωσι, καὶ ἐν τοῖς συμβολικοῖς αὐτῆς βιβλίοις συγκαταριθμεῖ.* — P. 115.

(5) Ad hanc sententiam videtur quoddam robur accedere ex testimonio synodi hierosolymitanae, quae anno 1672 declaravit Hieremiam contra Lutheranos ut privatum hominem scripsisse: *Ὁ κὺρ Ἱερεμίας μόνος γράφων πρὸς τοὺς ἀπὸ Λουθήρου, οὐ συνοδικῶς δηλαδή, ἀλλὰ μονώτατος.* — Kimmel, p. 378.

(6) Hoc eruitur ex litteris Theodosii Zygomalae ad Martinum Crusium (15 nov. 1575): *Ὅτε δὲ ἠβούλετο, μετεκαλεῖτο μὲ τὸν ἐμὸν κύριον πατέρα, καί τινα σοφὸν Χῖον, ὄντα παρ' ἡμῖν καί, τινας ἐγκρίτους τῆς συνόδου ἐφαπὰξ καὶ συμβουλευόμενος τὰ δόξαντα αὐτῷ, ἀπόκρισις ἐν ἑκάστῳ κεφαλαίῳ συνεγράφετο παρ' ἐμοῦ, καὶ σὺν Θεῷ πέρας ἔσχεν ἡ πᾶσα πραγματεία, τῶν συμφωνούντων καὶ μὴ σαφηνισθέντων, ὡς δεῖ.* — *Turcograecia*, p. 432.

scribendas alios theologos suam operam contulisse (1). E suo penu praecitati scriptores, materiarum segetem, quae in eis continetur, non deprompserunt. Ut luculenter ostendit Meyer, praeter Patrum effata, in responsionibus Hieremiae integros locos recentiorum theologorum fas est reperire, praecipue Nicolai Cabasilae, Simeonis Thessalonicensis, Iosephi Bryennii et Gabrielis Severi (2). Mirum est horum nomina silentio praetervecta fuisse. Coniecturam licet facere responsionum conscriptores, vel ea digna non habuisse ut Sanctorum Patrum nominibus adnecterentur, vel ignota credidisse theologis lutheranis, ideoque nullius apud eos auctoritatis.

Acceptis litteris ac responsionibus Hieremiae, theologi lutherani ne verbulum quidem de eis dixerunt, quod sane non egissent, si suis placitis eas consonas deprehendissent (3). Hocce tamen silentium quam citius dedecori versum est eis. Etenim, ut Iacobus Gorscius, perillustris theologus polonus (1525-1585), animadverterat, Crusius, qui commercium epistolare cum Hieremia Patriarcha inivit, confirmavit fidem catholicam, Pontificique summo obedientiores reddidit catholicos, suosque theologos damnavit (4).

Tubingensium theologorum fraudes detexit Stanislaus Socolovius, celeberrimus orator et confessarius Stephani Batori regis Poloniae (1575-1586), natus Cracoviae anno 1537, in eademque urbe vita defunctus anno 1593. Tantam sibi comparavit famam praeclarus hic theologus, ut de eo Excellent. Bolognetti, nuntius S. Sedis ad regem Poloniae, haec scripserat Gregorio XIII (1572-1585): « Tria vidi in Polonia mirabilia, Stephanum regem sapientissimum, Zamoiscium cancellarium prudentissimum, et Socolovium concionatorem prope divinum » (5). In urbe Leopoli Socolovius, cum quodam archimandrita graeco, cui no-

(1) Meyer, pp. 88-89.

(2) Ib., pp. 97-100.

(3) Mylonius, *Davidis Chytraei, ludomagistri rostochiensis, imposturae quas in oratione quadam inseruit, quam de statu Ecclesiarum hoc tempore in Graecia disseminari curavit*, Ingolstadii, 1582, f. 3. Sub nomine Nicolai Mylonii latuit Antonius Possevinus; Allatius, *De Eccl. Occid. et Orient. perpetua consensione*, col. 1182.

(4) *Animadversio, sive Crusius in theologos wirtembergenses sua acta et scripta apud Patriarcham iactantes, et Stanislai Socolovii opera in edenda Ecclesiae orientalis censura* calumniantes, Coloniae, 1586, p. 18.

(5) De eius vita et scriptis docte disseruit Slominscki, *K. Stanisław Sokołowski: studium do dziejów kaznodziejstwa XVI wieku, Przegląd powszechny*. Cracoviae, 1892, t. XXXIV, pp. 305-322; t. XXXV, pp. 38-55; 213-229; 357-383. Nuperrime de eo scripsit Dmochowski, *Encyklopedja kościelna*, t. XXVI, Varsaviae, 1903, pp. 134-143.

men Theoliptus, collocutus est de haeresibus quae sua aetate christianum orbem torquebant. Ab eo didicit concionator polonus, lutheranos theologos Hieremiae Patriarchae scripsisse, suis ut erroribus eum adstipulatorem facerent: rem tamen ei infeliciter cessisse, quia graecus Patriarcha suis responsionibus eos refellerat ac damnaverat. Obstupuit haec audiens Socolovius. Facinus enim lutheranorum theologorum omnes tunc temporis latebat in Occidente. Quapropter, etiam atque etiam Theoliptum rogavit, ut simul ac Constantinopolim rediret, harum responsionum exemplar sine cunctatione sibi mitteret. Annuit lubenter graecus archimandrita, ac paucis post mensibus, optatis eius respondit. Summo cum gaudio responsiones Hieremiae Socolovius accepit, easque latine vertit, ac perdoctis commentariis illustratas typis evulgavit Cracoviae, anno 1582, hocce titulo: *Censura orientalis Ecclesiae: de praecipuis nostri saeculi haereticorum dogmatibus, Hieremiae constantinopolitani Patriarchae, iudicii et mutuae communionis causa, ab orthodoxae doctrinae adversariis, non ita pridem oblatis: ab eodem Patriarcha Constantinopolitano, ad Germanos graece conscripta, a Stanislao autem Socolovio, serenissimo Stephani Poloniae regis theologo, ex graeco in latinum conversa, ac quibusdam annotationibus, ad proprias Graecorum opiniones respondentibus, illustrata.*

Causas exponit Socolovius, quae ad graecum libellum in lucem edendum eum moverunt. Hoc ei propositum fuit, ut lutheranorum theologorum artes, clandestinaque consilia in lucem proferret ac detegeret; ut eos suae novitatis puderet ac taederet; ut clarum fieret, quanta esset utriusque Ecclesiae occidentalis atque orientalis de fide consensus et summa concordia; ut protestantes conviciari desinerent latina, cum haec eadem a Graecis non minore studio et contentione colerentur ac defenderentur; ut lutherani persuasum sibi haberent se non solum a Romana Ecclesia, sed et insuper a cunctis Ecclesiis defecisse, seseque abstinerent ab Orientalis Ecclesiae auctoritate invocanda eaque abutendo, ac sibi nullum locum in catholica Ecclesia relictum fuisse scirent. Mirum est quot turbas volumen Socolovii, statim ac lucem aspexit, concitaverit. Gregorius XIII suis litteris gratulatus est auctori, utpote de fidei catholicae defensione quam maxume sollicito (1). Catholici scriscriptores ei laudi verterunt, quod lutheranorum dolis detectis, firmissimum fulcrum pseudo-reformationi sustulisset. Pluries *Censura Ecclesiae orientalis* edita est in Polonia, Germania et Gallia (2).

(1) *Przegląd polski*, t. XXXV, p. 41.

(2) Praeter editionem cracoviensem citat Legrand, editiones Dilingensem (1582), *Bibliographie hellénique du XV et XVI siècle*, t. IV, Parisiis, 1906,

Theologi lutherani aegerrime tulerunt obiurgationes Socolovii, eumque scurrilibus dicteriis adhorti sunt. Anno 1584 in lucem ipsi ediderunt famosam illam *συλλογὴν* quae inscribitur: *Acta et scripta theologorum wirtembergensium et Patriarchae Constantinopolitani D. Hieremiae, quae utrique ab anno 1586 de augustana Confessione inter se miserunt, graece et latine ab iisdem theologis edita* (Wittembergae) (1) Martinus Crusius finem in prooemio pandit, quem theologi wittembergenses ac tubingenses, in commercio litterarum cum Graecis ineundo, sibi proposuere ». Tantum abest ut ad Graecos transire cupierimus, ut ipsos magis ad nos perducere sumus conati. Si aeternae animarum saluti consultum isti cupiant, necesse est eos ad nos accedere, nostramque amplecti doctrinam aut in aeternum perire » (2). Sokolovius dicteriis obruitur, quippe qui petulanter, mendaciter, malitiose, falso, calumniose lutheranos impetiverit (3). Obiurgatores suos

---

p. 240; Coloniensem (1582), p. 241; Parisiensem (1584), pp. 266-267; Estreicher citat editiones parisiensem vulgatam anno 1582, et coloniensem anno 1583, *Bibliografia polska*, t. VIII, Cracoviae, 1882, pp. 76, 78. Nescio utrum huiusmodi editiones revera existant. Suspicor eas in Bibliotheca universitatis cracoviensis Estreicher reperisse: cum tamen catalogus huiusce bibliothecae, ut mos est in imperio austriaco, studiosis non pateat, accuratam de eis mentionem heic tradere nequeo.

(1) Legrand, *Bibliographie hellénique du XV-XVI siècle*, t. II, pp. 41-44. *Συλλογὴ* continet litteras annis 1574 et 1575 a Martino Crusio et Jacobo Andreä Constantinopolim missas (pp. 1-4); confessionem augustanam (pp. 5-53) responsionem primam Hieremiae (pp. 56-143); responsiones protestantium (pp. 147-199); responsionem secundam Hieremiae (pp. 200-265); observationes in eam tubingensium theologorum Hieremiae oblatas (pp. 264-346); responsionem tertiam Hieremiae (pp. 349-370); ultimam responsionem theologorum protestantium (pp. 371-379). *Συλλογὴν* wittembergensem duobus voluminibus comprehensam typis iterum vulgavit Gedeon Cyprius: *Βιβλίον καλούμενον Κριτὴς τῆς Ἀληθείας, διηρημένον εἰς τόμους δύο ἑλληνιστὶ λατινιστί. Τόμος Α'. ἐν ᾧ περιέχονται τὰ τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν ἁγίας τοῦ Χριστοῦ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας δόγματα καὶ μυστήρια, ἅτινα συντεθέντα παρὰ τοῦ παναγιωτάτου κυρίου Ἱερεμίου, εὐθύνοντος τοὺς οἴακας τοῦ πατριαρχικοῦ καὶ οἰκουμενικοῦ θρόνου, ἐν ἔτει ἀφος' ἐστάλθησαν πρὸς τοὺς ἐν Τυβίγγῃ πόλει τῆς Γερμανίας ὄντας τῆς Λουθέρου θρησκείας θεολόγους, αἵ τε τρεῖς αὐτοῦ πρὸς αὐτοὺς ἀποκρίσεις. Τόμος Β'. Ἐν ᾧ περιέχονται ἡ αὐγουσταία Ὁμολογία, ἤτοι τὰ τῆς Λουθέρου θρησκείας δόγματα καὶ ἄρθρα, αἵ τε τρεῖς ἀνταποκρίσεις πρὸς τὰς τοῦ Πατριάρχου κυρίου Ἱερεμίου τρεῖς ἀποκρίσεις*, Lipsiae, 1758; Papadopulo-Vretos, *Νεοελληνικὴ Φιλολογία*, t. I, n. 218, pp. 78-79; 188; Zaviras, *Νέα Ἑλλάς*, pp. 227-228.

(2) *Prooemium.* — Hoc idem Heisius asserit: « Cum Ecclesia graeca tot tantisque erroribus contaminata sit, pie et sapienter theologi wirtembergenses id negotium sibi datum esse quondam crediderunt, ut eam emendarent, et a naevis liberatam, ad pristinum Evangelii splendorem reducerent ». — Op. cit., n. I.

(3) Harboe, op. cit., nn. XX-XXI.

refellit Socolovius, eosque pulcherrimis hisce verbis alloquitur: « Liberum est cuique voces et convicia affingere, utpote mendacem, virulentum, mordacem, odiosum, sycophantam, parasitum, mataeologum, rabulam, blateronem, Esauitam, falso et gratuito appellare, nomina tandem et convicia rerum naturas non mutant. In rebus seriis serio est agendum, neque ex conviciis apud plebeculam vana gloria captanda. Quasi vero non haec eadem in eos qui vel longe plura congerere possit, si non charitatis christianae et existimationis suae rationem habeat: et nisi misericordia potius, quam seria rephrehensione digni esse videantur. Non descendam igitur cum illis in tale certamen »(1). Merito theologus polonus animadvertit, lutheranos, ad catholicae religionis subversionem opem a Graecis implorantem, et suorum errorum perspicuam reprehensionem consecutos esse, et perpetuam turpissimamque suo nomini ignominiam ab eis arbitris retulisse (2). A calumniis protestantium Socolovium etiam tuiti sunt Iacobus Gorscius, cuius opus supra commemoravimus, et Iohannes Baptista Ficklerus, wirtembergensis philosophus ac theologus (3).

(1) *Ad Wirtembergensium theologorum invectivam, quam actis et scriptis suis, cum Hieremia Patriarcha Constantinopolitano, de Augustana Confessione, per eos, graece et latine editis, praefixerunt, brevis responsio,* Augustae Trevirorum, 1586, pp. 10-11. Haec verba scriptoris poloni nostra facimus ad respondendum calumniis, quibus grex *panpolonicus* (barbarica utor voce), duce A. Mohl, ob meum opus *La Chiesa russa,* me notavit. Nihil mihi iucundius accidere potuisset, iura veritatis tuenti, quam mendacissimae huiusce factionis aculeatis libellis, ad plebeculam exagitandam, appeti. Cui factioni accomodanda censeo verba S. Basilii: Dum privata odia occultat, pro veritate se odisse simulat: *Τὰς ἰδίας ἔχθρας ἐπικρυψάμενοι, ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἐχθραίνειν κατασχηματίζονται.* — Ep. XCII, *P. G.,* t. XXXII, col. 480.

(2) « *Sententia definitiva Ieremiae Patriarchae Constantinopolitani, de doctrina et religione wirtembergensium theologorum, una cum antidoto ultimae responsionis eorumdem ad censuram Patriarchae de articulis confessionis augustanae, Constantinopoli ex Patriarchio allatae, ipsorumque protestantium manu subscriptae, ac in lucem a doctissimo viro Stanislao Socolovio, editae, cum eiusdem in marginem adnotationibus,* Augustae Trevirorum, 1586, p. 4.

(3) *Spongia contra praedicantium wirtembergensium aspergines, illorum qui superioribus annis Patriarchae Constantinopolitani iudicium super capita augustanae Confessionis temere expetiverunt,* Ingolstadii, 1585, Hurter, *Nomenclator litterarius,* t. III, Oeniponte, 1892, coll. 170-171. Auctor refellit praesertim confsssionem augustanam, quam vocat *pyxiden haereseon,* p. 39, ac tubingenses theologos irridet, qui « perblandis verbis Patriarchae ab exordio vulpeculae eruditae caudam huc illucque vertentes, scorpionisque instar adulati sunt ». Opus hoc germanice editum est: *Schwammen oder Abwischung, etlicher angesprengten Lügen und Lästerung, der jhenigen Wirtenbergischen Predicanten, welche vor etlichen Iaren, dem Patriarchen zu Constantinopel, die Augspurgische*

4. Inter libros symbolicos Ecclesiarum orientalium a scriptoribus pseudo-reformationis, orientalis Confessio christianae fidei Cyrilli Lucareos percensetur. Id iniuria fieri neminem arbitror latere, qui Graecae Ecclesiae historiam calluerit. Compertum enim est hancce confessionem fidem orthodoxam nullimode praebere.

De Cyrillo Lucari, quem acerrimum odium in Romanam Ecclesiam usque ad mortem concoxit, animus non est mihi vitam, mirum in modum discriminibus exagitatam, ac nefaria morte interemptam, enarrare. Hoc enim iam numeris omnibus absolverunt clarissimi viri. Perpaucis igitur verbis meminerimus, quae ad propositum nostrum Cyrillum Lucarim ut scriptorem theologiae symbolicae dijudicandi, conferent (1).

Confession, umb sein Urteyl und Gutachten, zugeschicht, Monachii, 1589, Legrand, op. cit., t. IV, pp. 294-295. Scripsit etiam Ficklerus: 1 *Censur, oder Urtheil der orientalischen Kirchen und ihres Patriarchen zu Constantinopel über die Augspurgische Confession so ihm von etlichen Confessionisten, umb sein Gutachten und Bestattigung zugeschicht worden, erstlich durch Herren Stanislaum Socolovium koniglicher Mayestat in Poln Theologen aus griechischer Sprach ins latein gebracht, auch mit Annotaten und Beyuerzeichnussen gemehrt und erklährt*, Ingolstadii, 1583. Haec versio germanica voluminis Socolovii non recensetur a Legrandio. Asservatur in bibliotheca Universitatis lipsiensis; 2 *Anderer und dritter Theil der Censur und Urtheils des Patriarchen zu Constantinopel, uber die Augspurgisce Confession*, Ingolstadii, 1885; Legrand, ib., pp. 274-275. Iudicium Ieremiae de confessione Augustana insertum est etiam in opere Guilelmi Lindani, episcopi ruremontani († 1588), cui titulus: *Concordia discors seu querimonia catholicae Ecclesiae ad principes*, Coloniae, 1583. Compendium responsionum Hieremiae concinnavit Georgius Pfister, *Urtheil der orientalischen Kirche und ihres Patriarchen zu Konstantinopel über Augsburgische Confession mit einigen Bemerkungen*, Herbipoli, 1827.

(1) De vita rebusque gestis Cyrilli Lucareos praesertim consulendi: Hottinger, *Analecta historico-theologica, quibus accessit appendix de Cyrilli patriarchae Constantinopolitani celeberrimi et martyris constantissimi confessione, scripturae et Patrum testimoniis vestita*, Tiguri, 1652, pp. 398-567; *Narratio historica turbarum quas Cyrillo Constantinopoli moverunt Iesuitae adversus Cyrillum Patriarcham a. D. 1627 et 1628, et alia notatu dignissima a viro docto qui fuit αὐτόπτης conscripta, apud* A. Rivetum, *Opera theologica*, t. III, Roterodami, 1660, pp. 1257-1264; Smith, *Brevis et succincta narratio de vita, studiis, gestis et martyrio D. Cyrilli Lucaris, patriarchae Constantinopolitani*, in *Miscellanea*, Londini, 1682, pp. 49-130; novis additionibus recusa in *Collectanea de Cyrillo Lucario, patriarcha Constantinopolitano*, Londini, 1707, pp. 1-70; Philippi Cyprii, *Chronicon Ecclesiae graecae, quod primus e manuscriptu byzantino edidit, latineque vertit Nicolaus Blancardus ...*, Lipsiae, 1687, pp. 442-460; Hoornbeech, *Summa controversiarum religionis cum infidelibus, haereticis et schismaticis*, t. II, Francofurti, 1697, pp. 879-887; *Lettres anecdotes de Cyrille Lucar, pape, patriarche et juge oecuménique des églises chrétiennes du trône*

Communis est sententia Cyrillum in urbe Chandace, quae metropolis est cretensis insulae, ortum habuisse anno 1572, ex parentibus,

---

impérial de Constantinople, aux trés vénérables syndics, sénateurs, pasteurs, et professeurs du conseil, de l'Église et de l'Académie de Genève, Aymon, *Monuments authentiques de la religion des Grecs et de la fausseté de plusieurs confessions de foi des chrétiens orientaux*, *Hagae Comitum*, 1708, pp. 1-200; *Narratio historica turbarum, quas Constantinopoli moverunt Jesuitae adversus Cyrillum Patriarcham anno Domini 1627 et 1628, et alia notatu dignissima, a Chrysosculo logotheta magnae Ecclesiae viro docto, qui fuit testis ocularis fideliter conscripta*, ib., pp. 201-232; Heineccius, op. cit., p. I, pp. 194-211; Bohnstedt, *De Cyrillo Lucari eiusque pro re Graecorum emendanda certaminibus, dissertatio historica*, Halae Magdeburgi, 1724; Meletius, op. cit., pp. 430-431; 446-449; Mohnike, *Des griechischen Patriarchen Cyrillus Lukaris zu Konstantinopel Unionsverhandlungen mit der reformisten Kirche zu Genf, Theologische Studien und Kritiken*, 1832, t. V, pp. 560-576; Deletra, *Recherches sur la vie et l'influence de Cyrille Lucar, Patriarche de Constantinople au dix-septième siècle*, Genevae, 1836; Barrau, *Essai sur la vie et les travaux de Cyrille Lucaris, patriarche de Constantinople, au XVII siècle*, Argentorati, 1853; Renieri, *Κύριλλος Λούκαρις, ὁ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης*, Athenis, 1859; Pavlovitch, Патріархъ Кириллъ Лукарисъ и его значеніе въ исторіи восточной Церкви (*Patriarcha Cyrillus Lucaris eiusque momentum in historia Ecclesiae orientalis*), Духовная Бесѣда, t. VII, 1859, pp. 146-150; Id., Патріархъ Кириллъ Лукарисъ въ борьбѣ съ іезуитами (*Patriarcha Cyrillus Lucaris in certamine cum Iesuitis*), Ib., t. VIII, pp. 20-29; 252-267; 427-440; 545-557; Muravev, Сношенія Россіи съ Востокомъ по дѣламъ церковнымъ (*Commercium inter Orientem atque Occidentem in rerum ecclesiasticarum provincia*), t. II, Petropoli, 1860, pp. 1-206; Первыя попытки церкви протестантской въ единенію съ восточною церковію (*Primi conatus Ecclesiae protestantis pro ineunda unione cum Ecclesia orientali*), Руководство для сельскихъ пастырей, 1864, 3, pp. 77-91; Pichler, *Geschichte des Protestantismus ... Der Patriarch Cyrillus Lucaris und seine Zeit*, Monachii, 1862; Mettetal, *Études historiques sur le Patriarche Cyrille Lucaris*, Argentorati, 1869; Demetracopulos, *Βίος τοῦ Πατριάρχου Κ. Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως, Ἐθνικὸν Ἡμερολόγιον*, Athenis, 1870, pp. 41-51; A. Brianzev, (deinde archiepiscopus Kasanensis (1897-1903) et Kharkoviensis), Патріархъ Кириллъ Лукарисъ и его заслуги для православной Церкви (*Patriarcha Cyrillus Lucaris eiusque merita pro Ecclesia orthodoxa*), Странникъ, 1870, t. I, pp. 3-37; 119-146; 195-238; 315-338. Edita est denuo haec dissertatio Sympheropoli, 1881; Cetyrkin, Латино-іезуитская пропаганда въ Константинополѣ въ концѣ XVI и началѣ XVII столѣтія, Шруды К. Д. А., 1870, t. IV, pp. 82-126; Gedeon, *Κύριλλος Λούκαρις· ἱστορικὴ μελέτη περὶ τῆς μετὰ τὴν ἅλωσιν ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας*, Constantinopoli, 1874; Trivier, *Un Patriarche de Constantinople au XVII siècle, Cyrille Lucar sa vie et son influence*, Paris, 1877; Rozov, Очерки исторіи восточной церкви со времени взятія Конст. Шурками до настоящаго времени (*Specimen historiae Ecclesiae orientalis ab aetate qua urbs Constantinopolis a Turcis capta est, ad nostra usque tempora*), Душеполезное Чтеніе, 1879, t. III, pp. 324-329: Khamadopulos, *Περὶ τοῦ πρώτου ἐν τῇ Ἀνατολῇ τυπογραφείου, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια*, 1880, t. I, pp. 21-23; 37-38; 71-72; 108-109; Id., *Κυρίλλου τοῦ Λουκά-*

quos Allatius obscuros ac miserrimos testatur fuisse (1), scriptores autem orthodoxi, nobilitate claros affirmant, quamquam divitiis non affluxissent (2). Studiorum curriculum explevit Paduae ac Venetiis, ibique latinum atque italicum idioma didicit.

Anno 1592 in patriam reversus est. Anno 1584 Meletius Pigas, patriarcha Alexandrinus († 1601) eum misit in Parvam Russiam, ut gregem orthodoxum, tam a catholicis, quam a lutheranis tueretur (3). Interfuit Concilio Brestensi una cum Nicephoro protosyncello, quem Poloni fame necarunt in castro Marienburgi (4). Ut delegatus sedis

---

ρεως· ἡ πρώτη ἐπὶ τὸν οἰκουμενικὸν θρόνον ἄνοδος, Ib., 1882, t. III, pp. 151-153; Papadopul-Calimac, *Scrisoarea, Convorbiri literare*, Iassii 1881, t. XIV, pp. 252-263; Mathas, op. cit., pp. 121-129; Gedeon, *Πατριαρχικοὶ πίνακες*, pp. 547-548; 550-552; 553-555; 556-558; 560; 562-567; Id., *Οἱ διδάσκαλοι τοῦ Λουκάρεως*, *Ἐκκ. Ἀλ.*, 1888, t. XI, pp. 122-123; 131-133; 165-166; 181-184; Dimitrescu, *Ciril Lucaris, patriarhul Constantinopolulŭ*, *Bis. Ort. Română*, t. XIX, 1895, pp. 539-553; Legrand, *Bibliographie hellénique* (*XVII siècle*), t. IV, Parisiis, 1896, pp. 161-521; Lebedev, op. cit., pp. 633-673; Kharlampovitch, Западнорусскія православныя школы XVI и начала XVII вѣка (*Scholae orthodoxae Russiae occidentalis saeculo XVI et initio saeculi XVII*), Kasan, 1898, pp. 264-68; Meyer, *Realencyclopädie fur protestantische Theologie*, t. XI, Lipsiae, 1902, pp. 682-690; Osviannikov, Конст. Патріархъ Кириллъ Лукарисъ и его борьба съ римско-католическою пропагандою на Востокѣ: жизнь и дѣятельность патріарха Кирилла Лукариса: церковно-историческій очеркъ (*Patriarcha Const. Cyrillus Lucaris eiusque certamen cum propagatoribus fidei romano-catholicae in Oriente: vita et res gestae Patriarchae Cyrilli Lucareos: specimen historico-ecclesiasticum*), Novocerkassk, 1903; Chrys. Papadopulos, *Κύριλλος ὁ Λούκαρις, καὶ ἡ ἐν Ῥώμῃ ἑλληνικὴ σχολὴ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου, Ἱστορικαὶ Μελέται*, Hierosolymae, 1906, pp. 207-233; Id., *Συμμετοχὴ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως ἐν τῇ μεταφράσει τῆς Ἁγίας Γραφῆς*, Ib., pp. 234-244; Id., *Ἐπιστολὴ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Καντερβουρίας* Abbot, *Νέα Σιών*, 1906, t. III, pp. 3-10; Id., *Σχέσεις Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν* Bethlen Gabor, *Ἡγεμόνα Τρανσυλβανίας*, *Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος*, Alexandriae, 1908, t. I, pp. 544-550; Id., *Κύριλλος Λούκαρις*, Tergesti, 1907; Velanidiotes, *Κύριλλος ὁ Λούκαρις*, *Νέα Σιών*, 1908, t. VII, pp. 418-423; Themelis, *Ἐπιστολὴ τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν* Abbot, Ib., 1909, t. VIII, pp. 30-33

(1) *De Ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione*, col. 1073.

(2) Osviannikov, p. 86; Papadopulo, *Κύριλλος Λούκαρις*, p. 9.

(3) Papadopulo-Keramevs, *Texte grecesti privitoare la istoria românească*, Bucharestii, 1909, p. 417.

(4) Legrand, t. IV, p. 333; Koialovitch, Никифоръ, великій протосинкелъ патріаршаго к. престола и экзархъ к. Патріарха въ западно-русской церкви (*Nicephorus, magnus protosyncellus sedis patriarchalis constantinopolitanae, atque exarcha Patriarchae Const. in Ecclesia Russiae Occidentalis*), Странникъ, 1860, t. IV, sectio I, p. 217; Pelesz, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom von den ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart*, t. II, Herbipoli, 1881, pp. 7-9, nota 2.

alexandrinae apud regem Poloniae, die 24 ianuarii 1601, litteras scripsit, quibus vehementer lutheranos increpat errores: « Non detestamur, ait, S. Petri sedem, quin eam debita veneratione et honore prosequimur, primamque et tanquam matrem agnoscimus, una ac eadem nobis est.... In fundamentis doctrinae christianae non tam controversia aut contrarietas, quam diversitas quaedam nationum graecae et latinae peculiaris observatio et usurpatio fuerit » (1). De protestantibus asserit in praecipuis christianae religionis capitibus eos dissidere, « nempe de antiquitate ordinis ecclesiastici, de apostolicis traditionibus, de authoritate Sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiae utriusque, quorum aut omnes, aut plerosque eorum rejiciunt; de canone sacrorum librorum, de observationibus, de iustificationibus, de liturgia sacra, sive Missae sacrificio, de sanctorum reliquiis et veneratione, de Deipara Virgine, de Sanctissima Trinitate: et novas ex suo sensu proprio sacrae scripturae interpretationes depromunt; quae res quanti periculi sit, experientia ipsa loquitur » (2). Hasce litteras affirmat Petrus Skarga datas fuisse Demetrio Solikowski, leopoliensi archiepiscopo († 1603) (3).

(1) Skarga, *O jedności kościoła Bożego pod jednym Pasterzem, i o greckiem i ruskiem od tej jedności odstąpieniu* (De unitate Ecclesiae Dei sub unum Pastorem et de regressu Russorum Graecorumque ab hac unitate), ed. V, Cracoviae, 1885, p. 229.

(2) Ib., p. 228.

(3) Hancce confessionem *ψευδολουχάρειον* vocat Chrys. Papadopulos, eiusque negat authenticitatem, nullis innixus rationibus, p. 12. Ad sententiam Pichleri, haec confessio authentica est, Op. cit., p. 59. De ea loquuntur praesertim, Malychevsky, Мелетій Пигасъ, t. II, pp. 159-163; Zavitnevitch, Палинодія Захарія Копыстенскаго и ея мѣсто въ исторіи западно-русской полемики XVI и XVII вѣковъ (*Palinodia Zachariae Kopystensky eiusque momentum in historia polemicae Russiae occidentalis saeculi XVI et XVII*), Varsaviae, 1883, pp. 228-233; Osviannicov, pp. 114-124. Ni fallor, quaedam allusio ad hancce confessionem habetur in litteris Cyrilli ad Marcum Antonium de Dominis (6 sept. 1618): « Quamvis cum Romano Pontifice non communia canemus, neque ipsum prout se profitetur, pro capite scilicet Ecclesiae acceptaremus, credebamus tamen, praeter quaedam pauci momenti in quibus graeca Ecclesia dissentit a latina, dogmata Ecclesiae pontificiae vera esse, doctrinam vero reformatarum Ecclesiarum, ut inimicam veritatis abominabamur, reipsa nescientes quid abominabamur », Legrand, t. IV, p. 333. Ut Skarga tradit, cum inter Malorussos moratus fuit Cyrillus, sedulam navavit operam latinis theologis meditandis, ac Bellarminum inprimis evolvit. Nil igitur mirum si ex hisce lectionibus in sententias catholicas declinavit, quas, post lapsum temporis, calvinianis laqueis irretitus, abnuit. — Cf. Kopasi, *Αἱ ἐν Πολονίᾳ θρησκευτικαὶ ἔριδες κατὰ τὰ τέλη τοῦ ις αἰῶνος, καὶ ἡ ἐξαρχία Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως ἐν τῇ χώρᾳ ἐκείνῃ*, Ἡμερολόγιον τῶν ἐθνικῶν φιλανθρωπικῶν καταστημάτων, II, Constantinopoli, 1906, pp. 265-276. Dubium de authenticitate huius Confessionis primum movit Regenvolscius: Cuivis cordato patet, hanc epistolam Cyrillum Lu-

Anno 1601 ad sedem patriarchalem evectus est, eamque rexit usque ad annum 1620 (1). Iuxta Allatium, simoniace hancce dignitatem adeptus est. « Defuncto enim Meletio, Alexandriam repetit, et cum omnium vota Gerasimum Spartaliotam respicerent, ipse, muneribus collocupletatus, stipe, quam pro Patriarchatu collegerat, in electores erogata, Patriarchale solum usurpat » (2). Antequam crearetur Patriarcha alexandrinus, protestantium erroribus addictus erat, quos, teste Oleario, in Transylvania primum, deinceps Genevae, Calvinistarum usus contubernio, hauserat (3). Commercium litterarium cum novatoribus iniit, quod usque ad mortem produxit. Inter litteras ab eo doctoribus protestantibus missas, praecipuum tenet locum epistola, quam die 22 septembris 1613 Iohanni Witenboguest, verbi divini in Ecclesia Christi Hagae Comitanae ministro misit. In ea quamvis disertis verbis protestantium placita non profiteatur, obscure tamen et ambigue, de eucharistia, de libero arbitrio ac de iustificatione disserit (4). Gratias ei reddit pro librorum supellectile, qua ipsum donaverat. Hosce libros sedulo perlegit Cyrillus, ac pedetentim tam vehemente cordis affectu novatorum placitis adhaesit, ut iure meritoque dicatur eis nomen dedisse.

In litteris, quas supra commemoravimus, ad Marcum Antonium de Dominis, testatur ipse protestantium scripta eum commovisse, ut eorum placitis assentiret: « Libris aliquot evangelicorum doctorum, quos Oriens noster non quod nunquam viderit, sed neque utrum essent, obstantibus pontificiis censuris, nunquam audiverit, opera et favore amicorum acquisitis, Spiritu Sancto assiduis orationibus invocato, per triennium doctrinam graecae et latinae Ecclesiae cum ea quae est reformatae collavi. Sensim collando comperiebam in veritate sapere quae prius falso sapiebam... Tandem per Dei gratiam, quia iustiorem causam esse reformatorum cognovi, Christique doctrinam magis congruam,

---

carin aut non scripsisse, aut si scripsit, ad importunas eorum quibus denegare cum periculo erat coniunctum, et apud quos tunc Leopoli detinebatur, instantias id fecisse. Non est igitur putandum, scriptam esse ab eo, tanquam a nuncio Patriarchae, aut legato Ecclesiae orientalis. — *Systema historico-kronologicum Ecclesiarum slavicarum per provincias varias, praecipue polonicae, bohemicae, lithuanicae, russicae, prussicae, moravicae, distinctarum*, Traiecti ad Rhenum, 1652, p. 472.

(1) Uspensky, Востокъ христіанскій: Александрійская патріархія (*Oriens christianus: patriarchatus alexandrinus*), t. I, Petropoli, 1898, pp. LXXII-LXXV.

(2) Op. cit., col. 1074.

(3) *De frustra iactata Reformatorum cum Graecis consensu*, Francofurti, 1680, pp. 13-14. Cyprius, p. 442.

(4) Legrand, t. IV, pp. 313.

isti me applicui » (1). Ab anno igitur 1818 *κρυφίον calvinianum,* ut eum rite vocat Caryophyllus, factus est Lucaris, ac sententias illas, quas serius in sua confessione conceptis verbis proposuit, divulgare coepit. In praecitatis enim litteris docet liberum arbitrium in non renatis esse non servum, sed plusquam servum, idest mortuum; iustificationem animae consistere in solam Dei omnipotentis misericordiam, propter Christi Salvatoris et Mediatoris meritum fide apprehensum, ideoque nostra opera reputanda tanquam pannum menstruatum (2); transsubstantiationem esse chimaeram; cultum imaginum, si non antea, modo perniciosum evasisse; invocationes sanctorum obfuscare Christi Domini gloriam (3).

Iam anno 1612 Cyrillus Lucaris ad sedem patriarchalem Const. electus fuerat: compluribus tamen episcopis ei adversantibus, huic dignitati renuntiavit. Sexies, innumera inter discrimina, quae meum non est narrando persequi, eandem dignitatem adeptus est, gessitque annis 1620-1623; 1623-1630; 1630-1633; 1633-1634; 1634-1635; 1637-1638. Die vigesima iunii 1638, iussu turcici regis, eo quod turbas cieret in Ecclesia, laqueo enectus est, eiusque cadaver in mare demersum. « Ob inculpatos mores, ait Thomas Smith, anglicanus, nullis probris commaculatos, ob acerbissimas vitae calamitates, et cruentam mortem sanctus est ac martyr » (4).

Anno 1629 typis vulgata est sine loci mentione (fortasse Genevae), *Confessio fidei Reverendissimi Domini Cyrilli Patriarchae Constantinopolitani, nomine et consensu Patriarcharum Alexandrini et Hierosolymitani, aliarumque Ecclesiarum orientalium antistitum scripta* (5). Statim atque in lucem prodiit versa est in linguas gallicam, anglicam et germanicam, ac pluries recusa (6). In proooemio editionis latinae legitur: « Descripta fuit haec copia ex autographo, quod pro-

(1) Legrand, t. IV, p. 334.

(2) Legrand, t. IV, pp. 334-335.

(3) Ib., pp. 335-336.

(4) Op. cit., p. 130; Cfr. Semnoz, *Les dernières annees du Patriarche Cyrille Lucar, Echos d'Orient,* t. VI, 1903, pp. 97-107.

(5) Legrand, op. cit,, p. 267.

(6) Editiones gallicas et anglicam citat Legrand. Ib., pp. 270-271. Versio germanica, anno 1629 edita sine loci mentione, ita inscribitur: *Glaubens bekanndniss Cyrills des Patriarchen zu Constantinopel wie auch der gantzen orientalischen oder griechischen christlichen Kirchen und gemeinen in Asien, erstlichen lateinisch gestellt, französisch getruckt, und nun von Worte zu Wort verteuschet.* In Bibliotheca Dresdensi eam reperimus, una cum altera germanica editione, eodem anno sine loci mentione impressa. Utriusque descriptio desideratur apud Legrandium.

pria Reverendissimi Domini Patriarchae Cyrilli manu, quam optime cognosco, scriptum penes me manet, et per me facta collatione, una cum hoc ipso de verbo ad verbum convenire attestor ». Hancce declarationem edidit Cornelius Haga, confoederatorum belgicarum provinciarum pro tempore apud Portam ottomanici imperatoris orator (1).

Anno 1633 typis Iohannis de Tournes excusa est graece Genevae eadem *Confessio*: *Ὁμολογία τῆς χριστιανικῆς πίστεως*. Adnotatur in prooemio latinam huiusce confessionis editionem plurimas insectationes ac vexationes Cyrillo comparasse, multosque negasse eam Cyrillum conscripsisse. Voluit igitur Cyrillus ut denuo graeco idiomate a se adornata typis prodiisset (2). Anno 1645 nova editio lucem aspexit hocce titulo: *Cyrilli Lucaris, Patriarchae Const., Confessio christianae fidei, cui adiuncta est genuina eiusdem confessionis censura synodalis, una a Cyrillo Berrhoensi, altera a Parthenio patriarchis itidem Const. promulgata* (3). In prooemio editor rite animadvertit, « ita adamussim cum praecipuis Calvini placitis eam consentire, ut ex illius christianae religionis institutione descripta videatur ». Hottinger eam inseruit in praecitatis *Analectis historico-theologicis* (pp. 398-549), adiectis praesertim Graecorum Patrum innumeris locis ad eius pravas sententias fulciendas; Aymon in *Monumens authentiques de la religion des Grecs* (4), graece ac gallice, Kimmel in *Monumentis fidei Ecclesiae orientalis* (5), et Michalcescu graece in opere *Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας* (6). *Confessio* Cyrilli 18 capitibus, et quatuor responsionibus ad quaesita Cyrilli a quibusdam orthodoxis proposita absolvitur. Testatur Cyrillus se latine primum suam *Confessionem* exarasse, ac deinceps graece fideliter transtulisse (7). Paucis praemissis de Deo uno et trino, ac de Sacris Scripturis, Cyrillus statim asserit (c. 3), Deum ante mundi originem suos electos ad gloriam praedestinasse sine respectu ad illorum opera (8). Exponit deinceps doctrinam *christianam* de Deo creatore, de divina Providentia, de homine lapso, de Iesu Christo Redemptore, iudice et mediatore, de fide, de

(1) Legrand, t. I, p. 267.

(2) Ib., p. 316.

(3) Ib., t. II, p. 14. Suspicatur Legrand in Hollandia eam evulgatam fuisse.

(4) Pp. 237-254.

(5) Pp. 24-44. De Cyrillo Lucari disserit Kimmel in prooemio suae *συλλογῆς*, pc. XXI-L.

(6) Pp. 267-276.

(7) *Τὴν ὁμολογίαν λατινιστὶ πρῶτον συγγράψαντες, τόγε νῦν εἰς τὴν ἡμετέραν φράσιν μετεγλωττίσαμεν κατὰ λέξιν, ὡς κεῖται ἐν τῷ λατινικῷ πρωτοτύπῳ.* — Kimmel, p. 39.

(8) Ib., p. 26.

Ecclesia quae caput habet Iesum Christum solum, de membris Ecclesiae quos oportet sanctos esse ad vitamque aeternam electos, de Spiritu Sancto qui sanctificat et docet. In capite 13 diserte profitetur hominem iustificari per fidem, non ex operibus (1). In c. 14 docet liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nihil boni possunt facere, et quidquid faciunt est peccatum (2). In c. 15 duo esse sacramenta effutit; in 16 de virtute sacramentali baptismatis agit; in 17 transsubstantiationem eucharisticam negat, ac fide tantum *spiritualiter* apprehendi Iesum Christum in hoc sacramento statuit. In ultimo capite Purgatorium tanquam figmentum rejicit.

In responsionibus profitetur Cyrillus Sacram Scripturam cunctis legendam esse, vel saltem ab altero legente audiendam, omniaque in ea contenta regeneratis in fide per illuminationem interiorem Spiritus Sancti clara fieri et perspicua. De canone Sacrarum Scripturarum agit in responsione 3, ac librorum deuterocanonicorum auctoritatem abnuit, eosque apocryphos appellat (3). In quarta et ultima responsione cultum Sacrarum Imaginum, utpote a Sacra Scriptura prohibitum detestatur (4).

Ex hisce obiter delibatis cuique patebit, non orientalis Ecclesiae, sed calvinianae sectae sua in confessione Cyrillum doctrinam enucleasse. Nil mirum igitur si statim ac lucem aspexit *Confessio* haec facta sit, ut Cyrillus ipse praesagivit, signum contradictionis (5).

5. Confessio Cyrilli Lucareos, Genevae vulgata, plurimas concitavit turbas in regionibus orthodoxis, praesertim apud Russos et Polonos. Scriptores enim catholici, qui theologiae polemicae navabant operam, ea usi sunt tanquam praeclaro documento, miserrimas ut conditiones Ecclesiarum Orientalium, novitatibus lutheranis addictarum, detegerent. Orthodoxis quidem incredibile visum est supremum sedis const. Antistitem, traditiones veteris Ecclesiae apertissime conculcasse, ac fidei corruptae maculam suo gregi inussisse. Ut de infando hoc facinore certior fieret, Iob Boretzky, metropolita kiovensis († 1631) nuntios misit ad Theophanum II, Hierosolymitanum Patriarcham (1608-1645) rogatum,

(1) Legrand, t. I, p. 32.

(2) Ib., p. 33.

(3) Ib., p. 42. Cfr. de hac re perpulchram opellam Iugie, *Histoire du canon de l'ancien Testamtet dans l'Église grecque et l'Église russe*, Parisiis, 1906, pp. 41-43.

(4) Ib., p. 44.

(5) *Τὴν σύντομον ταύτην ὁμολογίαν ἡμῶν εἰς σημεῖον ἔσεσθαι ἀντιλεγόμενον τεκμαιρόμεθα, οἷς ἐρᾶστὸν ἀδίκως ἡμᾶς διασύρειν καὶ τῶν ἡμετέρων καταψηφίζεσθαι.* — Ib., p. 38.

an revera Cyrillus, confessionis sub eius nomine vulgatae auctor extitisset. Theophanus respondit Cyrillum a Latinis calumniis impeti eumque libellum, quem ementito *Confessionis Ecclesiae orientalis* titulo protestantes condecoraverant, neque conscripsisse, neque ut conscriberet, sibi in animum induxisse (1).

Post fatum Cyrilli Lucareos, ad sedem Constantinopolitam regendam Cyrillus Contarenus eligitur, ex urbe Berrhoea, in Macedonia, ex qua Berrhoensis appellitatus est. Ter patriarchale sceptrum gestavit, nempe annis 1634: 1635-36; 1638-39. Martyrem Ecclesiae romanae merito eum vocavit Allatius (2), eiusque virtutes ac studium in fide catholica tuenda summis laudibus extulit Dionisius Guillius S. I. (3), in litteris Allatio missis die 30 Decembris 1645. Scriptores graeci dicteriis Contarenum nostrum obruunt, eumque detestantur ut Lucareos acerrimum adversarium insectatoremque (4), nec non ut *calliditatis iesuiticae δεξιώτατον ὄργανον* (5). Anno 1838, mense septembris, synodum Const. convocavit Cyrillus Contarenus, cui interfuere, praeter Theophanum Hierosolymitanum, quem supra memoravimus, Metrophanes Critopulos, Patriarcha Alexandrinus (1636-1638), 21 episcopi ac 23 praelati ac praesbyteri, inter quos Meletius Syrigus, qui theologicis argumentis novitates calvinianas confessionis Cyrillianae profligavit. Huiusce synodi decretum extat, quod libris symbolicis recentioribus Ecclesiarum orthodoxarum adnumeratur. Inscribitur: *ψῆφος τῆς ἐν Κ. συνόδου κατὰ τῶν αἱρετικῶν κεφαλαίων Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως τοῦ παραχωρήσει Θεοῦ πατριαρχεύσαντος ἐν Κ.* (6). Synodus Cyrillum Lucarin vehementer increpat, quippe qui contra divinas humanasque

(1) *Οἱ Ἰησουΐται προχειρότερόν τι καὶ ἐπιζήμιον κατὰ τοῦ Κυρίλλου ἐπενόησαν, συκοφαντίαν πλάσαντες καὶ Καλουϊνόφρονα αὐτὸν ἐκήρυξαν, τὸ ὁποῖον ἀκούσαντες οἱ Ῥῶσσοι ἔπεμψαν τῷ ᾳχλ' πρὸς Θεοφάνην τὸν Ἱεροσολύμων Πατριάρχην ὅπου ἦν τότε εἰς Γιάσιον, ἐρωτῶντες ἐὰν ἀληθῶς ταῦτα λέγουσιν οἱ Ἰησουΐται πρὸς τοὺς ὁποίους ὁ Θεοφάνης κεφ. ις' συνταξάμενος, ἀμέτοχος νὰ ἦναι ὁ σοφώτατος Κύριλλος, τῆς τοιαύτης συκοφαντίας ἀπέδειξε.* — Meletius, *Ἐκκλησ. Ἱστ.*, t. III, p. 447. Hoc idem testatur Dositheus in prooemio ad opus Meletii Syrigi, *Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων*, Bucharestii, 1690, f. 5-6; Legrand, t. II, p. 467; Palmieri, *Dositeo, patriarca greco di Gerusalemme: contributo alla storia della teologia greca nel secolo XVII*, Florentiae, 1909, pp. 77-80.

(2) Op. cit., col. 1076.

(3) Ib., coll. 1077-1081.

(4) Gedeon, p. 558.

(5) Mathas, p. 125.

(6) Kimmel, pp. 398-408; Mesoloras, *Παράρτημα*, pp. 28-32; Michalcescu pp. 151-154. Germanice in arctum collegit Pichler, op. cit., pp. 215-221.

leges in sedem patriarchalem intrusus, mortifero exundans veneno, atque insanabili morbo correptus circa praecipua fidei capita, versutia dolisque falsa dogmata propagavit (1). Anathemate Cyrillus percellitur, eo quod statuat universam orientalem Ecclesiam cum calvinianis consentire (2); sanctam Ecclesiam errare posse; Deum, ante praevisa merita, quosdam ad gloriam, quosdam ad aeterna supplicia praedestinasse; sanctos non esse mediatores atque oratores apud Deum; liberum arbitrium ad bene agendum hominibus non inesse; duo tantum sacramenta in Ecclesia haberi; transsubstantiationem eucharisticam inter figmenta amandandam, defunctos qui fine pio cum poenitentia dormierunt eleemosynis atque Ecclesiae precibus nihil iuvari, iconomachis favendum, cultum imaginum rejiciendum, synodos quae huncce probarunt contemnendos. Anathemati etiam subjicitur quotusquisque virus hauserit ex doctrinis Cyrilli, ac sententiae, quam synodus in eam pronuntiavit, non assenserit.

Decretum editum est die 24 septembris anno 1838 (3). Anathemata in Cyrillum scriptores orthodoxi accepta referunt veteri inimicitiae, quam cum Lucari Cyrillus Contarenus exercebat (4). Quidquid tamen sit de hac inimicitia, negari non potest quominus iustissimis causis nitatur sententia a synodo const. per Cyrillum Contarenum in Cyrillum Lucarin prolatam. Quapropter merito valor symbolicus huic decreto affingitur, eo quod doctrinam Ecclesiae orthodoxae rite proponat (5), eamque novitates lutheranas vel calvinianas nulla ratione amplecti vel amplexuram disertissime decernat (6).

(1) *Ἐν τοῖς δόγμασιν ὁ θανατηφόρου ἰοῦ μεμεστωμένος ὁ περὶ τὰ καίρια ἀνιάτως νοσήσας, καὶ ἀθέως τε καὶ ἀθέσμως πατριαρχεύσας πρὸ ὀλίγου ἐν Κωνστ. Λούκαρις Κύριλλος.* — Kimmel, p. 399.

(2) *Κυρίλλῳ τοὐπίκλην Λουκάρει τῷ πᾶσαν τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀνατολικὴν Ἐκκλησίαν ἐν τῇ τῶν παρανόμων αὐτοῦ κεφαλαίων ἐπιγραφῇ καλβινοφρονοῦσαν συκωφαντήσαντι ἀνάθεμα.* — Kimmel, p. 400.

(3) Gass, pp. 75-77.

(4) *Ἡ προσωπικὴ δὲ καταδίκη τοῦ Λουκάρεως ὀφείλεται εἰς τὸν Κονταρῆν, ὅστις εὗρεν ἤδη ἀφορμὴν μετὰ πνεύματος ταπεινῆς ἐκδικήσεως νὰ ὑβρίσῃ τὴν μνήμην τοῦ Λουκάρεως ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς Συνόδου, ἐν ᾧ συγχρόνως ἐπεβουλεύετο τὴν ὀρθόδοξον Ἐκκλησίαν, ἧς ἀναξίως προϊστατο.* — Chrys. Papadopulos, p. 75.

(5) *Τὰ πρακτικὰ τῆς συνόδου διατυποῦσι ὀρθῶς τὴν διδασκαλίαν τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας.* — Mesoloras, *Παράρτημα*, p. 25.

(6) *Κύριλλος ὁ Κονταρῆς ἔδειξε πρώην τε καὶ νῦν διὰ συνελεύσεως ἀρχιερέων μεγάλης ὅτι ἡ ἀνατολικὴ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία τὰς τῶν διαμαρτυρομένων καινοτομίας δὲν ἀνέχεται.* — Ib.

6. Inter symbolica theologiae orthodoxae documenta recensentur *Acta synodi Iassiensis*, quae Dositheus hierosolymitanus Actis synodi hierosolymitanae intexuit. Improprie tamen vox *Actorum* adhibita est ad significanda documenta, quae ex hoc promanasse concilio feruntur. Haec enim Acta nil aliud praeseferunt, nisi binas epistolas, in quibus de sessionibus vel de canonibus concilii iassiensis ne verbum quidem injicitur.

Prior epistola inscribitur: *Ἐπιστολὴ συνοδικὴ πρὸς τὴν ἐν Γιασίῳ τοπικὴν σύνοδον*. Edita est nomine Parthenii I, Patriarchae Constantinopolitani (1639-1644), qui synodum sua in urbe coegit, ut Calviniana Cyrilli Lucareos capita solemniter damnaret (1). De anno convocationis huius synodi ac promulgationis epistolae synodicae, quae ei tribuitur, non convenit inter scriptores. Communis tenet sententia eam habitam fuisse anno 1642 mense maio. Legitur enim in conclusione epistolae: *Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, indictione decima* (2). Mirum tamen est Allatium, qui favet huic chronologiae, asseruisse synodum hancce celebratam esse *statim atque in patriarchatu pedem fixerit Parthenius* (3). Cum autem Parthenius ad sedem patriarchalem evectus sit anno 1639, haud obscure colligitur convocationem praefatae synodi annum 1642 praecessisse.

Metropolita Macarius refert Bibliothecam synodalem mosquensem codicem miscellaneum possidere (A., n. 1, ff. 2-5), in quo synodalis epistola Parthenii asservatur, ibique clarissimis verbis traditur eam compositam fuisse anno 1640 mense maio (4). Hancce chronologiam probarunt Legrandius (5) et Melchisedech, episcopus romenus (6). Synodicam igitur epistolam Parthenii, nec non synodum constantinopo-

(1) Allatius, *De Ecclesiae occid. atque orientalis perpetua consensione*, col. 1028.

(2) Pichler, op. cit., p. 223: Kimmel, p. 417.

(3) Op. cit., col. 1082.

(4) История русской церкви (*Historia russicae Ecclesiae*), t. XI (ed. II), Petropoli, 1903, p. 577. Clarissimus vir S. Golubev adnotat in codice qui citatur a Macario, synodicam epistolam Parthenii referri quidem ad annum 1640: attamen adiungitur indictio X quae respondet anno 1642. Adest igitur error in mentione anni, quem tamen errorem corrigit mentio recta indictionis. — Кіевскій митрополитъ Петръ Могила и его сподвижники (*Petrus Moghilas, metropolita kioviensis, eiusque socii in rebus praeclare gestis*), t. II, Kioviae, 1898, Appendix, p. 263. Communior igitur chronologia maioris probabilitatis notam praesefert. Alienum etiam a veritate non esset affirmare hancce epistolam conscriptam fuisse ante annum 1642, Mesoloras, p. 34, approbatam in synodo constantinopolitana mense maio 1642, et confirmatam paullo post in synodo iassiensi.

(5) *Bibliographie grecque du XVIIe siècle*, t. IV, p. 114.

(6) *Biserica orthodoxă in luptă cu protestantismulŭ*, p. 31.

litanam, quam ipse coegit, ad annum 1640 censent referendas. Synodo interfuerunt 45 antistites vel viri dignitatibus ecclesiasticis exornati, inter quos meminisse placet Petrum Moghilam, archiepiscopum et metropolitam kioviensiem (1).

Epistola synodalis Parthenii edita est prima vice Iassii die XX decembris anni 1642. Hoc eruitur ex adnotatiuncula priori editioni inserta, atque in postremo folio alterius editionis, parisiensis, recusa: *Ἐτυπώθη ἐν Γιασίῳ τῆς Μολδοβλαχίας, ἐν τῇ σεβασμίᾳ καὶ αὐθεντικῇ μονῇ τῶν ἁγίων τριῶν ἱεραρχῶν κατὰ τὸ ᾳχμβ΄ ἔτος τὸ σωτήριον ἐν μηνὶ δεκεμβρίῳ κ΄.* Huiusce tamen prioris editionis nullum amplius exstat exemplar, ut clarissimi viri testantur Legrandius et Bianu, qui bibliothecarum scrinia, ad eam detegendam, sedulo, sed incassum, rimati sunt (2). Editio parisiensis lucem aspexit anno 1643, hocce titulo: Parthenii, Patriarchae Constantinopolitani, *Decretum synodale super calvinianis dogmatibus, quae in epistola Cyrilli nomine ante annos aliquot edita, falso Graecorum et orientalium consensu recepta ferebantur: quae omnia damnantur ab iisdem, et anathemate notantur* (3). Iussu Petri Moghilae, in linguam polonicam versa, Kioviae edita est (4).

(1) Virorum nomina, qui huic epistolae subscripsere, refert Aymon, op. cit., pp. 359-369. Apud eundem textum reperies epistolae, commentariis instructum, quae contumeliis in Graecos affluenter scatent.

(2) Bianu et Hodos, *Bibliografia românéscă veche*, t. I, Bucharestii, 1903, p. 119: « Falso tradit Macarius hancce editionem vulgatam fuisse anno 1641. Ex ea inferri potest synodum, cui Parthenius praefuit, habitam fuisse anno 1642, alioquin epistola synodalis iam typis mandata fuisset anno 1640. At nihil vetat quominus suspicamur eandem servatam fuisse ineditam in codice Constantinopolitanae Ecclesiae et post eius confirmationem per synodum Iassiensem, tanquam documentum maiore instructum auctoritate, pervulgatum. — Kimmel, p. 417.

(3) Legrand, op. cit., t. I, pp. 450-451.

(4) Macarius. Исторія etc., t. XI, p. 576. Versio haec polonica inscribitur: « Listy Swiętego Oyca Partheniusza, z miłosierdzia Bożego Archiepiskopa Konstantinopolskiego nowego Rzymu y oecumenici Patriarchae, pisane do Jaśnie Przewielebnego w Bogu Jego M-ci Oyca Piotra Mohiły, Archiepiskopa Metropolity Kijowskiego, Halickiego y wszystkiey Rusi, Archimandrity Pieczar., Przewielebnieyszych Jch M-ciow Oycow Episkopow prawosławnych y wszystkiego duchowienstwa prawosławnego, tudziesz y do Jch M-ci Panow stanu świeckiego, w ktorych znosi sie potwarz włożona przed kilka lat na Cerkiew Wschodnią przez wydrukowanie xiążki Kałwinskiey nauki, pod imieniem s. pamięci nieboszczyka Oyca Cyrilla Patriarchy Konstantinopolskiego, a na przestrogę wszystkim prawosławnym posłuszeństwa s. Oyca Patriarchi Konstantinopolskiego synom, na polski ięzyk przełożone y wydane ». Edita est anno Domini 1643 mense ianuario, die XVI in officina typografica monasterii kioviensis, cui nomen Печерскій. Unicum fortasse huiusce rarissimae editionis exemplar asservatur Leopoli, in bibliotheca Ossolinskia. Eam recudendam curavit S. Golubev, op cit, t. II, Appendix, pp. 251-262.

Altera epistola inscribitur graece: *Ἐπιστολὴ τῆς ἁγίας συνόδου τῷ ἐκλαμπροτάτῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ Λουκί, θεοσεβεστάτῳ αὐθέντῃ καὶ ἡγεμόνι πάσης Μολδοβλαχίας, κ. κ. Ἰωάννῃ Βασιλείῳ Βοϊβόνδᾳ σωτηρίαν παρὰ Θεοῦ* (1). Iohannes Basilius, quem Patres synodales vocant *strenuum expugnatorem haereseon* (2), ad sedandas turbas, quas Confessio Cyrilli Lucareos apud orthodoxos excitarat, legatos oecumenici throni, una cum legatis russicae Ecclesiae in urbem Iassium accersivit, « ut spuria dogmata convellerent, editisque in publicum libris germanam orientalis Ecclesiae doctrinam explicando confirmarent ». Melchisedec episcopus autumat hancce convocationem factam fuisse anno 1641: membra tamen synodi, ad munus sibi demandatum absolvendum, suas sessiones produxisse usque ad sequentem annum 1642. Legati vero metropolitae kioviensis, adulto iam autumno, suam in patriam redierunt (3).

Ex sede constantinopolitana legati missi sunt Iassium, Porphyrius, metropolita nicaenus, et Meletius Syrigus, qui perdoctis in lutheranos scriptis perillustris theologi famam sibi comparavit. Ex metropoli autem kioviensi synodo interfuere Isaias Trofimovitch, higumenus monasterii S. Nicolai, Kioviae; Ioseph Kononovitch, higumenus monasterii Epiphaniae (Братскій богоявленскій), atque Ignatius Oksenovitch. Hi tantum viri memorantur litteris subscripsisse, quas synodus iassiensis Iohanni Basilio dedit (4). Non convenit inter scriptores an Petrus Moghilas, qui synodo constantinopolitanae adfuit, Iassium sese contulerit. Sententiam affirmativam tuentur Gedeon (5) et Melchisedec (6) qui, adiectis episcopis moldavis, undecim viros in eadem synodo sese congregasse statuit. Nihil tamen certi habetur, cum annalium romenorum conditores res in synodo gestas eiusdemque synodi convocationem alto praetereant silentio, ac paucas tantum in-

(1) Bina documenta reperiuntur in variis editionibus synodi hierosolimitanae, nec non apud Kimmelium, pp. 408-20; Mesoloram, pp. 37-42, et Michalcescu, pp. 154-158.

(2) Kimmel, p. 418. De Iohanne Basilio gloriosa praedicavit prolixo carne Athanasius Patellarus: *Στίχοι ἡρωελεγεῖοι Βασιλείῳ βοεβόδᾳ Μολδοβλαχίας*, Papapopulo-Keramevs, *Texte greceşti privitoare la istoria românească*, Bucharestii, 1909, pp. 439-449.

(3) « *Sinodulŭ din Iaşĭ s'a ţinutŭ în anulŭ 1651; jar, judecándŭ dupe lucrările luĭ, s'a continuatŭ şi în anulŭ 1642 (dupĕ numĕrarea b sericéscă). Delegaţiĭ de la Kiev s'aŭ întorsŭ la Kiev tocmaĭ in tómna anuluĭ 1642 (dupe calculŭ bisericescŭ)* ». — Op. cit., p. 31.

(4) Kimmel, p. 420.

(5) *Πατριαρχικοὶ πίνακες*, p. 571.

(6) Op. cit., pp. 35-36.

compositasque notitias de ea tradiderint historiographi graeci. Conjicere licet membra huius synodi (si fas est hocce epitheto quinque virorum conventum cohonestare) tempore autumnali suas sessiones habuisse, ut Confessionem Cyrilli Lucareos, et Confessionem orthodoxam Petri Moghilae sub examen revocarent, ac media inquirerent quibus toto terrarum orbi pateret macula corruptae per Lutheranos fidei Ecclesias orthodoxas haud sordescere. Praecipuum tamen huiusce conventus munus in eo repositum est ut confirmaretur epistola synodalis Parthenii I, quamobrem haud pauci scriptores censent synodum, ad quam referuntur documenta superius citata, potius constantinopolitanam quam iassiensem appellandam (1). Non enim Iassii, sed Constantinopoli, composita est synodica illa epistola, quae nucleus est ac fundamentum synodi iassiensis.

Epistola Parthenii complectitur XVII capita quae totidem capitibus Confessionis Cyrilli Lucareos opponuntur. Caput septimum Confessionis, quod Christologiam enucleat, nulla in praefatis litteris inuritur censura, cum apprime respondeat doctrinae orthodoxae. Exinde factum est ut licet Confessio Cyrilli XVIII capita complectatur, decem septem tantum epistola synodica reprobet.

Parthenius rationes exponit, quae eum moverunt ut synodicam epistolam in lucem proferret. Confessio Cyrilli maxime divulgabatur inter clericos et fideles, qui novitate doctrinae in ea contentae perterriti, etiam atque etiam Patriarcham rogarunt ut decerneret utrum sententiae Cyrillo tributae consonae fidei orthodoxae haberentur necne (2). Ad animos exagitatos tranquillandos, Parthenius, una cum membris synodi Constantinopoli coactae, praevia diligenti investigatione, sancivit omnia capita confessionis cyrillianae, praeter septimum, haere-

(1) « Der Name Synode zu Iassy ist ungenau, es war eigentlich eine zweite Synode von Constantinopel, deren Dekret den in Iassy versammelten abgeordneten vorgelegt wurde und ihre Bestätigung erhielt ». Gass, p. 77. — « *Ὀρθότερον θὰ ἦτο, ἂν ἐκαλοῦντο πρακτικὰ τῆς ἐν Κ. τῷ* 1642 *ἐπὶ Παρθενίου συνελθούσης συνόδου, ἀποδεκτὰ γενόμενα καὶ ὑπὸ τῆς ἐν Ἰασίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ ἔτος γενομένης συνόδου* ». — Mesoloras, p. 33; Pichler, pp. 226-227.

(2) Meletius Atheniensis tradit concilium convocatum fuisse, ut aggerem extrueret adversus conatus Societatis Iesu, quae tunc temporis in Polonia et Lithuania ad progressus *unionis* fovendos strenue adlaborabat: *Αἰτίαν λαβόντες ἐκ τούτων τῶν κεφαλαίων οἱ Ἰησουῖται παρεπίκραναν καθ'ἡμέραν τοὺς ἐν Λιτουανίᾳ, Οὐκραΐνῃ, Ποδολίᾳ καὶ Πολωνίᾳ διάγοντας χριστιανούς, λέγοντες, ὅτι ὁ Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως νὰ ἐκαλουΐνισεν, ὅθεν ἀδεῶς καὶ συχνῶς ἐβίαζαν αὐτοὺς νὰ παπίσωσι* ». Op. cit., t. III, p. 449. — Hoc idem testatur Dositheus hierosolymitanus, *Ἐγχειρίδιον κατὰ τῆς καλβινικῆς φρενοβλαβείας*, Prooemium, Bianu et Hodos, op. cit., t. I, p. 301; *Δωδεκάβιβλος*, p. 1171.

sim Calvini continere, ac toto coelo a fide orientalium Ecclesiarum discrepare (1). Damnavit igitur sententias in confessione cyrilliana prolatas, quin tamen Cyrillum ipsum anathemate percelleret. Etenim, ut Dositheus animadvertit, Cyrillus synodo visus est nunquam cum Calvinianis consentire, neque vel minimum ab orientalis Ecclesiae professione dissidere. In quem igitur cadere huiusmodi accusationem non aperte cognoverant, anathema dicere aequum non duxerunt, quamvis anathemate ignotum eorumdem capitum scriptorem perculerint (2).

Synodi iassensis acta permagni habentur a scriptoribus orthodoxis. Ut ait Mesoloras, Russi Graecique in unum coetum Iassii convocati, aperte commonstrarunt Ecclesiam orthodoxam supremum diem non obiisse, suaque dogmata inconcusse servare, nec non strenue ac sincere a novitatibus in Occidente pervulgatis abhorrere (3). Valor epistolae synodicae Parthenii in eo praecipue consistit quod concinna brevitate enucleat ac rejicit calvinianos errores, in confessione Cyrilli prolatos, fideique orthodoxae autenticam doctrinam exponit (4).

7. Maioris momenti quam synodus iassiensis est celeberrima illa synodus hierosolymitana, cui Dositheus praefuit, anno 1672 congregata. Tam scriptores orthodoxi, quam catholici et lutherani, uno veluti ore declarant, sive materiarum segete, sive theologicarum sententiarum praestantia, anteactas Graecae Ecclesiae synodos, synodum hierosolymitanam longe superare. In ea igitur illustranda si diutius immorer, haud abs re mihi videor facturus.

De synodo hierosolymitana quatuor inquiri possunt: *α'*) *Quibusnam causis, quonam loco et quonam tempore haec synodus congregata sit*; *β'*) *Quaenam documenta inter eius acta recenseantur, et quisnam feratur eorum auctor;* *γ'*) *Quid nobis exhibeant haecce documenta*;

(1) Kimmel, pp. 408-409.

(2) Ib., p. 421.

(3) *Ἡ ἐν Ἰασίῳ σύνοδος, αἱ ἀποφάσεις καὶ αἱ πράξεις αὐτῆς μεγίστης σημασίας τυγχάνουσι, διότι κατ' αὐτὴν συνησπίσθησαν Ἕλληνές τε καὶ Ῥῶσσοι, οἵτινες ἀπέδειξαν τοῖς τε Ἰησουΐταις καὶ τοῖς διαμαρτυρομένοις, ὅτι ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία ζῇ, ὅτι διατηρεῖ ἀσάλευτα τὰ ἑαυτῆς δόγματα, καὶ ὅτι θαρρούντως καὶ εὐπαρρησιάστως ἀποκρούει τὰς καινοτομίας τῆς Δύσεως.* — P. 36; Malychevsky, Мелетій Пигасъ, t. I, pp. 627-628.

(4) C., *Notiţe istorice asupra timpuluĭ şi impregiurălilor religióse în care s'au ţinut sinodul din Iasi*, *Revista teologică*, Iassii, 1883, pp. 202-208; *Practicalele Sinoduluĭ din Iaşĭ, care este al II-lea contra capitulilor luĭ Ciril*, *Biserica ortodoxă română*, ib., pp. 213-216; 220-22; 239-40; 705-715; *Biserica ortodoxă română*, t, VII, pp. 705-715; Melchisedech, *Biserica ortodoxă în luptă cu protestantismulŭ*,pp. 25-28.

δ') Quisnam sit valor apologeticus et symbolicus actorum huius concilii (1).

α') Causa, quae Dositheum impulit ad convocandam synodum hierosolymitanam hisce verbis in actis synodalibus expromitur: « Matris nostrae apostolicae Ecclesiae doctrinam super his quae affinguntur illi, exponendam duximus, ut quae a Domino nobis tradita, ab apostolis promulgata, et a sanctis patribus conservata est fides nostra, nobis edicentibus, universo manifesta fiant mundo » (2). Haec igitur fidei expositio, synodali sanctione communita, ad lutheranos calvinianosque ab ovilibus orthodoxis procul arcendos concinnata est. Etenim, Lutheri et Calvini asseclae, quamvis iterum atque iterum litterae graecorum Patriarcharum, concilia particularia, scriptaque theologorum eos adegerint ad agnoscendum suis in novitatibus nil sibi commune cum Ecclesiis orthodoxis, haud tamen animis concidebant, omnemque conatum persequebantur, ut triste in exitium fidei christianos orientales pertraherent. Ad rudes illaqueandos in regionibus orthodoxis Confessionem calvinianam Cyrilli Lucareos summis extollebant laudibus, tanquam speculum verae fidei orientalis, effutiebantque sese, vel in minimis, cum graecis doctoribus convenire, suamque doctrinam ne transversum quidem unguem ab orthodoxa doctrina discedere.

Huiusmodi calumnias, quae in vulgus disseminabantur, sive pastores, sive theologi orthodoxi, pro virili contundere haud semel aggressi sunt. Nicolaus Spadarius librum conscripsit (3), et Paisius Li-

(1) De concilio hierosolymitano sub Dositheo Patriarcha praesertim egerunt: Ittigius, *De Actis synodi hierosolymitanae anno 1672 sub patriarcha Hierosolymitano Dositheo adversus calvinistas habitae, in qua imprimis de Cyrilli Lucaris Confessione actum est, Heptas dissertationum selecta quaedam historiae ecclesiasticae veteris et novae capita illustrantium*, Lipsiae, 1696, pp. 412-445. — Aymon, *Monumens authentiques de la religion des Grecs*, Hagae Comitum, 1708, pp. 261-451. — Cowel, *Some account of the present greek Church with reflections on their present doctrine and discipline*, Cantabrigiae, 1722, pp. 136-139; 146-151. — Kiesling, *Historia concertationis Graecorum Latinorumque de transubstantiatione in Eucharistiae Sacramento*, Lipsiae, 1754, pp. 310-324; *Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie*, t. IV, Parisiis, 1841, coll. 71-296. — Kimmel, op. cit., pp. lxxv-xcii. — Gorsky, О соборѣ іерусалимскомъ 1672 года (*Synodus hierosolymitana anni 1672*), Прибавленія operibus Sanctorum Patrum russice versis, t. XXIV, Mosquae, 1871, pp. 568-620. — Lebedev, Исторія греко-восточной церкви подъ властію Шурокъ, Petropoli, 1903, pp. 58-62. — Palmieri, *Dositeo, Patriarca greco di Gerusalemme*, Florentiae, 1909, pp. 15-24.

(2) Kimmel, p. 329.

(3) *Enchiridion sive stella orientalis occidentali splendens*, Stockolmae, 1667. Cf. Gorsky, loc. cit,. pp. 577-578. — Erbiceanu, *Bărbaţii culţi greci şi români*, Bucharestii, 1905, p. 16. — Mikhailovsky, Важнѣйшіе труды Николая Спаѳарія (*Praecipua scripta Nicolai Spatharii*), Kioviae, 1897; Legrand, t. IV, pp. 62-104.

garides, metropolita Gazensis, prolixiores litteras de mysterio eucharistico adversus lutheranos (1). Integrum fidei decus suae Ecclesiae hierosolymitanae vindicavit Nectarius Hierosolymitanus Patriarcha in epistola apologetica ad Paisium, Patriarcham Alexandrinum (1668-1676) (2). Parum tamen, aut nihil profecerunt vindices Ecclesiarum orthodoxarum. Improbitati gratis indulgentes, ut Dositheus enarrat, calvinianae haereseos fautores in Gallia suas de Deo rebusque divinis errores apostolicae ac sanctae orientali Ecclesiae affingebant, atque id quidem non modo sermonibus, verum etiam et scriptis, praesertim Iohannes Claudius Carentonensis, quocum diu ac feliciter decertavit Arnoldus (3).

Ad ora pseudo-reformatorum obstruenda, Dositheus, qui catholicam Ecclesiam aeque ac sectas protestantes vehementissimo prosequebatur odio, nullum praesentius adiumentum excogitavit, quam synodum coire, cui delatum fuisset munus technas haereticorum diluendi. Ut hocce propositum ad effectum adduceret, suis cohortationibus summopere Dositheum incitavit marchio Carolus Nointel, qui tunc temporis munere gallici legati apud Ottomanos fungebatur, vir multiplici doctrina instructus, rebusque catholicis promovendis maxime addictus (4). Occasionem synodi convocandae nactus est Hierosolymitanus Patriarcha, cum sanctuario bethleemitico Nativitatis Domini, permagnis sumptibus instaurato, solemnibus coeremoniis id rite dedicandum anno 1672 sibi proposuerit (5). Convocavit igitur ad sollemnia plurimos ex Palaestina episcopos ac praelatos, qui omnes in unum coetum coierunt, ut ingruentia ex protestantium audacia christianis orthodoxis pericula deprecarentur.

Merito haec synodus hierosolymitana audit, quamvis sessio ad eam auspicandam in urbe bethleemitica habita sit, quo factum est ut prior editio actorum *Synodus bethleemitica* inscribatur. Ex luculento enim Dositheï testimonio constat membra concilii « in sanctam et magnam urbem Hierosolymam convenisse » (6). Actis synodalibus subscripserunt Dositheus, Nectarius, septem metropolitae atque episcopi,

(1) De hisce controversiis plura apud Richardum Simonem, *Fides Ecclesiae orientalis, seu Gabrielis, metropolitae Philadelphiensis opuscula*, Parisiis, 1671, pp. 105-143. — Le Moni (pseudonymus eiusdem scriptoris), *Histoire critique de la creance et des coûtumes des nations du Levant*, Francofurti, 1684, pp. 37-64. — Aymon, op. cit., pp. 4-25.

(2) *Perpétuité de la foi*, t. II, coll. 1179-1184.

(3) Kimmel, p, 328.

(4) *Perpétuité de la foi*, t. III, col. 382.

(5) Palmieri, *Dositeo*, pp. 14-15.

(6) Kimmel, p. LXXVII, 425.

et complures archimandritae, hieromonachi, presbyteri, summatim 71 viri. Horum subscriptiones refert Aymon (1), qui tribus tabulis suo volumini adiectis, eas exhibet ad similitudinem autographi depictas. Concilium habitum est mense martio. Viri, qui ei interfuerant, suum nomen Actis apposuere die 16 martii. Testatur Dositheus Acta concilii una cum subscriptionibus transcripta fuisse in codice Patriarchatus die 20 maii eiusdem anni (2).

β') Acta concilii binis constant documentis, quorum prius audit, *Clypeus orthodoxae fidei*; alterum vero *Confessio fidei*. De hac fidei confessione in paragrapho, quae subsequitur, fusius disceptabimus. Illud graece ita inscribitur: *Ἀσπὶς ὀρθοδοξίας ἤ ἀπολογία καὶ ἔλεγχος πρὸς τοὺς διασύροντας τὴν ἀνατολικὴν Ἐκκλησίαν αἱρετικῶς φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ὡς καταφρονοῦσιν οὗτοι αὐτοὶ οἱ Καλουῖνοι δηλονότι, συντεθεῖσα παρὰ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τοπικῆς συνόδου, ἐπὶ Δοσιθέου Πατριάρχου Ἱεροσολύμων* (3). Marchio Nointel exemplar actorum Synodi misit ad Ludovicum XIV regem Galliae.

Haec eadem acta primum typis vulgata fuere Parisiis anno 1676 hocce titulo: « *Synodus bethlehemitica adversus calvinistas haereticos, orientalem Ecclesiam de Deo rebusque divinis haeretice cum ipsis sentire mentientes, pro reali potissimum praesentia anno 1672 sub Patriarcha Jerosolymorum Dositheo celebrata, interprete Domino M. F.* (Michael Foucqueret) O. S. B. (4). Haec prior editio recusa est Parisiis anno 1678 (5), insertaque est ab Harduino in *Actis Conciliorum* (6). Anno 1690 Dositheus ipse typis ea mandavit Bucharestii hocce titulo: *Ἐγχειρίδιον, ἔλεγχον τὴν καλβινικὴν φρενοβλάβειαν συκοφαντοῦσαν τὴν ἀνατολικὴν, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν, φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων ὡς αὐτοὶ οὗτοι, οἱ καλουΐνοι δηλονότι κακοφρονοῦσι, προβάλλοντες εἰς πίστιν δῆθεν τῶν λεγομένων αὐτοῖς, τὰ λεγόπενα Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως κεφάλαια*. Alteram partem haec editio constituit voluminis, quod continet opus Meletii Syrigi *Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, καὶ ἐρωτήσεων Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως, Ἀντίρρησις*. Cum huncce librum alibi descripsi (7), de eo satis habeo titulum heic retulisse. Hoc unum monendum puto, in praefatam editionem complures, et quidem maximi momenti correctiones

(1) Pp. 437-442.
(2) Ib., p. 446.
(3) Kimmel, p. 325.
(4) Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII siecle*, t. II, p. 336-337.
(5) Ib., t. V, pp. 115-116.
(6) T. XI, Parisiis, 1715, coll. 179-274.
(7) *Dositeo*, pp. 86-89.

invexisse Dositheum, praesertim in Cyrillo dijudicando, easque sedulo adnotasse conditores operis *La perpétuité de la foi* (1).

Clypeum fidei Aymon suae farragini monumentorum immiscuit, utque sibi mos erat, contumeliosis scurrilibusque verbis Dositheum eiusque socios lacessivit (2). Quaedam tantum excerpta edidit Schelstrate (3). Recentiori aevo eam vulgarunt Kimmelius (4), Mesoloras (5), Michalcescu (6).

Aymon multa invectus est in Dositheum, quem auctorem crepat documentorum ad synodum hierosolymitanam pertinentium (7). Nemini dubium est quin Dositheus ipse praecitata documenta conscripserit, solusne, an laboris socio adhibito, me fugit. Scriptores operis *La perpétuité de la foi*, semel atque iterum id testati sunt (8). Dositheus ea composuit tanquam praeses synodi, vel antequam synodus congregaretur, cum ea conscripsisset, proceribus suam in urbem convocatis ob dedicationem sanctuarii bethleemitici, legit, eosque rogavit ut sua approbatione haec documenta communirent. Quod tota synodus, vel plura ex eius membris, collatis viribus, eadem non composuerint, valorem symbolicum confessionis Dosithei, ac significationem historicam Clypei orthodoxae fidei non imminuit. In cunctis enim synodis contingit, ut scripta unius viri, quorum doctrina Patribus perplacet, ab eis ita approbentur, ut illud quod documentum erat individuale, per hancce approbationem synodicum evadat. Hoc idem de actis concilii hierosolymitani a Dositheo compositis asserendum est. Auctoritatem, quae documentis a synodis promulgatis tribuitur, eis vindicamus, tanquam consectarium subsequentis approbationis concilii. Paucis, Dositheus tam *Clypeum*, quam *Confessionem orthodoxae fidei*, ut privatus theologus conscripsit: utramque tamen sua sanctione synodus hierosolymitana ad fastigium documentorum synodalium, quae nomine cuiusdam Ecclesiae particularis promulgantur, evexit.

γ') *Clypeus fidei* invectivas in protestantes, et Cyrilli Lucareos apologiam complectitur. Ad sententiam Dosithei, Lutherus et Calvi-

(1) T. III, coll. 392-394.
(2) Pp. 263-442.
(3) Op. cit., t. II, pp. 651-652.
(4) Pp. 325-488.
(5) Pp. 55-129.
(6) Pp. 126-182.
(7) « Ce conciliabule n'est pas une confession de foi de l'Église de Jérusalem, ni des véritables Grecs des autres Églises de l'Orient, mais un écrit forgé clandestinement et frauduleusement par cet ex-patriarche ». P. 369.
(8) T. III, col. 382.

nus eidem haereticorum gregi accensendi sunt, quanquam non nihil inter eorum doctrinas videtur interesse (1). Dicteriis non parcit Dositheus in protestantibus refellendis eisque pudore afficiendis. « Cum enim ab occidentalibus iamiam recesserint, seque ab omni demum Ecclesia catholica procul fecerint, manifestissime sese probant haereticos, immo et haereticorum coryphaeos. Nam falsa atque inepta non modo dogmata, sui supra modum amantes, induxere, si tanta dogmata licet fabellas appellare: at etiam Ecclesiae prorsus extorres facti sunt, cum Ecclesia catholica, ut dictum est, nulla penitus communione coniuncti. Ac eorum quos suis seduxere fabulis, conversionem veluti pertimescentes, eo fraudis confugere, ut quod illi circa fidem sentiunt, hoc ipsum orientalem sentire Ecclesiam persuaderent » (2). Doctrina Calvini malitia appellatur, quae exitialem pestem hominibus comparavit, et Calvinus ipse, non secus ac Belial, cum christianorum coetu nil habet commune (3).

Sex deinde capitibus, Dositheus Cyrillum Lucarim a macula corruptae per suam Confessionem fidei, satagit purgare. Hancce confessionem appellat *τὸ μέγιστον ματαιολόγημα* asseclarum Calvini (4), quapropter statuit: 1) Orbem orthodoxum nunquam Cyrillum agnovisse ut fidei suae desertorem, ac nunquam *Confessionem* eius nomine vulgatam agnovisse: 2) Etiamsi huiusce Confessionis Cyrillus poneretur auctor, asserendum foret eam clanculum vulgatam fuisse, atque inter Orientales neminem suspicatum esse nefarium hoc facinus eum perpetrasse; 3 Hac de causa Confessio pseudo-cyrilliana Ecclesiae orientali non potest appingi tanquam expositio fidei orthodoxae; 4) Christianos orientales ea penitus latuit, ac si quis eam agnoverit, eique adhaerendum putaverit, dubitandum non est quin haec adhaesio sibi velit eum a fide maiorum descivisse; 5) Cyrillus tam alienus fuit ab assentiendo calvinianis placitis, ut saepe saepius in suis ad clerum et populum sermonibus (horum excerpta congerit Dositheus) contraria edisseruerit. Pro comperto igitur est Cyrilli Confessionem, veluti Confessionem Ecclesiae orientalis, falso et calumniose perhiberi. « Sicut albo nigrum contrarium, et lucis privatio tenebrae sunt, ita evangelicae veritati divinitus revelatae, quam Ecclesia tenet orientalis, non modo contrarie opponitur dicta Cyrilli Confessio, sed et privative (5) ».

(1) Kimmel, p 335.
(2) Ib., p. 330.
(3) Ib., p. 332.
(4) Kimmel, p. 338.
(5) Kimmel, p. 381.

Hisce in capitibus, conatur Dositheus suadere, infirmis nixus argumentis, cyrillianam Confessionem, Cyrilli non esse fetum, eo quod ipse iureiurando se eam composuisse strenue negaverit, doctrinamque in ea contentam reiecerit (1). Equidem verum est, inquit, binas synodos anathemate eum perculisse. Haec tamen gravissima poena ecclesiastica in eum illata non arguit hasce synodos Cyrillum tanquam auctorem famosae illius Confessionis agnovisse. Cyrillus enim culpa omnino non vacavit, cum sex annorum intervallo eam impugnare noluisset, ac silentium sibi indixisset. Hinc factum est ut maiori audacia haeretici Cyrillum calvinianis novitatibus mordicus adhaesisse creparent: « Cyrillus, etsi ignota sibi prorsus esse dicta capitula iurantem, eo dumtaxat quod ea scriptis impugnare renuit, duabus in synodis zelus orientalium ceu proditorem una cum capitulis anathematizavit (2) ».

δ' *Clypeum fidei*, qui *Acta* proprie dicta synodi hierosolymitanae exhibet, pro arbitratu partiumque studio alii alias iudicarunt. Veteres theologi protestantes enixis viribus in id incubuerunt, ut eum omni destituerent auctoritate, ac depravata inter documenta spuriaque abjicerent. Aymonius (3) et Spanheim (4) inflatis buccis hocce documentum vituperarunt, tanquam *κακόπλαστον* Dosithei, ac *λατινοφρόνων* qui ei adstipulati sunt. Idipsum igitur haud ex graeca fonte derivatum accepere, sed ex coenoso theologiae scholasticae Latinorum profluxisse praedicarunt. Kiesling Graecos insimulavit, auri sacra fame, puritatem fidei orthodoxae Latinis vendidisse, Nointelio emptore ». Difficilis non fuit opera haec a misellis Graecis extorquere documenta. Plerique enim e Patriarchis et episcopis hoc venenum iamiam in scholis romanis imbiberant, et ad hoc negotium feliciter conficiendum bene instructi adornatique erant. Alii vero ex Graecis, qui nomen suum huic synodo dabant, erant homines oppido indocti, et rerum sanctiorum expertes, quorum ignorantia egregie uti poterant curiae romanae oratores. Alii deniqne ex his viris erant pauperes, et aeris gallicani, ad sorditiem usque sitientes, quos nulla retinebat religio, si vel maxime totius Ecclesiae graecae periret salus (5).

(1) Kimmel, p. 395.

(2) Kimmel, p. 397.

(3) Op. cit., pp. 387; 396-97; 448-49.

(4) *De Ecclesiae graecae et orientalis a romana et papali in hunc diem perpetua dissensione adversus Abrahamum Ecchellensem, Petrum Arcudium, Leonem Allatium et nuperos ὁμοψήφους, Opera*, t. II, Lugduni Batavorum, 1703, pp. 515-16.

(5) Op. cit., p. 312.

Audaciam harum calumniarum iam retuderunt scriptores operis *La perpétuité de la foi* (1). Potiusquam in latinos theologos oblatrarent, eisque corruptae fidei orientalis per synodum hierosolymitanam notam inurerent, opus fuisset theologis luteranis antiquioris oevi ostendere doctrinam, quam haec synodus confirmavit, ex adverso stare veteris Ecclesiae graecae traditioni, vel a recentiore Ecclesia graeca censoria virgula signatam, vel authenticis graecae Ecclesiae documentis reprobatam. Fatendum tamen est, hasce calumnias perperam editas in vulgus tempestate illa, qua de transsubstantiatione tam latini quam lutherani theologi acerrime digladiati sunt in praesentiarum scriptores ipsos protestantes stomachari. Audiatur prae ceteris Kimmelius: « Concedimus Aymonio Dositheum aliosque Ecclesiae graecae tunc temporis principes arcta fuisse cum gallico legato et aliis magnae gratiae et dignitatis viris, Romanam fidem sectantibus, familiaritate coniunctos, quorum fortasse auctoritate et ipsa synodus convocata est. Nec vero ii mihi videntur fuisse, qui, ut Romanorum plausum reportarent, de suae Ecclesiae placitis, nedum de eius fundamento quidquam detrahi paterentur. Si Graeci a Romanis argumenta formasque argumentorum rationes ac causas mutuati sunt nonnullas, ut suam fidem tutarentur, suam doctrinam magis probabilem vel plausibilem redderent, non a pristina fide, non a patrum doctrina descivisse putandi sunt, sed in ea exponenda tuendaque esse progressi. Quare synodum, de qua quaerimus, non pro sacrorum desertionis atque infidelitatis signo habenda est; sed processum ad rectiorem et subtiliorem suarum rerum descriptionem fecisse Graecos agnoscimus (2) ».

Scriptores quidam orthodoxi momentum Clypei fidei, eiusque valorem symbolicum nimis exaggerant. « In provincia theologiae symbolicae, iuxta Mesolaram, maxima est dignitas, maximus est valor Actorum synodi hierosolymitanae, quibus falsi rumores adversus fidem orthodoxam dissipati sunt, haereses damnatae fuere, et clarius luce meridiana patuit, Ecclesiam orientalem medium iter persequi, regiam viam indesinenter tenere, quin dextrorsum vel sinistrorsum flectat,

(1) « Il aurait fallu montrer que ces documents ne s'accordent point avec la créance ancienne et présente de l'Église grecque, qu'ils ont été dressés par des personnes suspectes de collusion avec les Latins; que les formes n'ont pas été observées; que dans la suite ces décrets ont été désavoués, ou condamnés; que ceux qui les ont dressés ont été accusés comme novateurs; enfin, il aurait fallu qu'il paraisse quelque acte contraire qui détruise ceux de 1672, et qui contienne une exposition de foi toute différente, et généralement approuvée dans l'Église grecque ». — T. III, p. 382.

(2) Pp. LXXXVIII-XC.

mordicus adhaerere doctrinae Servatoris nostri, prout ab Apostolis ipsa enucleata fuit et determinata per formulas ac definitiones ab Ecclesia una, sancta, catholica, quas affiante Spiritu Sancto in Conciliis oecumenicis coacta, de rebus fidei concinnavit. Acta synodi hierosolymitanae praecipua capita controversiarum fidei attingunt, in eis quae suis dubiis haeretici insperserunt, ac paucis verbis, sed fortiter, in suis decisionibus spiritum veteris Ecclesiae doctrinasque imprimit, easdemque comparat cum sententiis catholicorum occidentalium ac protestantium, qui in plurimis *litteram* et *spiritum* Sacrae Scripturae veterisque traditionis ecclesiasticae depravarunt, atque istis sententias orthodoxas opponit » (1). Haud secus sentit Alexander Gorsky: « Momentum dogmaticarum definitionum, quas haecce synodus concinnavit, totaque Ecclesia orthodoxa recepit, valorem symbolicum apud orthodoxos eis vindicat, atque in concertationibus cum duobus coetibus christianis, qui potiores habentur, plurimis in rebus ab antiquis conciliis nullo subiectis examini, quid nobis sentiendum statuit (2) ».

Haec vere fortasse dici queunt de Confessione Dosithei, Actis inserta; ad *Clypeum fidei* tamen ea nullimode referri, mea quidem est sententia. Hocce enim in documento pars apologetica polemicis invectivis interseritur. Pars apologetica in id exclusive tendit ut Cyrillum Lucarim calviniana haeresi non fuisse infectum suadeat, integrumque fidei decus supremis rectoribus sedis constantinopolitanae vin-

(1) *Ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις σύνοδος καὶ τὰ ταύτης πρακτικὰ ἔχουσι μεγίστην ἀξίαν καὶ σημασίαν διὰ τὴν Συμβολικήν, διότι διὰ τούτων ἐτέθη τέρμα εἰς τὰς ψευδεῖς διαδόσεις, κατεκρίθησαν αἱ αἱρέσεις, καὶ ἀπεδείχθη ὅτι ἡ ἑλληνικὴ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία τὴν μέσην ὁδόν, τὴν καὶ βασιλικήν, διαφυλάττουσα ἀπαραμειώτως, οὔτε πρὸς τὰ δεξιὰ οὔτε πρὸς τὰ ἀριστερὰ ἀποκλίνουσα, ἔχεται ἐρρωμένως τὴν τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίαν, ὡς αὕτη ἀνεπτύχθη ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ διετυπώθη ἐν ὅροις καὶ δόγμασιν ὑπὸ τῆς μιᾶς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας, ἐν πνεύματι ἁγίῳ συνερχομένης καὶ δογματιζούσης ἐν οἰκουμενικαῖς συνόδοις. Τὰ πρακτικὰ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις συνόδοις ἅπτοντες πάντων τῶν κυριωτάτων θρησκευτικῶν ζητημάτων, ἐν οἷς ἀμφιβολία τις εἶχεν ἐγερθῆ παρὰ τοῖς ἑτεροδόξοις, καὶ διατυποῦσι συντόμως ἐν ὅροις ἐκκλησιαστικοῖς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀρχαίας Ἐκκλησίας ἐν σχέσει συγκριτικῇ καὶ ἀντιθετικῇ πρὸς τὰς δοξασίας τῶν δυτικῶν καὶ τῶν διαμαρτυρομένων, τῶν διαστρεψάντων ἐν τοῖς πλείστοις τό τε γράμμα καὶ τὸ πνεῦμα τῆς τε Γραφῆς καὶ τῆς ἀρχαίας ἐκκλησιαστικῆς παραδόσεως.* — Pp. 48-49.

(2) Важность догматическихъ опредѣленій, этимъ соборомъ постановленныхъ и всею восточною Церковію признанныхъ, даетъ имъ въ Церкви православной значеніе символическое, и въ спорѣ съ двумя главнѣйшими вѣроисповѣданіями въ христіанствѣ устаѣновлаетъ наши отношенія къ ихъ ученіямъ по многимъ пунктамъ, которыхъ древніе вселенскіе соборы не касались въ своихъ разсужденіяхъ. — Loc. cit., p. 568.

dicet. Itaque, a veritate alienum non est asserere cum Gassio, Dositheum heic patriarcatus Const. apologiam exarasse, cui non parum ignominiae defectio Cyrilli Lucareos a fide orthodoxa attulerat (1). In *Actis* ergo praefatae Synodi causidicum egit Dositheus, potiusquam theologum; historicam disquisitionem instituit, quae ne hilum quidem ad theologiam symbolicam pertinet, cuius munus in fidei doctrina perspicue concinnanda reponitur. Iuxta principia theologiae orthodoxae, Antistites constant. aeque ac ceteri totius orbis orthodoxi episcopi, falli et fallere queunt. Nil igitur fidei interest Cyrillum fuisse haereticum necne. Historice quaestio pervestiganda est, eamque in libris symbolicis pertractandam usurpare, idem esset ac finem horum librorum naturamque vel ignorare, vel pervertere.

Adde quod propositum sibi munus statuendi Cyrillum a culpa corruptae fidei remotum fuisse, exitu haud secundo Dositheus absolvit. Tumido prooemio universis ubique terrarum orthodoxis clamat sedem oecumenicam veneni calviniani ne guttulam quidem hausisse. Semel tamen atque iterum aequitatis causae, cuius patrocinium arripuit, haud satis convictum sese praebet. Apertis verbis non audet asserere a labe calviniana Cyrillum immunem extitisse, neque argumentis utitur, quibus accusationes in eum illatas discutiat. « Si Cyrillus, ait, Patriarcha oecumenicus cum esset, certe ac vere haereticus fuerit, ipseque decantata capitula composuerit, et alia quidem palam docuerit, alia vero corde crediderit; contra Orientalem Ecclesiam, Spiritus Sancti nunquam non praesidio circumvallatam, nequaquam ille scripsit aut credidit, sed contra propriam conscientiam » (2). Haeret igitur Dositheus in tuenda memoria Cyrilli Lucareos. Durioribus adhuc verbis in Capite V Cyrillum obiurgat, quem habet uti peccatorem, et talem utique, quem ob illata Ecclesiae mala non levis apud Deum poena maneat: « Nunc autem auctorem impietatis factum, nedum non ut sanctum, sed miserum agnoscimus, atque omnis cum Christo partecipationis extorrem » (3).

(1) « Die ganze diplomatisch geschraubte unredliche Demonstration, beabsichtigt Ehrenrettung des Patriarchats und gleichzeitig Verdammung, der unter seinem Namen bekannt gewordenen Symbolschrift ». — Pp. 80-81.

(2) *Εἰ γάρ, ὡς εἴρηται, Κύριλλος οὗτος ὁ ποτὲ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, βεβαίως καὶ ἀληθῶς αἱρετικὸς ἦν, κἀκεῖνος συνέγραψε τὰ θρυλλούμενα κεφάλαια, καὶ ἄλλα μὲν ἐδίδασκε δημοσίως, ἄλλα μὲν ἐδίδασκε δημοσίως, ἄλλα δὲ ἐπίστευε τῇ καρδίᾳ, κατὰ τῆς ἰδίας συνειδήσεως ἔγραψε καὶ ἐπίστευσεν, οὐ κατὰ τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, ἣν περιέπει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.* — P. 379.

(3) Kimmel, p. 398.

Excerpta autem homiliarum Cyrilli, quibus praecipue innititur Dositheus ad labe calviniana eum purgandum, ut Gass rite animadvertit, non merent, ut eis plena fides adhibeatur. Authenticitas enim eorum incerta est, ac si etiam omne dubium removeret, cum nos lateat quonam suae vitae tempore Cyrillus eas scripserit, objici semper potest Cyrillum eas composuisse, priusquam calvinianis laqueis irretiretur. Veritati igitur consonum est, quod sine verborum ambagibus, ait Lebedev : « Textus Actorum saepe saepius ostendit, synodum hierosolymitanam, quae Cyrillum dealbare aggressa est, vix ac ne vix dimidium facti habuisse. Haud raro Acta Concilii in animum hancce persuasionem inducunt, auctoritatis Ecclesiasticae patrocinium Cyrillum non mereri. Graeci quidem deperiunt gloriam intaminatae fidei orthodoxae: historia tamen laudatoribus sui ipsius non commodat aures, neque eis de seipsis gloriantibus morem gerit » (1).

Praeter apologiam Cyrilli Lucareos, continet *Clypeus fidei* invectivas in protestantes. Pauca de doctrina fidei orthodoxae in eis quae lutheranis placitis repugnant. Dositheus in prooemio Actorum enucleat, quae tamen stylum et colorem polemicum praeseferunt. Statuimus autem superius theologiam polemicam provinciam theologiae symbolicae non invadere ». Libri symbolici, ait quidam theologus russus, sensu strictiori in theologia nominantur pubblicae Confessiones fidei, scripto aliquo, nomine totius Ecclesiae, propositae, quibus definitur atque docetur quid Ecclesia de dogmatibus divinis sentiat, quove differt ab haereticorum sententiis » (2). Hasce notas non praestat *Clypeus fidei orthodoxae.* Sex capita in quae distribuitur, cyrillianae Confessionis examen historicum instituunt, ac prooemium invectiva est in lutheranos et calvinianos. Desunt igitur huic documento dotes illae, quas necessarias ducimus, ut scriptio aliqua, synodali sanctione vel communita, inter documenta symbolica recenseatur. Quo fit, ut valorem historicum tantum ei vindicemus: haud enim parum inservit theologicis inter Graecos et Lutheranos concertationibus enarrandis.

(1) Шекстъ актовъ во/многихъ случаяхъ даетъ возможность открывать, что, хотя соборъ имѣлъ цѣлію пообѣлить Кирилла, но онъ сдѣлалъ это лишь на половину. Во многихъ мѣстахъ разсматриваемыхъ Актовъ слышится очень явная неувѣренность въ томъ, что Кириллъ заслуживаетъ защиты и покровительства со стороны церковнаго авторитета ... Вообще Греки слишкомъ любятъ тщеславиться своимъ православіемъ. Но исторія съ своими задачами стоитъ выше всякихъ претензій и мелкаго самолюбія. — Pp. 59-60. Богословская Энциклопедія, t. X, Petropoli, 1909, coll. 329-884.

(2) *Theses theologicae e doctrina de principiis theologiae revelatae excerptae,* Petropoli, 1804, n. I.

Id tamen librorum symbolicorum Ecclesiae orientalis elencho adnectere, tam character polemicus, quam doctrinae inopia, definitionumque ad fidem spectantium, non sinunt.

8. Excusso *clypeo fidei orthodoxae*, gradum facimus ad praeclaram illam *Confessionem fidei* pervestigandam, quam Dositheus actis synodi hierosolymitanae, velut complementum, adnexuit. Tota vis symbolica praefatae synodi, ut reor, in Confessione Dosithei latet, cuius momentum in theologia orthodoxa iure meritoque supremum habetur. Catholicis autem theologis huiusce Confessionis studium quam maxume gratum est atque iucundum. Etenim, ea in lucem edita, prostrata iacuit humi calviniana haeresis, quae per dolum atque insidias inter orthodoxos serpere iam ceperat, uberiores pedetentim fructus perceptura, nisi praesules graeci, sua surripientes arma ex latinis panopliis, eam depulissent. Quae res luce clarius meridiana pandit, aetate illa ad ingruentes adversus fidem errores explodendos, graecos theologos, inermes sese praebuisse, ac victoriam sibi tantum arrisisse, cum ex thesauris catholicae theologiae copiose hauserint.

De Confessione Dosithei iam iam dicturi, nobis inquirendum est: *α′*) *Quaenam sit doctrina in ea contenta*; *β′*) *Quaenam recenseantur eius editiones ac versiones*; *γ′*) *Quemnam influxum exercuerit latina theologia in graecum scriptorem, qui eam exarandam curavit*: *δ′*) *Quinam eius sit valor symbolicus.*

α′) Confessio Dosithei graece inscribitur: *Δοσίθεος ἐλέῳ Θεοῦ Πατριάρχης Ἱεροσολύμων τοῖς ἐρωτῶσι καὶ πυνθανομένοις περὶ τῆς πίστεως καὶ θρησκείας τῶν Γραικῶν ἤτοι τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, πῶς δηλονότι περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως φρονεῖ, ἐν ὀνόματι κοινῶς τῶν ὑποκειμένων τῷ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῷ θρόνῳ Χριστιανῶν ἁπάντων καὶ τῶν ἐπιδημούντων τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ μεγάλῃ πόλει Ἱερουσαλήμ ὀρθοδόξων προσκυνητῶν (οἷς πᾶσα ἐν τοῖς περὶ πίστεως ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία συνᾴδει), ἐκδίδωσι σύντομον ὁμολογίαν ταύτην εἰς μαρτύριον πρὸς τε Θεοῦ πρός τε ἀνθρώπων εἰλικρινεῖ συνειδήσει, οὐδεμιᾶς ἄνευ προσποιήσεως* (1).

Ipsa refragatur Confessioni Cyrilli Lucareos, quam acriter instanterque refellit, totidem adhibitis capitibus ac responsionibus, quot in illa reperiuntur. Ut clarior omnium oculis obversetur maxima discrepantia quae inter calviniana placita fidemque orthodoxam habetur, Dositheus, qui Confessionis ei tributae perhibetur auctor, ipsissimis verbis locutionibusque confessionis Cyrillianae utitur eandemque usurpat rationem sententias expromendi enucleandique. Conficitur inde,

(1) Kimmel, p. 425.

binas confessiones, quae si utriusque spectes placita, toto coelo differunt, in rerum ordine complexuque, arctissima quadam cognatione devinciri, faciemque simillimam praeseferre. Praesertim capitulum septimum Confessionis Cyrillianae, paucis tantum superadditis, in suam Confessionem Dositheus retulit, ut apposita heic tabella luculenter prodit.

Confessio Cyrilli	Confessio Dosithei
Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κένωσιν ὑποστῆναι, τουτ' ἔστιν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα προσειληφέναι, ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀεὶ παρθένου Μαρίας συλληφθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, γεννηθέντα, παθόντα, ταφέντα, καὶ ἀναστάντα ἐν δόξῃ, σωτηρίαν πᾶσι τοῖς πιστοῖς καὶ δόξαν προξενήσαι. Ὃν καὶ προσδοκῶμεν ἐλευσόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς.	*Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ Ἰησοῦν Χριστὸν κένωσιν ὑποστῆναι, τοῦτ' ἔστιν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα προσειληφέναι ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας συλληφθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, γεννηθέντα χωρὶς τοῦ δοῦναι πόνον ἢ ὠδῖνας τῇ ἰδίᾳ κατὰ σάρκα μητρὶ ἢ τὴν παρθενίαν αὐτῆς διασεῖσαι, παθόντα, ταφέντα ἀναστάντα ἐν δόξῃ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς Γραφὰς ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός, ὃν καὶ προσδοκῶμεν ἐλευσόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς.*

Duodeviginti capitula, in qua Dositheï Confessio distribuitur, ὅροι (decreta, decisiones) vocantur. Primus ὅρος eadem fere repetit ac Cyrillus in primo capitulo suae Confessionis (1). At in secundo, doctrinam Ecclesiae orthodoxae, quae maxime consona est theologiae catholicae, disertis verbis ad subruendam ex imo calvinianam haeresim, enucleat Dositheus. Ponit enim Sacram Scripturam a Deo traditam esse, eique propterea, non quidem ut lubuerit, sed secundum Ecclesiae catholicae traditionem et interpretationem adhibendam esse fidem omni dubitatione maiorem (2). Consequitur inde, catholicae Ecclesiae auctoritatem haud quidem minorem esse Sacrarum Scripturarum auctoritate. Perspicue deinceps accurateque doctrinam de concordia inter divinam praedestinationem ac liberum arbitrium, quam haeretici caeca involvunt caligine, Dositheus explanat, Deumque hominibus *velle* non auferre declarat (3), neque malorum intentatorem haberi (3): peccatum

(1) Synopsim confessionis Dositheï compararunt Kimmelius, pp. LXXXIII-VII, et Mesoloras, pp. 91-99.

(2) *Πιστεύομεν τὴν θείαν καὶ ἱερὰν γραφὴν εἶναι θεοδίδακτον, καὶ διὰ τοῦτο ταύτῃ ἀδιστάκτως πιστεύειν ὀφείλομεν, οὐκ ἄλλως μέντοι ἀλλ' ἢ ὡς ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ταύτην ἡρμήνευσε καὶ παρέδωκεν.* — Kimmel, p. 426.

(3) Kimmel, p. 429.

(4) Ib., p. 430.

non a Deo esse, sed ab homine vel a diabolo (ὅρος IV); Deum mala permittere ac praescire, quin eorum dicendus sit provisor vel opifex (V); peccatum originale in omnem Adami posteritatem profluxisse, fructusque sibi proprios labores, aerumnas, corporis infirmitatem, discrimina vitae, mortemque habere (VI); Iesum Christum solum apud Deum esse mediatorem, intercessores vero Beatissimam Virginem, Angelos et Sanctos (VIII); sine fide, quae per charitatem operatur, scilicet quae divinorum praeceptorum observationem includit, neminem aeternam consequi salutem (IX). In decreto X, contento poplite dimicat Dositheus pro tuenda catholicae Ecclesiae hierarchia, quae sine dignitate episcopali consistere nequit. « Non secus atque homini respiratio necessaria est, ac mundo sol, ita et necessarius Ecclesiae videtur episcopatus »(1). De supremo hierarchiae gradu fuse disserit Dositheus, ex Patribusque latinis suorum argumentorum confirmationem mutuatur, ac perbelle docet episcopalem dignitatem cum presbyteratus ordine miscendam non esse, ac diversis plane ab eo muneribus officiisque instrui.

Decretum XI, quid membrorum Ecclesiae nomine veniat, dilucide exponit, Ecclesiamque, quae catholica est, per Spiritum Sanctum edoceri subinde affirmat (XII), haud tamen immediate, ut haeretici effutiunt, sed per sanctos Patres, ac praepositos a Deo electos (2), quorum magisterium regulis conciliorum oecumenicorum innititur. In decreto XIII, vindicatur bonorum operum necessitas, ut fides ad iustificandum valeat (3). Hocce autem principio statuto, gradum facit Dositheus ad probandum per lapsum originalem hominem non ita corruptum fuisse, ut quidquid boni agat in ordine naturali, malum censeatur (XIV). Septem sacramenta in Ecclesia ex testimonio Evangeliorum statuuntur in decreto XV, eaque Dositheus describit, edisseritque quomodo administrari debeant, et quosnam effectus in anima producant. Fusiori calamo de baptismate atque eucharistia quid orthodoxa sentiat Ecclesia, determinat, ac praesertim, theologiae catholicae subsidio usus, transsubstantiationem eucharisticam definit atque illustrat. Verbum ipsum transsubstantiationis Dositheus usurpat, ad significandum panem et vinum, facta consecratione, vere, realiter, ac substantialiter, in corpus et

(1) *Αὐτοῦ τὸ ἀναγκαῖον ἐννοοῦμεν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ὡς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὴν καὶ ἐν τῷ κόσμῳ τὸν ἥλιον.* — Kimmel, p. 438.

(2) *Ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος διδαχὴ οὐκ ἀμέσως ἀλλὰ διὰ τῶν ἁγίων Πατέρων καὶ καθηγεμόνων τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καταγλαΐζει τὴν Ἐκκλησίαν.* — P. 444.

(3) *Πιστεύομεν οὐ διὰ πίστεως ἁπλῶς μόνης δικαιοῦσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ διὰ πίστεως καὶ ἐνεργουμένης διὰ τῆς ἀγάπης, ταὐτὸν εἰπεῖν, διὰ τῆς πίστεως καὶ τῶν ἔργων.* — P. 445.

sanguinem Domini converti (1). In capite XVIII aperte tradit doctrinam catholicam de purgatorio, quamvis nomen ipsum purgatorii rejiciat. Ait enim: « Eorum, qui peccatis impliciti, non in desperatione defuncti sunt, sed quod adhuc superstites poenituit, at nullum fecerunt poenitentiae fructum, lacrymas videlicet effundendo, genibus flexis in orationibus vigilando, semet ipsos afflictando, pauperes recreando, suam denique tum in Deum, quum in proximum charitatem operibus demonstrando, quae et catholica Ecclesia recte ab initio satisfactiones appellavit, horum, inquam, ipsorum animas credimus ad inferos abire, ibique iustas pro iis, quae commisere, peccatis poenas sustinere, at suae tamen exhinc futurae liberationis esse conscias et ab summa bonitate per sacerdotum orationes et eleemosynas, quas pro defunctis eorum propinqui faciunt, liberari. Ad hoc vero potissime valet incruentum Missae sacrificium, quod peculiariter singuli pro consanguineis defunctis, catholica vero et apostolica Ecclesia quotidie pro omnibus communiter facit. Porro liberationis huiusmodi notum nobis esse tempus nequaquam dicimus; tales enim solvi quidem poenis, idque ante resurrectionem et universale iudicium et scimus et credimus; id vero, quando fiat, ignoramus » (2). Per transennam adnotamus, hocce decretum, tanquam gorgoneum caput, uno agmine facto, tum theologos lutheranos et calvinianos, quum scriptores orthodoxos catholicae infestissimos Ecclesiae, quam maxume detestari atque aversari.

Quia sequuntur quaestiones ac solutiones, adeo arcta cum catholica doctrina cognatione continentur, ut eas catholicum virum auctorem vel inspiratorem habuisse probe diceres. Tenet enim Dositheus. Sacram Scripturam utilem quidem ac necessariam esse, eamque tamen omni-

(1) Pp. 461-62.

(2) *Τοὺς δὲ συμφθαρέντας θανασίμοις πλημμελήμασι καὶ μὴ ἐν ἀπογνώσει ἀποδημήσαντας, ἀλλὰ μετανοήσαντας μέν, ἔτι περιόντας ἐν τῷ μετὰ σώματος βίῳ, μὴ ποιήσαντας δὲ οὐδοτιοῦν καρπόν μετανοίας — ἐκχέαι δάκρυα δηλονότι καὶ γονυπετῆσαι ἐν γρηγορήσει προσευχῶν, θλιβῆναι, πτωχοὺς παραμυθῆσαι, καὶ τέλος ἐν ἔργοις τὴν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν πλησίον ἀγάπην ἐπιδεῖξαι, ἃ καὶ ἱκανοποίησιν καλῶς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἀπ' ἀρχῆς ὠνόμασε — τούτων καὶ αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἀπέρχεσθαι εἰς ᾅδου καὶ ὑπομένειν τῶν ἕνεκα ὧν εἰργάσαντο ἁμαρτημάτων ποινήν· εἶναι δ' ἐν συναισθήσει τῆς ἐκεῖθεν ἀπαλλαγῆς, ἐλευθεροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἀγαθότητος διὰ τῆς δεήσεως τῶν ἱερέων καὶ εὐποιΐων, ἃ τῶν ἀποιχομένων ἕνεκα οἱ ἑκάστου συγγενεῖς ἀποτελοῦσι· μεγάλα δυναμένης μάλιστα τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἣν ἰδίως ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων συγγενῶν ἕκαστος καὶ κοινῶς ὑπὲρ πάντων ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ὁσημέραι ποιεῖ ἐκκλησία· ἐννοουμένου μέντοι καὶ τούτου τοῦ μὴ εἰδέναι ἡμᾶς δηλαδὴ τὸν καιρὸν τῆς ἀπαλλαγῆς. Ὅτι γάρ γίνεται ἐλευθερία τῶν τοιούτων, ἀπὸ τῶν δεινῶν καὶ πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστάσεώς τε καὶ κρίσεως οἴδαμεν καὶ πιστεύομεν· πότε δέ, ἀγνοοῦμεν.* — Kimmel, pp. 463-464.

bus haud legendam (*Quaestio I*). Etenim, non omnibus est perspicua, quo fit ut doctissimorum ac sanctissimorum hominum explicationibus indigeat (*Q. II*) Libros autem Scripturae Sacrae, quos *malitiose* haeretici apocryphos appellant, germanos inter libros eiusdem Scripturae percensendos tuetur Dositheus. In postrema quaestione sacrarum imaginum sanctorumque cultus, orationes ad Deum, monachalis vita, ieiunia denique, a calumniis Cyrilli sectaeque calvinianae vindicantur.

Haec omnia quae in sua Confessione explanat, statuta fuisse admonet Dositheus, ut mendacium evertatur quod in pernicien ignominiamque fidei orthodoxae calviniani novatores excogitarunt. Illud mendacium, quamvis perdocti scriptores graeci, Hieremias Patriarcha, Georgius Coresius, Gabriel Severus, Gregorius Chius, Iohannes Nathanael, Meletius Syrigus, Theophanes Hierosolymitanus detexerint, authenticis graece Ecclesiae documentis explodere visum est, ut protestantium audacia obtunderetur.

Stylo polemico Dositheus utitur in decretis concinnandis, quibus suae Ecclesiae doctrinam coarctat. Haud raro protestantes increpat, obiurgat, asperrimisque verbis lacessit. Eos enim scelestissimos haereticos (*παμμιάρους αἱρετικούς*) appellitat, cunctisque infidelibus peiores (*χείρους πάντων ἀπίστων*), indoctos (*ἀμαθεῖς*), miserrimos (*ἀθλίους*), sacrilegos (*βεβήλους*), homunciones (*ἀνθρωπίσκους*), nugatores ac novitatum artifices (*κενοφώνους*), circulatores (*τερατοποιούς*), qui blasphemias in Deum sanctosque continenter evomunt (*λαλοῦντας ἄδικα κατὰ τοῦ Θεοῦ καὶ βλάσφημα κατὰ τῶν ἁγίων*) (1). Placita vero, quibus assentiuntur, sacrilega sunt, abominanda (*βέβηλα καὶ ἄνοστα*), calumniae in Deum (*συκοφαντίαι κατὰ τοῦ Θεοῦ*), iniquae blasphemiae contra divinam altitudinem (*ἀδικίαι καὶ βλασφημίαι εἰς τὸ ὕψος τοῦ Θεοῦ*), novitates (*νεωτερισμοί*), nugae (*κενοφωνίαι*), sophismata et inventa diaboli (*διαβόλου σοφίσματα καὶ ἐφευρήματα*), ineptiae ridiculae (*γελοῖα*) (2).

Nil mirum igitur si protestantes, spe amissa in suas sententias graecam Ecclesiam pertrahendi, Dositheum immiti animo adorti sint, eumque contumeliorum plaustris obruerint, ac penes latinos ipsummet sua mereri stipendia insimularint.

β') Confessio Dosithei editionibus Actorum synodi hierosolymitanae inserta est, varia tamen discrimina passa, quae *Clypeus fidei* non tulit. Dositheus ipse, cum persensisset nimium latinis theologis addictum sese praebuisse, quaedam suae Confessionis capita immutavit vel emen-

(1) Kimmel, pp. 429, 430, 457, 480, 485.
(2) Ib., pp. 429, 430, 462, 479, 480, 485.

davit, in volumine quod eius cura et studio, adversus Calvinianos, lucem aspexit Bucharestii, anno 1690. Testatus enim est, se in errorem incidisse, cum doctrinam orthodoxam de statu animarum in altera vita concinnaret, quapropter, sui ipsius corrector effectus, fusius atque accuratius decretum XVIII enucleavit (1).

Insuper, cum praesentiam realem Iesu Christi in Sacramento altari vindicaret, uberrima locorum segete ex sanctis Patribus collecta, suam sententiam munitissimo tanquam vallo circumsepsit, ut cuniculos calvinianis novitatibus obstrueret, maiorique nisu, bonorum operum naturalium insufficientiam ad salutem aeternam hominibus comparandam, in decreto XIV tuitus est (2).

Mense septembri 1723 orientales Patriarchae Hieremias III Constantinopolitanus (1716-26; 1732-33), Athanasius Antiochenus (1686-1724), et Chrysanthus hierosolymitanus (1707-1731) epistolam miserunt ad episcopos iniuratos (*non-iurors*) Britanniae (3), qui, occasione arrepta ex itinere Arsenii, metropolitae Thebaidos in Angliam, omnem lapidem moverunt, ut foedus cum Ecclesiis orthodoxis pangerent (4). Annotasse iuvat hocce negotium anglicanis male cessisse, non secus ac lutheranis saeculo XVII. Sua in responsione, patriarchae, quorum nomina percensuimus, declarant dogmata et cogitata Ecclesiae orientalis, iamdudum a conciliis oecumenicis excussa fuisse, definita et constituta, eisque aliquid addere, vel ab eis detrahere haud licere, ideoque unionis ineundae cum Ecclesia orthodoxa cupidis onus incumbere iis adhaerendi ac parendi, quae in conciliis oecumenicis Patres statuerunt (5) ... Ad pleniorem tamen et certissimam eorum persuasionem, Patriarchae (hortatu praesertim, ut reor, Chrysanthi Hierosolymitani, Dositheo avunculo addictissimi) anglicanis mittunt uberrimam expositionem orthodoxae fidei Ecclesiae Orientalis, « quemadmodum continetur in Actis Synodi vulgo dictae Hierosolymitanae, quae anno 1672 accurata consideratione

(1) *Χρὴ εἰδέναι ὅτι ἐν τῷ ἐγχειριδίῳ τῷ ἐπιγραφομένῳ τῆς ἐν Βηθλεὲμ συνόδου, ἡμαρτημένως εἰπὼν ὁ συγγραφεὺς περὶ τοῦ κεφαλαίου τούτου τοῦ ιη' ἤδη ἐπιδιορθούμενος ἑαυτὸν εἰς πλάτος ἐξήνεγκεν αὐτὸ, εἰπὼν πάντα τὰ ἀναγκαῖα περὶ αὐτοῦ.* — *Ἐγχειρίδιον*, etc., p. 82; Palmieri, *Dositeo*, pp. 88-89; Gorsky, loc. cit., p. 618.

(2) Gorsky, pp. 617-618.

(3) De hisce episcopis disserit L. Petit, apud Mansi, t. XXXXVII, coll. 372-373.

(4) Howard, *The schism between the oriental and western Churches*, Londini. 1892, pp. 100-107; Hore, *Eighteen centuries of the orthodox greek Church*, Londini, 1899, pp. 594-612.

(5) Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 542.

coacta est. Ex hac expositione certissime nosci potest atque hauriri fides Ecclesiae orientalis » (1).

Una cum hisce litteris, iidem Patriarchae epistolam miserunt ad synodum russicam, adiecta Confessione Dosithei. « Misimus, scribunt, expositionem ac sententiam rectae fidei nostrae et apostolicae orientalis Christi Ecclesiae, quae expositio accuratum simul est responsum cunctis propositis quae ab illis (episcopis Britanniae) afferuntur, nec quicquam aliud praeter eam habemus, quod dicamus et respondeamus » (2).

Textus Confessionis Dosithei quam Patriarchae orientales ad episcopos Britanniae exhibuere, textui editionis parisiensis Actorum synodi hierosolymitanae conformatur, omissis epilogo, et parte polemica quaestionis IV a verbis *Προστίθησι δὲ τοῖς εἰρημένης* usque ad finem (3). Praeter recensitos patriarchas, novem episcopi graeci, quorum nomina in Actis Conciliorum referuntur (4), hisce litteris subscripserunt.

Anno 1691 discipuli Ioannicii ac Sophronii ex genere Likhudorum (*Λειχοῦδαι*), qui studiis theologicis ac philosophicis in Russia inclaruere, ac Mosquae academiam graeco-slavicam condidere, Acta synodi hierosolymitanae una cum Confessione, prout habetur in *Enchiridio* Dosithei (1690), ex graeco idiomate in russicum verterunt. Interpretum nomina haec sunt: Ioseph Athanasiev, Alexius Kirillovitch Barsov, Nicolaus Semenov, Theodorus Polikarpov, Theodotus Aggeev et monachus Iob (5). Huiusce versionis exemplar in bibliotheca synodali mosquensi asservatur (6). Anno 1728 novam versionem ex textu edi-

(1) *Εἰς πληρεστέραν δὲ καὶ ἀναντίῤῥητον πληροφορίαν, ἰδοὺ πέμπομεν ὑμῖν πλατυτέρως τὴν ἔκθεσιν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆ ἀνατολικῆς ἡμῶν Ἐκκλησίας, καθὼς περιέχεται ἐν τῇ πρὸ χρόνων ἱκανῶν γενομένῃ μετὰ σκέψεως ἀκριβοῦς συνόδῳ ἱεροσολυμιτικῇ λεγομένῃ κατὰ τὸ ͵αχοβ′ ἔτος τὸ σωτήριον .... Ἐντεῦθεν ἔχεται γνῶναι καὶ καταλαβεῖν ἀδιστάκτως τὸ ἡμέτερον τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς καὶ ὀρθόδοξον φρόνημα.* — Ib., coll. 542-543.

(2) *Πέμπομεν τὴν ἔκθεσιν καὶ τὸ φρόνημα τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς καθ' ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ ἁγίας καὶ καθολικῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, ἥτις ἔκθεσίς ἐστι καὶ ἀπόκρισις ἀκριβὴς πρὸς πάσας τὰς προτάσεις τῶν ὑπ' ἐκείνων προβαλλομένων, καὶ ἐκτὸς ταύτης οὐδὲν ἄλλο ἔχομεν εἰπεῖν καὶ ἀποκριθῆναι.* — Ib., col. 537.

(3) Kimmel, pp. 480-487.

(4) Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 577-579.

(5) Smentzovsky, Братья Лихуды: опытъ изслѣдованія изъ исторіи церковнаго просвѣщенія и церковной жизни конца XVII и начала XVIII вѣковъ (*Fratres Likhudy: specimen investigationum circa historiam culturae vitaeque ecclesiasticae ad finem vergente saeculo XVII, atque albente saeculo XVIII*), Petropoli, 1899, p. 232.

(6) Gorsky et Nevostruev, op. cit., t. II, 3, pp. 490-94.

tionis parisiensis comparavit Alexius Kirillovitch Barsov, qui ductu Likhudorum graecam linguam apprime didicit, eamque in academia mosquensi professus est (1). Haec etiam versio inedita asservatur Mosquae in bibliotheca Tolstoiana (2). Inscribitur: Щитъ православія, или отвѣтъ и обличеніе ко оглаголующимъ восточную церковь еретикомъ, аки бы она мудрствуетъ въ сущихъ о Бозѣ и о божественныхъ якоже и они, сирѣчь Калвини, зломудрствуютъ. Сложены отъ помѣстнаго іерусалимскаго собора, при Досиѳеи, патріархѣ іерусалимскомъ, 1672 года, мѣсяца марта въ16 день (3).

Anno 1838 synodus petropolitana in lucem edidit dogmaticos ὅρους confessionis Dosithei (4). De hac versione censuit Gorsky eam maiorem accurationem ac praecisionem in sententiis theologicis enucleandis exhibere quam graecum textum, cuius excellentiae rationes satis assequi non potuit. « Me enim latet, ait, graecus textus, quem ad versionem suam comparandam, interpretes russici usurparunt » (5). At certo certius in praesentiarum constat Philaretum metropolitam mosquensem, ex graeco idiomate in russicum, ὅρους Dosithei non solum transtulisse, verum etiam pro arbitratu emendasse, ut placitis theologiae orthodoxae apprime responderent.

Verbigratia, in decreto XVI, Dositheus scripserat Baptisma, non secus atque ordinem sacrum, characterem indelebilem imprimere: *ἐντίθησι δὲ τὸ βάπτισμα καὶ χαρακτῆρα ἀνεξάλειπτον* (6). Haecce sententia latinismum redolere visa est Philareto, qui eam expunxit. Ad sententiam enim scriptorum orthodoxorum, consecratio sacerdotalis characterem indelebilem non imprimit, ac Latinorum doctrina super hac

(1) Smentzovsky, p. 388.

(2) Kalaidovitch e Stroev, Описаніе рукописей Шолстого. Mosquae, 1825, Cod. 120; Philaretus, Обзоръ etc., pp. 156-157.

(3) Stroev, Библіологическій словарь и черновые къ нему матеріалы (*Lexicon bibliologicum rerumque sylva non elaborata ad comparandum idipsum*), Petropoli, 1882, p. 34.

(4) Inscribitur: Царская и патріаршая граматы о учрежденіи Святѣйшаго Синода, съ изложеніемъ православнаго исповѣданія восточно-каѳолической Церкви (*Litterae imperiales et patriarchales ad sanctissimae Synodi institutionem spectantes. quibus adnectitur Confessio Ecclesiae catholicae orientalis*), Petropoli, 1838; Mosquae, 1846; 1853 (III editio). Haec eadem Confessio edita est etiam russice hocce titulo: Изложеніе вѣры составленное на соборѣ іерусалимскомъ (*Expositio fidei composita in synodo hierosolymitana*), Воскресное Чтеніе (*Lectio dominicalis*), Mosquae, 1840, t. IV, pp. 139-144.

(5) Loc. cit., p. 619.

(6) Kimmel, p. 456.

re nullis nititur fundamentis, testimonio canonum non fulcitur, ac talis est ut perniciem afferat Ecclesiae (1).

Insuper in tertia quaestione, ut iam innuimus, inter canonicos Sacrarum Scripturarum libros Dositheus recenset Sapientiam Salomonis, libros Iudith, Tobiae, Machabaeorum, et Sapientiam Sirach. Visum est Philareto hancce sententiam Dosithei consonam non esse traditioni fidei orthodoxae, quamobrem praecitatum locum omnino praetermisit. Ad primam itidem quaestionem *An deceat Sacram Scripturam communiter ab omnibus legi christianis*, Dositheus plane respondet: *Non decet* (οὔ). Negationem expunxit Philaretus (2).

Hasce mutationes omissionesque pro lubitu perpetrandi sibi ius usurpavit Philaretus. « Proculdubio, ait Lebedev, theologus qui rebus dogmaticis studet, gaudio afficietur, eo quod Philaretus decreta synodi hierosolymitanae emendaverit. At rerum gestarum scriptor, qui sine partium studio vetera ac genuina dijudicat monumenta, fortasse non sine moerore animadvertet, antiquum documentum, si verbis Philareti uti velimus, formosiorem evasisse, nativa excussa ruditate (3) ».

Ex scriptoribus theologiae symbolicae graecum textum Confessio-

(1) *Ἐξετάζοντες τὴν λατινικὴν ταύτην θεωρίαν, εὑρίσκομεν αὐτὴν πρῶτον μὲν ἀβάσιμον, δεύτερον δὲ ὀλεθρίαν ὡς πρὸς τὰς συνεπείας. Ἡ ἰδέα περὶ τοῦ ἀνεξαλείπτου χαρακτῆρος, ὅστις δῆθεν ἐπιτίθεται διὰ τῆς χειροτονίας, δὲν δύναται νὰ ἐπιβεβαιωθῇ ὑπὸ σαφῶν ὁπωσδήποτε μαρτυριῶν τῶν ἡμετέρων κανόνων. Περὶ αὐτῆς οὐδεὶς λόγος γίνεται ἐν τοῖς κανόσι, καὶ αὐτὴ δὲ ἡ ἔκφρασις ἀνεξάλειπτος οὐδ' ἅπαξ ἅπαντα.* — Christodulos, *Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου*, Constantinopoli, 1896, p. 205. Doctrinam catholicam de charactere indelebili ordinis sacri concinne atque erudite exposuit I. P. Sokolov, Ученіе римско-католической церкви о таинствѣ священства (*Doctrina Ecclesiae romano-catholicae de sacramento Ordinis sacri*), Petropoli, 1907, pp. 321-436.

(2) Confessio Dosithei, quam Philaretus mutilavit, graece edita est in opere: *Τὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν γράμματα περὶ τῆς συστάσεως τῆς ἁγιωτάτης συνόδου, μετ' ἐκθέσεως τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς ἀνατολικῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας*, Petropoli, 1840. Testatur Lebedev hancce editionem eadem omittere quae Philaretus delenda censuit, Исторія греко-восточной Церкви, p. 62. Cum tamen prae manibus eam non habeam, nescio utrum particula negativa οὔ expuncta fuerit necne. Graecum textum editionis petropolitanae, quaestionibus omissis, germanice reddidit Lauchert, *Glaubensbekenntnis des Patriarchen Dositheos von Ierusalem, aus den Akten der Synode von Ierusalem, Revue Internationale de Théologie*, t. I, 1893, pp. 210-236.

(3) Безъ сомнѣнія догматистъ порадуется тому, что Филаретъ потрудился надъ исправленіемъ текста опредѣленій, но историкъ, имѣя иристрастіе ко всему архаическому и первоначальному, можетъ быть и поскорбитъ, что памятникъ получилъ слишкомъ правильный и не дикій видъ, какъ выражается святитель Московскій. Ib., p. 62; Ugie, p. 75.

nis Dosithei typis mandarunt Kimmel (1), Mesoloras (2), Michalcescu (3).

γ') Confessionem hancce legenti primo intuitu innotescet, in methodo et ratione scribendi verbisque deligendis, ex latinis fontibus haud raro Dositheum hausisse. Mihi quidem non est animus denegare fidei orthodoxae doctrinam in ea contineri. Ut meum assertum exemplis illustrem, Cyrillus scripserat Spiritum Sanctum a Patre *δι' Υἱοῦ* procedere. Incisum illud, perinde ac si latinam illius Filioque redoleret haeserim, non placuit Dositheo, qui processionem Spiritus Sancti a Patre simpliciter asserit. In decreto X, quamvis primatum Romani Pontificis aggressus non fuerit, eo ipso tamen quod statuit, nullis explicationibus adhibitis nullaque distinctione inter caput invisibile Ecclesiae, et caput visibile, Iesum Christum totius Ecclesiae caput haberi, implicite, ut mos est loquendi orthodoxis, romanae sedis praerogativas renuit. Ex decreto XVIII colligitur etiam purgatorium (nomine tantum censeo) Dositheum non admisisse, ut Gorsky conjicit (4). Fatendum tamen est, blandis verbis ipsummet usum fuisse, ac de industria quidquid in Latinos contumelias sonaret, missum fecisse.

Praeterea, ex latina theologia plura, et quidem gravioris momenti, Dositheum hausisse in comperto est. Verbigratia, voce utitur *βεβαίωσις* quae latinum verbum « confirmatio » graece ad amussim reddit, ad sacramentum confirmationis designandum, cum constet Graecos hocce sacramentum *μύρον*, *χρῖσμα* appellitasse. Hoc idem asserendum de verbo *ἱκανοποίησις* (satisfactio). Semel atque iterum usurpat etiam epitheton *catholici* ad significandam simpliciter Ecclesiam Orientalem.

Insuper, in sacramentorum effectibus determinandis, docet sacramentum ordinis signum indelebile in anima imprimere, ut superius

(1) Pp. 425-487.

(2) Pp. 103-129.

(3) Pp. 160-182. Cf. etiam Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 543-578. De editione Aymonii (pp. 367-424) nostram facimus sententiam Kimmelii: « Hicce scriptor Acta synodi hierosolymitanae tantopere decurtavit, tam multa resecuit, quod miror viros doctos latuisse, ut vix quod praebuit, pro editione possit haberi ». — P. xci. Anglice reperitur Confessio apud Schaffium, *The creeds of Christendom*, t. II, Neo-Eboraci, 1877, pp. 401-445. Nuperrime, una cum actis synodi hierosolymitanae et Confessione Cyrilli Lucareos, adnotationibus instructam, eam anglice typis evulgavit Robertson: *The Acts and decrees of the Synod of Ierusalem, sometimes called the Council of Bethlehem, holden under Dositheus, Patriarch of Ierusalem in 1672, translated from the greek with an Appendix containing the Confession published with the name of Cyril Lucar condemned by the Synod*, Londini, 1899.

(4) Loc. cit., p. 613.

innuimus. In statu animarum, quae corporis compagine exsolutae sunt, discutiendo, quam proxume ad sententiam catholicam accedit Dositheus. Catholicae etiam favet doctrinae in quaestionibus enodandis, quae ad Sacras Scripturas pertinent. Addimus, testimonia latinorum Patrum usurpasse in suis sententiis auctoritate traditionis fulciendis. Augustinus ter citatur (1); semel Cyprianus (2); semel Damasus, romanus Pontifex (3).

Disertissimis denique verbis, Dositheus doctrinam catholicam transsubstantiationis concinnavit, ex fontibus ipsis theologiae scholasticae vel nomine transsubstantiationis hausto. Hinc factum est ut cavillationibus protestanticis penitus intercluderetur adytus. Concilia enim graeca annis 1638 et 1642 convocata theologis pseudo-reformationis ansam suppeditabant blaterandi, Graecos obscure suam sententiam quoad mysterium eucharisticum proposuisse, eo quod sese abstinuissent a verbo transsubstantiationis usurpando. « Silentium non est praetermittendum, ait Kiesling, his in duabus synodis verbum *μετουσίωσις* non esse adhi-

(1) Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 561-562.

(2) Dositheus citat quidem epistolam Tertulliani *ad Papianum* in qua *episcopi omnes Apostolorum vocantur successores*, Ib. col. 551. Recte adnotat L. Petit se epistolam hanc haud novisse. *Σράλμα* Dosithei iam emendaverat Gorskius. Epistola quae heic citatur, Tertulliani non est, sed Cypriani ad Florentium Papianum. Locus, ad quem alludit Dositheus, ita se habet: « Christi, qui dicit ad Apostolos ac per hos ad omnes praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit ». — *P. L.*, t. IV, col. 403, 415; Gorsky, p. 613.

(3) Pro Damaso romano, Damascenum Dositheus dixit, quo factum est ut in notis ad Confessionem apud Mansi, L. Petit declaraverit se ignorasse epistolam Damasceni ad Africanos. Hocce alterum *σφάλμα* correxit Gorskius. In epistola IV ad Sthephanum archiepiscopum atque ad concilia Africae, Damasus haec habet: « Oportet iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum Domini divinam praeceptionem, nos, qui supra domum eius, hoc est, universalem Ecclesiam catholicam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare » .... Mansi, t. III, col. 431. Haec tamen verba, quae de cunctis episcopis dicta fuisse Dositheus et Gorskius autumarunt, sive ex contextu, sive ex litteris Stephani ad Damasum Ib., coll. 430-431 ad Romanos Pontifices solummodo spectare, censeo, eo magis quod alibi Damasus affirmet « sanctam romanam Ecclesiam, nullis synodicis constitutis, ceteris Ecclesiis praelatam esse, sed evangelica voce Domini et Servatoris nostri primatum habuisse ». — Mansi, t. VIII, col. 158, in *Decreto Gelasii Papae de libris recipiendis et non recipiendis*. Compertum est priorem partem huiusce documenti excerpta praeseferre antiquioris decreti, quod Damaso et cuidam romano concilio ab eo congregato tribuitur, Hergenröther, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, t. I, Friburgi, 1902, pp. 404, 444; Hefele, *Histoire des Conciles*, t. II, 2, Parisiis, 1908, pp. 941-943. Mirum est hocce testimonium silentio praeteriisse Turmelium cum de Damaso agit in opere quod ad primatum romanum evertendum typis vulgavit: *Histoire du dogme de la papauté des origines à la fin du IV siècle*, Parisiis, 1908, pp. 312-432.

bitum, quod documento est illud Graecis hactenus displicuisse. Quamvis autem his in synodis Graeci Reformatorum debellassent, de re eucharistica, sententiam; non tamen ex asse satisfecerant romanensibus, qui rotundiorem et planiorem ab iisdem expectabant declarationem nomine *μετουσιώσεως* imprimis instructam, quo intelligeretur Graecos transsubstantiationis adoptasse persuasionem » (1). Confessio igitur Dosithei tergiversantibus lutheranis ora obstruxit. Fatente Kieslingio, in hac synodo « Patres Graeci ex imperio et voluntate romanensium verbum *μετουσιώσεως* in suorum maiorum adhibuerunt pudorem » (2).

Novitatem vocis in graeca theologia contumeliose irriserunt protestantes (3), qua in re Schollineri, O. S. B., verba recolenda: « Quod Graeci dictione *μετουσιώσεως* usque ad Gennadium usi non fuerint, nihil evincit; cum enim Graecis transsubstantiationis dogma numquam in disceptationem venerit, parum fuerunt solliciti de nova voce, contenti antiquis, idem tamen prorsus significantibus vocabulis » (4). Adde, quod antequam ederetur confessio Dosithei, complures iam usurpaverant scriptores graeci verbum *μετουσίωσις*, ut Georgius Coresius, Dionysius protosyncellus, Gabriel Philadelphiensis (5). Immo huiusce vocis usum a Gennadio Scholario repetit synodus constantinopolitana anno 1691 habita, quae pulcherrimis verbis eam Graecis necessario adhibendam tuetur: « Ecclesia ad clariorem constitutionem veritatis, quae in sacramento est, iuxta suam propriam et potestatem et consuetudinem ductu sanctissimi spiritus usa est vocis transsubstantiationis, non aliud quidpiam per se significante quam quod mutatio seu conversio, quae est in sacramento, proponit. Usa porro ea est, quoniam nec aequivocis subjicitur, et superat omnia haereticorum sophismata contra sacramentum; nec eam a Latinis mutuata est, sed est ea voce ditata ante annos plurimos a domesticis et legitimis suis orthodoxis doctoribus, ut promptum videre est ex commentariis verae religionis defensoris illius domini Gennadii Patriarchae Const., qui coram orthodoxis imperatoribus et

(1) Op. cit., p. 310; Dannhaverus, *Exercitatio historico-theologica de Ecclesia graecanica hodierna*, Argentorati, 1666, pp. 46-47; Pictetus, *Scrutinium religionum*, Dresdae, 1730, p. 321.

(2) Ib., p. 317.

(3) Hisce adstipulatus est Prokopovitch: « Vocabulum transsubstantiationis est barbarum, e lacunis scholasticorum haustum, antiquae castiori orthodoxae Ecclesiae ignotum ». — Op. cit., t. III, p. 622.

(4) *Ecclesiae orientalis et occidentalis concordia in transsubstantiatione, historiae concertationis a D. Kieslingio professore lipsiensi ficta opposita*, Ratisbonae, 1756, p. 27.

(5) Simon, *Fides Ecclesiae orientalis*, p. 119; Helladius, *Status praesens Ecclesiae graecae*, p. 386.

piis patriarchis ac sacro senatu ipsisque doctoribus rectae fidei nostrae per hanc vocem ut ante cognitam atque ab Ecclesia receptam pro hoc mysterio depugnavit. Quam vocem ex eo tempore incessanter Ecclesia praedicat a finibus ad fines, neque ullus insurgere visus est contra usum hunc Ecclesiae praeter haereticos, sed omnes illam una confessione, afflatu Spiritus Sancti, una confitentur, ac docent indubitanter pura et pia conscientia » (1).

Aymonius conviciis onerat Dositheum, eo quod verbum *μετουσίωσις* sua in Confessione usurparit. Ait enim, Dositheum, qui alternis pene verbis a veritate abhorrentes congerit sententias (2), materiarum theologicarum segetem ad suam opellam conscribillandam ex latinis antistitum Galliae documentis, nec non ex litteris Nointelii collegisse, suique cleri inscitia abusum fuisse, ut eius suffragia emendicaret suisque placitis adstipulatores legeret (3). Gorskius autem putat scriptorem Confessionis Dosithei graecum quidem orthodoxum fuisse: haud tamen in comperto est utrum in latinis scholis hicce scriptor theolo-

(1) *Ἡ Ἐκκλησία τέλος πάντων πρὸς σαφεστέραν παράστασιν τῆς ἐν τῷ μυστηρίῳ ἀληθείας κατὰ τὴν ἰδίαν αὐτῆς ἐξουσίαν τε καὶ συνήθειαν τῇ ἀπηχήσει τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐχρήσατο λέξιν τὴν μετουσίωσιν, οὐκ ἄλλο τι δηλοῦσα δι' αὐτῆς ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνο, ὅπερ καὶ ἡ μεταβολὴ ἐν τῷ μυστηρίῳ παρίστησιν. Ἐχρήσατο δὲ ταύτῃ καθότι ἀπέλλακται τῶν ὁμωνυμιῶν καὶ ὑπέρκειται πάντων τῶν κατὰ τοῦ μυστηρίου αἱρετικῶν σοφισμάτων, οὐκ ἐκ τῶν Λατίνων δανεισθεῖσα ταύτην, ἀλλ' ἐξ οἰκείων καὶ γνησίων αὐτῆς ὀρθοδόξων διδασκάλων πλουτήσασα πρὸ χρόνων πολυαριθμήτων, ὡς πάρεστιν ἰδεῖν ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων ἐκείνου τοῦ ὑπερασπιστοῦ τῆς εὐσεβείας κὺρ Γενναδίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐνώπιον βασιλέων ὀρθοδόξων καὶ πατριαρχῶν εὐσεβῶν καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου καὶ διδασκάλων τῆς καθ'ἡμᾶς ὀρθοδοξίας διὰ τῆς αὐτῆς λέξεως ὡς προεγνωσμένης καὶ ἀποδεχομένης ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐναγωνισαμένου περὶ τοῦ ἱεροῦ μυστηρίου· ἥντινα λέξιν ἔκτοτε ἀδιστάκτως πρεσβεύει ἀπὸ περάτων ἕως περάτων, καὶ οὐδεὶς ἀντιφερόμενος ἐφάνη τῇ χρήσει ταύτῃ τῆς Ἐκκλησίας πλὴν τῶν αἱρετικῶν, ἀλλὰ πάντες μιᾷ συρροίᾳ καὶ συμπνοίᾳ τοῦ ἁγίου Πνεύματος μέχρι τῆς δεῦρο συνομολογοῦσί τε καὶ διδάσκουσι ταύτην ἀνενδοιάστως εἰλικρινεῖ καὶ εὐσεβεῖ τῇ συνειδήσει.* — Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 465. Praeter scriptores quos memoravimus voce *μετουσίωσις* usos, hocce documentum synodale citat etiam Maximum Margunium, episcopum cytheraeum, Meletium Pigam, Patriarcham Alexandrinum, et Nectarium Hierosolymitanum.

(2) Ces dogmes si erronez, produits sous le nom d'un concile des Grecs de Jérusalem, ne sont que les visions et les extravagances que le patriarche Dosithée s'est avisé de mettre par écrit, n'étant pas capable de dire six mots de suite. sans faire une demi douzaine de grosses bévues. — P. 397.

(3) Dosithée travailla sur les minutes des prélats de France, et sur les lettres de Monsieur de Nointel, à dresser ce formulaire de Confession, et à mendier des signatures, pour le faire approuver à des ignorans, qui ne sçavoient pas de quoi il s'agissait. — P. 396.

gicis disciplinis imbutus fuerit, an in graecis theologiam occidentalem apprime didicerit (1).

Ex quonam igitur fonte, per quosdam veluti rivulos, theologia latina ad Confessionem Dosithei dimanavit?... Helladius tradit de Dositheo, eum linguae turcicae, arabicae, moscoviticae, georgicae, graece et latinae, peritissimum fuisse (2), quas mirificas laudes, palpandi causa, vel suos concives titillandi dictas censeo. Maioris autem ponderis videtur mihi testimonium Chrysanthi patriarchae Hierosolymitani, qui tot annos contubernio usus est Dosithei, eumque apprime cognovit eique studiorum theologicorum socius adstitit. Testatur autem Chrysantus latini sermonis scientiam, primoribus tantum labris Dositheum delibasse, qua de re coactus fuerit interpretum ministerio uti in latinis libris pervolutandis (3). Hosce vero interpretes nactus est Dositheus inter graecos simul atque inter latinos, iique ad id omne studium adiunxerunt ut, qua possent summa fidelitate, theologiae latinae momumenta in graecum idioma verterent. Nil igitur mirum, si Dositheus, cui graecorum theologorum auxilium ad lutheranos debellandos praesto non erat (nihil fere aetate illa Graeci scripserant ad cavillationes Reformatorum diluendas), versionibus usus latinorum theologorum ad suam Confessionem exarandam, latinas voces usurpavit suoque scribendi generi saepe saepius latinum colorem servavit. Mea quidem sententia, *latinitas* illa, quae in Confessionem Dosithei indiligenter irrepsit, signum non est Dositheum eam non composuisse. Ex ea nobis datur tantum ius colligendi, ex latinis fontibus graece versis auctorem nostrum hausisse.

Scriptores orthodoxi uno veluti ore Dositheo tribuunt librum symbolicum qui eius nomine venit. Dositheus ipse iure auctoris in eum potitus est, cum anno 1690 textum Confessionis a seipso emendatum in lucem edidit. Dubium igitur non est quin ipsemet suam Confessionem exaraverit, latinos scriptores populatus, quod lubenter scriptores orthodoxi agnoscunt, Dositheum *labe latinismi* purgantes. Dositheus enim, ad eorum sententiam, scriptoris orthodoxi muneri non defuit, principia theologiae orthodoxae strenue tuitus est, ac si latinis placitis interdum indulsit, hoc ei crimini vertendum non est aetate illa,

(1) Loc. cit., p. 612.

(2) Op. cit., 14-15.

(3) *Καὶ δὴ καὶ ὡς μὴ ἐσχηκὼς πεῖραν καὶ κατάληψιν ἱκανὴν τῆς λατινῖδος φωνῆς. μετὰ πολλῶν δυσκολιῶν καὶ δαπανῶν, κατὰ διαφόρους καιρούς, διὰ πολλῶν ἑρμηνέων ἀπὸ τῆς λατίνων φωνῆς εἰς τὴν ἡμετέραν πολλὰ βιβλία μετέφρασεν.* — *Δωδεκάβιβλος*, p. 4; Palmieri, *Dositeo*, p. 74.

qua graeca theologia, prisco amisso splendore, senioque confecta, novis carebat armis ad lutheranam haeresim confodiendam (1).

δ') Confessio Dosithei praecipuum tenet locum inter symbolica graecae Ecclesiae documenta. Superius iam diximus Patriarchas orientales eam, ut speculum verae fidei orthodoxae, episcopis *non iuratis* misisse (2). Patriarchale synodicum systaticum (*πατριαρχικὸν συνοδικὸν καὶ συστατικὸν γράμμα*) synodi Constantinopolitanae adversus Iohannem Cariophyllum habiti anno 1691 (3), cui subscripsere Callinicus II, Patriarcha Const. (*β'* 1689-1693), ac Dositheus, confirmaverat iam Confessionem Dosithei, tanquam librum apprime orthodoxum atque irreprehensibilem (4).

Mirum tamen est opus Dosithei, tot laudibus cumulatum, apud scriptores orthodoxos, haud raro nihili pendi. Id quidem Mesoloras,

(1) *Αἱ ἐπ' αὐτοῦ ἐπιδράσεις τῆς λατινικῆς θεολογίας ὑπῆρξαν ὅλως ἐξωτερικαὶ καὶ δὲν πρέπει νὰ ὑπερτιμῶνται. Ἡ ἐξωτερικὴ ὁμοιότης τῆς ἐκθέσεως τῆς διδασκαλίας δὲν πρέπει νὰ θεωρῆται καὶ ὡς ταυτότης τοῦ φρονήματος.* — *Δοσίθεος, Πατριάρχης Ἱεροσολύμων*, Hierosolymae, 1907, p. 32. Theologis lutheranis transsubstantiationem negantibus, quos tot graecarum synodorum decreta ad incitas redegerunt, nil reliquum fuit nisi ut graecam Ecclesiam obtrectarent, perinde ac si descivisset a fide maiorum. Audiatur Dannhawerus: « In Ecclesia graecanica sequiore occurrit, proh dolor! apostasia a veteri orthodoxa, ... neque id agimus insultandi Graecis gratia, quorum potius miseremur, et iudicamus, eos partim neglectu Scripturae, e coeco obendientiae studio, partim tyrannide turcica oppressos, in devia discessisse, hodieque nimis rerum aliarum imperitos imprudentesque sine ulteriore cura et indagine, in antiquam sylvam, doctoribus iisdem morbis laborantibus, ire, quanquam ex illa ipsa orthodoxia multa adhuc retinuerunt. — Op. cit., pp. 32-33; Bielerus, *De praestantia Ecclesiae evangelicae, quae ministerio Lutheri repurgata est, prae graeco ruthenica hodierna*, Ienae, 1750, p. 24.

(2) Heic meminimus anno 1672, mense januario, Dionysius IV Patriarcha Const. (*α'* 1671-1673) synodum convocasse, cuius Confessio in plurimis arctissimo devincitur cognationis vinculo cum Confessione Dosithei. Hancce Confessionem recenset Mesoloras inter libros symbolicos Ecclesiae orientalis. Reperitur apud Weissenbornium-Kimmelium, t. II, pp. 214-227; Mesoloram, pp. 130-146; Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 453-464. Ceteras huiusce documenti editiones recenset Petit. A verbo *μετουσίωσις* usurpando sese abstinet Dionysius. — Cf. Kiesling, p. 17.

(3) Palmieri, *Dositeo*, pp. 33-37.

(4) *Τὸ ἐπιγραφόμενον σύγγραμμα δηλαδὴ ὀρθόδοξος ὁμολογία, ὅπερ καὶ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς συνόδου τοῦ οἰκουμενικοῦ θρόνου κεκύρωται συναινούντων καὶ τῶν λοιπῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν συναποφηναμένων τε καὶ συνεπισφραγισαμένων ταῖς ἰδίαις ὑπογραφαῖς, καὶ ἐπ' ἐκκλησίαις κεκήρυκται τὸ ὀρθόδοξον ἔχειν καὶ ἀνεπίληπτον.* — Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 466. Haec tamen verba de Confessione Petri Moghilae dicta fuisse teneo. Mesoloras asserit hancce synodum sibi munus demandasse declarandae puritatis fidei quae, ad sacram Eucharistiam quod attinet, in Actis synodi hierosolymitanae atque in Confessione Dosithei exprimitur. Testatissimum id faciunt excerpta Confessionis quae hisce litteris synodalibus intexta fuere: *Τὸ ἀποτέλεσμα καὶ τὸ πρακτικὸν τῆς συνόδου ἦν .... ἐκ δευτέρου*

una cum Confessione Petri Moghilae in album librorum symbolicorum digerit, qui maximi faciundi sunt. Cum enim Patriarcha, quem Graeci summa veneratione prosequuntur, hancce Confessionem conscripserit, eamque synodus solemniter approbaverit, mirari non debemus, simul atque in lucem prodiit ipsammet omnium oculos in se convertisse, ad eamque gloriam pervenisse, ut cunctas regiones orthodoxas sua celebritate compleret (1). Hoc idem tuetur Michalcescu: « Cum synodus hierosolymitana Confessionem Dosithei palam agnoverit ut Confessionem authenticam Ecclesiae orthodoxae orientalis, eamque Actis synodalibus intexuerit, consequitur ipsammet iure meritoque in album librorum symbolicorum recenseri » (2).

Attamen Andrutsov nullum fert iudicium de valore symbolico huiusce Confessionis (3): Macarius (4), Sylvester (5), Mali-

---

δήλωσις τῆς ὀρθῆς γνώμης τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας, τῆς περιεχομένης ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς ἐν Ἱερουσολύμοις συνόδου, καὶ δὴ ἐν τῷ ιζ' ὅρῳ τῆς τοῦ Δοσιθέου ὁμολογίας, τῷ πραγματευομένῳ ἐκτενῶς περὶ τῆς Μετουσιώσεως, ὅστις, ὡς ἄριστα ἔχων, καὶ ἀντεγράφη. — P. 149. Confessionis tamen Dosithei mentionem haud injicit synodus, et verbum ac doctrina transsubstantiationis, quam ex illa synodum, de qua nobis sermo est, transcripsisse Mesoloras affirmat, reperiuntur etiam in *Confessione orthodoxa* Petri Moghilae, *P. I.*, Q. CVII, Kimmel, p. 180. Hocce quidem Synodo propositum fuit ut sententiam Caryophylli transsubstantiationem negantis damnaret: nihil tamen in eius Fidei Confessione exstat, quod nos certiores faciat synodum characterem symbolicum Confessionis Dosithei tanquam authenticae fidei orthodoxae expositionis sanxisse. Confessio praefatae synodi primum lucem aspexit in opere Dosithei: *Ἐγχειρίδιον κατὰ Ἰωάννου τοῦ Καρυοφύλλου*, Iassii, 1694, pp. 98-108. Latine eam vertit Nicolaus Commenus Papadopoli in opusculo quod inscribitur: *Adversus haereticam epistolam Iohannis Hokstoni responsio ad sacratissimum et sapientissimum antistitem Chysanthum Notaram, metropolitam caesariensem, Palaestinae primatem*, Venetiis, 1703. pp. 40-49; ac germanicae Heineccius: *Ein Synodus, welcher am 1691, unter dem Patriarchen Callinico zu Constantinopel, gehalten worden, wieder Ioh. Caryophyllen Logothetam der Kirche zu Constantinopel*, op. cit., *Anhang*, pp. 40-47. Reperitur apud Gedeon, *Κανονικαὶ Διατάξεις*, t. I, Constantinopoli, 1888, pp. 99-105 et Petit-Mansi, t. XXXVII, coll. 473-482. De synodo egerunt Meletius Atheniensis, t. III, p. 484; Gass, p. 85; Mesoloras, pp. 147-150.

(1) *Ἡ ὁμολογία αὕτη διὰ τὴν συμβολικὴν ἔχει σημασίαν καὶ ἀξίαν μεγάλην, διότι διὰ τῆς συγκριτικῆς καὶ τῆς ἀντιρρητικῆς ταύτης μεθόδου οὐ μόνον ἀναιροῦνται αἱ καινοτομίαι τῆς καλβινικῆς Ἐκκλησίας, ἀλλὰ καὶ διατυποῦνται ὀρθοδόξως τὰ δόγματα τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως.* — P. 89. *Ἡ Συμβολικὴ καὶ τὴν ὁμολογίαν ταύτην ὡς ἐπίσημον συμβολικὸν αὐτῆς βιβλίον παραδέχεται.* — P. 91.

(2) P. 125. — *Cu tóte criticile şi incriminările aduse de o parte şi de alta, Mărturisirea luĭ Dositeĭ rĕmâne o lucrare de valóre pentru Simbolica bisericiĭ nóstre.* — *Compendiu de theologie simbolică*, p. 76.

(3) Pp. 35-36.

(4) T. I, p. 63.

(5) T. I, p. 64.

novsky (1) inter privatas confessiones fidei (частныя изложенія вѣры) vel parvas expositiones aut explicationes (краткое изложеніе, изъясненіе вѣры) eam recensent. Nuperrime, symbolicam auctoritatem eiusdem libri, ob latinas, quibus *inficitur*, sententias, pro viribus aggressus est minuere Chrysostomus Papadopulos, archimandrita (2), cui favet doctissimus vir A. Papadopulo-Keramevs (3).

Ad veritatem propius accedere videtur Gass, qui statuit latinae theologiae influxum nihil obstare huic Confessioni, quominus dicatur traditionem graecam in rebus fidei ea proponere, interque documenta, quae hancce traditionem portendunt, nobilissimum locum tenere (4). Confessio Dosithei, suam ob puriorem doctrinam, meret primatum inter symbolica documenta recentioris Ecclesiae graecae; testimonium est perenne, ut catholicus ait scriptor qui Orientem peragravit, semper Graecam Ecclesiam odio prosecutam fuisse haereticos sacramentum Eucharistiae adorientes (5), nec non in summis fidei christianae veritatibus, romanae Ecclesiae doctrinam mordicus tueri. Ac, si in plurimis, ut nostra aetate quidam theologi graeci conqueruntur, latinis *novitatibus* indulsit, reponimus, in iisdem probandis acceptandisque iura veritatis christianae Dositheum vindicasse, quapropter laudem, potius quam vituperationem, ipse meret. Quae enim de transsubstan-

(1) T. I, p. 45. I. Sokolov, *Characterem auctoritativum catholicum* (авторитетно-каѳолическій характеръ) vindicat huic Confessioni, Православная бог. энц, t. VI, Petropoli, 1905, col. 443; t. V, 1904, col. 27. Quae assertio, si vera est, non satis assequor quonam pacto eam detruncare ac decurtare ausus sit Philaretus, metropolita mosquensis.

(2) *Νέα Σιών*, 1907, t. V, pp. 104-108.

(3) *Διάφορα ἑλληνικὰ γράμματα ἐκ τοῦ ἐν Πετρουπόλει μουσείου* Nicolas Likhatchev, Petropoli, 1907, p. *κζ'*.

(4) In allen Hauptsachen muss diese Urkunde als Ausdruck der griechisch-orientalischen Ueberlieferung betrachtet werden, und sie nimmt in der Zahl dieser Zeugnisse eine wichtige Stelle ein. P. 83. Maximam auctoritatem (*eine symbolische Autorität ersten Ranges*) ei agnoscit R. Hofmann, *Realencyclopädie für protestantische Theologie*, t. VIII, Lipsiae, 1900, p. 704, et etiam Winer, *Comparative Darstellung*, p. 10. Minorem ei tribuit Schéele, apud Zöckler, *Handbuch der theologischen Wissenschaften*, t. II, p. 716; ac Müller ea nonnisi cautissime utendum insinuat: Dabei wird gegenüber dem Protestantismus der gemeinsam katholische Besitz so stark betont, und zuweilen in solcher Anlehnung an römische Gedanken dargestellt, dass die Confessio Dosithei als Zeugnis griechischer Lehre nur mit grösster Vorsicht gebraucht werden darf. — Pp. 209-210.

(5) L'Église grecque déteste toutes les hérésies anciennes et nouvelles, particulièrement celles qui ont attaqué le mystère adorable de l'Eucharistie, soutenues par les calvinistes et les luthériens. — La Croix, *État présent des nations et églises grecque, arménnienne et maronite en Turquie*, Parisiis, 1715, p. 17.

tiatione, de statu animarum in altera vita, et de Scriptura sacra edisseruit, cum traditioni Romanae Ecclesiae consona sint, primitivae etiam Ecclesiae traditioni apprime respondent.

9. Diu exagitatam atque acriter inter graecos latinosque scriptores controversiam heic aggredimur, quae iam iam tribus abhinc saeculis exorta, multas excitavit lites, atque in praesens adhuc sub iudice pendet (1). Haec autem controversia potius historicis quam theologis pervestiganda est. Eam tamen tacitus praeterire nolui, quia fuse de confessione cyrilliana disseritur in theologia symbolica orthodoxa.

Ut mihi mos est, in scriptorum orthodoxorum sententiis perpendendis, aequa utar lance, partium studio nullimode addictus. Eo magis hoc agam in praesens, cum exploratum sit authenticitatem Confessionis Cyrilli Lucareos inter illa doctrinarum capita non recenseri, quae in provincia theologiae christianae lugendum schisma produxere foventque. Graecis ipsis fatentibus, causa Cyrilli Lucareos, Ecclesiarum orthodoxarum causae non est commiscenda. Etiamsi ponatur Cyrillus calvinianis placitis consensisse, libellumque Confessionis vulgasse, haereticis novitatibus scatentem, calviniana haeresi distillantem, maximae tamen levitatis esset crimini vertere toti Ecclesiae orthodoxae vel Graecorum generi, quod praelatus, a recto aberrans tramite, sua tantum egit voluntate (2). Si macula haereseos inspergitur memoria Cyrilli, hocce dedecus in Ecclesiam orthodoxam ne hilum quidem redundat, cum in luce positum sit, pravas unius viri sententias, quamcunque, vel

(1) Do vera aut dubia authenticitate Confessionis sub nomine Cyrilli Lucareos evulgatae i primis egerunt: Aymon, op. cit., pp. 1-200; Pichler, *Geschichte des Protestantismus* etc., pp. 180-248; Trivier, op. cit., pp. 95-163; A. Gorsky, О церкви греческой съ 1453 года до начала XVIII столѣтія (*De graeca Ecclesia ab anno 1453 usque ad initium saeculi XVIII*) Прибавленія (*operibus Sanctorum Patrum russice versis*), t. XXXII, 1883, pp. 415-418. I. Wordsworth, episcopus anglicanus Sarisberiensis, *The Church of England and the eastern Patriarchates*, Oxoniae, 1902; Lebedev, Исторія греко-восточной церкви, pp. 633-673; Mesoloras, pp. 7-24; Chrysostomus Papadopulos, *Ἀπολογία Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως, Πατριάρχου Κωνστ., Νέα Σιών*, 1905, t. II, pp. 17-35; 1907, t. V, pp. 525-533; Id., *Κύριλλος Λούκαρις*. Tergesti, 1907, pp. 51-68; E. Velamidiotes, *Ὁ κατὰ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου ἄδικος ἀναθεματισμός*, Athenis, 1906; Id., *Ὁ πολύφημος καὶ πολύσοφος Κύριλλος ὁ Λούκαρις οἰκουμενικὸς Πατριάρχης*. Athenis, 1907; Balanos, *Ἡ ὁμολογία Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως*. Athenis, 1906; Id., *Ἡ λουκάρειος ὁμολογία*, Athenis, 1907.

(2) *Οὐδὲν κακὸν ἠδύνατο νὰ πάθῃ ἡ ὅλη ὀρθόδοξος Ἐκκλησία, ἐὰν ὁ Πατριάρχης Κ. ἦτο Καλβινόφρων, ἀλλ' ἀξιοσημείωτον, ὅτι καὶ προτεστάνται καὶ λατῖνοι τὴν ὁμολογίαν ἠθέλησαν νὰ παραστήσωσιν ὡς ἀντιπροσωπεύουσαν οὐχὶ τὰς προσωπικὰς γνώμας ἑνὸς ἐπισκόπου, ἀλλὰ τὸ φρόνημα τῆς ὅλης Ἐκκλησίας, τοῦ ὅλου αὐτοῦ ἔθνους.* — *Νέα Σιών*, 1905, t. II, p. 30.

celsissimam, dignitatem ipsemet induat, orthodoxae fidei puritatem non infuscare (1).

Ut compositius propositam nobis quaestionem solvamus, haec nobis inquirenda sunt: α′) Quaenam circumferantur apud scriptores tum orientales quum occidentales sententiae de authenticitate Confessionis Cyrilli Lucareos; β′) Quaenam adducantur rationes a scriptoribus orthodoxis, qui suum autumant officium memoriam Cyrilli ex suspicione corruptae fidei vindicare; γ′) Utrum Cyrillus occultus fuerit haereticus necne; δ′) Ad quaenam provocant argumenta scriptores illi, praesertim occidentales, quibus persuasissimum est turpem Confessionem Cyrillum proprio marte conscripsisse; ε′) Utrum, posito quod Cyrillus eam composuerit, Confessio ei tributa in album librorum symbolicorum Ecclesiae orientalis digerenda sit.

α′) Ad primum quaesitum quod attinet, scriptores orthodoxi, qui de rebus gestis Cyrilli disseruerunt, alii alias expromunt sententias.

a) Quidam Confessionis cyrillianae authenticitatem simpliciter inficias eunt, quin cuinam ea tribuenda sit, apertis prodant verbis. Satis est eis declarasse Cyrillum Confessionem sub eius nomine evulgatam conscribere non potuisse. Nemini datur ius, aiunt, hocce assertum in dubitationem vocandi (2).

b) Plurimi non verentur asserere iesuitam quendam, vel nebulonem catholicum, ad Cyrillum infamia notandum, malo ausu praefatam Confessionem exarasse Cyrilloque affinxisse (3). Cum tamen haec sententia, quae lubricis innititur argumentis, vel potius cerebrinum est commentum, apud cordatiores viros nullius praetii aestimetur, fere

(1) *Καὶ ἂν καθ' ὑπόθεσιν ἡ συκοφαντία κατὰ τοῦ Κυρίλλου ὑπῆρχεν ἀληθής, ἀλλ' ὅμως οὐδεμία κηλὶς ἠδύνατο νὰ προστριβῇ εἰς τὴν ἀμώμητον καὶ ἀδιάλειπτον ὀρθοδοξίαν τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας. Αἱ μερικαὶ πλάναι καὶ κακοδοξίαι τούτου ἢ ἐκείνου τοῦ προσώπου (κἂν Πατριάρχης, κἂν ἀρχιεπίσκοπος, κἂν ἐπίσκοπος, κἂν ἄλλος τις ἱερωμένος ἢ λαϊκὸς οὗτος τύχῃ) μένουσι πάλιν εἰς τὴν αὐτοῦ κεφαλήν.* — Mathas, *Κατάλογος ἱστορικὸς* etc., pp. 307-308.

(2) Нѣтъ сомнѣнія что это исповѣданіе не принадлежитъ Кириллу Лукарису. Arkangelsk, Очеркъ исторіи греческой Церкви со времени паденія К. до нашихъ дней (*Specimen historiae Ecclesiae graecae post urbem a Turcis captam ad nostros usque dies*) Чтенія Societatis amicorum progressus spiritualis, 1885, t. II, p. 45. — Что же касается до исповѣданія вѣры, явившагося подъ именемъ Кирилла, то оно не принадлежитъ ему. — Brianzev, Патріархъ Кириллъ Лукарисъ, Странникъ, 1870, t. I, p. 329.

(3) *Τὸ μὲν βιβλίον ὑπῆρξε καὶ αὐτὸ σκευώρημα τῶν Ἰησουμάχων Ἰησουϊτῶν, οἱ δὲ Λουθηροκαλβῖνοι ἠσμενίζοντο εἰς τὴν διασπορὰν τῶν ἰδίων αὐτῶν δογμάτων.* Mathas, p. 307. — *Ἄδηλον εἶναι τίς ὁ συγγράψας τὴν ὁμολογίαν ταύτην. Πιθανώτερον* (sic) *φαίνεται, ὅτι Ἰησουῖται ἐξέδωκαν αὐτήν, ἵνα ἐνοχοποιήσωσι τὸν ἱσπονδον ἐχθρόν Κύριλλον. Ἐκκλησιατικὴ Ἱστορία*, t. II, 1881, p. 292. — Balanos tradit etiam Meletium Atheniensem Confessionem Cyrilli Lucareos *κακόπλαστον*

omnes qui eam excogitarunt, veritati magis consonum declarant tueri calvinianum theologum auctorem fuisse confessionis cyrillianae. In comperto enim est Cyrillum amicitia usum fuisse virorum protestantium, sive Constantinopoli, sive extra turcicum imperium degentium, in eaque fideliter usque ad mortem perseverasse. Nil igitur mirum si protestantes, ad suam haeresim in regiones orthodoxas late propagandam, et, sub tegmine graecae Ecclesiae felicius bellum adversus catholicos scriptores gerendum, hancce fraudem moliti sint. Favent huic sententiae Malinovsky (1), Mesoloras (2) Gedeon (3).

c) Quidam scriptores simpliciter, nulla mentione latinorum iniecta, Confessionem Cyrilli protestantibus tribuunt, ut Sathas (4), Papadopulos (5), Velanidiotes (6), Macarius (7), nec desunt qui suspicentur

---

Iesuitarum censuisse: *Θεωρεῖ τὴν ὁμολογίαν ἔργον ἰησουϊτικόν. Ἡ ὁμολογία* etc., p. 4. — Hoc de Confessione Meletius non asserit, quamvis Patres Societatis Iesu mordet, perinde ac si iniuria Cyrillum calvinistam praedicassent.

(1) Есть мнѣніе, что его выпустили іезуиты, чтобы выставивъ Кирилла еретикомъ, найти между Греками пособниковъ своей злобы противъ него. Мы однако склоняемся къ другому мнѣнію, что это исповѣданіе сочинено кѣмъ-либо изъ протестантовъ. Op. cit., p. 571.

(2) *Κύριλλος ὁ Λούκαρις δὲν συνέγραψε τὴν ἀποδιδομένην αὐτῷ ὁμολογίαν, ἀλλ' ἕτερός τις ἢ δυτικός, ὅπως διαβληθῇ ὁ Πατριάρχης ὡς φρονῶν τὰ τοῦ Καλβίνου καὶ ἑπομένως ἐκθρονισθῇ. ἵνα μὴ γένηται ἐμποδὼν τοῖς σχεδίοις τῶν Ἰησουϊτῶν, ἢ μᾶλλον διαμαρτυρόμενος, ὅπως ἐνισχυθῇ καὶ ἐπεκταθῇ ἐν τῇ Ἀνατολῇ ἡ τῶν διαμαρτυρομένων αἵρεσις, διασαλπιζομένου, ὅτι καὶ ὁ ὀρθόδοξος Πατριάρχης καὶ ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία διὰ τῆς ὁμολογίας ταύτης ἠσπάσαντο καλβινικὰ διδάγματα.* — P. 18.

(3) *Ἐξεδόθη τῷ* 1628 *ἐν Γενεύῃ ὁμολογία τῆς πίστεως, ὡς δῆθεν τῶν Γραικῶν, βεβαίως ὑπὸ τῶν διαμαρτυρομένων, ἂν μὴ ὑπὸ παπικοῦ τινος, συνταχθεῖσα, ψευδωνύμως ὡς ἔργον ἐπιγραφεῖσα τοῦ Λουκάρεως.* — *Πατριαρχ. πίνακες*, p. 554.

(4) *Τότε συνετάχθη ὁ ὑπ των διαμαρτυρομένων ἡ εἰς Λούκαριν ἀποδοθεῖσα ὁμολογία τῆς πίστεως.* — Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, p. 244.

(5) *Ἡ ὁμολογία συνετάχθη ἐν τῇ ὁλλανδικῇ πρεσβείᾳ οὖσα κυρίως μικρά τις τροποποίησις τῆς καλβινικῆς ὁμολογίας, καὶ ἐδημοσιεύθη λατινιστὶ χάριν ἰδίων τῶν καλβινιστῶν καὶ ἐπιτοπίων σκοπῶν. Ἐν τῷ πρὸς τοὺς λοιποὺς προτεστάντας καὶ μάλιστα πρὸς τοὺς λατίνους ἀνταγωνισμῷ ἠθέλησαν νὰ παρουσιάσωσι τὴν ἀνατολικὴν Ἐκκλησίαν ὡς καλβινίζουσαν. Ἀλλ' ὕστερον διενοήθησαν νὰ χρησιμοποιήσωσι τὴν ὁμολογίαν καὶ ὡς προσηλυτιστικὸν μέσον διὰ τοὺς ὀρθοδόξους, ὅθεν ἐπὶ τῇ ἐλπίδι ὅτι θὰ υἱοθετήσῃ αὐτὴν ὁ Λούκαρις ἐξέδωκαν αὐτὴν καὶ ἑλληνιστί, θέσαντες εἰς τὸ στόμα τοῦ συγγραφέως τὸ μέγα ψεῦδος, ὅπερ ἀλλαχοῦ ὑπεδείξαμεν, ὅτι αὐτὸς πρωτοτύπως μὲν ἔγραψε τὴν ὁμολογίαν λατινιστί, ὕστερον δὲ μετέφρασεν αὐτὴν ἑλληνιστί.* — *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 25.

(6) *Διὰ τῆς συγγραφῆς ταύτης προφανῶς οἱ διαμαρτυρόμενοι ἠθέλησαν ἐκμεταλλεύομενοι τὴν πρὸς αὐτοὺς εὔνοιαν τοῦ Κυρίλλου, νὰ παραστήσωσι τὴν Ἀνατολὴν πᾶσαν ἐν τῷ προσώπῳ τοῦ Ἐθνάρχου ὡς καλβινίζουσαν, καὶ διὰ τῆς ψευδοῦς ταύτης φήμης ἐξ ἑνὸς προσηλητίσωσι ὀρθοδόξους, ἐξ ἑτέρου δὲ ὑπερισχύσωσι τῶν Λατίνων.* — *Ὁ κατὰ Κυρίλλου* etc. p. 8.

(7) T. I, p. 55.

calvinianis hasce insidias in Cyrillum instruentibus manum admovisse graecum aliquem esurientem, patriae religionis proditorem (1). Confessio Cyrilli, ad sententiam Chrysostomi Papadopoli, exarata est in aedibus legati Hollandiae apud ottomanos, qua legatione tunc temporis fungebatur Cornelius Haga, eo consilio ut latinis obstupentibus ante oculos poneretur graeca Ecclesia calvinianis placitis addicta. Post lapsum autem temporis, protestantes, ad simplicioris animi Graecos captandos, omnem lapidem moverunt, ut suffragio atque approbatione Cyrilli supposititiam illam confessionem communirent. Hac de causa, ex latino sermone in graecum ea translata est, perinde ac si sua ipse manu, suaque industria Cyrillum hancce Confessionem latine primum conscripsisset, deinceps vero graece vertisset.

d) Sententiae, quas hucusque exposuimus hand cunctis probantur graecis scriptoribus. Inter eos enim non desunt qui, splendore veritatis obruti, totque convicti argumentis, quae Cyrillum Lucarin desertorem fidei orthodoxae patefaciunt, in eam venerint sententiam, ut nefas sit in dubitationem vocare praefatae Confessionis authenticitatem. Certo certius eam conscripsit Cyrillus; hoc tamen gravissimum crimen ab eo patratum veniam potius commiserationemque meret quam notam infamiae. Sui generis enim amantissimus, Cyrillus ea vixit aetate, qua Graecorum res in peius ruebant, ac fere ad incitas redigebantur. Iesuitarum enim technis (graecorum scriptorum verbis utor) graeca quatiebatur Ecclesia, ac parum aberat quin sedes totius Orientis primaria, romanae sedi in servitutem sese dicaret. Ad concives suos demersos ex romano dominatu efferendos, visum est Cyrillo ad lutherana castra confugere, eorumque milites, conclamatis Graecorum rebus, auxilio sibi vocare. Ex motivis igitur politicis, nempe, ut suum populum, tot in periculis versantem, adiuvaret, novitatibus calvinianis Cyrillus indulsit, sociumque sibi remissiorem ac leniorem hostem cooptavit, ut vehementiorem infensioremque depelleret. Huic sententiae prae ceteris favent Renieris (2) atque Andrutsos (3).

(1) Mesoloras, p. 18; Malinovsky, p. 571.

(2) *Κύριλλος Λούκαρις, ὁ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης*, Athenis, 1859, pp. 54-55.

(3) *Ἡ ὁμολογία αὕτη εἶναι ἔργον τοῦ Κυρίλλου, εἰς οὗ τὴν συγγραφὴν ἤχθη ἔχων καὶ πιεζόμενος ὁ πατριάρχης, θέλων μὲν νὰ ἀσφαλήσῃ τὴν εὔνοιαν τῶν ἐν Κ. πρεσβευτῶν τῆς Ἀγγλίας καὶ Ὁλλανδίας, εὑρίσκων δὲ ἐν γένει τοὺς Διαμαρτυρομένους ἠθικῶς καὶ κατὰ πάντα λόγον ἀνεκτοτέρους τῶν σχολιῶν καὶ ὑπούλων τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας προμάχων Ἰησουϊτῶν, παρ' ὧν ὑπέστη]τὰ πάνδεινα.* — P. 33. Ad hanc sententiam propius accedere videtur praeclarus historicus Paparrigopulos. Tenet enim Cyrillum suae gentis proximum fatum timuisse, Turcis Latinisque eam obruentibus. Desperatis igitur Graecorum rebus, censuit suo generi suaeque Ecclesiae satius consulturum, si protestantium in placita concederet, eorumque

e) Denique paucissimi scriptores orthodoxi, qui rhetoricis figmentis iura veritatis praeferunt, sine verborum ambagibus, fatentur Cyrillum cogitate calvinianos errores amplexatum fuisse, atque ex motivis religiosis Confessionem suo nomine vulgatam conscripsisse. Cyrillus igitur sua defectione a fide orthodoxa, sedi *oecumenicae* infamiae notam inussit, quam delere nullus poterit sincerus historicae veritatis amicus. Huic sententiae, quam Demetracopulos (1), Troitzky (2), Lebedev (3), Balanos (4) tuiti sunt, omnes fere subscripserunt scriptores occidentales, quos transvorsos non agit partium studium. Heic etiam memorandus est Allatius, qui tenet Cyrillum eo consilio suam Confessionem edidisse ut gregem sibi concreditum in Calvinianorum nassas projiceret (5).

β') Scriptores orthodoxi, qui denegant confessionis cyrillianae authenticitatem, rationibus utuntur ad suam thesim probandam, quae fervidum patriae amorem potiusquam veritatis cultum patefaciunt. Ne temere haec dixisse videar, praecipua ex hisce argumentis heic breviter perstringemus.

α) Confessio Cyrilli Lucareos suppositia est. Latini fabulati sunt Cyrillum eam conscripsisse, ut eum facilius prosternerent, eisque adstipulati sunt protestantes, qui suam haeresim antiquissimae Graecorum Ecclesiae suffragio cohonestare studebant (6).

---

amicitiam hisce concessionibus sibi compararet: *Ἴσως ὁ Λούκαρις θεωρῶν τὴν μὲν Ἐκκλησίαν ἡμῶν τοσοῦτον ἐκθύμως πολεμουμένη ὑπὸ τοῦ καθολικισμοῦ, τὴν δὲ ὀσμανικὴν κυβέρνησιν πολλάκις ὑπενδίδουσαν εἰς τὰς ἀδιακόπους τούτου ἐνεργείας, ὠνειρύθη ποτὲ νὰ ταυτίσῃ τὸ συμφέρον τῆς διαμαρτυρήσεως πρὸς τὸ τοῦ ἑλληνισμοῦ συμφέρον· ἴσως ὑπῆρξαν ἐν τῷ πολυταράχῳ αὐτοῦ βίῳ στιγμαὶ ἀπελπισίας καθ' ἃς ἐνόμισεν ἀπαραίτητον νὰ ὑποβληθῇ χάριν τῆς σωτηρίας τοῦ ἑλληνισμοῦ εἰς θυσίας τινὰς καὶ παραχωρήσεις. Ἀλλὰ καὶ τούτου δοθέντος, οὐδὲν βεβαίως ὁριστικὸν διενοήθη καὶ ἔτι ὀλιγώτερον ἔπραξεν. — Ἱστορία τοῦ ἑλληνικοῦ ἔθνους*, t. V, Athenis, 1887, p. 481.

(1) *Ἐθνικὸν ἡμερολόγιον*, 1870, pp. 41-51.

(2) Ученo-литературные труды архим. Андроника Димитракопула (*Scripta litteraria et scientifica archimandritae Andronici Demetracopuli*), Христіанское Чтеніе, 1873 t. III, pp. 622-623.

(3) Op. cit., p. 673.

(4) *Ὁ Πατριάρχης Κύριλλος ὁ Λούκαρις εἶναι ὁ συγγραγεὺς τῆς αὐτῷ ἀποδιδομένης ὁμολογίας καὶ εἰς τὴν συγγραφὴν ταύτην ὡρμήθη μᾶλλον ἐκ θρησκευτικῶν ἢ ἐκ πολιτικῶν ἐλατηρίων. — Ἡ ὁμοτογία*, p. 5.

(5) Op. cit., coll. 1013, 1021. Ceteras Graecorum sententias recensent Balanos, *Ἡ ὁμολογία*, pp. 4-5. et Velanidiotes, *Ὁ πολύφημος Κύριλλος*, pp. 10-13.

(6) *Ἡ εἰς τὸν Λούκαριν ὑπὸ τῶν παπιστῶν καὶ τῶν λουθηροκαλβίνων ἀποδοθεῖσα μομφή, εἶναι πλάσμα οἰκτρόν, τῶν μὲν ἵνα δικαιολογήσωσι τὸν κατὰ τοῦ φαεινοῦ τούτου τῆς ὀρθοδοξίας ἀστέρου καταχθόνιον πόλεμον, τῶν δὲ ἵνα προσλάβῃ ἡ αἵρεσις τίτλον τινὰ ἐπισημότητος ὑπὸ τῆς πρεσβυτέρας τῶν Ἐκκλησιῶν δῆθεν ἀναγνωριζωμένη. — Λεξικὸν ἱστορίας καὶ γεωγραφίας*, Constantinopoli, 1881, p. 402.

b) Cum osores patriae Ecclesiaeque Graecorum toti in eo sint ut memoriam Cyrilli conscindant, necesse est Graeci adlaborent ad eius merita extollenda, ad patefaciendum eum munera fidelis pastoris diligenter obiisse nullamque meruisse reprehensionem (1). Hoc agendum praesertim aetate nostra, qua Bulgari commentitios heroas sibi componunt: Graecis igitur munus incumbit, perillustres patriae martyres, si fas est ita dicere, in scenam non afferendi proditorum personam indutos (2).

c) Accuratior analysis Confessionis cyrilliănae cordatum quemque pervincit Cyrillum eam non composuisse. Stylus enim in ea sinceritatem non redolet; contortus est, quasi ad obtegendos dolos; colorem saporemque styli ecclesiastici non refert (3).

d) Si nomine graecae Ecclesiae praefatam confessionem Cyrillus edidisset, cur ei non subscripsere episcopi et clerici sedi constantinopolitanae addicti?... Cur in codicibus maioris Ecclesiae transcripta non est, ut fieri assolebat pro cunctis documentis symbolicis?... Cur responsiones Hieremiae ad Lutheranos scripto consignata fuere in hisce codicibus, confessio autem Cyrilli praetervecta?... (4).

e) Insuper uberrima locorum Scripturarum seges, qua Confessio illa instruitur, methodum scriptorum protestantium aperte prodit (5).

f) Huc accedit quod nullum extat documentum quo certiores efficiamur sententias in illa confessione prolatas Cyrillum confirmasse; huiusce libelli exemplaria Cyrilli manu conscripta in bibliothecis asservarentur, quae crimen ab eo patratum perspicuum redderent. Quae vulgo feruntur *αὐτόγραφα* Confessionis cyrillianae, quaeque praeclaros inter codices manu exaratos bibliothecarum genevensis ac lugdunensis (in Batavia) recensentur, diversas plane litterarum formas in scriptione praeseferunt, quo fit ut maximae levitatis esset affirmare eundem virum eam transcriptorem habuisse (6). Ad sententiam Chrysostomi Papadopuli

(1) *Ὑπουλοι διῶκται καὶ δόλιοι διαβολεῖς ἐχθροὶ τοῦ Γένους καὶ τῆς Ἐκκλησίας ὤμοσαν τὴν ἐξουδένωσιν τοῦ ὑπερόχου ἀνδρός.* — Vrlanidiotes, *Ὁ κατὰ Κυρίλλου* etc., p. 20.

(2) *Καθ' ἣν ἐποχὴν μάλιστα, οἱ ἐν τῷ Αἵμῳ ἀντίζηλοι ἡμῶν δημιουργοῦσι φανταστικοὺς ἥρωας πρὸ τῶν τειχῶν τῆς Βασιλευούσης, ὡς ἐσχάτως οἱ Βούλγαροι ἀπεικονίζουσι τὸν Βόγοριν, ἡμεῖς δὲν πρέπει τοὺς ὑπερόχως ἀποδεδειγμένους ἐθνομάρτυρας νὰ καταθεατρίζωμεν ἐν ἰσοστασίῳ πρὸς ἀπαισίους προδότας.* — *Ὁ ἐθνόμαρτυς* etc., pp. 3-4.

(3) Mesoloras, p. 15.

(4) Kimmel, p. 376; Mesoloras, p. 15.

(5) Mesoloras, p. 18.

(6) Aymon, op. cit., p. 237; *Νέα Σιών*, 1905, t. II, p. 23. — *Ἐὰν ὁ Κύριλλος εἶχε συγγράψει τοιαύτην τινὰ ὁμολογίαν, σταλεῖσαν εἰς Γενεύην, ὅπου καὶ ἐτυπώθη, πάντως θὰ εὑρίσκετο, θὰ ἐσώζετο τὸ χειρόγραφον, ὅπερ τότε θὰ ἐπεδείκνυον οἱ*

a fide non abhorret conjicere Nathanaelem Kanopium (*Κανόπιος*) protosyncellum Cyrilli Lucareos (1), suppositititium illum codicem bibliothecae genevensis propria manu exarasse, quem Legrandius Cyrilli *αὐτόγραφον* exhibere falso sibi in animum induxit (2).

g) Si Cyrillus Confessionis illius auctor dicendus sit, *arcanum psycologicum*, nemini patefaciendum, nobis obversatur. Cogeremur enim asserere praeclarum virum, summis laudibus suis ab aequalibus cohonestatum, per longum annorum decursum haereseos saniem suo in corde celasse et fovisse; virum piissimum diuturna simulatione concives suos decepisse; palam dogmata fidei orthodoxae tuitum esse, clam vero eam prodidisse. Quî asseri poterit, annorum quadraginta intercapedine, neminem fallacis huiusce hominis fraudes detexisse?... (3) Cuinam mirum non videbitur fidei orthodoxae desertorem a christianis orthodoxis tanta coli veneratione, ut quidam, testante cyrillianarum homiliarum codice in bibliotheca metropoleos cretensis asservato, non dubitarint, sanctorum insignia ei decernere?... (4).

h) Adeo imminuta mente non fuit Cyrillus ut illi non innotesceret Confessionem illam protestantium technis nihil secundam futuram. Cyrillum enim *calvinizantem* nunquam sequutus fuisset grex orthodoxus, qui sub Turcarum tyrannide, dirissimis persecutionibus vexatus, maiorum fidem non abalienavit, pro eaque tuenda sanguinem effundere non dubitabit (5).

διαμαρτυρόμενοι, καὶ ἐφ' οὗ θὰ ἐστήριζον τὴν ὑπ' αὐτῶν κυρίως διαδοθεῖσαν εἴδησιν καὶ γνώμην, ὅτι ὁ Κύριλλος ἰδία χειρὶ τὴν ὁμολογίαν ταύτην συνέγραψεν. Οὐδεμία θετικὴ καὶ σαφὴς πληροφορία, οὐδεμία συγχρόνου τινὸς γνησία καὶ φιλαλήθης μαρτυρία, οὐδὲν χειρόγραφον τοῦ Κυρίλλου δύναται νὰ βεβαιώσῃ καὶ πείσῃ ἡμᾶς ὅτι οὗτος συνέγραψε τὴν ὁμολογίαν ταύτην. — MESOLORAS, pp. 20-21.

(1) LEBEDEV, Исторія греко-восточной церкви, pp. 688-690.

(2) *Πολὺ φοβούμεθα, ὅτι τὸ ὑπὸ τοῦ* LEGRAND *παρουσιασθὲν ὡς αὐτόγραφον τῆς Ὁμολογίας εἶναι πλαστογραφικὸν σκευώρημα τοῦ Κωνωπίου, λίαν ἐπιτήδιον περὶ τοιαῦτα.* — *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 22.

(3) *Ἐὰν ὁ Λούκαρις εἶχε προτεσταντικὰς δόξας, ἡ δρᾶσις αὐτοῦ, ἡ ἐπίσημος ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐν σχέσει πρὸς τὴν ὁμολογίαν, εἶναι ψυχολογικὸν μυστήριον. Πρέπει νὰ φαντασθῶμεν ἐπὶ τεσσαρακονταετίαν ὁλόκληρον τὸν ἄνθρωπον τοῦτον ἐπιμόνως ψευδόμενον καὶ ὑποκρινόμενον, ἐὰν δεχθῶμεν αὐτὸν ὡς καλβινόφρονα! διότι ἡ ἐπίσημος αὐτοῦ ὡς Πατριάρχου δρᾶσις, εἶναι ἄμεμπτος ἀπὸ ἀρθοδόξου ἐπόψεως.* — *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 28.

(4) Ib., p. 28; VELANIDIOTES, *Ὁ πολύφημος Κύριλλος*, p. 37.

(5) *Ἀδύνατον ὁ τοσοῦτον περίνους καὶ ἐπιφυλακτικὸς Κύριλλος νὰ φθάσῃ εἰς τοσοῦτον μωρίας, ὥστε νὰ πιστεύσῃ, ὅτι ἠδύνατο διὰ μιᾶς τοιαύτης ἀνεπισήμου ὁμολογίας νὰ παραστήσῃ τῷ κοσμῳ τὴν ἑαυτοῦ Ἐκκλησίαν καλβινίζουσαν, νὰ μετατρέψῃ τὴν πατροπαράδοτον ἀρχαίαν θρησκείαν, ἧς τοσοῦτον ἐρρωμένως εἶχοντο κλῆρός τε καὶ λαός, καὶ ὑπὲρ ἧς τοσοῦτον ἐρρωμένως εἶχοντο κλῆρός τε καὶ λαός, καὶ ὑπὲρ ἧς τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον αἷμα ἐχύθη.* — MESOLORAS, pp. 15-16.

i) Huc accedit quod pietas Cyrilli eum quidem avertisset a nefario illo crimine fidei depravandae, peragendo. Illud si perpetrasset, nemini dubium est quin proceres Ecclesiae, antistites et clerus una cum fidelibus in eum insurrexissent, ac tanquam pessuma labe infectum e sede patriarchali deturbassent. Testatur contra historia Cyrilli fidei Graecos plane se commisisse; calumniis, quae in vulgus disseminabantur, faciles aures non accommodasse, ac repetitis vicibus Cyrillum in sedem patriarchalem restituisse. Ecquis autem dicet Graecos, omni aetate suae fidei quam maxume addictos, regimen suae Ecclesiae calviniano magistro tradidisse? (1).

l) Nec omittendum est aetate illa Cyrillum a saevientibus in eum adversariis pene obrutum fuisse. Si Confessionem igitur calvinianam edidisset, iracundiam eorum sine dubio irritasset, eisque ansam suppeditasset haereticum eum praedicandi (2).

m) Satis quidem intempestivo silentio praetergressus et Cyrillus calumnias in se illatas, cum ad suspiciones arcendas sibi magis consuluisset, si locutus fuisset. Ab omni sane culpa remotum, qui memoriam tanti viri venerantur, eum non praedicant. At meminisse iuvat tempestate illa *Jesuitarum asseclas* sedem oecumenicam suam in potestatem redegisse (3), quare ad praecavendas eorum insidias visum est Cyrillo praesidium a protestantibus mutuari. Nil igitur mirum si postquam calviniani fictam illam Confessionem ei appinxerant, prudenter sese gessit Cyrillus, apertis verbis vel scriptis, eorum technas non detegendo. Ipsummet enim non latebat, hancce rationem agendi si secutus non fuisset, propitios sibi protestantes graviter offensurum, ac sibi suoque gregi rebus in arctis potissimum auxilium amissurum (4).

(1) *Μηδὲ ἦτο δυνατὴ ἡ ἐπαναφορά ἐν τῷ οἰκουμενικῷ θρόνῳ τοιούτου ἱεράρχου, ἀποποιουμένου τὰ οὐσιώδη δόγματα τῆς ὀρθοδοξίας, καὶ ἀρνουμένου τὰς σπουδαιτέρας τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας διδαχάς.* — Velanidiotes, *Ὁ κατὰ Κυρίλλου*, p. 12.

(2) *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 26.

(3) Ib., p. 27.

(4) *Δὲν ἤθελεν ὁ Κύριλλος νὰ προσκρούσῃ πρὸς τούτους αὐτοῦ τοὺς προστάτας ἀπ' εὐθείας, καὶ ἐγγράφως ἀναιρῶν τὴν συγγραφήν.* — Mathas, p. 307. *Καθ' ἣν ὥραν ἐξεδίδετο τὸ βιβλίον, ὁ Κύριλλος κατεπολεμεῖτο ὑπὸ τῶν πανισχύρων Ἰησουϊτῶν, καὶ ἐκ μόνων τῶν ἐν Κ. λουθηροκαλβίνων πρέσβεων ἤλπιζεν ἀρρωγὴν ἵνα ἀντιταχθῇ πρὸς τόσον ἐπιφόβους ἐχθρούς. Ὅθεν ἵνα μὴ παροργίσῃ καὶ τούτους, καὶ διακινδυνεύσῃ μετὰ τῆς ἰδίας ὑπάρξεως καὶ τὴν κυμαινομένην ὀρθοδοξίαν, ἐσιώπησεν ἀναβαλὼν εἰς καιροὺς αἰσιωτέρους τὴν διαμαρτύρησιν.* — Sathas, p. 247. *Ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε κρίνοντες, δυνάμεθα τὴν σιωπὴν τοῦ Κυρίλλου νὰ κατακρίνωμέν πως. Ἀλλ' ἐὰν ἀναλογισθῶμεν, ὅτι τοῦ Κυρίλλου τὰ θρησκευτικὰ φρονήματα, ἡ εὐσέβεια, ἡ ἀντοχὴ τῶν πατρίων, ἦσαν γνωστά .... εὑρήσωμεν τὴν τοῦ Κυρίλλου σιωπὴν σκόπιμον, καὶ συμφέρουσαν οὐ μόνον αὐτῷ τε καὶ τὴν τῆς Κ. Ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑλληνισμῷ καθόλου.* — Mesoloras, p. 21; Gedeon, p. 554.

n) Adde, quod Confessio ei tributa multas turbas excitavit in Oriente, cum vel lippis et tonsoribus innotesceret Cyrillum eam conscribere non potuisse. Necesse igitur visum non est Cyrillo documentum quoddam pubblici iuris facere, quo praefatam Confessionem solemniter reprobaret. Privatim tamen obtestatus est se purum esse a crimine quo insimulabatur, idque iureiurando confirmavit (1).

o) Si vitam Cyrilli rite expendes, statim persuasissimum tibi erit falso confessionem illam ei appingi. Inter Russos enim enixe adlaboravit ut fidem orthodoxam ab assultibus Latinorum tueretur. Cum supremum regimen Ecclesiae alexandrinae primum, deinceps constantinopolitanae ei commissum est, continenter fidei orthodoxas vindicem statoremque sese praebuit, dogmata orthodoxa praedicavit, sexcenties clerum populumque allocutus est, quin suis ex labris venenum haereseos spargeret, ac sermones, quos ineditos posteritati commendavit, calviniana labe Cyrillum infectum non fuisse palam faciunt (2).

p) Litterae quae ei tribuuntur, Cyrillum haereticum non arguunt. Praemonendum est litteras illas, quae calvinianam haeresim redolent, suppositicias esse (3). Ultro autem damus in authenticis litteris Cyrillum lugendum suae Ecclesiae statum vehementer dolere, nec non suum clerum inscitia laborantem; scientiarum sacrarum incrementa apud protestantes mirari; sua in ditione omnia instauranda fateri. Num sequitur ex hisce querimoniis eum ab orthodoxis castris defecisse?... Benignitas eius ac suavitas in advenas sibi propitios, haud quidem indicium est Cyrillum, sua fide eiurata, in pravas haereticorum sententias concessisse. Si recentioris oevi consules historiam, praelatos orthodoxos invenies qui suis in litteris conqueruntur mala, quorum mentionem Cyrillus iniecit. Constat inter omnes pios doctosque antistites, qui commercium epistolare cum haereticis inierunt, pro eo ut a fide desciscerent, maiore nisu eam peramasse, ac sartam tectam-

(1) *Κατ' ἀρχὰς ἠρκέσθη ὁ Λούκαρις προφορικῶς μόνον ν' ἀποκηρύξῃ τὴν ὁμολογίαν, διότι παρ' ἡμῖν ἐν τῇ Ἀνατολῇ, ζῶντος ἔτι αὐτοῦ, οὐδεμία σοβαρὰ ταραχὴ προῆλθεν ἐκ τῆς ὁμολογίας.* — *Νέα Σιών*, loc. cit. p. 29. — *Ἡ σημασία τῆς ὁμολογίας συνίστατο ἐν τῷ ὅτι ἔφερε τὴν ὑπογραφὴν τοῦ Πατριάρχου, ἀλλ' ἀφ' ἧς στιγμῆς οὗτος ἀπεκήρυξεν ἐνόρκως τὴν ὑπογραφὴν αὐτοῦ, τῆς ὁμολογίας τὸ κῦρος ἐντελῶς κατέπεσε.* — Ib., p. 26.

(2) *Τὸ μέγιστον πρὸς ἀθώωσιν αὐτοῦ εἰς ὅλας τὰς δημοσίας αὐτοῦ διδαχάς, ὁ μακαρίτης καὶ πρότερον καὶ μετὰ τὴν ἐμφάνισιν τοῦ βιβλίου, πάντοτε ἐκήρυττε τὰ δόγματα τῆς ὀρθοδοξίας, ὑφ' ὧν ἀναιροῦνται αἱ καλβινικαὶ δυσσέβειαι. Πῶς λοιπὸν ἄλλα μὲν ἐκήρυττεν ἀπὸ στόματος, ἔγραφε δὲ τἀναντία.* — Mathas, p. 307; Velanidiotes, *Ὁ κατὰ Κυρίλλου*, etc., p. 12.

(3) Всѣ эти письма - подложны. - Arkhangelsky, Op. cit., p. 46. — *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 23.

que servasse. Calumnia igitur de Cyrillo, Confessionis calvinianae auctore, Graecorum animos non commovit, quibus satis erat cognita eius innocentia, in doctrinaque orthodoxa tuenda generosa virtus (1).

q) Latine, aiunt, Cyrillus Confessionem suam exaravit, eaque primam lucem aspexit Genevae, deinde Romae (!). Haec statim nos certiores faciunt Cyrillum eam non composuisse. Graeco enim usus fuisset idiomate et Constantinopoli eam vulgasset (2). Fabellam hanc documenta, quae in genevensi biblioteca exstant, luculenter explodunt. Antonius enim Legerus in suis epistolis testatur se graecum exemplar Confessionis ad Diodatum mississe. Graecum autem textum quam citissime protestantes in latinum et gallicum idiomata transtulere (3).

r) Praeclara documenta extra controversiam ponunt Cyrillum, post confessionem illam evulgatam, vel magno in discrimine constitutum, fidei orthodoxae dogmata semper praedicasse, haeresimque calvinianam abhorruisse. Luculentum hac de re testimonium nobis exhibent litterae, quas, vertente anno 1634, Cyrillus ad sodalitatem leopoliensem Beatissimae Virginis Mariae misit. Hasce litteras quae in bibliotheca genevensi asservantur, Legrandius non animadvertit, vel silentio praetermisit. Ex eis pronum est colligere maxima animi contentione calumniam in se illatam Cyrillum arguisse. Disertissime enim obtestatur, dum sedi alexandrinae praepositus fuit, nihil egisse quod censoria virgula notandum fuisset. Insuper gravissimis verbis protestantes adoritur seseque crimine haereseos purgat (4). Hae litte-

(1) *Ἐάν τις τὴν σειρὰν ἁπάσης τῆς ἀλληλογραφίας ἐπισταμένως διεξέλθῃ, εἰ καί τινες τῶν ἀπροκαταλήπτως τὴν ἱστορίαν τοῦ Λουκάρεως ἑταζόντων πλαστὰς πολλὰς τῶν τὸ ὄνομα αὐτοῦ φερουσῶν ἐπιστολῶν θεωροῦσιν, ἀποδιδόντες αὐτὰς εἰς ξένην χεῖρα, εἰς ἱεροῦϊτικὴν ἐπίνοιαν* (!), *ἀφορῶσαν εἰς τὴν τοῦ Κυρίλλου ταπείνωσιν, εἰς τὴν ἔκθεσιν αὐτοῦ ἀπέναντι τῶν ὀρθοδόξων, ἀπέναντι τῆς τουρκικῆς κυβερνήσεως, εἰς τὴν τελείαν ἐξόντωσιν, ἥνπερ καὶ κατώρθωσαν, βεβαίως θέλει πεισθῇ, ὅτι ἐν αὐτοῖς οὐδὲν περιέχεται, ὅπερ νὰ ἀποδεικνύσῃ τὸν Λούκαριν καλβινόφρονα.* — Mesoloras, pp. 11-12. — *Ἐζήτησεν ὁ Λούκαρις τὴν ἀνόρθωσιν τῆς Ἐκκλησίας, ἀλλ' οὐδέποτε ἐδείχθη ζητῶν νὰ ὑποκατασήσῃ τὴν ἐν αὐτῇ ὀρθοδοξίαν διὰ τοῦ προτεσταντισμοῦ. Ἴσως ἔχων ἀνάγκην τῆς ἐξωτερικῆς αὐτοῦ ὑποστηρίξεως, πέραν τοῦ δέοντος περιεποιήθη αὐτόν.* — *Νέα Σιών*, 1907, t. V, p. 530.

(2) *Ἡ δημοσίευσις τῆς ὁμολογίας ταύτης ἐν τῇ λατινίδι φωνῇ, ἡ τύπωσις αὐτῆς ἐν Γενεύῃ, εἶτα δὲ ἐν Ῥώμῃ, εἶναι τεκμήριον καθ' ἡμᾶς ἱκανὸν τοῦ κακοβούλου σκοποῦ, τῆς μὴ γνησιότητος αὐτῆς.* — Mesoloras, p. 16.

(3) *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 25.

(4) *Οἱ τυφλοὶ πρὸς τὸ φῶς μῶμον ἡμῖν προσάψαι σπουδάζουσι, καλβινισμὸν ἐγκαλοῦντες τὴν αἵρεσιν, τὴν ἰδίαν κακὴν προαίρεσιν παραδειγματίζοντες καὶ ἑαυτοὺς τοῖς πᾶσι πονηροὺς καὶ ἀμαθεῖς ἀποφαίνοντες· αὐτοὶ γὰρ ἀμύνασθαι δι' ἄλλα διανοούμενοι καθ' ἡμῶν, ἐν ἄλλοις ζητοῦσιν ἡμᾶς ὑπευθύους ἀποδεῖξαι, ἀλλὰ μάτην πονοῦσιν, ἅ τε Θεῷ καὶ τῇ ἀληθείᾳ προσκρούοντες.* — *Νέα Σιών*, loc. cit., p. 34.

rae, ait Chrysostomus Papadopulos, coniecturas Legrandii praefatae Confessionis authenticitatem vindicantis, ex asse discingunt (1). Hisce pondus adiungit epistola illa, quam anno 1629, qno tempore primam lucem Confessio aspexit, ad Bethlen Gabor, ducem Transylvaniae misit. Scribit Cyrillus, protestantium fidem proculdubio christianam, non ethnicam, dicendam esse: in doctrinis tamen, quae principaliores habentur, hancce fidem ab ea longe distare quam docet ac tuetur catholica Ecclesia (2). Si ex politicis motivis, ut effutiunt *occidentales*, Cyrillus in eam venerit sententiam, ut Graecis, maiorum fide eiurata, protestantium vestigia premenda forent, quî poterit explicari oblatum sibi auxilium a duce Transylvaniae despexisse, ac statuisse fidem orthodoxam cum calvinianis placitis nulla coniunctione sociari (3) ?...

s) Testes insuper dignissimi fide nobis praesto sunt, qui Cyrillum sceleris corruptae fidei purissimum declarant. Inprimis Theophanes, Patriarcha Hierosolymitanus (1608-1645), qui ad Russos scribens, Cyrillum laudat tanquam virum pium, ab haeresi calviniana maxime remotum, cunctisque bonis pastoris virtutibus praeditum (4). Theophani adstipulatur Meletius Syrigus, qui hancce Confessionem supposititiam praedicat, suisque in sermonibus coram Cyrillo et populo habitis, protestantes refellit (5); Dositheus qui affirmat Cyrilli adversarios carere argumentis quibus Confessionem ab eo conscriptam fuisse demonstrent (6).

t) Hisce testimoniis maius veritatis robur addunt latini testes,

(1) Ib., p. 35.

(2) *Δὲν ἀρνούμεθα μέν, ὅτι ἡ θρησκεία ἐκείνη, τὴν ὁποίαν ἡ Ὑμ. Γ καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ λαοῦ αὐτῆς προσβεύει, ἔστι καθόλου χριστιανικὴ καὶ οὐχὶ ἐθνική· ἀλλ' ὁμολογουμένως αὕτη διαφέρει, ἐν τοῖς οὐσιώδεσι, τῆς πίστεως, ἣν ὁμολογεῖ ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία.* — Chrys. Papadopulos, *Σχέσεις Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν* Bethlen Gabor, *ἡγεμόνα Τρανσυλβανίας*, *Ἐκκλησιαστικὸς φάρος*, 1908, t. I, p. 547.

(3) *Καὶ πολιτικοὶ ἔτι ὑπολογισμοὶ καὶ ὠφελήματα τοῦ οὕτινος προϊστατο ἔθνους καὶ τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας δὲν ἠδύνατο νὰ ὀλιγήσωσιν αὐτὸν εἰς προδοσίαν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. Διότι κατὰ πεποίθησιν, ἄλλως τε, οὕτω σαφῶς ἐκδηλωθεῖσαν ἐν τῇ ἀνωτέρῳ ἐπιστολῇ, ἐθεώρει τὸν προτεσταντισμὸν ὡς πεπλανημένον θρησκευτικὸν σύστημα.* — Ib., p. 550.

(4) *Ὁ μὲν οὖν σοφώτατος Πατριάρχης Κύριλλος, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τοσοῦτον ἀπέχει αἱρέσεως, ὥστε καὶ θαρρούντως τολμᾶν λέγειν ὡς οὗτός ἐστιν ὁ κατὰ ἀλήθειαν ἀρχιερεὺς ἐν τοῖς νῦν κατὰ ἀλήθειαν ἀρχιερεὺς ἐν τοῖς νῦν κατὰ Παῦλον, ὅσιος, ἁπλοῦς, ἄκακος, ἐλεήμων, εὐσεβής, σοφὸς διδάσκαλος, καὶ τοῦ κατ' εὐσέβειαν πιστοῦ λόγου ἀντεχόμενος.* — Legrand, t. III, p. 72.

(5) Velanidiotes, *Ὁ ἐθνόμαρτυς*, p. 6; *Ὁ πολύφημος Κύριλλος*, p. 14.

(6) *Οἱ ἀντικείμενοι μηδεμίαν ἀπόδειξιν δυνάμενοι παρασχεῖν ὡς εἴη τὰ κεφάλαια τοῦ Κυρίλλου.* — Legrand, t. III, p. 72.

ut Tilenus (1), et Matthaeus Caryophyllus (2) Graecis infensissimi, qui simul ac Confessio *pseudo-cyrilliana* in lucem prodivit, protestantium fraudem eam dixerunt et cachinnis insectati sunt (3). Itidem Roe, qui anglica legatione apud Ottomanos aetate Cyrilli defunctus est, enarrat se libellum accepisse, quem anno 1627 ad calumnias in se illatas arcendas, Cyrillos conscripsisset (4).

Ex hisce hucusque expositis evictum est, aiunt scriptores orthodoxi, Cyrillum Confessionis illius auctorem non extitisse. Constat quidem primam synodum const. eum anathemate perculisse: neminem tamen latet ita synodum, egisse hortatu Cyrilli Contareni, qui vehementissimo in suum praedecessorem odio ferebatur. Documenta, quae nunc temporis praesto sunt, extra controversiam ponunt Cyrillum iniuria perculsum fuisse anathemate, quamobrem adnitendum est, subjicit Velanidiotes, ut Graeca Ecclesia immortalem illum virum eo exsolvat (5). Fatetur temen ipse Chrysostomus quaedam adhuc tenebris involuta manere, ad Confessionis cyrillianae authenticitatem quod attinet, quam forte, novis documentis detectis, clariore luce posteri offundent (6).

γ') Authenticitas Confessionis cyrillianae quaestio est arctissima sociata vinculo cum controversia de ipsiusmet Cyrilli lapsu in calvinianam haeresim. Ad istam controversiam penitus discutiendam nullum praestantius nobis exhibetur adiumentum, quam epistolae quibus semel atque iterum Cyrillus suis amicis reconditos animi sensus et cogitata patefecit. Externis igitur ad rem nostram pertractandam non indigemus testibus. Cyrillum ipsissimum loquentem audiemus, atque eius verbis, ne temere velimus omnis certitudinis historicae cardinem convellere, fidem adhibeamus oportet.

(1) *L'imposture de la pretendue Confession de Foy de Cyrille, patriarche de Constantinople,* Parisiis, 1629; Legrand, t. IV, p. 162.

(2) *Ἀποδοκιμασία καὶ κατάκρισις τῆς ἐπ' ὀνόματι Κυρίλλου Πατριάρχου Κωνστ. ἐκδοθείσης ὁμολογίας τῆς πίστεως, εὕτουν ἀπιστίας τῶν Καλβινιστῶν, ἣ συνῆπται, καὶ ἡ τῶν ἀναθεματισμάτων παρ' αὐτοῦ δὴ τοῦ Κυρίλλου πάλαι ἐκφωνηθέντων ἀπόρριψις.* Romae, 1632. De vita et scriptis Caryophylli egimus in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, t. II, coll. 1813-1815.

(3) Velanidiotes, *Ὁ πολύφημος Κύριλλος*, p. 14.

(4) *Νέα Σιών*, t. I, 1904, pp. 292-93.

(5) *Εἶναι καιρὸς ἤδη διὰ κοινῆς συνεννοήσεως τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησιῶν νὰ δοθῇ ἄφεσις καὶ λύσις τοῦ ἀναθέματος τοῦ ἐπιβληθέντος διὰ τῆς ἐν Κωνστ. Συνόδου εἰς τὴν μακαρίαν ψυχὴν τοῦ κλεινοῦ Πατριάρχου, ὅστις πρῶτος αὐτὸς τοὺς Προτεστάντας αἱρετικοὺς ἀπεκάλεσε.* — *Ὁ κατὰ Κυρίλλου*, pp. 19-20.

(6) *Νῦν ὡς ἔχει τὸ ζήτημα δὲν εἶναι δυνατὸν νὰ καταδικασθῇ ἀνεπιφυλάκτως ὁ κλεινὸς Πατριάρχης, ἀλλὰ βεβαίως δὲν δύναταί τις καὶ νὰ ἰσχυρισθῇ ὅτι τὸ ζήτημα αὐτοῦ εἶναι ἐντελῶς ἀπηλλαγμένον σκοτεινῶν σημείων, καὶ ὅτι τελείως διελευκάνθη.* — *Νέα Σιών*, 1907, t. V, p. 531.

Me non latet scriptores orthodoxos, qui coelum terramque movent ad Cyrillum calvinianis maculis dealbandum, summa ope niti ut litteras ei tributas, commentitias statuant. Haec dubia nullis firmantur argumentis. Clarissimi viri, qui de industria res a Cyrillo gestas nobis enarrarunt, Cyrillum hasce litteras conscripsisse uno veluti ore confitentur. *Αὐτόγραφα* cyrilliana, quae in bibliotheca genevensi asservantur, hoc idem apertissime produnt. Huc accedit, quod litterae quaedam Cyrilli, protestantium novitatibus vel subobscuris verbis faventes, vel prorsus consonae, graecis in bibliothecis exstant, ac perridiculum esset suspicari latinos *πλαστογράφους* eas in graecis scriniis recondidisse. Conficitur inde, praeiudicatis opinionibus inservire graecos illos scriptores, ad quorum sententiam, paucissimae litterae, quae Cyrillum orthodoxum pandunt, revera ab eo conscriptae fuere, ceterae vero, admodum numerosiores, quibus suis amicis testatur Cyrillus calvinianam haeresim amplexatum fuisse eique mordicus adhaerere in eaque gloriari, ut supposititiae, respuendae. Heic verba recolere iuvat, quibus praeclarus historicus russus I. E. Troitzky, graeculos Cyrilli causidicos increpat: « Dolendum est graecos scriptores, latinos ac protestantes contumeliis lacessere, perinde ac si ficta documenta in vulgus disseminassent, eisque hocce crimen frequenter atque imprudenter impingere. Graecis commune est hoc effugium, quotiescumque nihil reliqui maneat ad sententias sibi ingratas refellendas. Satis habent Graeci documentum illud, quod suis praeiudicatis opinionibus refragatur, suppositium declarare, et controversiarum nodos ad hunc modum solvere » (1).

Cyrillo adscribuntur plurimae litterae, graece, latine atque italice exaratae ab anno 1589 usque ad annum 1637 (2). Graecus theologus Balanos, cui potior est veritas historica, quam fucatus amor patriae, rite animadvertit harum epistolarum authenticitatem ad nostra usque tempora cultores artis criticae tuitos fuisse, eamque vel scri-

(1) Къ сожалѣнію въ извѣстномъ кружкѣ греческихъ обвиненіе католиковъ и протестантовъ въ поддѣлкѣ сочиненій разныхъ греческихъ богослововъ сдѣлалось своего рода конькомъ, на которомъ они слишкомъ часто и весьма неосторожно выѣзжаютъ. Обыкновенно къ нему обращаются всякій разъ, когда не оказывается другихъ средствъ опровергнуть то или другое, почему либо не нравящееся автору, мнѣніе объ извѣстномъ богословіе, тотъ или другой взглядъ на него, основанный на томъ или другомъ его произведеніи. Безъ дальнихъ околичностей они спѣшатъ обозвать это произведеніе подложнымъ и дѣлу конецъ. — Христіанское чтеніе, 1873, t. III, p. 623.

(2) Eas publici iuris fecerunt Aymon, op. cit., pp. 1-200, et Legrand, op. cit., t. IV, pp. 175-521, haud paucis adiectis, quae Cyrillo datae sunt.

ptores, qui Cyrillum orthodoxum decantant, invitos agnovisse (1). Ex hisce litteris in promptu est colligere ante annum 1612 Cyrillum fidei orthodoxae placitis mordicus adhaesisse. Die enim XXX mensis maii (1612) ad Wtenbogaert, ministrum Ecclesiae Hagae Comitanae, haec scribit: « Populus graecus contentus est incompta fide Christi quam ab Apostolis maioribusque suis est edoctus, in illaque usque ad sanguinem perseverat, nunquam demit, nunquam addit, nunquam mutat, semper integram *τὴν ὀρθοδοξίαν* tenet servatque ». Deinceps eum monet apud Graecos perdifficile esse novum admittere in Ecclesia, novum in fide. « Neque unquam iis consentiemus, qui etsi apparenter ad aliquod beneficium atque utilitatem videantur, at magno cum totius christianitatis scandalo ista facere res ipsa docet. Et optarem, ut una nobiscum regulam istam vestra sequeretur Ecclesia: non enim objicerentur ei, quae passim plures huius temporis scriptores objiciunt » (2). Haec epistola, inquit Chrys. Papadopulos rationes illas aperit quibus motus est Cyrillus ad foedus amicitiae cum protestantibus pangendum. Commercium epistolare cum eis init, eisque blandis verbis ac benevolis prosequitur, ut sibi auxilio sint in *pontificiis* debellandis (3).

At, insequenti anno, ad eundem scribens, plane aliis utitur verbis, quibus satis claret novarum doctrinarum semina altas iam radices in eius animo egisse. Testatur enim « cum protestantibus et cum Ecclesia eorum posse confidenter tractare, quia christiane agunt, pacem christianam diligunt, atque unionem in veritate » (4). Vehementer optat ut « spiritualibus eorum consiliis adiuvetur, et uno spiritu omnes fidem orthodoxam amplectantur » (5). Teterrimas conditiones graecae Ecclesiae moeret, ac praesertim in Iesuitas invehitur, quos ait proficere inter Graecos, quod vulpes inter gallinas (6). In hisce litteris, quae die XXII septembris datae sunt, sacramenta Cyrillus meminit, quorum duo tantum disertis verbis significat, baptismum atque eucha-

(1) *Τὸ γνήσιον τῶν ἐπιστολῶν οὐ μόνον οὐδέποτε μέχρι τοῦδε σοβαρῶς ἠμφισβητήθη ὑπὸ τῆς κριτικῆς, ἀλλὰ τοὐναντίον ὁμολογεῖται καὶ ὑπ'αὐτῶν τῶν ἀρνουμένων τὸ γνήσιον τῆς ὁμολογίας.* — *Ἡ ὁμολογία*, p. 6.

(2) Aymon, pp. 130-131.

(3) *Ἡ πρώτη αὕτη ἐπιστολὴ τοῦ Λουκάρεος πρὸς προτεστάντην θεολόγον χαρακτηρίζει πιστῶς τὴν ὅλην ἐφεξῆς δράσιν αὐτοῦ. Τείνει φιλικὴν χεῖρα πρὸς τὸν προτεσταντισμόν, ἵνα καταπολεμήσῃ τὸν παπισμόν, ὑπὲρ τῆς ὀρθοδοξίας, ἣν θεωρεῖ ὡς μὴ ἔχουσαν μεταβολῆς τινος ἀνάγκην.* — *Ὁ Κύριλλος Λούκαρις*, p. 19.

(4) Legrand, t. IV, p. 293.

(5) Ib., p. 312.

(6) Ib., p. 311.

ristiam. Ceteras questiones controversias, quae illo tempore a doctis exagitabantur atque cribrabantur, ut de libero arbitrio, praedestinatione et iustificatione, silentio praeteriit, quia de iis quid certe tenendum, nondum constaret mundo (1). Impense denique libros petit de Sacra Scriptura, quibus calviniani ad plus utuntur, aliosque auctores qui scripserant tum in theologia, tum in philosophia (2).

Quodnam, hisce litteris perlectis, iudicium de Cyrillo sine partium studio ferendum est?... Certo certius illud quod iam Balanos expressit, nempe, vertente anno 1613, Cyrillum novas de fide sententias sibi in animum induxisse, nec non credidisse Graecis idem sentiendum ac Protestantes unaque cum iis adlaborandum (3). Inter causas, quae praecipue huic fidei evolutioni (peregrina utar voce, nostra aetate usitatissima) ansam suppeditarunt, primum tenet locum librorum calvinianorum lectio, quos, ut ita dicam, devoravit, omnibusque praecibus suos amicos rogavit. Institutiones Calvini tunc temporis iam legisse, earumque praecepta animo imbibisse praefata epistola pandit. Ad significanda enim sacramenta, calviniano utitur epitheto *sigillia evangelii* (4). Mirum est igitur, Chrys. Papadopulum, qui omnes nervos ad calvinianas Cyrilli sordes eluendas intendit, hancce epistolam adnotatiunculis illustrando, asseverare Cyrillum anicitiam dumtaxat cum protestantibus coluisse, quin in rebus fidei eis assentiretur, eisque blanditum fuisse ut communem sibi inimicum facilius in fugam verterent (5).

Legrandius publici iuris fecit 14 litteras, quas Cyrillus misit ad David de Wilen, batavum. Huic viro, calvinianis novitatibus maxime addicto, rerumque orientalium peritissimo (diu enim in regionibus turcico regimini subiectis moratus fuerat), familiarissime erat Cyrillus. In praecitatis litteris, quae ad annos 1617-1619 pertinent, quid Cy-

(1) Ib., p. 310.

(2) Ib., p. 312; Lebedev, pp. 647-49.

(3) *Πάντως τῷ* 1613 *ἔχειῃ συντελεσθ ἡ μεταβολὴ ἐν τῇ ψυχῇ τοῦ Λουκάρεως· μορφοῦται παρ' αὐτῷ ἡ συνείδησις κοινότητος φρονημάτων καὶ συμφερόντων μεταξὺ ἀνατολικῆς καὶ προτεσταντικῆς Ἐκκλησίας.* — P. 8.

(4) Legrand, p. 300; Pichler, p. 86.

(5) *Ἐν τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ σαφέστερον δηλοῖ ὁ Λούκαρις τὴν τάσιν αὐτοῦ ἵνα διὰ τῆς βοηθείας τοῦ προτεσταντισμοῦ καταπολεμήσῃ τὸν παπισμόν. Ἐὰν δὲ λέγει ἐν αὐτῇ, ὅτι τὸ Πνεῦμα τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας δύναται νὰ συμβιβασθῇ μετὰ τοῦ τῶν προτεσταντῶν, διότι διάγουσιν ὡς χριστιανοί, τοῦτο δὲν σημαίνει ὅτι ἐν τῇ ψυχῇ τοῦ Λουκάρεως συνετελέσθη μεταβολή τις. Τοιαύτας ἐκφράσεις ἠδύνατό τις ν' ἀναζητήσῃ καὶ εἰς πρὸ τοῦ Λουκάρεως καὶ μετὰ τὸν Λούκαριν πατριαρχικὰ ἔγγραφα πρὸς προτεστάντας... Ὁ Λούκαρις ἦτο φίλος τῶν λουθηρανῶν χωρὶς νὰ εἶναι τὸ φρόνημα λουθηρανός.* — P. 20.

rillus senserit de calviniana haeresi, luculenter apparet. Etenim testatur maxima animi voluptate libros perlegisse, quos ei comparaverat David de Wilen, quique calvinianis placitis toti conglutinati erant (1). Ad sacramentum Eucharistiae quod attinet, diserte affirmat suam esse sententiam illam, quae figuram admittit in hoc mysterio et modum praedicandi sacramentalem (2). Gaudet igitur quod unum idemque cum calvinianis sentiat (3). Controversia tantum de predestinatione ei videtur difficilior captu (4). Graecam Ecclesiam *reformare* studet: hocce tamen negotium, obnitente praesertim Graecorum superstitione, feliciter evasurum non putat (5). Haec eadem superstitio maxime obstat quominus apud Graecos floreat *simplicitas Evangelii* (6).

Nemini dubium est, heic observat Lebedev, quin Cyrillus, cum hasce litteras scripsit, suam in protestantes benevolentiam mirum in modum adauxerit (7). Equidem non negamus Cyrillum in eisdem litteris affirmare, ad Eucharistiam quod attinet, seipsum orthodoxae favere sententiae (8). A Cyrillo tamen *orthodoxam* vocari sententiam calvinianam, quae transsubstantiationem negat (9), Lebedev candide fassus est (10). Constat igitur Cyrillum, antequam sedem alexandrinam linqueret, calvinianis placitis penitus imbutum fuisse, ac nullius ponderis argumenta mihi videntur Chrysostomi Papadopoli, qui haec denegat, tuitus, Cyrillum tunc temporis fidem orthodoxam sartam tectamque servasse, quamvis plus aequo adulationibus indulsisset, ut benevolentiam protestantium sibi conciliaret (11).

(1) « Tu tot authores nobis accommodasti, quos percurrendo tot perceperam, tot didiceram, quot nunquam apud nos audita sunt ». — Legrand, t. IV, p. 314.

(2) Ib., p. 319.

(3) Ib., p. 320.

(4) I., p. 320.

(5) « Io se puotesse reformare la mia Chiesa, lo farei molto volentieri; ma Iddio sa che tractatur de impossibili ». — Ib., 326.

(6) Ib., p. 316.

(7) Переписка Кирилла, нѣтъ сомнѣнія, показываетъ что въ это время протестантскія симпатіи Кирилла достигли уже значительнаго развитія. — Op. cit., p. 653.

(8) « De coena Domini, prima sententia est Romanorum, secunda lutheranorum, tertia orthodoxorum: istam ego sequor ». — Legrand, t. IV, p. 319.

(9) Iuxta Cyrillum, « qui fide accedit ad mensam Domini, non visibile tantum corporis et sanguinis sacramentum accipit, sed spiritualiter et interne participat vero corpori et sanguini Domini ». — Ib., pp. 319-20.

(10) Нѣтъ сомнѣнія, что подъ именемъ православнаго ученія здѣсь разумѣется Калвинское ученіе, принимаемое Давидомъ. — Op. cit., p. 652.

(11) *Ἐὰν φρονοῦμεν ὅτι ὁ Λούκαρις ὡς Πατριάρχης Ἀλεξανδρείας ὑπῆρξε μὲν φίλος τῶν προτεσταντῶν ἐν ταῖς πρὸς αὐτοὺς ἐπιστολαῖς, ἴσως πέρα τοῦ προσήκοντος μέτρου ἐξεφράζετο φιλοφρόνως, ἀλλὰ παρέμενεν ὀρθόδοξος, μὴ σαλευθεὶς ἐν ταῖς πεποιθήσεσιν αὐτοῦ.* — *Κύριλλος Λούκαρις*, p. 33.

Maioris adhuc ponderis, ad propositam nobis controversiam enodandam, videntur duae epistolae anno 1618 a Cyrillo conscriptae. Prior data est cantuariensi archiepiscopo anglicano Georgio Abbotio. Hancce russice versam primum typis vulgavit perdoctus episcopus Porphyrius Uspensky (1); deinceps graece e tabulariis excerptam monasterii sinaitici Chrysostomus Papadopulos (2). Non veretur in ea Cyrillus asserere Graecis atque Anglicanis idem esse Evangelium, eadem praedicatio, eademque sanae fidei dogmata inviolabiliter ab utrisque custodiri (3). Tam illi, quam isti, eandem fidem unamque spirant *orthodoxiam* (4), Ecclesiaque anglicana cum apostolica consentit (5).

Altera epistola die 6 septembris 1618 ad Marcum Antonium de Dominis, quem Porphyrius Uspensky dignum Cyrillo amicum ironice vocat, missa est. De ea superius verba fecimus, atque in praecipuis fidei capitibus confessionis Cyrilli nomini addictae consonam declaravimus. Ab ea igitur sub examen iterum revocanda abstineo. Satis habeo dicere desertorem catholicae fidei, Marcum Antonium a Cyrillo laudibus cumulari, praesertim ob nefarium volumen in lucem editum *De republica ecclesiastica*. Aperte heic loquitur Cyrillus: « Spiritu Sancto assiduis orationibus invocato, per triennium doctrinam graecae et latinae Ecclesiae cum ea quae est reformatae collavi. Sensim collando comperiebam in veritate sapere quae prius falso sapiebam. In tribunali conscientiae iustum me iudicem constituebam: titubabam aliquando, sed iusta lance sententias partium ponderabam; missis Patribus, Scripturae adhaerebam, et fidei analogiae. *Tandem per Dei gratiam, quia iustiorem causam esse reformatorum cognovi, Christique doctrinae magis congruam, isti me applicui* » (6).

Potiores testes producere quam Cyrillum ipsum supervacaneum arbitror. Vel coecutientibus innotescit Cyrillum praecitatis verbis suam conversionem ad calvinianam haeresim diserte fateri, in eaque gloriari, ac maius robur huic testimonio additur, si perpendatur ipsummet non ignorasse suam sinceritatem nihil sibi profuturam. Ad protestantes enim viros non scribit, ut eos sibi propitios faciat in bello *pontificiis*

(1) Первое путешествіе въ аѳонскіе монастыри и скиты (*Primum iter ad monasteria et sketas montis Athonis*), pars II, sectio 2, Mosquae, 1880, pp. 229-231.

(2) *Ἐπιστολὴ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Καντερβουρίας Ἀββότ.* — *Νέα Σιών*, t. III, 1906, pp. 3-10.

(3) *Κοινῶς ἡμῖν τὸ Εὐαγγέλιον, τὸ εὐθὲς κήρυγμα, καὶ τὰ ὑγιῆ δόγματα καὶ κατέχομεν καὶ συντηροῦμεν.* — Ib., pp. 4-5.

(4) *Μίαν πίστιν καὶ μίαν ὀρθοδοξίαν πνέοντες.* — Ib., p. 3.

(5) *Τῇ Ἐκκλησίᾳ ὑμῶν τῇ ἀποστολικῇ ὁμογνωμονοῦμεν.* — Ib., p. 4.

(6) Legrand, t. IV, p. 334.

gerendo. Quapropter loquitur candide, dulcedine perfunditur in discriminibus illis enarrandis, quae passus est antequam in clarissima luce *veritas* calvinianae haereseos ei versaretur.

Momentum harum epistolarum patronos Cyrilli non fugit, quo fit, ut pro virili parte temere inculcent eas suspectas habendas (1), Chrys. Papadopulos eo usque argutiarum procedit, ut insinuet Cyrillum fortasse Anglicanorum placita satis non cognovisse (2), cum compertum sit una cum litteris ad Abbotium, missas fuisse litteras ad Marcum Antonium de Dominis, atque in istis accuratam expositionem systematis theologici protestantium contineri. Eadem semper oberrans chorda, subjicit graecus archimandrita noluisse Cyrillum anglicanos tanquam haereticos obtrectare, ut praesidio sibi essent. At obvium est cuique praecitatos locos haud tantum amicitiam, benevolentiam Cyrilli in protestantes prodere, verum etiam consensionem in fide dogmatisque credendis. Adeo clara sunt Cyrilli verba, adeo explicita, ut cavillationibus penitus interlcludatur via. Equidem non ignoro anno 1616 in epistola quadam ad Abbotium, Cyrillum laetatum fuisse quod sua Ecclesia pacem ageret, « nulla de fide lite ant contentione inter Graecos gliscente, eosque paratos esse si necesse fuerit, durissima atque ultima sustinere potiusquam sua dogmata repudient » (3). Haec quidem Cyrillus asserit: attamen ne verbulum quidem ad novitates pseudo-reformationis reprobandas adiungit. Huc accedit quod suum animum confestim aperire nec noluerit, nec potuerit viro nondum satis cognito, qui multorum iram in eum concitasset, si Cyrillum *calvinizare* orbi notum fecisset. Nec omittendum, aetate illa praeceptiones calvinianas Cyrillum nondum plene animo imbibisse, quare minime mirum est ipsummet oscitanter egisse, fidem orthodoxam exterius tenuisse, quin dubia, quibus aestuabat, expromere auderet.

Postquam edita est in vulgo Confessio ei tributa, disertius quam superioribus annis suam calvinianis novitatibus adhaesionem Cyrillus enudare coepit. De hac re luculenta nobis congerunt testimonia litterae

(1) *Πρέπει νὰ θεωρήσωμεν ὡς λίαν ὑπόπτους τὰς πρὸς τοὺς προτεστάντας ἐπιστολάς.* — *Κύριλλος Λούκαρις*, p. 33.

(2) *Δὲν πρέπει τις νὰ παρεξηγήσῃ τὰς θερμὰς ἐκφράσεις καὶ τὰς φιλοφρονήσεις τοῦ ἀοιδίμου πατριάρχου, ἀφοῦ ἄλλως τε ἦτο δυνατὸν καὶ ἄγνοιά τις τῆς πραγματικῆς διδασκαλίας τῆς ἀγγλικανικῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῆς ἐγκύρου ἢ ἀκύρου χειροτονίας τῶν Ἀγγλων ἱεραρχῶν νὰ ὑπάρχῃ. Ὁ Λούκαρις ἤθελε π' ἀποκτήσῃ φίλους καὶ συμμάχους ἐναντίον τῶν δυσμαχήτων ἰησουϊτῶν, ὅθεν εἶναι αὐτόδηλον ὅτι οὐδαμῶς ἤθελε τοὺς νὰ ἐλέγξῃ τοὺς ἀγγλους ὡς αἱρετικούς, ἀλλ' ἐξ ἐναντίου ὤφειλε νὰ μὴ ἀποκλείσῃ τὴν ἐλπίδα ἑνώσεως αὐτῶν μετὰ τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας.* — *Νέα Σιών*, t. III, p. 10; *Κύριλλος Λούκαρις*, p. 31.

(3) Aymon pp. 44-45.

quae ab eo conscriptae feruntur ab anno 1632 usque ad annum 1637. Calvinianos novatores in eis appellat signiferos evangelii fideique orthodoxae, eosque vehementer hortatur, ne remisse sese gerant in veritate evangelica propaganda (1) Maxume dolet graecam Ecclesiam superstitione laborare, cuius scabiei contagio ex *pontificiis* in eam longe lateque manavit (2). Doctrina calviniana, orthodoxa est atque catholica. Qui eam profitentur, tanquam fratres suavissimos complectitur Cyrillus. Eum non latet hanc fidei professionem turbas ciere, ac *montes extollere*. Haud tamen percellitur metu, quia Deo illuminatore gloriatur (3). Nec blasphemiis Cyrillus parcit in falsa illa transsubstantiatione rejicienda, quae frustulum panis in corpus Christi converti fabulatur (4). Legero acceptum refert Cyrillus, si dubitationes suas circa Sacramentum Eucharistiae excusserit (5). Omni laude Calvinum cumulat, inter doctores sapientissimum, qui laetatur in coelis, ac particeps efficitur gloriae, qua Deus sanctos sibi maxume gratos exornat. Indignatur Cyrillus de subdolis sciolorum artibus qui Calvinum omnium haereticorum scelestissimum ex inscientia praedicant, et Graecos simplicioris animi in errorem inducant; gaudium tamen sibimet affert praedicatio Legeri, quae laetos iam fructus edit ac permultos ad lucem verae fidei pertrahit (6).

Haec satis habeantur. Supervacaneum enim arbitror hisce locis, quae clarius luce meridiana calvinianos Cyrilli sensus produnt, uberiora ex eius epistolis excerpta adnectere. Cyrillum loquentem audi-

(1) « Tutti voi sete li veri confalonieri dell'evangelio e della fede orthodoxa, per la quale non risparmiate a vigilie e fatiche perenni con ardente desiderio di promover la verità evangelica » (1632). — Legrand, t. IV, p. 401.

(2) « Che se ha qualche superstitione che non manca simil rogna, lo dico in buona conscientia, gli è toccata da tempo dalla romana Chiesa, usa infettare dove tocca ». — Ib., p. 402.

(3) « Alle amplissime vostre persone apro le viscere del mio cuore come a fratelli miei amantissimi, abbrazando la dottrina vostra che è orthodoxa e catholica... So che per questa mia professione contro me si sollevano e coniurano li monti, ma io sempre dico: Il Signore è mia illuminatione » (1636). — Ib., p. 455.

(4) « La transsubstantiatione, la quale di un pezeto o di pane o di scaleta fa un Iesu Christo » (1635). — Ib., p. 479.

(5) « Mi havete fato capace del sacrosanto mystero dell'eucharistia, che mi sono levati tutti li dubii (1635). — Ib., p. 482.

(6) « L'Antichristo fa paura alli simplici con il nome di Calvino, dottore santissimo e sapientissimo, che nel cielo gode e partecipa con li santi che carissimi sono al loro redentore. Li libri et opere di Calvino niuno di questi refragarij ha mai letto, ne ha notitia della dottrina d'un tal dottore. Con tutto ciò con quel nome di Calvino spaventano l'ignoranti e simplici ». — Ib., p. 455.

vimus, quapropter vehementer miramur graecum scriptorem theologiae symbolicae perfricta fronte asseverare, « in litteris Cyrilli nihil sane occurrere, ex quo possit inferri vel levissimam coniecturam facere, in calvinianos errores Cyrillum delapsum esse » (1). Haec qui temere effutiunt, aut litteras Cyrilli nomini addictas ne obiter quidem legerunt, aut veritatem, quae cuiuslibet scriptionis prima virtus est, impudenter infringunt. Censoria virgula itidem notandus Chrys. Papadopulos, qui « Cyrillum nunquam cogitasse de graeca Ecclesia per calvinianos errores pessumdanda », fidenter clamitat (2). Liquidissime patet graecos scriptores rogare, ut resignata fide Cyrillo de seipso loquenti, fucatis suis excusationibus, vel argutiis assentiamur.

Cyrilli verba, externa adhuc testimonia confirmant. Compertum est anno 1613 in urbe Constantinopolitana innotuisse iam Cyrillum calvinianis placitis adstipulari. Ut suis in litteris ad Timotheum II Patriarcham (1612-1620) Cyrillus enarrat, Neophytus II (1608-1612) qui ob multas ab eo patratas *contumacias* (3) e sede patriarchali expulsus fuerat, eum Lutheranum vel Lutherum redivivum appellitat. Lascivis dicteriis adortus est Cyrillus suum obtrectatorem (dicit eum potius ad porcos pascendos, quam homines natum esse) (4), ac stupet sibi lutherani epitheton affingi a nebulone, qui Lutheri scripta prorsus ignorat, quemque latet in quo Lutheri religio a fide orthodoxa discrepet, in quo vero cum ea conveniat. Iactanter deinceps affirmat clarum suae orthodoxiae lumen cunctis splendescere, cunctos irradiare: in ceteris quidem se non gloriari, aequum autem hoc audere, ad integrum suae fidei decus quod attinet (5). Quî potuisset hic

(1) *Οὐδεὶς περὶ δογμάτων καὶ ἀρχαίων ἐκκλησιαστικῶν διατάξεων λόγος γίνεται ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς αὐτοῦ, ἔστω καὶ κατ' ἐλάχιστον ἢ καὶ πόρρωθεν ὑποδηλῶν μεταβολὴν θρησκευτικῶν φρονημάτων παρὰ τῶν Κυρίλλῳ.* — Mesoloras, p. 12. — *Ἡ ὀρθοδοξία τοῦ Λουκάρεως φυσικῷ τῷ λόγῳ* (sic) *ἐξάγεται καὶ ἐξ ὅσων οὗτος ἔγραφεν ὁμιλιῶν καὶ ἐπιστολῶν, ἐν αἷς πλεονάκις κατακρίνει τὰ ξένα δόγματα.* — Velanidiotes, *Ὁ πολύφημος Κύριλλος*, p. 29; Id., *Ὁ ἐθνόμαρτυς*, p. 6.

(2) *Ἐζήτησεν ὁ Λούκαρις τὴν ἀνόρθωσιν τῆς Ἐκκλησίας, ἀλλ' οὐδέποτε ἐδείχθη ζητῶν νὰ ὑποκαταστήσῃ τὴν ἐν αὐτῇ ὀρθοδοξίαν διὰ τὸν προτεσταντισμόν.* — *Νέα Σιών*, 1907, t. V, p. 530.

(3) Legrand, t. IV, p. 305.

(4) *Χοίρους βοσκέτω, ὅτι ἄξιος ποιμένειν ἀνθρώπους οὐκ ἦν.* — Ib., p. 286.

(5) *Ὅτι δὲ λουτηρᾶνον με καλεῖ, παράδοξον πῶς ὁ μὴ εἰδὼς οὔτε γοῦν ἐννοιασθεὶς τὴν τοῦ Λουτῆρος θρησκείαν καὶ σοφίαν, καὶ ἐν τίσιν ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία τοῖς λουτεράνοις διαφωνεῖ, καὶ συμφωνεῖ ποίοις, ὡς ἐν σκότει δὲ περιφερόμενος, τυφλοῦ δίκην εἰς τὸν βόθυνον τοῦτον εἰσπίπτει, νομίζων ἐμοῦ τῷ ὀνόματι σῆμά τι προξενῆσαι... Τὸ τερπνὸν τῆς ἐμῆς ὀρθοδοξίας χρῆμα λάμπει τῷ κόσμῳ, αὐγάζει τῇ Ἐκκλησίᾳ· καὶ ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις οὐ συμφέρει μοι καυχᾶσθαι, ἐν τούτῳ δὲ εἰ καυχήσομαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων.* — Ib., p. 280.

rumor temere confingi, nisi Cyrillus, simul ac prima vice tumultuarie sedem constantinopolitanam occupasset, suam propensionem ad calvinianam haeresim imprudentibus verbis palam fecisset?... Cur de Cyrillo tantum haec suspicio increpuit, diuque vixit?... Si Cyrillus a crimine cuius insimulabatur remotus fuisset, nemo sane in synodo Constantinopoli habita anno 1638 eum anathemate percellere ausus esset. Maior autem evadet admiratio, si animadvertatur inter eos qui huiusce synodi anathematis subscripsere, Metrophanem Critopulum reperiri, virum scilicet, cui tamquam parens spiritualis Cyrillus adstitit, ac beneficiis eum cumulavit. Ait quispiam, Metrophanem ingrato in Cyrillum animo sese gessisse, ut calvinianae haereseos suspicionem a se removeret (1). Haec quidem studio partium dici queunt: cordatioribus tamen viris fucum non faciunt (2).

Adde quod Cyrillus calvinianis erroribus sordescentem Dositheus Helladiusque mordent. Prior conatus est plus vice simplici Cyrillum a labe corruptae fidei vindicare, praesertim in synodo hierosolymitana. Ac statim persensit, si hoc negotium suscepisset, nunquam e vado emersurum, quapropter oscitanter, dubitanter Cyrillum tuitus est, eumque una cum Luthero et Calvino anathemate perculit (3), ac vocavit *τῶν καλῶν ἠθῶν ἀναιρέτην, καὶ τῆς ὀρθοδοξίας ἐπίβουλον* (4). Alter vero testatus est Cyrillum Lucarim inter filios graecae Ecclesiae non recenseri, eumque discipulum fuisse Calvini (5).

Longius non excurremus. Nobis perinde est, sive Cyrillus calvinianae haeresi nomen dederit, sive eam reprobaverit: rerum tamen gestarum scriptorem non decet quodam quasi velo veritatem obtendere, ut humanis affectionibus inserviat. In ferendo iudicio de viris,

(1) *Ἐθυσίασεν ὁ Κριτόπουλος τὴν πρὸς τὸν εὐεργέτην εὐγνωμωσύνην, κακῶς ἴσως καὶ ἀμνήμων τῶν πολλῶν εὐεργεσιῶν, ἵνα παραστήσῃ ἑαυτὸν ἄμεμπτον τῆς ὀρθοδοξίας ποιμενάρχην, καὶ κατήγορον τῶν προτεσταντιῶν.* — Velanidiotes, *Ὁ κατὰ Κυρίλλον*, p. 15.

(2) Observat Balanus anno 1613 potuisse quidem Cyrillum de sua fide orthodoxa gloriose praedicare, cum nondum calvinianis placitis penitus adstipulatus fuisset: *Καὶ τὸ 1613 ἠδύνατο ἔτι μετὰ θάρρους νὰ ὁμιλῇ περὶ τῆς ὀρθοδοξίας αὐτοῦ, διότι κατὰ τὸ ἔτος ἐκεῖνο ἤρξατο δεικνύων φιλοπροτεσταντικὰς τάσεις, ἀλλ' οὐδεμίαν προτεσταντικὴν δόξαν εἶχεν ἤδη ἀποδεχθῇ.* — *Ἡ ὁμολογία*, pp. 8-9.

(3) *Ἀνάθεμά τον ὁποῦ δὲν ὑποτάσσεται εἰς τὴν διδασκαλίαν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, τὸν Καλβῖνον, τὸν Λούτερον, τὸν Λούκαριν.* — Legrand, p. 35. — Recentior graeculus, Cyrillum inter viros dicat, qui ut Photius, Cerularius et Scholarius sartam tectamque servarunt libertatem religiosam et politicam Graecorum. — Diamantopulos, *Μάρκος ὁ Εὐγενικὸς καὶ ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος*, Athenis, 1899, p. 21. Num Dositheus mentitus est?...

(4) Papadopulo-Krameos, *Ἀνάλεκτα*, t. I, p. 278.

(5) Op. cit., pp. 242, 246.

qui nomen suum quacumque de causa posterorum memoriae commendarunt, studio partium favendum non est. Ad nos usque pervenere documenta quae, ut verbis utar Lebedevii, non solum Cyrillum calvinianum fuisse produnt, verum etiam, eo adnitente, in Ecclesia graeca saeculo XVII manipulum quendam theologorum protestantium inter Graecos constitutum esse (1). Cerussatos viros non adamat historia, eisque larvam detrahere rectum est ac necessarium.

δ') Ex hisce hucusque disceptatis, satis abunde patet Cyrillum calvinianos errores amplexatum fuisse. Scriptores qui omnibus nervis contendunt, ut hanc ei maculam deleant, coniecturis, licentius quam par est, indulgent. Ut verbis utamur Trivierii, Cyrillus pseudo-reformatorum gloriae invidit, ac pro viribus animum appulit ad *simplicitatem Evangelii* suam in Ecctesiam invehendam. In hisce tamen conatibus anceps haesit, ac timore perculsus, ne inclementem sibi populum redderet suamque dignitatem amitteret, propositum suum palam facere non est ausus (2). Si autem tot loci, quos ex eius epistolis superius excerpsimus et collegimus, Cyrillum, ut Dositheus testatur, calvinianum occultum (*κρυφίον αἱρετικόν*) produnt, sua sponte fluit minimi momenti ratiunculas illorum habendas, qui ei *Confessionem*, quam memoravimus, abnuunt. Huiusce Confessionis authenticitas subsequentibus argumentis extra controversiam ponitur:

a) Scriptores orthodoxi, qui Cyrilli patrocinium sibi sumunt, temere affirmant Cyrillum alto praetermisisse silentio *Confessionem*, quae ei tribuitur, ac verbis etiam atque etiam testatum fuisse seipsum falso illius auctorem haberi. At, ex litteris ab eo conscriptis, quarum authenticitatem nefas est in dubium vocare, plane contrarium elucescit. Et revera, in epistola ad Diodatum, Cyrillus miratur suam Confessionem *Pontificios* maxume offendisse, quippe qui veritatem in ea contentam odio prosequantur. Constantinopoli haud pauca exemplaria *Confessionis* illius prae manibus amicorum Cyrilli terebantur, qui enixe eum rogarunt, ut sua subscriptione apposita, authenticitatis nota ea quodammodo communiret. Amicis haec petentibus satisfecit

(1) Въ греческой церкви XVII вѣка, безъ сомнѣнія по примѣру и подъ вліяніемъ Кирилла, образовался небольшой кружокъ протестанствующихъ богослововъ, которые старались знакомить Грековъ съ протестантскимъ ученіемъ и склонять къ нему. — Op. cit., p. 674-675.

(2) « Cyrille Lucar désira sans doute opérer une réformation: malheureusement, il lui manqua la fermeté indomptable et surtout la rude, mais sane franchise d'un Luther et d'un Calvin; il n'avait en lui ni l'étoffe, ni le bois dont on fait les réformateurs ». — Op. cit., p. 91 Supervacaneum duco in hunc locum admonere praecitata verba scriptorem protestantem satis aperte pandere.

Cyrillus (1). Insuper, legatus Galliae apud Ottomanos, comes de Marcheville, eum invisit, ac postquam familiariter verba cum eo conseruisset, extemplo Confessionis exemplar ei monstravit, rogavitque essetne ab eo conscripta. Hanc interrogationem, ait Legatus, suo nomine factam non esse, sed nomine romani Pontificis, quem vehemens tenebat desiderium comperiendi, utrum vere Cyrillus eam composuisset necne. Cyrillus audacter respondit semet Confessionem illam exarasse, eique firmissimo animo adhaerere, ac si quidem forte haberetur qui sibi persuasum haberet pravas in ea sententias expromi, paratum esse charitate christianis viris congrua, huiusmodi obiectiones diluere (2).

Stupet deinde Cyrillus tot viros in orbe sollicitos fieri de sua Confessione, ac Diodato auctoritatem facit eam in lucem edendi, locis Sacrarum Scripturarum locupletatam, quotquot Legerus ad corroborandam doctrinam in ea contentam sedulo congesserat (3).

Nec tantum in hisce litteris, sed et insuper in aliis, suae Confessionis Cyrillus mentionem injicit, eamque sibi vindicat, tanquam auctori (4).

Quid ad haec Cyrilli patroni?... Grandiloquentes aggerant periodos, ut pietatem Cyrilli efferant, ex eaque arguant litteras quas memoravimus, calvinianos subdole confinxisse. Ut rite observat Balanus, facile est in suspicionem adducere facta et documenta, quae nostris

(1) « Ne credeva che quella confessione havesse da scandalizzare tanto li papisti quanto mostrano esser scandalizzati, ne dovrebbe essergli in odio la verità in quella Confessione per la gratia di Dio contenuta. Qui in Constantinopoli si sono scritti molti esemplari di quella sua Confessione, e molti amici da me richiedevano che con la mano propria gli authenticassi: il che non gli negai ». — Legrand, t. IV, p. 403.

(2) « Il conte di Marcivilla, nel presente di Francia ambasciatore, venuto poco tempo è per allegrarmi della sua venuta, conforme al solito; sua E. dopo l'haver meco raggionato e finiti li soliti complimenti, mi sfodra la mia Confessione, e me mostra dimandandomi se quella fusse mia. Io riconosciutola, risposi esser mia Confessione e professione. Sua E. seguitando mi sfodra una lettera scritta da Roma dall'ambasciatore lì residente del re christianissimo, nella quale si conteniva che il Papa mandava quella Confessione all'ambasciatore qui perchè a me la mostrasse, e ricercasse se è mia. e se ho intentione di perseverare in quella. Io all'hora con intrepidità risposi esser mia, e che l'ho scritta io perchè così tengo, credo. confesso, e se qualcheduno in quella trova errore e che mostrare me lo volesse, gli risponderei christianamente e con buona conscientia ». Ib., pp. 403-404.

(3) Ib., p., 404.

(4) Ib., pp. 466; 473-74; 476-485.

praeiudicatis opinionibus refragantur: huiusmodi tamen suspiciones, quae pondere omnino destituuntur, artis criticae studiosi flocci faciunt. Methodus quidem, quam praecitati scriptores usurpant, difficiles implexarum controversiarum nodos confestim solvit: cordatis tamen viris ea semper improbabitur (1).

b) Comparatis placitis Confessionis Cyrillianae cum sententiis, quibus haud raro suas litteras Cyrillus inspersit, palam fit hasce cum illis prorsus convenire. Conficitur inde per longum annorum decursum Cyrillum in calvinianis erroribus firmissimĕ perseverasse. Ad vim huiusce argumenti infringendam, citatur epistola quam Cyrillus anno 1634 ad sodalitatem leopoliensem miserat.

In ea tamen ne verbulum quidem de sua Confessione Cyrillus facit. Ad suspicionem haereseos removendam, quae praesertim in Russia longe lateque iam fluxerat, Cyrillus nihil potius excogitare potuisset, quam sine ambagibus declarare Confessionem illam suum fetum non esse. Cur igitur altum tenuit silentium?... Haud perperam adnotat Balanus, litteras, quas adeo fidenter Cyrilli defensores nobis producunt, authenticitatem Confessionis magis magisque firmare (2). Adde, quod paucissima tantum documenta prostant, quibus Cyrillus suam *ὀρθοδοξίαν* profiteatur; quamplurima contra quae calvinianas eius persuasiones apertissime testantur. Certo certius Cyrillus coram orthodoxis ausus non est suas pravas de dogmatis fidei sententias expromere ac praedicare. Haud semel enim suis in litteris dolet sterilitatem regionum orthodoxarum in novis fidei seminibus condendis fovendisque. Si clam igitur non egisset in spargendis calvinianis erroribus, et notam infamiae sibimet inussisset, et sui gregis acerrimum in odium incurrisset. Cum enim supremum gestaret sceptrum Ecclesiae orthodoxae, summa prudentia, vel potius versutia, ei erat agen-

(1) *Θὰ ἐλύοντο πράγματι πολλὰ ζητήματα ἐὰν ἠδύνατο ἐκ καθέδρας νὰ ἀμφισβητηθῇ ἡ γνησιότης γραπτῶν μνημείων παρεχόντων δυσχερείας καὶ πράγματα, ἀλλὰ δυστυχῶς εἶναι ἐπιστημονικὸς κανὼν ὅτι ἁπλῆ ἀποφανσις, ἢ ὑποψία, ἢ εὐσεβὴς πόθος δὲν δύναται νὰ καταδείξῃ τὸ νόθον τοῦ συγγράμματος ἢ ἐπιστολῆς, καὶ ὅτι μέχρι τῆς ὑπὸ τῆς κριτικῆς ἀναμφιλέκτου καταδείξεως συγγράμματός τινος ὡς νόθου, τοῦτο λογίζεται ὡς γνήσιον.* — *Ἡ λουκάρειος ομολογία*, p. 8.

(2) *Ἡμεῖς εὑρίσκομεν τὴν ἀπολογίαν ταύτην ἕνα λόγον ἔτι ὑπὲρ τῆς γνησιότητος τῆς ὁμολογίας. Διότι ἐνῷ διὰ γενικῶν διαμαρτύρεται ὁ Λούκαρις ὑπὲρ τῆς ὀρθοδοξίας του (καὶ τίς αἱρετικὸς θεωρεῖ ἑαυτὸν ὡς τοιοῦτον καὶ δὲν κόπτεται ὑπὲρ τῆς ὀρθοδοξίας του); καὶ κατηγορεῖ τοὺς τυφλοὺς πρὸς τὸ φῶς (ἰησουίτας) ὅτι ἐγκαλοῦσιν αὐτὸν ἐπὶ καλβινισμῷ καὶ αἱρέσει, διατί, ἀφοῦ ἐγνώριζεν ὅτι ἡ πέτρα τοῦ σκανδάλου ἦτο κυρίως ἡ ὁμολογία, περὶ ταύτης οὔτε κἂν ποιεῖται λόγον ἐν τῇ ἐπιστολῇ;* — *Ἡ ὁμολογία*, p. 31; *Ἡ λουκάρειος ὁμολογία*, p. 6.

dum, ne tanquam haereticus manifestus Graecorum ommium maledictis obrueretur.

c) Patroni Cyrilli fidenter asserunt nullum in bibliothecis *αὐτόγραφον* exemplar Confessionis *pseudo-cyrillianae* asservari. Neminem latet graecorum ardelionum audacia in documentis historicis djiudicandis: supposititia edicunt, quae suis non favent praeiudicatis opinionibus (1). Constat vero in bibliotheca genevensi codicem *αὐτόγραφον* Confessionis cyrillianae exstare. Si quis scriptionem huius codicis cum ea comparet, quam praeseferunt codices *αὐτόγραφοι* Cyrilli, qui asservantur in bibliotheca constantinopolitana metochii S. Sepulchri, statim pro comperto habebit, tam illum, quam istos codices ab eadem manu exaratos fuisse. Maximae igitur levitatis est, codicem genevensem commentitium declarare (2).

Reponit quidem Papadopulos non omnia documenta, quae ad nostram spectant controversiam, pubblici iuris facta fuisse. Tenebris adhuc involuta quaedam fortasse bibliothecarum in scriniis delitescunt, quae posteri evulgabunt, Cyrillum suis maculis purgatura. Sed, notat Balanus, artis criticae studiosi documenta illa, quae tardiores nepotes, ut ita dicam, suis ex sepulchris exarabunt, non vestigant. Documenta, quae nunc temporis eis praesto sunt, sub examen revocant, atque in confesso est, haec defensoribus Cyrilli minime favere (3).

d) Praecipuum, quod affertur argumentum, ad Cyrillum excusandum, homiliarum excerpta praebent, quae suis in actis synodus hierosolymitana inseruit. Effata, quae in eis continentur, falsas cyrillianae

(1) Hancce graecorum ardelionum audaciam pro viribus imitari studet infidum illud panpolonistarum genus, quod, ad veritatem fucandam vapidis lappis provinciam historiae russicae et ruthenicae conseruit.

(2) Apte ad hunc locum Legrandius adnotat: « La plupart des Grecs qui ont écrit sur Cyrille Lucar se refuse à admettre qu'il soit l'auteur de la Confession de foi qui porte son nom. Il est impossible pour eux qu'un patriarche oecuménique ait été traître à l'orthodoxie. La Confession qu'on lui attribue a été forgée par les Calvinistes! Il va sans dire que l'on ne porte pas l'ombre d'un argument à l'appui de cette thèse surannée. On se contente de nier avec la plus parfaite désinvolture. C'est beaucoup plus commode ». — T. I, p. 318.

(3) *Ὁ ἐπιστήμων τὰς κρίσεις του ποιεῖτε μόνον ἐπι τῇ βάσει τῶν μέχρι τῆς ἡμέρας γνωστῶν καὶ ἐκδεδομένων πηγῶν, διότι ἄλλως περὶ οὐδενὸς ἱστορικοῦ γεγονότος θὰ ἠδύνατό τις ν' ἀποφανθῇ, ἐκ φόβου μὴ εὑρεθῇ νέον τι γραπτὸν μνημεῖον ἀλλοιοῦν τὴν θέσιν τῶν πραγμάτων. Ὅταν δημοσιευθῶσι νέα ἔγγραφα παριστῶντα περιφανῶς τὴν ἀθωότητα τοῦ Λουκάρεως, τότε μετὰ μεγίστης χαρᾶς καὶ ἡμεῖς θὰ ἀνομολογήσωμεν αὐτήν, ἀλλ' ἐπὶ τῇ βάσει τῶν ἤδη γνωστῶν καὶ ἐκδεδομένων, εὑρισκόμεθα εἰς τὴν λυπηρὰν θέσιν νὰ θεωρῶμεν ἐκεῖνον ὡς συγγραφέα.* — *Ἡ λουκάρεως ομολογία*, p. 13.

confessionis sententias explodunt (1). At in confesso est huiusmodi excerpta haud parum dubitationis habere. Incerta est enim eorum aetas, nec liquido constat utrum Cyrillus ante, an post calvinianam haeresim amplexatam, illas homilias conscripserit. Homiliarum Cyrilli accuratissimam analysin Balanus instituit, ex qua in hasce descendit consecutiones: Confessio Cyrilli eique adiecta quaesita et solutiones, 24 capitula comprehendunt, homiliarum autem excerpta decem tantum ex hisce capitibus adversantur: haec iterum excerpta, si diligentius inspiciantur, ad quatuor reducentur, quae sententias confessionis cyrillianae directe refellunt; ex hisce quatuor denique, quae Confessioni cyrillianae *διαρρήδην* contradicunt, tria conscripta fuere ante annum 1612, videlicet priusquam Cyrillus in calvinianorum nassas prolaberetur. Mirum igitur non est, si doctrinam tuentur orthodoxam. Restant igitur excerpta illa, quae capitulis cyrillianis de mediatione sanctorum repugnant. Haec tamen oppositio, ait Balanus, nullum facessit negotium vindicibus authentiae Confessionis, si perpendatur mobili praeditum fuisse ingenio Cyrillum, vel ponatur in hoc rerum capite calvinianis erroribus eum non adhaesisse, vel, dum populum alloqueretur, eadem verba et placita usurpanda non duxisse, quae doctis in controversiis cum theologis ei probarentur (2).

e) Auctoritas synodi hierosolymitanae iterum invocatur ad Cyrillum sua labe purgandum. Haec synodus omnem movit lapidem, ut confessionem cyrillianam spuriam declararet, atque hoc sibi negotium sumpsit, ait Balanus, ut contra protestantium assultus, qui crepabant Confessionem cyrillianam suffragio hierarchiae orthodoxae communitam fuisse, decus graecae Ecclesiae tueretur. Innuere videtur Balanus, synodum hierosolymitanam non fugisse Confessionis cyrillianae authenticitatem, hancce tamen denegasse, quia haec ratio agendi visa est utilis aetate illa, ad gravissima fidei orthodoxae pericula depellenda. In praesentiarum autem, cum nullum detrimentum ex cognita veritate

(1) Homilias Cyrilli, vel potius argumenta et delineamenta homiliarum sine ullo rhetorico apparatu exhibent complures codices manuscripti bibliothecae Constantinopolitanae metochii S. Sepulchri: Cod. 39. Papadopulos-Kerameus, *Ἱεροσολυμιτικὴ Βιβλιοθήκη*, t. IV, Petropoli, 1899, pp. 59-60; Cod. 262; Ib., pp. 235-37; Cod. 263, ib., pp. 237-43; Cod. 408, ib., p. 364; Cod. 439, ib. p. 415.

(2) *Τοῦτο ἐξηγεῖται καὶ ἐκ τοῦ ἀσταθοῦς τοῦ Λουκάρεως χαρακτῆρος καί ἐκ τῆς φύσεως τοῦ ζητήματος, καὶ πιθανῶς ἐκ τῆς γνώμης τοῦ Κυρίλλου ὅτι ἄλλος ἦτο ὁ τρόπος καθ' ὃν ἐδικαιοῦτο νὰ γράφῃ πρὸς ἐπιστήμονας θεολόγους καὶ ἄλλος καθ' ὃν ὠφειλε νὰ ὁμιλῇ πρὸς τοὺς πολλούς· ὥστε ἐκ τῶν εἴκοσι δύο κεφαλαίων μόνον ἓν εὑρίσκεται ἐν πραγματικῇ ἀντιφάσει πρὸς τὸ περιεχόμενον τῶν ὁμιλιῶν.* — *Ἡ ὁμολογία*, pp. 26-27.

in graecam Ecclesiam redundaturum sit, oportet suum cuique tribuatur (1). Huc accedit quod synodus, ut superius iam diximus, verbis usa non est, quae suspicionem calvinianae haereseos prorsus a Cyrillo amoverent. Gravissimis enim obiurgationibus eum persequuta est, eumque vocat scelestum, patremque impietatis: *ἄθλιον, ἀσεβείας πατέρα* (2). Repugnat igitur ad synodum hierosolymitanam provocare, ut Cyrillum martyrem fidei orthodoxae sanctissimumque pastorem appellemus.

f) Si Cyrillus Confessionem illam vulgasset, instant Velanidiotes et Chrys. Papadopulos, repetitis vicibus ad principem sedem patriarchalem eum Graeci non evexissent... At Synodus Hierosolymitana iamdudum huiusce eventus rationes aperuit: tradit enim, cum gravissimo scandalo ter atque inique, Batavorum praesertim ope suffultum, Cyrillum sedem patriarchalem usurpasse (3).

g) Confessionem, quam memoravimus, Cyrillo abnuit, officium illud ecclesiasticum, quod Eugenius Iannules ex Aetolia composuit (4). Quî enim ausus fuisset hicce scriptor Cyrillum, sancti epitheto exornare?... At Dositheus, cuius auctoritatem hac in re maximi aestimari nemo ambiget, difficultatem expedit. Eugenius quidem ex Aetolia, discipulus Corydalei, *calvinianis novitatibus addictus*, officium in honorem Cyrilli, ut pro sanctis assolet fieri, composuit. Hoc tamen facinus omnes reprobarunt (5). *Calvinizans* igitur scriptor, *calvinizantem* Patriarcham in sanctorum album digessit.

h) Objicitur deesse nobis testes orthodoxos qui diserte Cyrillo Confessionem illam tribuant. Obiectio tamen facillime dissolvitur. Inprimis adnotandum Graecos in id omni studio incubuisse, ut lapsum

(1) *Ἐὰν τότε τὸ καθῆκον τῆς Συνόδου ἦτο νὰ καταδείξῃ τὸ νόθον τῆς ὁμολογίας, διότι διεκυνδύνευον ὕψιστα συμφέροντα, σήμερον οὐδεὶς τῶν κινδύνων ἐκείνων ὑπάρχει, καὶ ἡ ἐπιστήμη ἐλευθέρα δύναται νὰ ὑποβάλῃ ὑπὸ τὴν ἔρευναν τῆς κριτικῆς τὴν ὁμολογίαν ἐκείνην.* — P. 29.

(2) Kimmel, p. 398.

(3) *Τρὶς παρανόμως ... καταδυναστεύσας τοῦ θρόνου Κωνστ. μετὰ μυριῶν ἐξόδων καὶ ταλαιπωριῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν τῇ τῶν ἔξω ἀπληστίᾳ καὶ τῇ τοῦ Φιλάντρας πρέσβεως συμμαχίᾳ χρωμένος.* — Ib., p. 397; Allatius, coll. 1025-1027; Balanus, *Ἡ Λουκάρειος ὁμ.*, pp. 45.

(4) Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, p. 330; Gordios, *Βίος Εὐγενίου Αἰτωλοῦ*; Sathas, *Μεσαιωνικὴ Βιβλιοθήκη*, t. III, pp. 442, 462.

(5) *Θανόντος Κυρίλλου Λουκάρεως Εὐγένιός τις πρεσβύτερος Αἰτωλός, μαθητὴς ἀρχαῖος τοῦ Κορυδαλλέως καὶ καλβινίζων, ἐποίησε κανόνα τοῦ Κυρίλλου καὶ πᾶσαν τὴν λοιπὴν ἀκολουθίαν, ἐγκωμιάζων αὐτὸν ὡς ἅγιον. Κατεκρίθη ὅμως ὑπὸ τῆς κοινότητος μετὰ ταῦτα ἡ τοιαύτη ἀποτομία.* Papadopulo-Kerameus, *Ἀνάλεκτα*, t. I, p. 278.

Cyrilli in haeresim oblivione tegerent, ac suae Ecclesiae decori Confessionis illius authenticitatem in dubium vocantes, consulerent (1). Insuper, testes dignissimi fide, patronos Cyrilli deploratam iam causam renovare produnt. Testem enim habemus Meletium Smotryscium, archiepiscopum Polocensem, qui Cyrillo magistro usus est ab ineunte aetate (2), quemque catholicae veritatis apprime convictum, catholica Ecclesia suum in sinum recepit. Post nefariam S. Josaphati Kuncevicii internecionem, Meletius in Orientem se contulit, ut germinantes suo in animo de fide orthodoxa dubitationes, graecorum antistitum adiumento et consiliis dispelleret (3). Haec tamen spes eum fefellit. Constantinopoli enim, cum Cyrillo collocutus, horrens ac fremens calvinianis placitis addictissimum eum agnovit, ab eoque pro fide orthodoxa accuratius addiscenda catechismo pseudo-orthodoxo donatus est, erroribus scatente, quem a Cyrillo compositum Zacharia Gerganus in vulgus disseminabat (4).

(1) *Πολλοὶ τῶν συγχρόνων τῷ Κυρίλλῳ ὀρθοδόξων κληρικῶν ἐκήρυττον τὸ ψευδεπίγραφον τῆς ὁμολογίας, εἴτε, ἵνα μὴ ἐν τῇ ὀξύτητι τοῦ ἀγῶνος, δώσωσιν ὅπλα τοῖς προτεστάνταις, ἢ τῇ τότε προτεσταντιζούσῃ μερίδι τῶν ἀναιολικῶν, εἴτε ἵνα διατηρήσωσι τὸ γόητρον τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου.* — Balanus, *Ἡ ὁμολογία*, p. 4.

(2) Susza, *Saulus et Paulus Ruthenae unionis sanguine B. Iosaphat transformatus, sive Meletius Smotriscius, archiepiscopus hierapolitanus*, Bruxellae, 1864, p. 15.

(3) Pelesz, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, t. II, p. 393.

(4) « Ipse vero Cyrillus, porrecta Smotriscio Catechesi a se composita, a Zacharia Gergano, anno 1622 typis, mandata, quid crederet prodidit ». — Susza, p. 30. Cfr. huiusce operis pp. 183-184. Variegatus ille centunculus theologiae panpolonicae, qui inscribitur *Encyklopedja kościelna*, notitiam historicam Meletii Smotriscii continet, ubi haec occurrunt: 1) Meletius Smotriscius, famosum illud opus, cui titulus *θρῆνος*, composuit, ut basilianus Stebelski testatur, mutuatus quamplurima ex scriptis cuiusdam Marci Antonii, archiepiscopi spoletini: *książkę Lament skompilował z księgi jakiegoś Marka Antonjusza, niegdyś arcbpa spoletańskiego* (t. XXVI, Varsaviae, 1903, p. 39). Agitur proculdubio de Marco Antonio de Dominis archiepiscopo Spalatino. *Θρῆνος* autem, quem Meletius ipse sententiis haereticis infarcitum declarat, in lucem editus est anno 1610: libri vero Marci Antonii de Dominis, qui primatum Romanae Ecclesiae conantur evertere, typis prodierunt annis 1617-1619. Quî potuisset igitur Meletius ex hisce voluminibus adhuc ineditis suas in romanam Sedem contumeliosas elucubrationes haurire, non satis assequor. 2) Asseritur Meletium consecrationem episcopalem accepisse a Theophane, Patriarca Hierosolymitano; Stebelski autem testatur huncce Theophanem nebulonem quendam fuisse, nomine Sophronium, presbyterum, non episcopum. Cordatioribus viris haec fabella nullam meret fidem, Pelesz, t. II, p. 146; 3) Cyrillus *Lucaris* vocatur *Lascaris!*... p. 40; 4) Zachariae Gergani catechismus in lucem perhibetur editus anno 1617, p. 40, dum constat primam editionem, su-

Pro eo igitur ut solamen acciperet, postquam Palaestinam invisit, reversus est in patriam maximo dolore affectus. Non solum in Russia, verum etiam in urbe totius Orientis orthodoxi metropoli dolet Meletius, fidem orthodoxam haeresibus labefactatam se invenisse (1). Cyrillus ei dixerat confessionem auricularem exterminandam esse, ac piaculares pro defunctis preces abrogandas, ut latinum purgatorium deleretur (2). Die autem 21 augusti 1627 ad Cyrillum prolixiores scripsit litteras, enixe deprecatus quidnam in nonnullis capitibus ad fidem spectantibus adversus protestantes piis orthodoxis sentiendum esset. Hasce litteras Cyrillo dedit Andreas Krasovscius, Ruthenus ex Leopoli, eisque Cyrillus respondit dextro tempore, Meletii dubitationes et quaesita se soluturum. Diu Meletius responsionem Cyrilli expectavit, ac tandem spem deposuit eam quandoque accipiendi (3). Teste igitur Meletio, antequam

---

spicor etiam unicam, typis mandatam fuisse anno 1622, Legrand. op. cit., t. I, pp. 159-170; 5) *Paraenensin* Meletii Cracoviae editam fuisse scribit anno 1628: legendum anno 1629. Haec satis habeantur. In politicis infacetiis venditandis nugatores panpolonismi in Russia, clariorem sibi gloriam comparant quam in provincia historiae litterariae suae patriae exploranda. Iuvat heic adnotare, neque librum Stebelskii scriptorem Encyclopaediae theologicae polonicae sedulo perlegisse. Stebelskius enim disertis verbis memorat Marcum Antonium De Dominis, archiepiscopum spalatinum: Lament cerkwi wschodniej, które się wyżej wyliczyly, z xięgi Marka Antoniusza arcybiskupa spalaténskiego, odstępcy od wiary katolickiej.... *Chronologia, albo porządne według lat zebranie znaczniejszych w koronie polskiej i w wielkiem xięstwie litewskiem*, t. II, Leopoli, 1867, p. 134.

(1) *Apologia peregrinatiey do Kraiów Wschodnych, roku P. 1623 y 1624 obchodzoney, przez fałszywą bracią słownie y na piśmie spotwarzoney,, do przezacnego narodu ruskiego oboiego stanu duchownego y swieckiego sporządzona*, Ex officina typographica monasterii dermanensis, 1628, pp. 95-96. De haeresibus in catechismo Zachariae Gergani contentis loquitur Meletius hac in opella, p. 118, et recte tradit catechismum illum primam lucem aspexisse Wittembergae, anno 1622, pp. 107, 120. Non videtur mihi Meletius asseruisse Cyrillum auctorem esse catechismi Gergani. Etiam Wiszniewski, praeclarus historicus litteraturae polonicae, falso tribuit Cyrillo catechesin, quam memoravimus: *Historya literatury polskiej*, t. VIII, Cracoviae, 1851, p. 335. Vide de hac re Macarium, Исторія россійской Церкви, t. XI. p. 351; Golubev, Петръ Могила, t. I, Kioviae, 1882, pp. 68, 93, 150.

(2) Susza, pp. 30-31; 43. In sua *Apologia* narrat Meletius in patriarchali Ecclesia Constantinopolitana praedicatorem quendam audivisse, nomine Benedictum, qui piaculares pro defunctis preces, tanquam inutiles, ex cultu christiano expungendas declaravit (pp. 120-121).

(3) *Kopia listu pisanego od w Bogu wielebnego Meletiusza Smotrzyskiego.. do Oyca Cyrylla Patryarchu Konst., Paraenesis, abo napomnienie do przezatnego Bractwa Wileńskiego cerkwie Św. Ducha, a w osobie jego do wszystkiego tey strony Narodu polskiego wczynione*, Cracoviae, 1629, pp. 63-95,

in lucem proderet Confessio illa, Cyrillus calvinianas praeceptiones animo penitus imbiberat, quapropter nil mirum, si adnitentibus novatoribus, eas litteris consignare non metuit (1). Authenticitatem Confessionis cyrillianae testantur synodus constantinopolitana, anno 1638 congregata, de qua superius egimus, atque hieromonachus Anselmus, qui, suis in litteris, die 6 ianuarii 1643 exaratis, narrat Cyrillum « coacta latrocinali synodo, ex sui similibus et sceleratis hominibus, insanam illam fidei professionem, Calvini dogmatis consentientem, ratam haberi, instituit, hanc autem arreptam, inscriptamque graecae atque orientalis Ecclesiae nomine ubique divulgarunt occidentales haeretici » (2). Dositheus aperte fatetur Cyrillum quidem ut orthodoxum vixisse, occulte tamen haereticum fuisse, ut satis abunde patet ex multis documentis ab eo latenter conscriptis (3). In litteris Panaiotae Nicosii, qui munere primarii interpretis in aula regia Turcarum defunctus est, ad Marchionem de Nointel, pluries injicitur mentio de Cyrillo, tanquam auctore Confessionis, quae sub eius nomine innotescit (4).

Diutius non immoramur in hac controversia discutienda. Ut meum fert iudicium, defensoribus Cyrilli non datur amplius cavillandi locus. Nugas venditant, qui in cyrilliana Confessione *Pontificiorum* fraudem odorantur. Summa impudentia hoc effingi mendacium alacritas illa ostendit, qua simul atque ea Confessio lucem aspexit, scriptores catholici calamum sumpserunt ad fidem orthodoxam tuendam, clamitantes initio fieri non potuisse, ut Cyrillus tanto dedecore suam Ecclesiam affecisset (5). Nec probabilitatis speciem praesefert sententia illa, quae calvinianis tribuit compositam a Cyrillo Confessionem. Si res enim ita se habuisset, sine dubio Cyrillus fraudem illam detexisset. Nullius ponderis est argumentum illud quod defensores Cyrilli excogitarunt, nempe Cyrillum tacuisse, ut in latinis debellandis, socios sibi protestantes adsciscerent. Exploratum enim est proditores fidei merito haberi eos omnes, qui, ad commoditatem aliquam ex suae fidei hostibus ca-

(1) Pichler, pp. 204-205,

(2) Allatius, col. 1027.

(3) *Πρῶτον Κύριλλος ὁ Λούκαρις πατριαρχεύσας ἦν ὀρθόδοξος ὡς καὶ πρότερον καὶ ἀπέθανεν ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς Ἐκκλησίας... Ὅτι ὅμως ἦν κρυφίως αἱρετικός, ἔστι φανερὸν ἐκ πολλῶν, συστατικῶν, εἰ καὶ λαθραίων καὶ ἐν παραβύστῳ γεγεννημένων.* — *Δωδεκάβιβλος*, p. 1170.

(4) Schelstrate, t. I, pp. pp. 634-636.

(5) *Δὲν εἶναι δυνατὸν ν' ἀποδεχθῶμεν ὅτι Ἰησουῖται πρὸς διαβολὴν τοῦ Λουκάρεως συνέγραψαν τὴν ὁμολογίαν, ἀφοῦ ἀπεναντίας κατηγανάκτησαν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τῇ συγγραφῇ καὶ οἱ πλεῖστοι δυτικοὶ ἀπὸ τοῦ* Van Tilen *ἐζήτουν νὰ ἀποδείξωσι τὴν πλαστότητα αὐτῆς, διότι δὲν ἐπεθύμουν νὰ πιστευθῇ ὅτι ὁ Πατριάρχης Κ. φρονεῖ ὡς οἱ προτεστάνται.* — Balanus, *Ἡ ομολογία*, p. 31.

piendam, satis intempestivo silentio hancce persuasionem in animos inducunt, se illis assentiri, etiam in haereticis sententiis. Ad rem Balanus: « Communis fert opinio fidem prodidisse graecos illos antistites, qui pro fovenda patria praesidioque sibi contra Turcas comparando, vel optarunt, vel accipere visi sunt dominatum pontificium in graecam Ecclesiam: eadem sane ratione proditoris nomen illis affingendum, qui suo in commercio cum heterodoxis, suo muneri defuere. Praesul qui tantum praebet obsequium amicis, ut, ne eis displiceat, non audeat palam facere se confessionem illam non exarasse, quam protestantes eius nomini addixerunt, quique anceps haeret in haereticis doctrinis gravique insimulatione, qua tum ipsemet cum graeca Ecclesia in discrimen vocatur, rejiciendis, nec sane cogitat bellum potius habendum quam charitatem sine Deo, hic praesul, inquam, immerito extollitur tanquam vir suos inter aequales optimus ac piissimus »(1).

Hisce verbis subscribendum puto. Si enim defensores Cyrilli contumeliis obruunt Cyrillum Contarenum, eumque suae Ecclesiae ac patriae proditorem vocant, quippe qui fidem catholicam amplexatus fuerit, nescio cur iisdem epithetis dehonestandus non sit Cyrillus ille Lucaris, quem calvinianum ostendimus. At ratio quidem est, qua Cyrillus tot maculis sordescens strenuos patronos nactus est recentiores inter graecos sciolos, eamque non aliam censeo, quam capitale odium quo Cyrillus in catholicam Ecclesiam, ac praesertim in Societatem Iesu ferebatur (2). Hocce odium ut facilius effunderet, non dubitavit fidem suae Ecclesiae calvinianis prodere. Defectionem Cyrilli ab orthodoxis castris iamdudum evicit historia, quique eam pertinaciter denegant, ad ineptias delabuntur.

(1) *Ἡ κοινὴ γνώμη πάντοτε ὡς προδότας ἐχαρακτήρισε πάντας τοὺς ἱεράρχας ἐκείνους, οἱ ὁποῖοι ἔστω καὶ χάριν ἐθνικῶν συμφερόντων (τῆς προστασίας κατὰ τῶν Τούρκων) ἐπεζήτησαν ἢ ἐφάνησαν ἀνεχόμενοι τὴν ὑποταγὴν τῆς Ἐκκλησίας ὑπὸ τὸν παπικὸν ζυγόν· κατ' ἀναλογίαν ὡς προδότην χαρακτηρίζομεν ἐκεῖνον, ὅστις ἐν ταῖς σχέσεσιν αὐτοῦ πρὸς ἑτεροδόξους ἐπελάθετο τῶν πρὸς τὸ ἀξίωμά του ἱερῶν ὑποχρεώσεων... Ἱεράρχης, ὅστις χάριν ἀβροφροσύνης, ἵνα μὴ δυσαρεστήσῃ φίλους, πλαστοργήσαντας μάλιστα τοιαύτην ὁμολογίαν εἰς βάρος του, σιωπᾷ, διστάζων ν' ἀποκηρύξῃ ἑτερόδοξα φρονήματα καὶ κατηγορίαν δεινήν, ἐκθέτουσαν οὐ μόνον αὐτόν, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἐκκλησίαν του, λησμονῶν τὸ « Κρεῖσσον πόλεμος, ἀγάπης χωριζούσης Θεοῦ », εἶναι ἀνάξιος νὰ θεωρῆται ὡς ὁ ἄριστος τῆς ἐποχῆς του.* — *Ἡ λουκάρειος ὁμολογία*, p. 11.

(2) Hoc Cyrilli odium, praeter eius litteras, testatur Dialogus ab eo conscriptus, cui titulus est: *Διάλογος βραχύς, ἐν ᾧ καταλεπτῶς θεωρεῖται ὁ κίνδυνος ὁποῦ μέλλει νὰ προξενήσῃ πολὺ κακὸν καὶ ζημίαν, προβαίνοντος τοῦ καιροῦ, εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τῆς Κ., διὰ τῆς παρουσίας τῶν Γεζουιτῶν εἰς τὸν Γαλατᾶ, καὶ σκέψεις πῶς ἤθελεν εἶσθαι δυνατὸν ὁ τοιοῦτος κίνδυνος νὰ καταλυθῇ.* — Papadopulo-Kerameus, *Ἀνάλεκτα*, t. I, pp. 220-230.

ε′) Authenticitatem Confessionis cyrillianae tuemur, quin tamen asseramus eam ut librum symbolicum graecae Ecclesiae efferendum. Synodus hierosolymitana disertis vehementibusque verbis hoc declaravit: «Ὅτι δὲ καὶ τοῦτο ἀδύνατον, τὴν Κυρίλλου δηλαδὴ ὁμολογίαν τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας εἶναι ἢ ὅλως λέγεσθαι ὁμολογίαν, δῆλον, εἰ μή πού τις μαίνοιτο, καὶ τοῖς φανερωτάτοις ἐναντιοῦσται πειρῷτο (1). Nobis igitur morandum non est in re tam clara explicanda. Confessio illa cyrilliana privatos Cyrilli errores, non autem graecae Ecclesiae doctrinam nobis proponit (2). Conficitur inde, Aymonium et Kimmelium Confessionem illam quam Matthaeus Caryophyllus vocabat ἀσύνετον σπερμαλογίαν καὶ αἱρετικὴν σαπρολογίαν (3), iniuria in album librorum symbolicorum graecae Ecclesia recensuisse. Hoc quidem lubenter fatemur, ac simul ex hisce hucusque disceptatis nobis ius vindicamus inferendi, graecam Ecclesiam, quae suos inter antistites magistrum infallibilem non habet, quaeque non potest amplius ullum concilium oecumenicum convocare, ad magisterium ecclesiasticum in rebus fidei exercendum idoneam non esse.

9. Inter nuperos Ecclesiarum orthodoxarum libros symbolicos maximam auctoritatem adepta est *Confessio Orthodoxa*, nomini Petri Moghilae, metropolitae kioviensis, addicta. Ad eam quod spectat, Moghilae vita primum delineata, nobis inquirendum est: α′) *Quaenam ferantur praecipuae huiusce libri editiones et versiones*; β′) *Quando fuerit composita atque approbata*; γ′) *Quisnam habendus sit verus eius auctor*; δ′) *Quonam idiomate conscripta fuerit ab origine*; ε′) *Quaenam res in ea contineantur*; ς′) *Quidnam de valore theologico ac symbolico huiusce Confessionis sentiendum.*

Petrus Moghila merito quidem laudatur tanquam antistes, qui rebus praeclare gestis, parvam Russiam illustravit, vertente saeculo XVIII, ac sedulam impendit operam collapsae sui cleri disciplinae studiisque sacris instaurandis (4). Ortum habuit die 21 decembris 1596

(1) Kimmel, p. 380.

(2) Balanus, Ἡ ὁμολογία, p. 29.

(3) Op. cit., pp. 35, 116, 117.

(4) In vita rebusque gestis Petri Moghilae enarrandis omnes fere insumpsit sui ingenii vires clarissimus vir Stephanus Timotheevitch Golubev, professor Academiae ecclesiasticae kioviensis, qui posteritati suum nomen commendavit ingenti opere, cui titulus: Кіевскій митрополитъ Петръ Могила и его сподвижники: опытъ историческаго изслѣдованія (*Petrus Moghilas, metropolita Kioviensis, eiusque socii: specimen disquisitionis historicae*), t. I, Kioviae, 1883; t. II, 1898. Desideratur adhuc tomus tertius, ubi, quantum praesagire possum, controversias ad Confessionem Petri Moghilae spectantes, auctor penitus discutiet. Primum volumen operis praecitati recensuit N. I. Petrov, Журналъ министерства народнаго про-

ex parentibus, nobilitate generis clarissimis. Patrem enim sortitus est Simeonem Moghilam (romenice *Movilă*) principem Valachiae, ac postea, *hetmanum*, quem vocant, Moldaviae. Nihil fere ad nos pervenit de studiis quibus operam navavit Petrus, dum primam ageret adolescentiam. Illud tamen constat, civilibus turbis tunc temporis Moldavia exagitata, a matre in Poloniam perductum fuisse, post mortem patris, quae anno 1607 (Picot), vel 1608 (Golubev) atigit. Communis fert eruditorum sententia' in litteras humaniores addiscendas Leopoli incubuisse, ubi, ea tempestate, schola sodalitatis *stavropigigianae* florescebat. Tradunt scriptores quidam, studiorum causa vel Parisiis, vel in Hollandia moratum fuisse. Documenta tamen quae hancce suspicionem firment, nobis praesto non sunt.

In Polonia *singularem patronum* nactus est Stanislaum Zolkiewskium, cancellarium regis, quo defuncto, in clientela fuit *hetmani* Chotkiewicii, quem enixis precibus rogavit, ut armorum vi, si opus fieret, pristinum avorum principatum sibi recuperaret. Haud tamen

---

свѣщенія, Petropoli, 1884, t. CCXXXI, sectio II, pp. 148-165, ac recensionem hanc sub examen revocavit Golubev in commentario periodico Шруды К. Д. А., 1884, t. I, pp. 416-484; de altero volumine, disseruit Th. Titov in opella: Кіевскій митрополитъ Петръ Могила, митрополитъ кіевскій, Прибавленія *Operibus Sanctorum Patrum russice versis*, t. IV, 1846, pp. 29-76; Память о Петрѣ Могилѣ, митрополитѣ Кіевскомъ, въ кіевской духовной Академіи, Воскресное Чтеніе, 1861, t. XXIV, pp. 411-418; Bojovsky, Петръ Могила, митрополитъ кіевскій, Ib., 1863, t. XXVII, pp. 1147-60; 1177-91; 1268-78; 1298-1306; Сподвижники Петра Могилы въ борьбѣ его съ уніей въ югозападномъ краѣ Россіи, Ib., 1315-27; Pavlovitch, Шруды Петра Могилы, митрополита Кіевскаго, для церковной проповѣди, Руководство сельскихъ пастырей, 1873, t. I, pp. 116-23; 143-49; Golubev, Петръ Могила и Исаія Копинскій, Православное Обозрѣніе, 1874, t. I, pp. 210-43; 303-26; Cistovitch, Очеркъ исторіи западно-русской церкви, t. II, Petropoli, 1882, pp. 121-132; Golubev, Кіево-Могилянская коллегія при жизни своего фундатора Кіевскаго митрополита Петра Могилы, Шруды К. Д. А., 1890, t. III, pp. 535-57; Id., Борцы за православіе южнорусской церкви 30-хъ годовъ XVII столѣтія, Миссіонерское Обозрѣніе, 1898, pp. 958-987; 1147-70. De scriptis Golubevii vide Прав. Бог. Энц., t. IV, Petropoli, 1903, coll. 483-85 De operibus liturgicis et polemicis Moghilae disseruere Kryjanovsky, О Шребникѣ кіевскаго митрополита Петра Могилы, Руководство для сельскихъ пастырей, 1860, t. II, pp. 185-206; 210-231; 272-287; 296-316; 449-462; Golubev, Памятники литературной полемики православныхъ южноруссцевъ съ латино-уніатами, Kioviae, 1887, pp. 49-189. Huic elencho adiungendi: Enacenu, *Petru Movilă*, *Biserica orthodoxă română*, t. VII, 1883, pp. 21-33; 129-30; 193-94; 257-58; 278-89; 431-53; 618-22; 657-96; 734-72; t. VIII, 1884, pp. 31-39; 89-121; 185-221; 282-320; Picot, *Pierre Movilă*, apud Legrandium, t. IV, pp. 104-159; Jablonowsky, *Akademia Kijowsko-Mohilańska: zarys historiczny na tle rozvoju ogólnego cywilizacyi zachodniej na Rusi*, Cracoviae, 1900.

compos voti factus est, quapropter in regionem kioviensem sese recepit, ibique familiaritate usus metropolitae Iob Boretzkii, maxima apud eum gratia valuit. Vita defuncto Zacharia Kopystenskio, archimandrita percelebris *λαύρας* kioviensis, cui nomen *Petcherskaia*, non sine invidia et contentionibus, in eius locum suffectus est. De causis, ob quas vitae religiosae nomen dedit, multi multa scripserunt, quae tamen in medio relinquimus, cum nihil certi hac de re possit afferri.

Ea tempestate Petcherskaia *λαύρα* fidei orthodoxae censebatur arx munitissima, quippe quae ad catholicos ritūs orientalis debellandos, quos *unitos* appellitamus, acerrime pugnaret. Petrus Moghilas, simul ac suam dignitatem ingressus est, in istis profligandis omnem industriam ponere coepit. Ut finem hunc felicius assequeretur, sibi persuasit nullum haberi praestantius adiumentum, quam theologicarum disciplinarum alacrius studium. Hac de causa typographiam *λαύρας* ampliavit, summaque contendit ope, ut emendatius atque elegantius libri liturgici suae Ecclesiae in lucem ederentur. Primas egit in synodo Kioviae congregata anno 1628, ac Meletium Smotriscium quo primum familiarissime utebatur, ob conscriptam ab eo Apologiam, tanquam desertorem fidei orthodoxae vehementer reprobavit.

Anno 1633 consecratus est episcopus et metropolita kioviensis in urbe Leopoli (1). Vixdum Kioviam reversus est, coegit *unitos* ut perantiquam S. Sophiae cathedralem ecclesiam orthodoxis redderent. Omnem deinceps contulit operam in studiis sacris promovendis, *heterodoxis* debellandis, suamque Ecclesiam, diuturnis morbis conflictatam, renovandam. Ad meum non pertinet officium res ab eo gestas enarrare. Cessit e vivis mense decembri 1646, viribus adhuc pollens corporis atque ingenii: quinquagesimum enim agebat aetatis annum. Praeclarum nomen posteris reliquit, praesertim eo quod conditor perhibetur collegii kioviensis-moghilani, quod post lapsum temporis in percelebrem Academiam kioviensem excrevit. Haud immerito dicitur suae Ecclesiae faciem adeo in melius immutasse, ut ab eo quodammodo florescere coeperit (2).

(1) Falso asserit Michalcescu, Theophanem Patriarcham Hierosolymitanum, eum consecrasse metropolitam, p. 22; cfr. Golubev, t. I, pp. 545. Huic errori litterae Nectarii ansam dederunt, Kimmel p. 46. Ait etiam, Petrum quodam in praelio strenue sese gessisse: « Er zeichnete sich aus durch Tapferkeit in einer Schlacht », p. 22. Profecto nollem dicere Petrum Moghilam *tunc fugisse maxume cum pugnaretur maxume*, ut de Sosia facete narrat Plautus. Attamen de bellica virtute Petri Moghilae documenta historica altum servant silentium. — Golubev, t. I, pp. 53-54.

(2) « Si Movilă nous choque souvent par ses allures despotiques, il n'est pas douteux que ses talents, ses connaissances variées, ses relations de famille, son

α') Sub nomine Petri Moghilae innotescit liber ille symbolicus Ecclesiarum orthodoxarum, qui inscribitur : « *Ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς* (1). Hic liber diu post mortem Petri Moghilae sine loci et temporis notatione, graece lucem aspexit. Communis fert opinio, quam tuentur Hofmannus, Bolkhovskius, Kimmelius (2), Winer, Gass, Philaretus, Müller, Andrutsos, Michalcescu, hanc principem Confessionis editionem Amstelodami in Hollandia anno 1662 absolutam fuisse. Ut mea est sententia notatio temporis apud laudatos scriptores, haud parum habet dubitationis. Ad aetatem enim huiusce Confessionis quod attinet, tria nobis affernntur testimonia: 1) *Acta* Synodi Hierosolymitanae (1672), ex quibus colligitur sex aut septem annos ante convocationem huiusce synodi Confessionem illam vulgatam; 2) *Historia Patriarcharum hierosolymitanorum* Dosithei, ex qua hauritur Nicosium Panagiotam typis edidisse Confessionem illam in Hollandia. cum sceptrum patriarchale Constantinopoli teneret Methodius III

---

activité incessante n'aient ouvert pour l'Église russe une ère nouvelle. Il réussit à répandre l'instruction chez les prêtres, qui en étaient entièrement dépourvus, et leur donna la cohésion qui manquait au clergé grec. L'école de Kiev est devenue la pépinière d'où sont sortis la plupart des hommes qui ont marqué depuis deux siècles et demi dans l'histoire religieuse de la Russie; elle suffirait à rendre glorieux le nom de son fondateur. — Legrand, t. IV, p. 119.

(1) De Confessione Petri Moghilae praesertim egerunt; Hofmannus, *Historia catechismi russorum*, Dissertatio praefixa editioni vratislaviensi Confessionis (1751) sine paginarum enumeratione; Bolkhovsky, Разсужденіе о книгѣ именуемой православное исповѣданіе вѣры соборныя и апостольскія церкве восточныя, сочиненной кіевскимъ митрополитомъ Петромъ Могилою (*Disquisitio in librum qui inscribitur Orthodoxa Confessio fidei apostolicae et synodalis Ecclesiae orientalis, composita a Petro Moghila metropolita Kioviensi*), Petropoli, 1804. Falso tradit Philaretus hancce opellam editam fuisse anno 1808, Обзоръ русской духовной литературы, p. 193. Recusa est sine nomine auctoris in commentario periodico Христіанское Чтеніе, 1844, t. II, pp. 223-67. Quo factum est ut Philaretus eam alteri tribueret scriptori, Ib., p. 194; *Perpétuité de la foi*, t. III, Parisiis, 1841, coll. 331-348: Kimmel, pp. LIII-LXXV; Gass, pp. 69-74; Legrand, t. II, pp. 202-216; Michalcescu, *Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας*, pp. 22-25. Apud Romenos de ea disseruerunt: Erbiceanu, *Actele istorice naționale cuprinse în Mărturisirea ortodoxă inprimată la Snagov în Valachia la* 1699, *Rivista teologică*, Jassii, 1885, t. III, pp. 411-16; Melchisedec, op. cit., pp. 52-58; Gennadius, episcopus urbis Rimnîc, *Istoria mărturisirei ortodoxe. Biserica ortodoxă română*, t. XXII, 1898, pp. 807-22; 852-73; 866-68; Iorga, *Istoria literaturiĭ religioase a romînilor până la* 1688, pp. CXXX-CXLII.

(2) *Πρὸ ἐτῶν καὶ μάλιστα ἓξ ἢ ἑπτὰ βίβλος τετύπωται, ἐπιγραφομένη ὁμολογία ὀρθόδοξος τῆς ανατολικῆς Ἐκκλησίας.* — Kimmel, p. 336.

(1668-1671) (1). 3) *Epistola* Dosithei hierosolymitani, quae praefixa est editioni snagoviensi Confessionis (1699), quaeque eadem nobis tradit ac praecitata Historia Patriarcharum (2). Ex hisce igitur testimoniis satis abunde patet principem illam editionem anno 1668 prodiisse, vel potius 1667, ut novis documentis allatis, extra controversiam posuit Legrandius (3). Si res ita se habet, emendanda est notatio temporis, quam communiter praebent, ad hanc editionem quod spectat, scriptores theologiae symbolicae.

Ex iisdem testimoniis facili negotio primoeva historia huiusce libri adumbratur. Antequam lucem aspiceret, in codicibus manu exaratis pervulgata erat, atque imprimis Constantinopoli satis cognita. Nicosius autem Panagiota († 1673), magnus interpres in aula regia Turcarum, cum pro comperto habuisset pauca tantum exemplaria pretiosae illius opellae superesse, eam recondere sibi proposuit. Ut narrat Nectarius, Panagiota, vir optime meritus de rebus tam ecclesiasticis quam politicis Graecorum, suis sumptibus Confessionem Petri Moghilae edidit ac statuit, ut nulla exacta pecunia, exemplaria huiusce editionis inter pios orthodoxos distribuerentur (4). Exploratum tamen est Ordines status belgico-batavici, pecuniam pro expensis impressionis acceptam, Panagiotae usque ad ultimum obolum renumerasse (5),

(1) *Ἐπὶ τῆς πατριαρχείας τοῦ Μεθοδίου ὁ μέγας ἑρμηνευτὴς τῆς κραταιᾶς τῶν Ὀθωμανῶν βασιλείας Παναγιωτάκης ἐνήργησε καὶ ἐτυπώθη ἐν τῇ Ὀλάντᾳ τὸ βιβλίον τὸ καλούμενον Ὀρθόδοξος Ὁμολογία, ὅστις ἐν Κρήτῃ ὢν μετὰ τοῦ βεζύρη, ἔλαβε τὰ τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας βιβλία, καὶ ἔπεμψεν αὐτὰ τῷ Πατριάρχῃ. ὁ δὲ Πατριάρχης διένειμεν αὐτὰ τῷ ὀρθοδόξῳ λαῷ δημοσίως.* — *Δωδεκάβιβλος*, p. 1177.

(2) *Περίπου δὲ τὸ ᾳχξη' ἔτος ἐτύπωσαν αὐτὴν οἱ πρωτεύοντες ἐν τῇ βελγικῇ διὰ μεσιτείας τοῦ τότε μεγάλου βασιλικοῦ ἑρμηνέως τοῦ μακαρίτου Παναγιώτου, πλὴν ἐν ὀλίγοις βιβλίοις, ἅτινα λυτὰ ἦτοι ἄδετα ἐμοιράσθησαν ἐν Κ. παρὰ τοῦ τότε ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κ. Μεθοδίου ἐκ μέρους τοῦ εἰρημένου ἄρχοντος.* — Legrand, t. II, p. 202.

(3) « Iustin Colier, résident de Hollande à Constantinople en 1672, déclare avoir apporté avec lui les caisses contenant les exemplaires de l'ouvrage. Or comme ce diplomate arriva à Constantinople le 25 mai 1668, on peut en conclure que la Confession orthodoxe fut achevée d'imprimer en 1667 seulement. Autrement, les États l'eussent envoyée plus tôt ». — T. II, p. 204. Adnotamus etiam scriptores operis *La perpétuité de la foi* principem editionem Confessionis ad annum 1662 retulisse.

(4) *Ὁ κύριος Παναγιώτης, οἷα τοῦ ἡμετέρου τῶν Γραικῶν γένους ἐς ἄκρον ζηλωτής, καὶ τοῦ ὀρθοδόξου ἡμῶν δόγματος διάπυρος ὑπασπιστής, πρὸς τοῖς ἄλλοις αὐτοῦ μεγαλοπρεπέσιν ἔργοις, καὶ τοὔργου τούτου γενέσθαι προστάτης οὐκ ὤκνησε, τοῦ τύπῳ δηλαδή... οἰκείοις ἀναλώμασι ταύτην ἐκδοῦναι, ἵν' ἕκαστος τῶν εὐσεβεῖν βουλομένων δίχα δαπάνης ἀμισθὶ γὰρ πᾶσι τὰς βίβλους διδόσθαι παρεσκεύασε κτᾶσθαι τούτην δύναιτο.* — Kimmel, pp. 50-51.

(5) Legrand, t. II, p. 204.

quod non sine consilio factum fuisse putat Kimmelius, nempe ut vir tanta praeditus apud Turcas auctoritate pro tempore acceptum beneficium beneficiis rependeret (1). Haec editio princeps graecum tantum continet textum (2). Auctor vel interpres stylo, quem *communem*, *vulgarem* Graeci appellitant, usus est, eo quidem consilio, ait Nectarius, ut non solis eruditis, sed et imperitae plebeculae Confessionis doctrinam faciliorem redderet (3)

Heic candide fateor me ancipitem haerere in stabiliendo utrum hancce editionem principem, paucis interiectis annis, altera subsequuta sit necne. Plerique scriptores in eam venerunt sententiam, ut Confessio, Amstelodami primum edita, anno 1672 recusa sit. Hanc editionem revera extitisse videtur testari Dionysius, Patriarcha Const., suis in litteris datis mense iulio, anno 1672. In eis enim narrat Confessioni orthodoxae exemplaria gratis distributa fuisse, ac sua aetate plurimos haberi qui vehementissime ea peterent. Ne tot igitur piorum virorum frustraretur spes, Dionysius Panaghiotam iterum atque iterum rogavit, ut denuo pretiosam opellam, fidei orientalis succum continentem, typis evulgaret. « Et sicut zelo ardenti flagrat (Panaghiota), affectuque maximo ob bonum publicum, non nostrum neglexit consilium, sed e contra statim Dei gratia illud executioni mandavit, secunda impressione donans fidelibus numerum considerabilem librorum (4) ». Haec altera editio, curante Meletio Syrigo, lucem aspexit (5). Huiusce eventus me-

(1) Pp. LXII-III.

(2) Fallitur Michalcescu ceterique scriptores cum eo, qui affirmant graecum textum una cum latina versione prodiisse in lucem. P. 23. Huic sphalmati firmamentum dedit Nectarius, qui sua in epistola Confessioni praefixa asseruit Panaghiotam Confessionem vulgasse *κατὰ τὴν ἡμῶν τε καὶ τῶν Λατίνων φωνήν*. — Kimmel, p. 51.

(3) *Εἰ δὲ καὶ πεζῇ τῇ φράσει ἐκδίδοται (διὰ τὸ οὐ μόνον σοφοῖς ἀνδράσι, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς εὐξύνετον εἶναι), οὐ χρὴ θαυμάζειν. Καὶ γὰρ οὐ πρὸς τὸ ἀκαλλὲς τῆς φράσεως, ἀλλὰ πρὸς τὴν τῶν λεγομένων ἀλήθειαν ἀποσκοπεῖν δεῖ τὸν ἐχέφρονα.* — Ib, p. 51.

(4) *Ὅστις οἴκοθεν ἔχων τὸν ζῆλον καὶ διάπυρον ὅσην τὴν ἔφεσιν πρὸς εὐεργεσίαν τοῦ γένους οὐ παρὰ θύραν ἦκειν ἀφῆκε τὰς ἡμετέρας βουλάς, ἀλλ' ὑπερβαλλόντως ἀσμενισάμενος τὴν ἐγχείρησιν παρὰ χρῆμα τὸ ἔργον, Θεοῦ συναντιλαμβάνοντος ἐξετέλεσε, καὶ πάλιν τυπώσει δευτέρᾳ βιβλίων οὐκ ὀλίγων ἀριθμὸν τοῖς εὐσεβέσιν ἐπεδαψίλευσε.* — Legrand, t. II, p. 214; Schelstrate, t. I, p. 639.

(5) *Λίαν γὰρ ἐκθύμως ἐκεῖνος ἀμφεπονήσατο ὁ κὺρ Μελέτιος Συρίγος, ὡς τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας διδάσκαλος δόκιμος, πατριαρχικῇ ποτε· καὶ συνοδικῇ προτροπῇ τὴν ἀνακάθαρσιν καὶ διόρθωσιν τοῦ προκειμένου βιβλίου.* — Ib., p. 214. Haec tamen verba de priore editione intelligenda sunt, vel de emendationibus factis a Meletio tempore synodi iassensis. Fato enim concessit Meletius, ad sententiam Demetracopuli, anno 1862.

moriam posteris commendavit Dionysius. Ex eius tamen verbis non datur ius inferendi Confessionem illam denuo impressam fuisse. Eruditissimi viri, qui sedulo innumerarum bibliothecarum scrinia pervestigarunt ad veteres graecorum editiones colligendas, ne mutilum quidem exemplar huiusce editionis reperire potuerunt. Mentionem injicit Papadopulos Vretos cuiusdam editionis constantinopolitanae, quam tradit absolvisse officina typographica patriarchalis, anno 1662: *Ὀρθόδοξος Ὁμολογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς Ανατολικῆς. Ἐν Κωνστ., ἐν τῇ ἡμετέρα μονῇ ἔτει ᾳχκβ' Νοεμβρίου η'* (1).

Notatio temporis et evidenter falsa, eo magis quod praecitato anno domus patriarchalis Graecorum Const. carebat officina typographica (2), vel potius notationi respondet, quam suis litteris apposuit Nectarius (3).

Consequitur inde graecum scriptorem, vel citatam ab eo editionem prae manibus non habuisse, vel batavicam editionem, ut suspicatur Sathas, voluminis fronte orbatam, propere conspexisse eamque ad locum atque annum retulisse, quae ad calcem epistolae Nectarii adnotantur (4).

Ut mea fert sententia, constantinopolitana editio, cuius mentionem injicit Dionysius, nunquam pubblici juris facta est. Haud quidem dubito Dionysium vehementer rogasse Panaghiotam, ut cunctis iam prioris editionis exemplaribus absumptis, novam editionem typis parandam curaret. Persuasum etiam mihi est votis Patriarchae benigne Panaghiotam annuisse. At nescio qua causa propositum illud ad effectum perduci non potuerit, eo magis, quod insequenti anno Panaghiota diem supremum obiit. Litterae autem, quas ad novam illam editionem exornandam conscripserat Dionysius, ineditae in tabulariis Patriarchatus mansere (5). Nostrae sententiae, ni fallor, favet Legrandius, qui litteris Dionysii editis, affirmat praefatos viros cogitasse tan-

(1) *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, t. I, n. 101, p. 34.

(2) Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, p. 335; Paranikas, *Σχεδίασμα περὶ τῆς ἐν τῷ ἑλληνικῷ ἔθνει καταστάσεως τῶν γραμμάτων ἀπὸ ἁλώσεως Κ.*, Constantinopoli, 1867, p. 209.

(3) Kimmel, p. 52.

(4) Op. cit., p. 335.

(5) Hasce litteras, cum graecum textum in bibliotheca regia parisiensi invenire non potuisset, Schelstrate op. cit., p. 109, latine tantum et gallice edidit, pp. 637-39. graecum textum, ex *cod. parisino* 1265 protulit in lucem Legrandius, t. II, pp. 213-215.

tum de nova editione typis evulganda: hancce tamen evulgatam fuisse, asseverare non audet (1).

Confessionem Petri Moghilae graece et latine typis mandavit Laurentius Normannus, professor theologiae Upsalae. Volumen inscribitur: *Orthodoxa Confessio Catholicae atque apostolicae Ecclesiae orientalis, quam cum interpretatione latina primum edit Laurentius Normannus*, Lipsiae 1695 (2). Notis marginalibus, quarum auctores perhibentur Joannicius et Sophronius Likhudae, cephalonienses, ea instruitur. Graecum textum in latinam transtulit linguam ipse Normannus. Permultis hancce editionem Kimmelius describit, quapropter ab ea fusiori calamo pervestiganda abstinemus (3). Maioris momenti editio illa est, quam Anthimus Iberus, tunc temporis hieromonachus, vir clarissimus in provincia historiae litterariae ac typographicae romenicae, curavit anno 1699. Impressa est in officina typographica monasterii snagoviensis in Romenia. Eam fuse describunt Legrandius (4) et Bianu (5). Latine iterum eam vertit Schelstratus, qui in ea comparanda usus est graeco magistro Constantino Rhodocanacide, Chio (6), eamque inseruit in *Actis orientalis Ecclesiae* (7). Graece, latine (Normannus) et germanice typis impressit Vratislaviae, anno 1751, Carolus Gottlob Hofmannus, professor theologiae in Academia wittembergensi. Anno 1767 graece edita est Bucharestii hocce titulo: *Ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλη-*

(1) En 1672 on *proietait* une seconde édition de la Confession orthodoxe, ainsi que cela résulte de le lettre du patriarche oecuménique Denys. — P. 213. Auctores operis *La perpétuité de la foi* testantur primam editionem anno 1662 typis impressam eos latuisse: prae manibus contra habuisse alteram editionem, anno 1672 recusam, ac patriarchae Dionysii approbatione communitam: La seconde, de 1672, n'est qu'en grec vulgaire, et c'est cette édition qui fut encore approuvée par le patriarche Denis, avec de grands éloges de l'ouvrage de Mélétius Syrigus, comme le principal auteur, et de Panaiotti, par les soins et la libéralité duquel cette seconde impression avait été faite. — T. III, col. 335. Attamen, ut satis claret ex eis quae sequuntur, editio haec, quam memorant scriptores praecitati operis, una eademque est cum batavica illa editione, quae in Hollandia lucem aspexit anno 1667. Cum tamen haec editio temporis notatione careat, laudati scriptores, ex litteris Dionysii in errorem inducti, falso sibi persuaserunt eam evulgatam fuisse anno 1672. Cf. Sakkelion. *Διονυσίου Πατριάρχου Κωνστ., καὶ Νεκταρίου πρώην Ἱεροσολύμων ἔγγραφα, Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια*, t. I, 1881, pp. 88-91; 106-107.

(2) Legrand, t. III., pp. 38-40.

(3) Pp. LXII-XXI.

(4) T. III, pp. 61-75.

(5) Op. cit., t. I, pp. 378-389.

(6) P. 107.

(7) Ib. pp. 414-628.

σίας, πάλαι μὲν προτυπωθεῖσα ἄλλοθι καὶ ἐν Πετρουπόλει, νῦν δὲ μετατύπωθεῖσα ἐπιμελείᾳ καὶ δαπάνῃ τοῦ μακαριωτάτου καὶ σοφωτάτου Πατριάρχου Ἱεροσολύμων Κυρίου Ἐφραΐμ πρὸς κοινὴν ὠφέλειαν τῶν ὀρθοδόξων. Διορθωθεῖσά τε παρὰ Γεωγίου Κωνσταντίνου τοῦ ἐξ Ἰωαννίνων (1) Expensis monasterii graeci S. Sepulchri, huiusce editionis exemplaria inter pios orthodoxos distributa fuere, nulla pecunia exacta. Nostra denique aetate, graece eam ediderunt Kimmelius (2), Mesoloras (3) Chrysostomus, metropolita urbis Dramae, quondam protosyncellus patriarchatus *oecumenici* (4), et Michalcescu (5).

Versio slavica Confessionis edita est primum Mosquae anno 1696. Inscribitur: Православное исповѣданіе вѣры, соборныя и апостольскія церкви восточныя (6). Hancce versionem slavicam factam fuisse ex textu *neograeco* in monasterio mosquensi, quod *Miraculorum* vocant (Чудовъ) anno 1685, tradit Sopikov (7). Volumen in lucem proditum est jussu Petri Magni atque Adriani patriarchae mosquensi († 1700). Barlaam Jasinsky, metropolita kiovensis, praecipuus auctor fuit ut haec slavica editio Confessionis orthodoxae, quae saepissime recusa est, ederetur (8). Versionem russicam, qua nunc temporis utuntur in Russia, comparavit *πρωτοιερεύς* I. D. Kolokolov (9).

(1) Bianu, t. II. p. 176. De Constantino Georgio Jamnensi pauca habent Sathas, op. cit., pp. 603-604, et Dossios, *Studiĭ greco-române*, pars I, Jassii, 1901, p. 26. Editionem bucharestiensem Confessionis non meminit Erbiceanu in opere: *Bibliografia greaca, saŭ cărțile greceștĭ imprimate în principatele române în epoca fanariotă*, Bucharestii, 1903.

(2) Pp. 56-324.

(3) T. I, p. 362-487.

(4) *Περὶ Ἐκκλησίας*, t. I, Athenis, 1896, pp. 249-440.

(5) Pp. 26-122. Exstat etiam editio graeca mosquensis quae anno 1839 ex officina typographica synodali prodiit.

(6) Prolixum titulum refert Legrand, t. II, p. 216. Oppido falluntur qui contendunt Confessionem Moghilae russice vulgatam fuisse anno 1643 vel 1645.

(7) Опытъ россійской библіографіи, t. I, Petropoli, 1904, n. 883, p. 53; Разсужденіе, p. 24.

(8) Recusa est Mosquae annis 1709, 1744, 1769 (litteris alphabeti quem ci, vilem vocant), 1781 (graece, latine, germanice et slavice); Kioviae, 1712, 1750-1769; Cernigoviae, 1715, 1750, 1752; Petropoli, 1717, 1722, 1739, Sopikov, nn. 884-895, 901. Editionem mosquensem anni 1709 describit Rodossky, Описаніе старопечатныхъ и церковно-славянскихъ книгъ, хранящихся въ библіотекѣ С.-Пет духовной Академіи, t. II, 1894, pp. 21-22. Smirdin citat editionem petropolitanam anni 1819, Роспись россійскимъ книгамъ, I, Petropoli, 1828, n. 261, p. 20. Mosquae edita est etiam anno 1840 in officina typographica synodali, ac Petropoli 1836, 1840, 1858 (ed. XVI). De primitiva editione slavica disserit Bergius, *Exercitatio historico-theologica de statu Ecclesiae et religionis moscoviticae*, Holmiae, 1704, pp. 13-25

(9) Cistovitch, op. cit., p. 127.

Confessionem orthodoxam in romenicam linguam transtulit logotheta Radu Greceanu, eamque in lucem protulit Metrophanes episcopus urbis Buzeu, qui officinam typographicam in eadem urbe instituerat (1). Recusa est Bucharestii anno 1745 (2). Elenchum ceterarum editionum ac versionum romenicarum digessit Picot (3).

Confessionem Orthodoxam ex idiomate *neograeco* in batavicum transtulit Johannes Antonius Seinerus (4). Johannes Leonardus Frisch, instituta primum comparatione inter varias editiones slavicas Confessionis, eam germanice reddidit (5). Versionem anglicam typis edendam curavit W. Blackmore (6).

γ′ De consilio, quo Petrus Moghilas Confessionem orthodoxam conscripsit, disputantes, in diversas abierunt sententias. Ea nobis probabilior videtur, quam Nectarius Hierosolymitanus suis in litteris Confessioni praefixis breviter concinnavit. Cum Petrus Moghilas suam sedem metropolitanam ingressus est, russica Ecclesia in summas diducta erat angustias. Morum enim disciplina funditus apud clerum collapsa, haeresium pravae doctrinae longe lateque fluebant. Confessio Cyrilli Lucareos multos jam pervicerat, orthodoxas Ecclesias e vado emersum non iri, nisi foedus cum romana pepigissent Ecclesia. Animos in hancce persuasionem inducere vehementissimis verbis studuerat Meletius Smotriscius, qui fidem orthodoxam in Oriente maculis haereseos inquinatam conquerebatur.

(1) Bianu et Hodos, t. I pp. 321-24; Melchisedech, p. 57; Jorga, op. cit., pp. 204, 217; Id., *Istoria literaturiĭ romîne în secolul al XVIII^lea*, t. I, Bucharestii, 1901, pp. 416, 514.

(2) Bianu et Hodos, t. II, pp. 87-88.

(3) Legrand, t. IV, pp. 149-155, nn. 50, 69, 79, 80, 81, 82, 83, 84. Elenchus tamen absolutus non est.

(4) *Orthodoxe homologia, of regtsinnige Bekentenisse des Geloofs der catholike apostolike orientalsche Kerke... in't nederduitsch, uit de gemeene Grieksche Landstaal overgebragt, door* Johannes Antonius Seinerus, Harlemi, 1722.

(5) *Liber symbolicus Russorum, oder der grössere Katechismus der Russen, welchen die gantze griechische Kirche angenommen hat. Aus der sclavonischen Sprache wie sie in Russland gebräuchlich, ins Teutsche übersetz,* Francofurti et Lipsiae, 1727.

(6) *The doctrine of the Russian Church, translated from the slavono-russian original,* Devanae (Aberdeen), 1845. Reperitur etiam apud Schaaf, op. cit., t. II, pp. 275-400. Eam prooemio et notis instructam typis edendam curarunt Overbeck et Robertson: *The orthodox Confession of the catholic et apostolic eastern Church, from the version of Peter Mogila, translated into english, with preface by J. J.* Overbeck, *and introductory Notice by J. N.* Robertson, Londini, 1898. De editionibus et versionibus Confessionis quaedam tradunt Bolkhovsky, Разсуждение, pp. 26-27; Bormann *Die Lehre und Verfassung der morgeländischen Kirche,* Fuldae, 1855, p. 3.

Petrus Moghilas accusationes in Ecclesias orthodoxas illatas retundendas sibi sumpsit. Quapropter illud imprimis necessarium duxit, ut ab iniquis lutheranorum insidiis, qui iam graecam Ecclesiam in summum discrimen adduxerant, suum gregem sospitaret. Ut verbis utar Nectarii, statim ac suam sedem occupavit, Petrus Moghilas « sibi scopum proposuit dirigendi restituendique Ecclesiam russicam in eam, qua ab ultimis initiis floruerat, sacrorum dogmatum integritatem: rursumque radicitus exstirpandi, quae illis in locis caput attollere coeperant » (1). Suis in controversiis vindices unionis cum romana Ecclesia orthodoxis objiciebant, eos tanta in rebus fidei ignorantia laborare, ut quid sibi sentiendum esset, neque scirent, neque a suis pastoribus clare aperteque discere possent. Nullus enim liber symbolicus eis in promptu erat, quo sibi liceret oppugnantibus adversariis authenticam Ecclesiarum orthodoxarum sententias declarare.

Ad suspicionem igitur corruptae in Ecclesiis orthodoxis fidei amoliendam, Petrus Moghilas sibi, in animum induxit breviarium aliquod doctrinae orthodoxae ita comparare, ut quodammodo in tabella praecipua eius capita conspicerentur. Hoc tamen difficile negotium proprio marte absolvendum non duxit. Quidquid enim suo nomine tantum scripsisset, privati theologi sententias expromere adversarii confestim dixissent, non autem fidem genuinam Ecclesiarum orthodoxarum. Hasce obiectiones ut praecaveret, die 24 iunii 1640, litteris datis ad episcopos et clerum orthodoxos sub dominatu polonico, eos in concilium compellavit (2). Ut ex documentis ad hancce synodum spectantibus coniecturam facere licet, hocce synodo propositum fuit, ut conscriptum a Petro Moghila breviarium fidei, praeclaris theologis adstantibus, quodammodo in trutina poneretur (3).

Acta huiusce synodi temporis iniuria perierunt. Ex narratione tamen, quam typis vulgavit Cassianus Sacovicius, strenuus defensor *unionis*, constat hancce synodum Kioviae convocatam die 8 septembris 1640, in catechismo Petri Moghilae sub examen revocando plus temporis insumpsisse, quam in ceteris negotiis discutiendis. Sessiones synodales habitae sunt usque ad diem 18 septembris. Una cum Petro Moghila, primas in eis egit Isasias Trophimovitch Kozlovsky, *ἡγούμενος* monasterii kioviensis S. Nicolai. Hic sua in concione auspicali graviter conquestus est, tum clerum quum populum, latinorum *novi-*

(1) Kimmel, p. 47.
(2) Macarius, Исторія русской церкви, t. XI, p. 589.
(3) Golubev, t. II, *Appendix*, p. 187.

tatibus irretiri, qui slavonicis libris in lucem editis, fideles orthodoxos ad sua placita convertere studebant. Remedium tot malis ingruentibus allaturum Kozlovskius laudavit Petrum Moghilam, qui fide orthodoxa in brevi catechismo sapienter enucleata, synodalium Patrum examini eum subiiciendum decreverit. Synodus autem, adnitente praesertim Kozlovskio, qui ea de causa doctoris titulo insignitus est, sex solidos dies in perlegendo et corrigendo catechismo moghiliano posuit (1).

Hancce tamen synodi kioviensis approbationem satis non esse putavit Petrus Moghilas, ad characterem authenticum doctrinae orthodoxae suo in catechismo contentam, firmandum. Haud abs re visum est ei, maius robur atque auctoritatem suae opellae additum iri, si graecorum Antistitum suffragio communita foret. Constantinopolim igitur legatos misit, Patriarcham etiam atque etiam rogaturos, ut prae missa diligenti investigatione, fidem in catechismo expositam, tanquam fidem orthodoxae Ecclesiae solemni testimonio sanciret. Nectarius in eo valde laetatur, quod Petrus Moghilas, ita se gerens, coetum Graecorum agnoverit, ut certissimum gnomonem, in quem cunctis orthodoxis acies oculorum defigenda esset (2). Quam certus foret gnomon graecorum coetus, paucos ante annos lapsus Cyrilli Lucareos in haeresim calvinianam luculenter patefacit!

Ut munus sibi demandatum Parthenius Constantinopolitanus absolveret, suos legatos, quorum nomina superius attulimus, Jassium misit. Hancce in urbem convenerunt etiam legati metropoleos kioviensis, qui una cum graecis catechismum moghilanum emendarunt, ditarunt, eumque ad strictiorem fidei orthodoxae normam redegerunt. Hocce in munere collatis consiliis obeundo, primas sibi detulit Meletius Syrigus, quem Nectarius rectissimum fidei dogmatum praeconem, enarratorem atque amussim vocat (3). Ipse tradit theologos *conventus* Jassiensis (synodus immerito dicitur) « Deo, unico omnis cognitionis auctore, verae pietatis doctrinaeque duce ac magistro sibi adsumpto: atque multis ultro citroque institutis disputationibus, perpurgatum ab

(1) Macarius, pp. 578-591; Malychevsky. Кіевскіе церковные соборы (*Concilia ecclesiastica kioviensia*), Kioviae, 1884, pp. 47-49; Pokrovsky, О соборахъ юго-западной Руси (*Concilia Russiae meridionalis atque occidentalis*), Serghievo, 1906, pp. 41-42.

(2) *Πρὸς ἣν (Synodus Ecclesiae constantinopolitanae), ὡς εἰς κεφαλὴν τοῦ ὀρθοδόξου τῶν Γραικῶν συστήματος, ὑπετάσσοντο, καὶ ὡς εἰς ἀσφαλῆ γνώμονα ἐνιτένιζον.* — Kimmel, p. 48.

(3) Kimmel, p. 49.

omni aliena doctrina, illaque novitatum concretione librum ad optimum hunc finem perduxisse » (1).

Quidnam tamen in catechesi Petri Moghilae corrigendum autumarint praefati theologi, nos latet; unde illud iam factum est, ut graeci scriptores fabulati sint, Meletium Syrigum Confessionis orthodoxae praecipuum auctorem fuisse.

Catechismus moghilanus, quem theologi conventus iassiensi suis mendis expurgarunt, testante Nectario, hocce titulo instruebatur: *Expositio fidei Russorum* (*Ἔκθεσις τῆς τῶν Ῥώσων πίστεως*) (2). Qua in re sedulo animadvertendum est, nomini Petri Moghilae duas orthodoxae fidei expositiones addici, quarum prior Confessio illa est, de qua nobis sermo; altera vero contractius exhibet breviarium fidei, ad pueros christianis praeceptionibus imbuendos. Haud pauci scriptores perperam binas opellas unum idemque esse opinati sunt, quo factum est, ut assererent Confessionem orthodoxam primam lucem aspexisse anno 1645. Huic errori ansam suppeditavit Nectarius, qui tradit Confessionem orthodoxam, vulgari Russorum sermone dudum typis excusam fuisse (3).

Catechismus Moghilanus prima vice prodiit in lucem Kioviae anno 1621. Haec editio, polonicum exhibet textum (4). In prooemio adnotatur huncce catechismum in id tendere, ut a teneris unguiculis praeceptis christianae fidei pueri imbuantur, ac simul perutilem fore adultis iam viris, qui temporis angustiis pressi, nequeunt ad penitiores investigationes in provincia fidei arripiendas sese demittere (5). Eodem iterum anno, catechismus moghilanus lucem aspexit in versione dialecti, qua in Russia occidentali utebantur, quaeque vocibus ac locutionibus polonicis scatet (6). Haec russica editio denuo impressa est

(1) *Τὸν δὲ τῆς γνώσεως πρύτανιν Θεὸν τοῦ ὀρθοῦ λόγου προστήσαντες ἡγήτορα, μετὰ πολλὰς ἀναχρίσεις καὶ ἀναπτύξεις Γραφῶν ἱερῶν, ἐς οὕτω πέρας χρηστὸν τὴν βίβλον προήγαγον, ἀναχαθάραντες ταύτην ἀλλοτρίας γνώμης ἀπάσης, καὶ τῆς τῶν νεωτερισμῶν ἐκείνων συμφόρσεως.* — P. 49.

(2) Kimmel, p. 48.

(3) Ib., p. 50.

(4) *Zebranie krotkiey nauki o artikulach wiary prawosławno katholickiey chrzescianskiey, jako Cerkiew Wschodnia apostolska uczy, a dla ćwiczenia młodzi za roskazaniem y błogosławienstwem starszych.* — Kioviae, ex officina typographica *λαύρας* Petcherskaiae, 1645.

(5) Golubev, t. II, Appendix, p. 470.

(6) Събраніе короткои науки, о артикулахъ вѣры православно-каѳолическои христіанскои, ведлугъ вызнания и науки Церкве св. восточнои соборнои апостолской, для цвѣченя и науки, всѣмъ въ школахъ ся цвѣчачимъ хрїстїанскимъ православнымъ дѣтемъ, за росказанемъ и благославенствомъ старшихъ. — Ib., 1645, Haec editio ad amussim recusa est in appendice praecitati operis Golubevii, t. II. pp. 358-469.

Leopoli anno 1646 (1). In pluribus, quamvis parvi momenti, versio russica differt a textu polonico. Discrepantiarum elenchum Golubev pertexuit (2). Anno 1649, paucis adiectis, catechismus moghilanus in slavonicam linguam translatus, Mosquae prodiit in lucem (3).

Si comparetur haec opella cum capitibus fidei Confessionis orthodoxae, statim palam fiet arctissimo cognationis vinculo ea sociari, ac simul haud contemnendas exhibere discrepantias. In parvo enim catechismo plura desunt quae in Confessione orthodoxa traduntur, verbigratia capita Confessionis de transmissione Adami in omnes posteros, (Q. 24), de praedestinatione divina (26), de libero arbitrio (27), de origine animae humanae (28), de vocabulis praescientiae, praedestinationis et providentiae, quae fusius explicantur in Confessione (29), de judicio particulari (61), de statu medio animarum post mortem (62, 63, 64), de precibus pro defunctis (65), de purgatorio (66), de sede beatorum (67) et reproborum (68). Generatim affirmare licet quae in breve contrahit catechismus, haec eadem fusius, enodatius, diligentius in Confessione orthodoxa expromi. Ad doctrinam autem quod spectat, haud quidem spernendas inter duas opellas discrepantias offendes, quas recensuit scriptor quidam vitae Moghilae (4). Hinc fit ut non detur nobis ius statuendi catechismum illum, unum idemque habendum esse cum Confessione orthodoxa.

Si mihi fas est coniecturam facere in re, quae tenebris adhuc involvitur, haud absonam veritati sententiam statuere mihi videor affirmando, catechismum moghilanum primitivum illud opus praeseferre, quod Constantinopolim missum est, ut patriarchali sanctione muniretur. Hocce autem opus, supplementis adauctum in conventu iassiensi, ad strictioremque fidei orthodoxae normam variis additionibus atque emendationibus redactum, confessionis orthodoxae nomine insignitum fuit. Istam tamen Confessionem, nescio quanam de causa, typis edendam Petrus Moghilas neglexit. Visum est ei fortasse capita illa, quae conventus iassiensis adiecit, difficiliorem continere doctrinam, ad puerorum captum parum accommodatam, vel non omnes censorum emendationes ei placuere. De hac re, nihil certi affirmare audeo. Hoc tantum monendum duxi, ad res contentas quod attinet, catechismum moghilanum a confessione orthodoxa discriminari, quamvis, me quidem iu-

(1) Golubev, t, II, Appendix, pp. 473-80.

(2) Ib., pp. 471-73.

(3) Prolixum titulum refert Golubev. Ib., pp. 480-81.

(4) Чтенія Societatis mosquensis historiae et antiquitatum russicarum, 1877, t. I, pp. 141-45. — Прибавленія, loc. cit. pp. 63-64.

dice, binas opellas arctissimo sociantur cognationis atque originis vinculo. Peroptandum est, ut clarissimus vir Golubev, in tertio volumine operis de Petro Moghila, cunctas dispellat tenebras, quae nostram controversiam adhuc involvunt.

δ') De auctore Confessionis orthodoxae. ac de lingua qua usus est in ea conscribenda, pauca tantum dicam. Evidenter falsa sententia est Normanni, temere affirmantis Confessionem illam composuisse Nectarium hierosolymitanum. Ex litteris enim Nectarii pronum est colligere, russis theologis synodi kioviensis eam tribuendam.

Scriptores orthodoxi, qui de auctore Confessionis illius egerunt, in duas plane diversas abierunt sententias. Quidam Isaiae Kozlovskio, de quo supra commemoravi, eam adscribunt. Huic sententiae praesertim favent Eugenius Bolkhovitinov, metropolita kioviensis (1), Macarius, metropolita mosquensis (2), qui tamen serius ab ea aliquantulum discessit (3), et Philaretus cernigoviensis (4). Firmioribus argumentis innixi, hancce opellam recte vindicant alii Petro Moghilae, ac tenent, ex documentis, quae prae manibus habemus, extra dubitationis aleam hancce sententiam positam esse (5).

Praecipuum, quod affertur argumentum, ad Confessionem orthodoxam Petro Moghilae abjudicandam, testimonium est Cassiani Sacovicii, in narratione de synodo kioviensi anno 1640 congregata. Verba tamen huiusce scriptoris, si attentius perpendantur, plane contrarium edicunt. Tradit enim Cassianus Sacovicius, vel quicumque praefatam narrationem exaravit, Petrum Moghilam catechismum summa sapientia summaque scriptorum sacrorum eruditione conscripsisse (6).

(1) Катихизисъ, сочиненный Кіево-Николаевскаго монастырія игуменомъ Исаіею Іерофимовичіемъ Козловскіемъ. — Словарь историческій о писателяхъ духовнаго чина, t. II, Petropoli, 1827, p. 159; Id., Описаніе кіево-софійскаго собора и Кіевской іерархіи (*Descriptio cathedralis kioviensis Sanctae Sophiae atque hierarchiae kioviensis*), Kioviae, 1825, p. 176.

(2) Исторія кіевской духовной Академіи, Kioviae, 1843, p. 80.

(3) Исторія русской Церкви, t. XI, pp. 590-591.

(4) О. Исаіею сочинено было исповѣданіе вѣры руссовъ. — Обзоръ, p. 193.

(5) Судя по тѣмъ даннымъ которыя имѣются въ настоящее время, нужно признать, что катихизисъ, называющійся теперь Православнымъ исповѣданіемъ составленъ самимъ Петромъ Могилою. — Чтенія Societatis Mosquensis, loc. cit., p. 134.

(6) In sua concione ad synodum Isaias Kozlovskius asserit Petrum Moghilam, ut suae Ecclesiae disciplinam doctrinamque instauraret, catechismum *conscripsisse*, cuius capita synodo approbanda protulisset: « *Ociec metropolita ... chce to yspokoić y znowu do pierwszey prawości przywieść: kathechism spisawszy z wielką ostroznoscią y z wielkim rewidowaniem pism cerkiewnych, kto-*

Participium illud *spisawszy* in polonica lingua sensum activum habet, quapropter ad Petrum Moghilam certissime refertur.

Tenuioris adhuc ponderis alterum est argumentum. Objicitur enim synodum kioviensiem titulo doctoris Kozlovskium honestasse, quod sine causa factum fuisse diceretur, nisi praesumatur huncce honorem ei tributum fuisse, tanquam auctori catechismi, de quo nobis est sermo. Profecto non negaverim suam etiam operam Kozlovskium fortasse contulisse ad catechismum moghilanum omnibus numeris absolvendum, ac primas sibi detulisse in eo emendando. Ex allatis tamen documentis, nullo modo constat huncce catechismum eum conscripsisse. Fateor quidem nihil certi haberi de causis, quae synodum moverunt ad Kozlovskium titulo doctoris honestandum. At si coniectura quae Isaiae favet ad veritatem propius accederet, sine dubio scriptor narrationis de synodo kioviensi meminisset titulum doctoris Kozlovskio collatum fuisse, ob catechismum ab eo compositum. Mea igitur sententia, firmamento carent rationes illae, quae Confessionem orthodoxam Petro Moghilae abiudicant.

Monendum heic ducimus, iuxta Nectarium, Confessionem orthodoxam viros illos conscripsisse, qui synodo kioviensi interfuerant: *Συντάξαντες τὴν βίβλον, καὶ ἔκθεσιν τῆς τῶν Ῥώσων πίστεως αὐτὴν*

---

rego punkta przed was, przeoświecony soborze, wnosi y pokłada. — *Sobor kiowski schimaticki przez oica Piotra Mohiłe złozony y odprawowany roku* 1640, Памятники полемической литературы въ западной Руси, Русская библіотека, t. IV, Petropoli, 1878, p. 29. Quisnam sit auctor huius opellae nobis satis non constat. Prima ipsius editio, quae ad annum refertur 1641 Varsaviae, lucem aspexit, cura et studio Andreae Gembickii episcopi luceoriensis († 1655), qui eam ex russico sermone in polonicum transtulit, Estreicher, *Bibliografia polska*, t. XVII, Cracoviae, 1899, p. 82. Altera editio Cassiano Sacovicio tribuitur (1642), hieromonaco dermanensi, quem Wiszniewski ipsius opellae auctorem facit, *Historya literatury polskiey*, t. VIII, pp. 402-403. Hoc idem tuetur Philaretus Cernigoviensis, Обзоръ, p. 193. Eugenius autem metropolita kioviensis praecitatam opellam tribuit Iohanni Dubovicio, basiliano, archimandritae monasterii dermanensis, Op. cit., t. II, p. 160, cui sententiae indirecte favere videtur titulus, quo instruitur altera editio, ubi legitur Sacovicius interpretis munus tantum obiisse. Nihil certi ad obscurum hoc rerum caput illustrandum afferre possum. Dolendum quidem est theologos panpolonistas, qui tempus segniter terunt in consarcinandis infacetis libellis, ut bantuana logica et fellitis verbis (Quidnam Panpolonistae mendaces, non audent in historia) fabulentur sub sole tantum dari *la superiorité de la civilisation polonaise*, ne cogitasse quidem de historia critica theologiae polemicae brestensis, condenda. Per transennam notamus in praecitata opella mentionem injici de Cyrillo Lucari, tanquam auctore catechismi Gergani Zachariae, atque enarrari Meletium Smotriscium ex eius ore haereticas sententias obstupentem audivisse. — P. 49.

ἐπιγράψαντες (1). Haec tamen veritati consona non esse, supervacaneum arbitror demonstrare. Nihil etiam de auctore Confessionis tradunt Parthenius ceterique patriarchae orientales, qui Confessionem illam approbarunt (2).

δ' Ad linguam quod spectat, qua in exaranda Confessione Petrus Moghilas usus fuerat, varie usque nunc disputatum est. Nectarius testatur russico sermone primum eam typis mandatam fuisse, ex quo suspicati sunt scriptores quidam, Petrum Moghilam textum primitivum huiusce Confessionis russice composuisse. Non desunt qui statuant huncce textum primitivum, vel graeco, vel latino, vel graeco simul et latino sermone exaratum, ad Patriarcham constantinopolitanum missum esse (3). Res nondum penitus discussa est. Me tamen iudice, dubitandum non est quin textus primitivus Confessionis, Patriarcharum examini subiectus, latine conscriptus fuerit. Luculentum de hac re nobis exhibet testimonium Meletius Syrigus. Huic tribuitur viro codex 360 (*αὐτόγραφος*) bibliothecae constantinopolitanae metochii S. Sepulchri, qui graecum Confessionis textum continet. Ad finem voluminis haec adiungit Meletius: « Hic liber, *latino sermone primum conscriptus*, allatus est mihi a doctissimis viris, legatis ex Russia, Isaia Trophimio, Ignatio Ozenovicio, atque Iosepho Konovicio, ut nos, exarchae et legati magnae Ecclesiae, videlicet excellentissimus Porphyrius, metropolita Niceae, atque ego Meletius Syrigus, magister magnae Ecclesiae, eum approbaremus atque emendaremus. Nos autem in communem Graecorum sermonem eum convertimus, ac mendis purgavimus, atque ad synodum constantinopolitanam misimus, cum sedem oecumenicam teneret Parthenius Patriarcha, mense octobri 1649 » (4).

(1) Kimmel, p. 48.

(2) Ib., pp. 52-53.

(3) Hofmann, n. 8; Разсужденіе, p. 19.

(4) *Ἡ βίβλος αὕτη προσηνέχθη ἡμῖν λατινιστὶ πρῶτον γεγραμμένη παρὰ τῶν λογιωτάτων πρέσβεων Ῥωσίας κυρίου Ἡσαίου Τροφιμίου καὶ Ἰγνατίου Ὀζενοβικίου καὶ Ἰωσὴφ Κωνωβικίου, ἵνα κύρωσίν τε καὶ διόρθωσιν λάβῃ παρ' ἡμῶν τῶν τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας ἐξάρχων τε καὶ λεγάτων, τοῦ τε πανιερωτάτου μητροπολίτου Νικαίας κυρίου Πορφυρίου καὶ ἐμοῦ Μελετίου Συρίγου, διδασκάλου τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας· ἣν εἰς κοινὴν μεταφράσαντες διάλεκτον καὶ διορθώσαντες εἰς τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει σύνοδον ἐξαπεστείλαμεν, πατριαρχοῦντος τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν αὐθέντου καὶ δεσπότου κυρίου Παρθενίου τοῦ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, ἐν μηνὶ ὀκτωβρίῳ ᾳχμθ'.* — *Ἱεροσολυμιτικὴ βιβλιοθήκη*, t. IV, p. 334. Animadvertimus mendose notationem temporis huiusce additionis ex praecitato codice Papadopulo-Keramea transcripsisse. Legendum est anno 1642. Hoc sphalma iam emendavit Callinicus Delikani, archimandrita. *Πατριαρχικὰ ἔγγραφα*, t. III, Constantinopoli, 1905, pp. 30-31. Cfr. Loofs, *Die Ursprache der Confessio orthodoxa, Theologische Studien und Kritiken*, Gothae, 1898, t. LXXI, pp. 165-171.

Hicce textus latinus, quem Meletius Syrigus memorat, reperitur, ni fallor, in codice parisino, 1265, quo Nicosius Panaghiota marchionem Nointelium donavit. Nointelius sua *attestatione* eum communivit die 11 septembris 1673 (1), eumque in Galliam misit, ubi diu latuit in bibliotheca Caroli Tellieri, archiepiscopi rhemensis, qui anno 1701 eum dedit asservandum in bibliotheca regia parisiensi. Mirum igitur non est Emmanuelem Schelstratum († 1692) frustra eum quaesivisse in bibliotheca parisiensi, ut latinum textum publici iuris faceret, atque a Praefecto bibliothecae comperuisse « illud nunquam ibidem repositum fuisse, sed alibi asservari » (2).

Putat Legrandius textum latinum, quem praefatus continet codex, versionem exhibere textus graeci Confessionis (3). Rectius tamen iam statuerant auctores operis *La perpétuité de la foi* textum latinum praefati codicis, textum primitivum atque authenticum Confessionis praeseferre. Dolendum sane hancce versionem, aut potius huncce primitivum textum Confessionis, adhuc ineditum in scriniis bibliothecae parisiensis delitescere.

ε') Paucis res in Confessione contentas enucleabo. In Quaestione III, Petrus Moghilas adumbrat, quae sibi tractanda proponit: « Secundum tres virtutes theologicas, fidem, spem et charitatem, Confessionis huius partes distribuere nobis visum est: nimirum, ut in prima parte concordi confessione de articulis fidei agamus; in secunda de spe et oratione dominica; in tertia de praeceptis Domini quibus charitas in Deum et proximum continetur » (4). Prima pars 126 Quaestiones complectitur; secunda, de spe, 63; tertia de charitate, 72. A primo, ut ita dicam, limine sui operis, detestatur Moghilas novitates lutheranas et calvinianas. Disertis enim verbis edocet, ad aeternae vitae haereditatem adipiscendam rectam fidem et bona opera prorsus necessaria habenda (5). Praeposita deinceps definitione fidei, quae in Ecclesia orthodoxa profitetur veritates a Iesu Christo Apostolis revelatas atque in conciliis oecumenicis sancitas (6), recenset Moghilas articulos fidei

(1) Legrand, t. II, p. 215.

(2) *Acta Orientalis Ecclesiae*, t. I, p. 109.

(3) « L texte latin, qui se trouve dans la copie authentique de la Bibliothèque du roi, ne doit pas être considéré comme une traduction. C'est l'origiual de la Confession russe. Mais comme l'approbation des Patriarches tombe sur le grec, c'est ce texte là qui doit être considéré comme original ». — T. III, col. 335.

(4) Kimmel, pp. 57-58.

(5) Ib., p, 56.

(6) Ib., p. 58.

iuta symbolum nicaenum constantinopolitanum, eosque perspicue explanat. Accurate in Confessione orthodoxa enucleatur doctrina de Deo uno et trino, de Angelis, de Deo creatore, de Ecclesia eiusque praeceptis, de sacramentis, de resurrectione mortuorum. In altera parte sermo instituitur de natura spei, ut virtutis theologicae, de oratione, ac praesertim de oratione dominica, quae uberrimo exornatur commentario, de beatitudinibus evangelicis, quae fuse illustrantur, ac de officis misericordiae tam corporalis, quam spiritualis. In tertia, de virtutibus christianis agitur ac de bonis operibus, de vitiis, de peccatis mortalibus ac venialibus, de peccatis in Spiritum Sanctum, de praeceptis decalogi, de invocatione sanctorum, et de cultu imaginum. Si fas est mihi ita dicere, pars prima theologiam dogmaticam tractando persequitur, pars secunda, theologiam mysticam, pars tertia, theologiam moralem (1).

Pauca tantum delibat auctor de iis, quae ad controversa inter Orientem atque Occidentem doctrinae capita spectant, et mitiori quidem stylo utitur, quam expectandum foret ex theologo orthodoxo, qui diu acriterque latinis oppugnandis operam dedit. De Spiritu Sancto tradit, quod procedit ex solo Patre, et gravi censura Ecclesiam orthodoxam eos perstringere, qui symbolo appendiculam illius *Filioque* adiecere (2). Matrem et principem omnium Ecclesiarum, hierosolymitanam appellat Ecclesiam, quae sententia palam facit cur tot laudibus Nectarius auctorem Confessionis orthodoxae cumulaverit. Subiungit tamen, imperatores primos dignitatis gradus antiquae novaeque Romae tribuisse, ob maiestatem imperii, quae iis locis domicilium habebat (3). Trina immersione baptismum conferendum declarat, nullis tamen, ut mos est theologis orthodoxis, contumeliosis verbis in Latinos proiectis. Exinde patet irenicum potius opus, quam polemicum molitum fuisse Petrum Moghilam.

De Confessione orthodoxa hoc fert iudicium Kimmel: « Liber hic ad vulgarem et popularem sensum accommodatus, doctiores tamen inquisitiones non amisit, lectoresque ad obscuriores et abstrusiores quaestiones deduxit, velut de Trinitate, de Spiritus Sancti processione, de purgatorio et aliis. Libet fere eum contendere cum catechismo romano, cuius sane auctores magis et curatius pastorum officia expo-

(1) Exstat russice index rerum, quae in Confessione orthodoxa pertractantur: Алфавитный указатель предметовъ, содержащихся въ православномъ исповѣданіи Петра Могилы, Petropoli, 1844.

(2) Ib., p. 143.

(3) Ib., p. 156.

nere, eorumque fidei succurrere voluerunt. Habet uterque id commune, quod magno cum studio eorum, quae tractantur, fundamenta e Scriptura sacra petita adversariis studet opponere, deinde vero veterum Patrum auctoritatem magni aestimans, illa fere exaequat » (1). De eo, meum expromam iudicium paulo inferius. Heic tantum adnoto scriptores orthodoxos hancce Confessionem tanti facere, quanti catechismum romanum scriptores catholici aestimant (2).

ς′) De valore symbolico Confessionis Petri Moghilae postremum dicturus, praemonendum ducimus scriptores sive occidentales sive orientales, qui eum determinare aggressi sunt, in sententias plane discordes abiisse Ex veteribus theologis protestantibus, omnem auctoritatem in rebus fidei Aymonius ei denegat (3). Heineccius contra tenet illam verum librum symbolicum Ecclesiarum orthodoxarum constituere, doctrinaeque theologicae Graecorum luculentum testimonium quod nefas sit abjicere (4). Librum symbolicum universalem eam appellat Zeltnerus (5). Haud quidem dissimilis est sententia Tittmanni: « Confessio Petri Moghilae communis Ecclesiae graecae liber symbolicus, in quo huius Ecclesiae dissensus ab Ecclesia romana et reliquis Ecclesiis cognoscendus est » (6). Kohlius vero perperam tuitus est, Confessionem orthodoxam in plerisque ad Lutheranorum sententias accedere, ac si quidpiam in ea reperitur, quod praesertim in capite de transsubstantiatione *pontificiis* favet, hoc sane repetendum ab audacia latinorum, qui suis additionibus atque alterationibus eam corruperunt (7). Hanc sententiam explosit Hofmannus: « De auctoritate cate-

(1) P. LVI.

(2) Cerviakovski, Римскій катихизисъ и православное исповѣданіе Петра Могилы (*Catechismus romanus et Confessio orthodoxa Petri Moghilae*); Холмско-епархіальный вѣстникъ, 1889, nn. 37-38.

(3) Buddeus, op. cit. p. 500.

(4) « Diese Schrifft nun ist ist wahrhaftig das eigentliche symbolische Buch der Griechen, und muss billig als ein unverwerffliches Zeugniss der heutigen griechischen Lehre passiren ». Pars I, p. 235.

(5) *Breviarium controversiarum cum Ecclesia graeca, ac proinde etiam Ruthenica adhuc agitatarum, veritatis evangelicae declarandae pacisque promovendae studiis adornatum.* Norimbergae, 1737, pp. 20-21.

(6) *Institutio symbolica ad sententiam Ecclesiae evangelicae*, Lipsiae, 1811, p. 30.

(7) *Ecclesia graeca lutheranizans, sive exercitatio de consensu et dissensu orientalis graecae, speciatim russicae, et occidentalis lutheranae Ecclesiae, in dogmatibus ex variis, qui de religione graeca extant, monumenta eruta, ubi simul demonstratur Ecclesiam graecam facilius cum lutheranis quam romanis uniri posse, inque principalibus doctrinae capitibus propius a nobis, quam pontificiis, distare*, Lubecae, 1723, pp. 7-8.

chismi Russorum, in Russorum coetibus, vix ac ne vix quidem dubitare licet, etsi nonnulli, ut plenum consensum russicae cum nostra evangelica Ecclesia facilius docerent, dubitare voluerint. Ipse enim ego ex Russis, quibuscum saepe consuevi, quaesivi studiose de ea, semperque responsum tuli, placita sua optime omnium in catechismo suo intelligi, praesertim hodie, ubi omnis species novitatis, vel reformationis, summo studio, inter clerum evitatur » (1).

Recentiorum autem theologorum protestantium communis fert opinio, symbolicis graecae Ecclesiae libris Confessionem orthodoxam adnectendam, quamvis admodum inter se ipsi dissideant in ea rite diudicanda, quatenus breviarium theologicum exhibet. Gass stylum popularem, rudem, ac methodum doctrinae exponendae obsoletam, veterique traditioni serviliter addictam, non probat: opinatur tamen rivulos quosdam antiquioris Ecclesiae in eam profluxisse (2), nec non a pseudo-reformatorum placitis toto coelo distare (3). Von Schéle characterem symbolicum Confessionis agnoscit, quamvis ei non placeat auctorem, diutius quam par est, in paucis dogmatis explanandis immoratum esse, cetera vero festinanter, perfunctorie contraxisse (4). Ad sententiam Mülleri, methodus quam secutus est Confessionis auctor, prorsus respondet effeto apud Graecos veterum traditionum cultui. Confessio haec consuetos aggerat locos Scripturae Sacrae, ad fidei orthodoxae dogmata tuenda, eisque, arrepta occasione, pias appingit adno-

(1) N. 9. — Schrammius, *De praecognitis dissidiorum cum Graecis et Orientalibus*, Helmstadii, 1724, pp. 29-36; Hoffman, *Symbolik, oder systematische Darstellung des symbolischen Lehrbegriffes der verschiedenen christlichen Parteien*, Lipsiae, 1856, pp. 133-35,

(2) « Die Sprache der Confession P. Moghilas ist volkstümlich und naiv, der Standpunkt gesetzlich und steif, aber ein Gepräger aufrichtiger, wenn auch beschränkter Frömmigkeit wird man dieser Quelle nicht absprechen, noch verkennen dürfen, dass einige Wellen des alten Geistes in ihr fliessen », — Gass, *Zur Symbolik der griechischen Kirche, Zeitschrift für Kirchengeschichte*, t. III, Gothae, 1879, p. 335.

(3) « Das Bekenntniss will ein durchaus griechisches sein, und von einer Hinneigung zum Luthertum kann noch weniger die Rede sein ». — *Griechische Symbolik*, p. 74; Kattenbusch, *Kritische Studien zur Symbolik, Theologische Studien und Kritiken*, Gothae, 1878, t. I, pp. 99-121.

(4) « Sieht man ab von der übertriebenen Weitläufigkeit bei Lieblingsthemen, wie besonders der Dreieinigkeitslehre, sowie von der allzu knappen Fassung bei anderen Dogmen, namentlich bei der Soteriologie, so lässt sich nicht in Abrede stellen, dass diese Arbeit ihrem ganzen Charakter nach für ihre Bestimmung, das Hauptsymbol der griechischen Kirche zu bilden, als wohlgeeignet gelten darf ». — Zöckler, t. II, p. 716.

tatiunculas (1). Kimmelius autem quosdam scriptores lutheranos increpat, qui praeiudicatis opinionibus inservientes, calumniati sunt, ad eam perficiendam, Meletium Syrigum, *graeculum tenebrionem*, multum operis contulisse, latinorum partibus addictissimum (2).

Ex hucusque dictis panditur causa, quae scriptores protestantes impulit, ut Confessionem orthodoxam dentibus albis deriderent. Haec enim Confessio, ita dixerunt, « romanae potius quam graecae, saltem veteris Ecclesiae, genuinam mentem exprimit » (3). Quamobrem hocce opus *Pontificiis* theologis, nullo innixi argumento, leviter tribuunt.

Miror autem vehementer, E. Michaud, principem theologum *veterum*, quos appellitant, *catholicorum*, valorem symbolicum Confessionis orthodoxae nauci facere. Etenim putat, hancce non aestimandam, neque ut fidei orthodoxae authenticam determinationem, neque ut *σύμβολον* orthodoxorum dogmatum. Breviarium theologicum ea tantum praesefert, eique non alia vindicanda est auctoritas, quam quae privatis confessionibus fidei addicitur (4).

Scriptores orthodoxi, qui de valore symbolico Confessionis orthodoxae disseruere, dissident etiam inter se. Ad nostram quod attinet controversiam primum inquirendum nobis est quid, ut ea rite, solvamus, ex authenticis Ecclesiarum orthodoxarum monumentis nobis hauriendum sit. Haec documenta videntur mihi testari Confessionem illam, inter libros symbolicos orthodoxos primas tenere.

Die undecima mensis martii, patriarchae Orientales Parthenius constantinopolitanus, Iohannicius alexandrinus, Macarius antiochenus, Paisius hierosolymitanus, novem metropolitae graeci, ac viri complures summis dignitatibus in graeca Ecclesia perfuncti, decreverunt moghilanum libellum « vestigiis doctrinae Ecclesiae Christi fideliter insistere, sacrisque consentire canonibus: nulla vero ex parte illi adversari,

(1) « Die Weise der Behandlung, welche, ohne einheitliche Selbständigkeit des Gedankens eine Reihe von überlieferten biblischen und kirchlichen Stücken säuberlich gruppiert, und an dieselben eine grosse Fülle innerlich- vereinzelten, meist ganz erbaulicher Bemerkungen knüpft, entspricht dem Geiste des griechischen Traditionalismus ». — P. 209. Auctoritatem libri symbolici Confessioni orthodoxae vindicant etiam Schaff, t. I, pp. 58-61; et Ritschl. *Der Gegensatz der morgenländischen und abendländischen Kirche, und die Unionshoffnungen Gagarin's und Haxthausen. Protestantische Monatsblätter für innere Zeitgeschichte*, t. XI, 1858, pp. 338-58.

(2) *P.* LVII.

(3) Buddeus, op. cit., p. 500.

(4) « Ce document ne saurait être considéré, ni comme une définition de foi, ni comme un recueil d'articles de foi ». — Michaud, *Notes sur l'union des Eglises, Revue Internationale de Théologie*, t. XIV, 1906, p. 17.

ideoque sedulo pio cuivis et orthodoxo christiano orientalis et apostolicae Ecclesiae civi, lectitandum, minimeque rejiciendum esse » (1).

In litteris quas eo tempore, quo altera vice sedem constantinopolitanam rexit, 1654-1655) Paisius I ad Niconem patriarcham mosquensem misit, mentio injicitur Confessionis orthodoxae tanquam libri praecipua atque essentialia dogmata orthodoxa continentis, nec non a supremis Orientis praesulibus approbati (2). Suis in litteris Confessioni praefixis tuetur Nectarius moghilanam Confessionem sinceram ac puram, idest nihil admixtae ex aliis religionibus novitatis habere (3). Pergit idem Patriarcha enarrando supremos Ecclesiarum orthodoxarum antistites librum illum tanquam genuinum ac vera continentem dogmata, nullaque omnino in re a catholica et sincera Graecorum fide deerrantem comprobasse; et summa cum aliorum omnium iudiciis conspiratione atque consensu purum incorruptumque esse praedicasse (4). Ex hoc igitur libro, velut limpidae vivaeque aquae scaturigine, ac genuinis salutis fontibus, piae Ecclesiae dogmata esse haurienda.

Confessionem orthodoxam meminit *Ordinatio Ecclesiastica* Petri Magni tanquam librum universo, praesertim rudi populo instruendo, haud accommodatum. « Liber *homologiae*, utpote non exiguae molis, quam ut rudiorum hominum memoriae insinuetur. Quatenus autem grandi stylo est conscriptus, sublimior est quam ut a plebe intelligatur » (5). Superius adduximus testimonium synodalis explicationis,

(1) *Εὕρομεν αὐτὸ ἐπακόλουθον τοῖς δόγμασι τῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας. καὶ ὁμόφωνον τοῖς ἱεροῖς κανόσι, κατ' οὐδὲν ἐναντιούμενον αὐτῇ... καὶ ἀποφαινόμεθα γνώμῃ κοινῇ συνοδικῇ, πάντα εὐσεβῆ καὶ ὀρθόδοξον ὄντα ὑπὸ τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν χριστιανόν, ἀναγινώσκειν αὐτό, καὶ μὴ ἀποστρέφεσθαι.* — Kimmel, p. 53.

(2) *Διὰ νὰ γνωρίζονται ποῖα εἶναι αὐτὰ τὰ καίρια καὶ οὐσιώδη τῆς πίστεώς μας ἐσύνθεσεν ἡ ἁγία σύνοδος ἡμῶν ἕνα βιβλίον, εἰς κοινὴν γλῶσσαν, ἐπιγεγραμμένον « Ὀρθόδοξος ὁμολογία », εἰς τὸ ὁποῖον ἐπερισφαλίσαμεν ὅλα τὰ ἄρθρα τῆς πίστεως ἡμῶν τῆς ἀρχαίας, καὶ αὐτὸ κυρώσαντες ὑπέγραψαν ὅλοι οἱ ἀρχιερεῖς τούτου τοῦ κλίματος.* Delikani, op. cit, t. III, p. 39. — Varias editiones huiusce epistolae recenset Gedeon, *Πατριαρχικοὶ πίνακες*, p. 583.

(3) *Ἐπιγράφεται μὲν γὰρ ὀρθόδοξος ὁμολογία τῶν Γραικῶν, δηλαδὴ εἰλικρινὴς, καὶ καθαρά, τῷ μηδ' ὁπωσοῦν νεωτερισμοῦ τινος ἐπιμιξίαν ἔχειν, ἐξ ἑτέρου θρησκεύματος.* — Kimmel, p. 46.

(4) *Οἱ δὲ Πατριάρχαι ὡς γνήσια καὶ ὀρθὰ περιέχουσαν δόγματα, καὶ μηδοπωσοῦν τῆς καθολικῆς καὶ εἰλικρινοῦς τῶν Γραικῶν πίστεως διαμαρτάνουσαν ἀπεδέξαντο, καὶ τοῖς πᾶσιν ὁμοφωνῶς ἐκήρυξαν, ὡς ἔστιν ἄρα καθαρὰ καὶ ἀνόθευτος.* Ib., p. 50.

(5) Mansi-Petit, t. XXXVII col. 28. Heic adnotandum ducimus quaedam minus accurata in notas ad hocce capitulum *Ordinationis ecclessiasticae* irrepsisse. Dicitur enim Confessio Petri Moghilae edita fuisse anno 1642, nec non

cui anno 1691 Callinicus constantinopolitanus et Dositheus hierosolymitanus subscripsere, quaeque Confessionem orthodoxam in provincia fide irreprehensibilem decernit.

Scriptoribus tamen orthodoxis de hoc libro symbolico non una eademque est sententia. Ex eis quidam summis efferunt laudibus Confessionem orthodoxam tanquam purissimum fontem fidei. Ea scriptoribus orthodoxis pensitanda sunt opera, quae res theologicas discutiunt (1). Hocce enim propositum fuit Moghilae, ut conscriberetur liber qui adhibendus foret non secus ac firmum, immutabile, inviolabile specimen fidei orthodoxae (2). Ad sententiam Macarii, ex ea tempestate, qua Confessio haec prodiit in lucem, nova aetas coepta est in historia theologiae orthodoxae. Antequam enim vulgaretur, carebat Ecclesia orthodoxa breviario quodam fidei suo nomini addicto, quod veritates fidei in conciliis sancitas, a Patribusque illustratas concinne accurateque complecteretur. Liber conscriptus a Petro Moghila, primus est liber symbolicus Ecclesiarum orthodoxarum, qui veteres simul ac novas explodit haereses; specimen fidei, quo utendum theologis, quibus animus sit veritates dogmaticas enodatius explanandi (3). *Πρωτοϊερεύς* E. Popov, non dubitat asserere Confessionem orthodoxam in album documentorum symbolicorum digerendam esse, quae auctoritate decisionum dogmaticarum conciliorum oecumenicorum donata fuere (4). Inter libros symbolicos orthodoxos eam recensent Dobro-

---

antequam evulgaretur constitutio illa Petri Magni slavonico tantum sermone typis prodiisse, quae ex paullo ante disputatis falsa deprehunduntur (p. 549). Asseritur anno 1789 pubblicam lucem aspexisse opus Tychonis Voronejensis: О собственныхъ всякаго христіанина должностяхъ. Sopikov contra trium anteriorum editionum mentionem facit, quae annis 1784, 1787, 1788 Mosquae et Petropoli lucem aspexere, Опытъ россійской библіографіи, nn. 800-802, I, p. 50. Itidem opus Gabrielis Petropolitani et Platonis Mosquensis: Собраніе поученій на всѣ воскресные и праздничные дни, quod affertur excusum anno 1779, editum fuit primum Petropoli, anno 1775, secundo Mosquae (1776), tertio Kioviae (eodem anno), Ib. nn. 1409-1412, p. 72.

(1) Замѣчанія на конспектъ введенія въ православное богословіе (*Adnotationes in conspectum introductionis ad theologiam orthodoxam*), Чтенія societatis amicorum progressus spiritualis, t. VII, 1869, p. 82.

(2) Разсужденіе, p. 5.

(3) Здѣсь дано подробнѣйшее и вмѣстѣ надежнѣйшее руководство въ дѣлѣ вѣры какъ всѣмъ православнымъ, такъ въ частности и православнымъ богословамъ при обстоятельномъ раскрытіи догматовъ. — T. I, p. 57.

(4) Получаетъ такую же важность, какъ и вѣроопредѣленія вселенскихъ соборовъ. — Бесѣды etc, t. I, p. 128.

tvorsky (1), Rudakov (2), et Chrysostomus protosyncellus, qui magnifice eam laudat (3).

Non desunt tamen qui valorem symbolicum huiusce libri minuere studeant. Malychevsky (4), et Nikitsky (5) aiunt Petrum Moghilam eo scripsisse consilio suam opellam, ut latinos errores refelleret, quapropter ea potius polemicum, quam symbolicum, characterem praesefert. Iuxta Sylvestrum episcopum in *russica* praesertim Ecclesia ut symbolicus habetur liber (6). Philaretus cernigoviensis theologicam tantum auctoritatem ei vindicat, quatenus videlicet novitates catholicas (sic), et lutheranas explodit (7). Andrutsos animadvertit haud pauca Confessionis illius, imprimis ubi agitur de sacramentis, influxum theologiae scholasticae in auctorem palam facere. Hocce tamen non impedire quominus generatim fide orthodoxa imbibatur, ac tamquam praetiosum monumentum integrumque theologiae symbolicae praesidium sit permansura (8).

Denique, mitiorem in *Pontificios* coarguendos stylum fortasse detestati, hancce opellam ex elencho librorum symbolicorum Ecclesiarum orthodoxarum expungendam scriptores quidam contendunt (9) Damalas, quem graeci theologi permagni faciunt, decernit Confessionem moghilanam ad instar cathechismi habendam esse, cui neque auctoris scientia, neque synodi confirmatio, characterem conferunt ecumenicum (10).

(1) Op. cit., p. 12.

(2) Op. cit., p. XIII.

(3) *Εἶναι πλῆρες καὶ τέλειον μετὰ πολλῆς τῆς τέχνης καὶ τῆς λεπτότητος συνυφασμένον καὶ τεχνουργημένον συμβολικὸν βιβλίον, καὶ τοῦτ' αὐτὸ πλῆρες τὸ δογματικὸν καὶ ἠθικὸν τῶν πιστευτέων καὶ πρακτέων ἐγκόλπιον τοῦ ὀρθοδόξου χριστιανοῦ. — Περὶ Ἐκκλησίας*, t. I, p. ς'.

(4) T. I, pp. 44-45.

(5) Вѣра по символическимъ книгамъ, pars I, p. III.

(6) T. I, p. 64.

(7) T. I, p. 8.

(8) *Καίτοι δὲ ἡ διάταξις τῆς ὕλης καὶ ἡ διαίρεσις καὶ ὑποδιαίρεσις δὲν εὐοδοῦνται πᾶσαι, κεφάλαια δέ τινα, ἰδίως καὶ δὴ τὸ περὶ μυστηρίων, περὶ τῶν ἑπτὰ θανασίμων ἁμαρτημάτων, εὕρηνται ὑπὸ τὴν προφανῆ ῥοπὴν τῆς σχολαστικῆς θεολογίας, ἐν γένει ὅμως τὸ ἔργον τοῦ Μογίλα ἀποπνέει τὸ πνεῦμα τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ἐν ὅλῃ αὐτοῦ τῇ ἀρχαιοπρεπείᾳ ... ἀπομένον ἐσαεὶ τῆς ὀρθοδοξίας μνημεῖον πολυτιμότατον, καὶ τῆς συμβολικῆς ἀκραιφνέστατον βοήθημα. — Συμβολική*, p. 35.

(9) « Ὁ ῥῶσος ἱερεὺς Πολυσσάδωφ ἐλέγχων καὶ ἐλεγχόμενος, Ἱερομνήμων », Athenis, 1859, p. 208.

(10) *Ἡ ὁμολογία τοῦ Μοβίλα εἶναι κατήχησις ὀρθόδοξος. ἡ ὁποία οὔτε δὲ ἐκ τοῦ συγγραφέως, οὔτε δὲ ἐκ τῆς ἐπικυρώσεως τῆς ἐνδημούσης συνόδου, ἔχει οἰκουμενικόν τινα χαρακτῆρα, ἢ κῦρος.* — Damalas, *Περὶ ἀρχῶν*, Lipsiae, 1863, p. 9.

Hoc idem tuetur Balanos, qui Confessionem illam, ut de catechismis fieri assolet, consonam tradit aetati qua composita est, nempe documentum praeseferre historicum, quod statum graecae theologiae, vertente saeculo XVII, graphice depingit (1). Acerbius denique de ea fert iudicium Philaretus: « Haud quidem minuero valorem ac dignitatem operis *Isaiae Kozlovskii*, si veritatem dixero. In ea Confessione complures occurrunt scholasticae theologiae sententiae, vebigratia, de materia et forma sacramentorum, de creatione animae humanae, quas sententias haud feliciter auctor usurpavit ut suas. Maius onus quam tempestate illa ferre valerent humeri, sibi sumpsit Petrus Moghilas. Ita enim tunc temporis conscribendum erat, ut neque *papismus* (si) lutheranae haereseos catechismum illum insimularet, neque vicissim lutherani *pontificiarum* novitatum. Et cum Kioviae *pontificii* maiorem quam lutherani metum incuterent, pontificiorum stylo suis in libris scriptores orthodoxi uti studebant (2).

Hic desino. Multus fui in hisce testimoniis congerendis, ut liquidissime pateret quantum inter se scriptores orthodoxi dissideant in charactere symbolico suarum Confessionum fidei determinando. Ut mea fert sententia, si Confessio moghilana valore symbolico destitueretur, actum iam foret de cunctis Ecclesiarum orthodoxarum libris symbolicis. Ut enim documentum aliquod charactere symbolico exornetur, sanctione communiendum est auctoritatis illius, quae iure potitur Confessionem fidei suae Ecclesiae, vel sectae, pubblici iuris faciendi. Confessio autem moghilana confirmatione atque approbatione instruitur antistitum Orientis, synodi Constantinopolitanae, Ecclesiaeque russicae; exhibetur tanquam breviarium fidei orthodoxae, tanquam specimen integrum dogmatum orthodoxorum, tanquam fons purissimus, ex quo doctrina orthodoxa scaturit, tanquam mensura veritatis et norma, in quam oculorum aciem defigere teneantur, tum simplices fideles, tum eruditiores theologi (3). Num haec satis non habentur, ut liber qui tot communitur approbationibus, cui perillustres suffragantur theologi, iure me-

(1) *Ἡ ὁμολογία τοῦ Μοβίλα εἶναι κατήχησις, καὶ ὡς τοιαύτη πρέπει νὰ ἐκλαμβάνηται. Ἡ δὲ κατήχησις δὲν δύναται παρὰ νὰ εἶναι τέκνον τῆς ἐποχῆς της, καὶ νὰ ἀκολουθῇ τὴν σύγχρονον πνευματικὴν κατάστασιν. — Εἶναι ἡ ὀρθόδοξος ἑλληνικὴ Ἐκκλησία μόνον κοινωνία λατρείας*, Athenis, 1904, p. 9.

(2) Мы не унизимъ достоинства сочиненія о. Исаіи, если скажемъ правду: въ нѣмъ есть нѣсколько мнѣній схоластики, не очень удачныхъ, напр. о формѣ и матеріи таинствъ, о твореніи душъ. Задача дана была временемъ трудная. Надлежало писать такъ, чтобы ни папизмъ не имѣлъ права обвинять сочинителя въ протестантизмѣ, ни протестантизмъ не обвинять въ папизмѣ. — Обзоръ, p. 194.

(3) *La perpétuité de la foi*, t. III, coll. 331-32; 336.

ritoque in album librorum symbolicorum Ecclesiae, sub cuius nomine innotescit, percenseatur? Si negetur character symbolicus huiusce libri, consequeretur Ecclesias orthodoxas, vel suo in pastorum coetu, vel suis in legitimis synodis, aptas non esse ad magisterium ecclesiasticum absolvendum, ad determinandum, quaenam sit vera fidei doctrina, cui teneantur omnes cordis mentisque obsequium praestare. Mea igitur sententia, ad Confessionem Moghilanam quod spectat, conditiones illae complentur, quae necessariae ducuntur ut cuidam libro character symbolicus vindicetur.

Difficile autem non est causam illam comperire, quae scriptores quosdam orthodoxos impellit, ad vocandam in dubitationem authenticitatem symbolicam illius Confessionis. Exploratum enim est pauca in ea tradi, quae ad catholicam doctrinam proxume accedunt, quae notam novitatis interdum capitibus illis auferunt, in quibus recentiores theologi orthodoxi romanam Ecclessiam ab orientali descivisse effutiunt. Ut rem exemplis illustrem, preces, eleemosynas, ac praesertim sacrificium incruentum Missae *dormientum bono fieri* (1), quamvis purgatorium rejciat, edocet Petrus Moghilas; doctrinam de materia et forma sacramentorum, prout exponitur in compendiis theologiae catholicae ipse concinnat. Haec animadvertunt theologi quidam orthodoxi, quorum in animis altas egit radices odium in romanam Ecclesiam, eosque torquet haec persuasio, libros symbolicos suae Ecclesiae doctrinae catholicae fulcrum ac munimentum praebere. Nil mirum igitur si eo usque progrediantur audaciae, ut suas obliti sententias de perennitate magisterii in Ecclesiis orthodoxis, hasce ex imis convellant fundamentis, crepantes libros, quos memoravimus, latino spiritu informari, latinis praeceptionibus imbibi, et consequenter, symbolico charactere destitui.

Quae consecutiones ex istis temerariis placitis deducantur, in postremis huiusce capitis paragraphis, fusius exponemus. Heic satis sit admonere, principia, quae theologis orthodoxis probantur, clarissima in luce ponere Confessionem Moghilanam inter authentica fidei orientalis monumenta recensendam. Si ergo, ut aiunt quidam scriptores orthodoxi, latinis novitatibus interdum ea favet, vel dicendum est, hasce novitates veritates praeseferre, quibus utraque, tum Occidentis quam Orientis, suffragatur Ecclesia, vel etiam Ecclesias orthodoxas, in illa Confessione approbanda, a recto veritatis tramite aberrasse, hoc est, suo in munere obeundo fidei purissimae docendae, falsis sententiis subscripsisse.

(1) Kimmel, pp. 135-38.

10. Ad ultimam iam venimus Confessionem, quae inter libros symbolicos Ecclesiarum orthodoxarum recensetur. Ad eam quod attinet, inquirendum nobis est: *α΄ De auctore; β΄ De historia primitiva atque authenticitate; γ΄ De editionibus; δ΄ De rebus in ea contentis; ε΄ De valore symbolico.*

α΄ Huiusce Confessionis auctor perhibetur Metrophanes Critopulus, Patriarcha Alexandrinus. Haud quidem scriptores desunt, qui in vita rebusque gestis Metrophanis enarrandis, ipsiusque meritis litterariis efferendis insudarint (1). Vitio igitur mihi vertendum non est, si de eo pauca tantummodo attingam. Patriam habuit Berrhoen, Macedoniae urbem. Non arridet mihi illorum sententia, qui statuunt anno 1599 ortum eum duxisse. Ex litteris enim Cyrilli Lucareos anno 1616 editis, constat eo tempore Metrophanem sacerdotio insignitum fuisse, ac mihi incredibile est eum sacerdotium iniisse, dum vix ac ne vix sextum decimum aetatis annum attigisset. Communis fert opinio eum natum esse anno 1589. Praestantissimi ingenii, quo natura eum donavit, ab ineunte adoloscentia praeclara specimina dedit, quo factum est, ut duodecim annos natus, a metropolita berrhoensi impositione manuum creatus fuerit *πρωτοαποστολάριος* (2). Florente adhuc aetate ad monasteria montis Athonis secessit, in eisque tum vitae, quam vocant, asceticae, tum Sacrarum Scripturarum meditationi ac studio

(1) Praesertim adeundi: Colomesius, *Clarorum virorum epistolae singulares*, Londini, 1687, pp. 363-64; Sonntagius, *Animadversiones in Metrophanes Critopuli Hieromonachi Confessionis caput XIII de Euchelaeo*, Altdorfii, 1696; Ritmayer, *De hodierno Christianorum graecorum statu cultuque ecclesiastico*, Helmstadii, 1710; Dietelmayer, *De Metrophane Critopulo, huius Academiae quondam cive, tandem Patriarcha alexandrino*, Altdorfii, 1769; Monicke, Loc. cit., *Theologische Studien und Kritiken*, 1832, V, pp. 560-62; 569-70; Fabricius-Harles, *Bibliotheca graeca*, t. XI, pp. 577-79; Oeconomos, *Περὶ τῶν ο΄ ἑρμηνευτῶν*, t. IV, Athenis, 1849, pp. 170-71; Demetracopulos, *Δοκίμιον περὶ τοῦ βίου καὶ τῶν συγγραμμάτων Μητροφάνους τοῦ Κριτοπούλου, Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας*, Lipsiae, 1870; Gass, op. cit., pp. 64-69; *Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια*, t. III, 1882, pp. 634-636; t. V, 1884, pp. 101-107; Basilius (Georgiades), *Σημείωσις περὶ Μητροφάνους τοῦ Κριτοπούλου*, Ib., 1886, pp. 37-42; Mazaraki, *Μητροφάνης Κριτόπουλος, Πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, κατὰ τοὺς κώδικας τοῦ Πατριαρχείου Ἀλεξανδρείας, καὶ ἄλλας πηγάς*, Cairi, 1884; Renieri, *Μητροφάνης Κριτόπουλος, καὶ οἱ ἐν Ἀγγλίᾳ καὶ Γερμανίᾳ φίλοι αὐτοῦ*, Athenis, 1893, Draeseke, *Metrophanes Critopulos, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, Lipsiae, 1893, t. XXXVI, pp. 579-98; Porphyrius Uspensky, Александрійская Патріархія, t. I, pp. LXXIX-LXXX; Legrand, t. V, pp. 192-218; Lebedev, op. cit., pp. 627-632.

(2) Demetracopulos, p. 4.

operam navavit. Cyrillus Lucaris Alexandriam eum accersivit, eumque summa benignitate prosequutus est. Presbyterum enim eum consecravit, atque, ut fertur, dignitate protosyncelli adauxit. Anno 1616 in Angliam eum misit, ut in disciplinarum theologicarum studium apud Anglicanos incumberet, eique litteras commendatitias ad Georgium Abbotum, archiepiscopum Cantuariensem, dedit, ubi haec de Metrophane occurrunt: « En hominem graecum, gradu presbyterali, graecis litteris non leviter tinctum, Ecclesiae nostrae Alexandrinae alumnum, haud obscuro loco natum, ingenio ad reconditiorem eruditionem imbibendam probe comparato » (1). Hisce praemissis, etiam atque etiam Cyrillus Abbotum rogat, ut scintillulam beneficentiae regis Jacobi I (1603-1625) ei comparet. Anno 1617 in Angliam appulit Metrophanes, ibique amicissime exceptus, Oxoniam se contulit, ut disciplinarum theologicarum studio in huiusce urbis Academia sese abderet. Georgius Abbotus, suis in litteris ad Cyrillum Lucarin, anno 1617 datis, laetatur, quod surculus ex graecanico seminario ad Anglos translatus fuisset, ut apud eos germinaret, fructusque mature proferret, amoenissimo in horto insertus (2). Postquam studiorem curriculum absolvit, litteris commendatitiis Jacobi regis, datis anno 1623, communitus, Britanniam liquit, ut regiones lutheranis et calvinianibus novitatibus infectas peragraret. « Horum itinerum, ait Harlesius, auctor suasorque fuit Cyrillus Lucaris, eo quidem consilio ut protestantum doctrinas non modo accuratim pernosceret, verum etiam sensim imbiberet, sibique haec dogmata, calviniana praesertim, in Ecclesiam graecam invecturo, in patriam redux eo fortius opitularetur, quo excellentiores, praeter rerum facundiam, ingenii dotes habere nec immerito credebatur, quarum beneficio ad detegendam suae Ecclesiae superstitionem erroresque, unitis cum praesule suo viribus, vel notandos, vel profligandos, prae aliis videbatur idoneus » (3).

Res negotiosa est, quae ad meam non pertinet provinciam, eum totam fere Europam pererrantem persequi. Satis sit dicere permultis in civitatibus, praesertim Helmstadii, Wittembergae, Norimbergae, Augustae Vindelicorum, Tubingae, Stutgardiae, Tiguri, Genevae, Venetiis eum moratum fuisse, et commercium epistolare cum theologis lutheranis et calvinianis iniisse (4). Anno 1630 Venetiis adhuc consistebat (5). Constantinopolim deinde profectus, anno 1631 Alexandriam

(1) Aymon, pp. 46-47.
(2) Colomesius, p. 353.
(3) *Bibliotheca graeca*, t. XI, p. 589.
(4) Demetracopulos, pp. 10-40.
(5) Legrand, t. V, pp. 208-209.

reversus est. Scriptores graeci generatim tradunt anno 1630, ad sedem alexandrinam eum evectum fuisse, ac Gerasimo Spartaliotae, dignitatem patriarchalem abdicanti, successisse (1). Haec falso asseruntur. Etenim anno 1633 Metrophanes creatus est metropolita Aegypti ac Mempheos (2). Compertum est etiam usque ad annum 1636 Gerasimum sedem alexandrinam rexisse. Complures enim hoc temporis intervallo litteras scripsit ad russos, nec non anno 1636 Basilius Jakovlevitch Gagara, qui pietatis causa loca sancta Palaestinae peragratus est, eum invisit Cairi (3). Mortuus est Gerasimus, ut pronum est colligere ex epistola quadam Nathanaelis Conopii, die 31 mensis iulii, anno 1636 (4). Metrophanes vero in eius locum suffectus est mense septembri eiusdem anni (5). Fato concessit ante mensem maium anni 1639 dum iter perageret in Valachia (6). Anno 1638 synodo interfuerat Constantinopoli habitae, quae Cyrillum Lucarin anathemate perculit (7). Inepte, ni dicam flagitiose, suspicatur Porphyrius Uspensky, propinato a pontificiis veneno, Metrophanem necatum fuisse.

β' Annis 1624 et 1625, Helmstadii, hospitio benigne acceptus a Georgio Callixto et Conrado Horneio, quorum primus theologiam, alter vero philosophiam in athenaeo profitebantur, Metrophanes aliquot menses moratus est. Ea tempestata lutherani theologi, cupidissimi rerum orientalium peritiae acquirendae, Graecos Germaniam peragrantes curiose [de fide orthodoxa percunctabantur. Nil mirum igitur si Metrophanem enixe rogarint, ut horis subsecivis breviarium dogmatum orthodoxorum conscriberet, ex quo tanquam ex fonte purissimo cuique in promptu foret authenticas graecae theologiae sententias depromere. Annuit hisce votis Metrophanes, suisque amicis ut morem gereret, Confessionem Ecclesiae orientalis composuit, eaque anno 1625 bibliothecam academiae helmstadiensis donavit. Ut narrat in dedicatione sui operis, quominus fusiore expositione propositam

(1) Demetracopulos, pp. 40-41; Sathas, p. 297; Michalcescu, p. 183.

(2) Legrand, t. V, p. 209.

(3) Uspensky, p. lxxvii-viii.

(4) *Ὁ κύριος Μητροφάνης ὁ Κριτόπουλος, εὐαγγελίζομαί σοι, προεβιβάσθη εἰς τὸ ὑψιλὸν θρόνον τοῦ πατριαρχείου τῆς Ἀλεξανδρείας, καὶ ὁ κύριος Γεράσιμος ὁ μακαρίτης ἀπῆλθεν πρὸς τὰς αἰωνίους μονὰς τῇ λα' τοῦ ἰουλίου μηνός.* — Legrand, t. IV, p. 493.

(5) Mazarakis, p. 11.

(6) Legrand, pp. 209-210. Oppido fallitur Michalcescu, qui eius obitum refert ad annum 1641, p. 184.

(7) Aymon, pp. 328, 330.

sibi provinciam exploraret, eum deterruere tam temporis, quo fruebatur, angustia, tam morbis conflictatae vires (1).

Opus Metrophanis permultos annos in scriniis bibliothecae Helmestadiensis delituit. Asservatur nunc in biblioteca urbis Guelpherbytensis (Wolfenbüttel). Codex propria manu Metrophanis exaratus est, ut perenne testimonium exhiberet authenticitatis huiusce Confessionis. Hoc tamen non obstat quominus graeci quidam scriptores, perfricta fronte, decernant lutheranos et calvinistas suppositiam suam Confessionem nomini Metrophanis addixisse; pessumam vero hancce fraudem putidamque scriptores orthodoxos, non secus ac pro Confessione Cyrilli Lucareos contigit, palam fecisse (2). Quî haec dici queant, cum ante oculos nostros obversetur documentum illud genuinum, videlicet codex ipsius Metrophanis manu exaratus, vel si annum solidum meditatus fuero, non assequar. At, verbis usus tumidi cuiusdam scioli, qui graeco nomine russicam originem obtegit, apud orthodoxos excolitur истинная наука (vera scientia), hoc est scientia, quae praejudicatis theologorum orthodoxorum sententiis haud faventia, inter commentitias quisquilias amandat (3).

Confessio Metrophanis tot exhibet authenticitatis signa, ut eam in dubitationem adducere vesanum foret. Hoc ut pateat, in breve contraham argumenta, quae ad nostram sententiam firmandam, vir omni suspicione maior, Andronicus Demetracopulos, collegit. I Confessio nigro lapillo notat, si non omnes, saltem haud paucas lutheranorum et calvinistarum novitates. Ecquis autem, potens sui cum sit, audeat asserere lutheranos vel calvinistas opus suis placitis adversum exarasse?... Num suspicari fas est, ad suos errores tuendos, nil melius eos excogitasse, quam hosce errores palam reprobare ac refellere?.. II In epistola quadam Metrophanis, quam in bibliotheca Hamburgensi asservatam publici iuris fecit Demetracopulos, disertis verbis sermo

(1) Demetracopulos, pp. 12-13; Heinemann, *Die Handschriften der herzoglichen Bibliothek zu Wolfenbüttel*, Ib., 1886, t. II, pp. 313-314.

(2) *Παραδίδουσι μὲν οἱ καλβινίζοντες, ὅτι ἐν Ἐλμστάδῃ τῷ* 1620 *διατρίβων ὁ Κριτόπουλος συνέγραψε κατ' αἴτησιν τῶν ἐκεῖ Ἀκαδημαικῶν, Ὁμολογίαν τῆς Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, ἵνα τύποις ἐκδοθῇ· μετὰ δὲ τεσσαράκοντα ἔτη ἀπὸ τῆς συγγραφῆς της, καὶ τὸν θάνατον τοῦ Μητροφάνους ἐξέδωκαν οἱ καλβινίζοντες, ὡσεὶ ἐπίσημον τῆς αἱρέσεώς των ἀναγνώρισιν ὑπὸ τῆς πρεσβυτέρας τῶν ἐκκλησιῶν. Ψευδεπίγραφος δὲ καὶ αὕτη, ὡς καὶ ἡ τοῦ Λουκάρεως κατεδείχθη, καὶ πλάσμα ἀναιδὲς τῶν λουθηροκαλβίνων κατεφωράθη ὑπὸ τῶν ὀρθοδόξων.* — Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, p. 298.

(3) Сообщенія societatis imperialis orthodoxae palaestinensis, t. XV, 1909, p. 640.

injicitur de confessione (1). III Dantur et alia documenta, ex quibus eruitur Metrophanem de Confessione illa edenda suis cum amicis egisse, quin, variis praepeditus obstaculis, propositum suum ad effectum adducere potuisset (2). IV Codex *αὐτόγραφος* Confessionis in bibliotheca Guelpherbytensi asservatur. Si quis cum litteris *αὐτογράφοις* Metrophanis eum comparet, statim perspectum habebit, hasce atque illum eadem manu exarata fuisse. Non modo enim litterarum forma eadem est, sed et eadem occurrunt orthographica sphalmata. Dubium igitur non est, ait Demetracopulos, quin haec Confessio ad illum revera pertineat auctorem, sub cuius nomine innotescit, in eamque si calvinianae novitates irrepserint, hoc vitio vertendum sit ipsi Metrophani (3).

γ΄ Confessio Metrophanis lucem aspexit graece et latinae Helmestadii anno 1561 (legendum est anno 1661), hocce titulo insignita: *Ὁμολογία τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας τῆς καθολικῆς συγγραφεῖσα ἐν ἐπιτομῇ διὰ Μητροφάνους ἱερομονάχου, πατριαρχικοῦ τε πρωτοσυγγέλου τοῦ Κριτοπούλου* (*Confessio catholicae et apostolicae in Oriente Ecclesiae, conscripta compendiose per Metrophanem Critopulum, hieromonachum quondam et patriarchalem protosyngelum edita*, et latinitate donata a Johanne Horneio, academiae Juliae professore) (4). Editor summis laudibus exornat Metrophanem in epistola dedicatoria ad Duces Brunsvicenses, et Luneburgenses: « Ea illius inde ab initio ob bonarum artium et sapientiae propagationem fuit celebritas, ut sui desiderio, non germanos tantum, sed exteras nationes adficeret ». Huic editioni Hermannus Conringius epistolam praemisit, ad formam prooemii redactam, in qua multa de Cyrillo Lucari habet, acriterque in Nihusium Allatiumque invehitur, ac vehementer laudat anthenticitatem fidei, quam Metrophanes sua in Confessione exposuit: « Neque enim habet haec quicquam, quod videas ab huius oevi graecis scriptoribus ecclesiasticis, aut omnibus, aut plerisque rejici: quamvis reperire sit nonnullos de cultu imaginum, adoratione sanctorum, rituum auctoritate, aliisque longe crassius philosophatos. Ex hac sane Confessione, et similibus scriptis longe rectius petere fuerit graecae, quae nunc est, Ecclesiae placita, quam qua ratione indaganda isthaec vult Leo Allatius ».

(1) Op. cit., pp. 48-49.

(2) Ib., pp. 49-52.

(3) *Ἂν λοιπὸν ἐν τῇ τοῦ Κριτοπούλου ὁμολογίᾳ ὑπάρχωσι δόγματα λουθηροκαλβινικά, ὥς τινες δισχυρίζονται, μομφῆς ἄξιος ἐστὶ μόνος ὁ Κριτόπουλος, οὐδεὶς δ' ἕτερος.* — P. 53.

(4) Legrand, t. II, p. 136.

Confessionem Metrophanis recentiori aevo typis mandarunt Weissenbornius [1], Mesoloras [2], et Michalcescu [3].

δ' Confessio Metrophanis 23 capitibus continetur. In eis nunc fusius, nunc contractius disserit Metrophanes de Ecclesiae doctrina, de creatione, de incarnatione Filii Dei, de praedestinatione, de sacramentis, de praeceptis, de Ecclesia, de sancto chrismate, de coena dominica, de ritibus poenitentiae, de sacerdotio, de coniugio, de euchelaeo, de traditionibus Ecclesiae, de sanctorum imaginibus, de sanctorum reliquiis et invocatione, de ieiunio, de mŏnachis, de precibus pro defunctis, de precatione ad Orientem, de genibus die dominico et Pentecostes tempore non flectendis, de statu Ecclesiae orientalis. Ex hoc materiarum indice satis abunde patet uberrimam heic segetem theologiae symbolicae studiosis in promptu esse.

De suo opere in prooemio adnotat Metrophanes se nimis succincte et nude id scripsisse, dictionis simplicitatem de industria sectatus, quo liber hic omnibus intellectu facilis esset, nec sensus eorum, quae in ipsis continentur, styli subtilitate atque elegantia nimis affectata obscuraretur [4]. Eo consilio conscriptum est opus, ut accurate et sine omni additione ac detractione Confessionem Ecclesiae Orientalis exponeret quo pacto scilicet verum christianismum teneret, et quid suos alumnos quotidie doceret [5]. Quod tamen veritati consonum non sit Metrophanem in breve, ul ipse loquitur, sententias fidei orthodoxae contraxisse, Confessionis primum caput statim pandit, ubi permultis verbis tractatio polemica de processione Spiritus Sancti adversus latinos instituitur. In eo enim scriptores catholicos calumniatur, perinde ac si ventosis cavillationibus processionem Spiritus Sancti a Filio edocerent, verbum processionis explanat, variosque tradit sensus, locos Sacrarum Scripturarum ad normam hermeneuticae orthodoxae interpretatur, latinorum obiectiones refellere conatur [6].

Haud semel in romanos Pontifices invehitur, praesertim in conclusione sui operis, ubi haec habet: « Numquam in Ecclesia catholica auditum fuit, hominem mortalem et quamplurimum obnoxium peccatis, caput Ecclesiae vocari. Ille enim homo cum sit, morti subiectus est. Interea autem, dum alius ipse successor eligatur, Ecclesiam sine capite esse necesse est. Verum quemadmodum corpus sine capite ne

(1) Kimmel, pars II, pp. 1-213.
(2) Pp. 279-361.
(3) Pp. 186-252.
(4) Kimmel, II, pp. 6-7.
(5) Ib., p. 12.
(6) Pp. 15-50.

momento quidem consistere potest, ita et Ecclesia absque capite ipsi conveniente, tempore quamvis brevi, durari non potest » (1).

ε′) Antequam nostrum de Confessione Metrophanis iudicium feramus, paucis mihi discutiendae videntur sententiae, quae apud scriptores theologiae symbolicae, ad eam quod attinet, occurrunt. Huiusmodi sententiae quatuor in classes commode distribui queunt. De singulis quaedam adnotanda.

a) Paucissimi putant scriptores iure meritoque Confessionem Metrophanis inter libros symbolicos recenseri. Huic favet sententiae Mesoloras, qui tenet doctrinam Confessionis metrophanicae ex purissimis fidei orthodoxae fontibus haustam esse, eique apprime respondere (2) Nil mirum igitur, si librorum symbolicorum in album digeratur, quamvis Confessionis *privatae* characterem exhibeat (3). Ad sententiam Michalceskii, in paucis doctrina Metrophanis a communibus Ecclesiae graecae placitis discedit, quod facile explicatur, cum nobis perspectum sit Confessionem privatam virum illum conscripsisse. Negandum tamen non est, complures in ea dotes reperiri, quae faciunt, ut maioris praetii ea habeatur, quam Confessio orthodoxa Petri Moghilae, quapropter meret, ut sua ex oblivione eruta, haud quidem ignobili inter libros symbolicos loco donetur (4). Heic memorare iuvat generatim theologos russos hancce Confessionem unius assis aestimare, ac silentio interdum praetervehere, dum de libris symbolicis suae Ecclesiae sermonem instituunt.

b) Secundae sententiae permulti suffragantur. Confessio Metrophanis valorem symbolicum universalem non habet. Ea est tantum Confessio privata, quae doctrinam praesefert unius theologi, suo no-

(1) P. 209.

(2) *Τὸ περιεχόμενον αὐτῆς, συμφωνοῦν τοῖς δόγμασι καὶ τοῖς κανόσι τῆς μιᾶς Ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων, εἴληπται ἐκ τε τῆς ἁγίας Γραφῆς καὶ τῆς παραδόσεως, δι' ὃ καὶ μεγίστην τὴν ἀξίαν ἔχει, δυναμένη νὰ καταλάβῃ θέσιν ἐν τοῖς συμβολικοῖς βιβλίοις τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας, καίτοι ἡ γραφὴ αὕτη ἰδιωτικὴ κυρίως τυγχάνει.* — P. 277.

(3) *Ἡ ὁμολογία τοῦ Κριτοπούλου, περιέχουσα αὐτὸ τοῦτο τὸ πνεῦμα τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας. καὶ τοῦτο ἐκτυλίσσουσα ὀρθῶς καὶ κανονικῶς, συγκαταριθμεῖται δικαίως πάνυ ἐν τοῖς συμβολικοῖς βιβλίοις τῆς Ἐκκλησίας ἡμῶν, καὶ ἀξίας θεολογικῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς, οὐ τῆς τυχούσης, ἀπολαύει.* — P. 278.

(4) Es ist zu bemerken dass diese *Ομολογία* einige Vorzüge besitzt, die in mancher Beziehung ihren Wert über den der *ὀρθόδοξα Ὁμολογία* höher anschlägt. Deswegen zögern wir nicht, dieses Bekenntniss, welches mehr aus äusseren als aus inneren Gründen bis in unsere Zeit nur auf die zweite Stufe gestellt, oder sogar ins Dunkel der Vergessenheit versetzt ist, in den Vordergrund zu rücken, und dasselbe besonders als Quelle für das Studium der Symbolik der gr.-orth. Kirche zu empfehlen. P. 185.

mine dogmata fidei orthodoxae explanantis. Haec tamen doctrina verae est ac sincerae fidei orthodoxae breviarium, quo fit ut maxima potiatur auctoritate in determinandis et concinnandis dogmatis Ecclesiarum orthodoxarum. Ut rem aliter dicam, Confessio metrophanica, *approbatione symbolica authentica* caret, quae requiritur ut liber quidam symbolicus *auctoritate symbolica universali* communiatur: si tamen res spectes in ea contentas, vindicatur huic Confessioni *auctoritas symbolica doctrinalis,* idest *authenticitas doctrinalis orthodoxa.* Scriptores igitur theologiae symbolicae ex ea purissimos deducere queunt rivulos, ad hauriendam doctrinam Ecclesiarum orthodoxarum.

Heineccius asserit, vel in minimis suae Ecclesiae placitis Metrophanem adhaesisse (1), neque pontificiis, neque protestantibus favisse, utque honestum virum decet, suas opiniones peculiares declarasse. Hinc fit, ut Confessionem ab eo exaratam sine suspicione accipere teneamur (2). Hoc idem sentit Marheinecke: « Confessio haec, quanquam auctoritate publica caret, tamen graecorum doctrinam copiose docteque exponit » (3). Miris laudibus eam effert Zeltnerus: « Quanquam hancc Confessionem privatim in itinere conscriptam esse nemo ignorat, ea tamen tam luculenter praefert ingenuitatis signa, ut Graeci etiam ipsi vel mediocri integritate animi praediti dignitati illius detrahere adhuc ausi non sint: modeste contra atque candide scriptam esse, et ipsi populares et reliqui occidentales, qui partium aperto studio non agitantur, fere omnes agnoscunt. Immo tanto magis digna fide habetur, quanto certius constat ipsi Cyrillo, cuius tamen benevolentia amplissima largaque beneficia expertus est, non veritum esse contradicere Metrophanem » (4).

Hefele (5) et Pichler (6) censent Confessionem metrophanicam, ad

(1) « Man siehet aus seiner Bekänntniss klärlich, dass er von der gemeinen Lehre der griechischen Kirche, in keinem Stück abgewichen ist ». — Op. cit., I, p. 198.

(2) « Es kann jeder unpartheyischer Leser aus dem Buch selbst sehen, dass dessen Urheber weder den Papisten noch den Protestanten etwas zn gefallen, geredet, sondern seine Meinung also eröffnet habe, wie es einem ehrlichen Manne zu stehet... So bleibet diese Confession billig ausser allen Verdacht, und wir werden uns nicht ohne Grund auf dieselbe beziehen können ». — Ib., I, p. 227; II, p. 46.

(3) *Institutiones symbolicae doctrinarum catholicorum, protestantium, socinianorum, ecclesiae graecae, minorumque societatum christianarum, summam et discrimina exhibentes,* Berolini, 1830, III, p. 211.

(4) Op. cit., p. 22.

(5) *Beiträge zur Kirchengeschichte,* t. I. p. 467.

(6) « Dieselbe ist durchaus griechisch-orthodox ». Op. cit., p. 96.

doctrinam quod attinet, cum theologia graeco-orthodoxa plane convenire. Inter graecos scriptores eandem tuentur sententiam Mazarakis, qui eam purgat ab omni labe calvinianae haereseos (1) atque Andrutsos. Hicce graecus theologus declarat veram significationem Confessionis metrophanicae latere eos, qui occasione arrepta ex quadam sententia in illa proposita, statim clamitant calvinianis erroribus favisse Metrophanem (2).

c) Tertia sententia vult in paucis, et quidem minoris momenti, Metrophanem suorum institutorum placitis adstipulatum fuisse, protestantium litterarium ac theologicum influxum subiisse, quorum praeceptiones sive in scholis, sive in commercio epistolari cum eis imbiberat (3). Proprio marte enim Metrophanes disputavit. Minime igitur mirum est, cum suas exponit sententias, postquam complures annos doctores reformatos audivit, eorum doctrinis interdum favisse, licet invitus (4). In eis quae maioris momenti sunt, ab orthodoxis sententiis Metrophanes non discedit: vestigia tamen lutherana in eius Confessione deprehenduntur. Non meret sane Metrophanes ut lutheranus appellitetur: sed non potuit quin interdum propius ad lutheranorum placita accederet, cum suae Ecclesiae fidem concinnaret.

d) Quarta denique habetur sententia eorum, qui missis ambagibus, declarant, Metrophanem Cyrilli asseclam fuisse eiusque indolem

(1) *Ἡ ὁμολογία αὕτη τρανῶς ἀποδεικνύει, ὅτι ὁ Κρυσόπουλος, ὑπογραμμὸν θεὶς τοῦ βίου καὶ τὸ Μηδὲν κατὰ τῆς συνειδήσεως, οὐδόλως ἐδίσταζε νὰ ἐλέγξῃ δημοσίᾳ τὰς πλάνας τῶν τε ἐχθρικῶς τῇ Ἐκκλησίᾳ ἡμῶν διακειμένων παπιστῶν, καὶ τῶν φίλα αὐτῇ φρονούντων, καὶ διὰ πολλῶν δεσμῶν μετ' αὐτοῦ συνδεδεμένων λονθηρανῶν καὶ καλβινιστῶν, ἀδίκως δὲ ὑπὸ τῶν καθολικῶν ἐκατηγορήθη ὅτι, χαριζόμενος τοῖς φίλοις αὐτοῦ καλβινισταῖς, συνέταξεν ὁμολογίαν καλβινίζουσαν.* — P. 45.

(2) *Παρερμηνεύουσι τὸ ὀρθόδοξον περιεχόμενον αὐτῆς ὅσοι τῶν ἡμετέρων ἢ τῶν ξένων μὴ ἀπιδόντες εἰς τὴν διάφορον ἐν γένει μορφὴν, ἣν ἔδει νὰ ἔχῃ ὁμολογία, ἐκ θεολογικῆς μᾶλλον καὶ ἐπιστημονικῆς ἐπόψεως ἐξετάζουσι τὰ πράγματα, σπεύδουσι νὰ διΐδωσιν ἐν τῇ διαιρέσει τῶν μυστηρίων εἰς δύο τάξεις, καὶ ἐν τοῖς περὶ κανόνος τῆς Γραφῆς λεγομένοις δόξας προτεσταντικάς.* — P. 37; Buddeus, op. cit., p. 501.

(3) « Il y a, dans la Confession de Métrophanes, quelques légères traces d'influence luthérienne, mais Métrophanes, dans l'esprit général, comme dans la plupart des détails de sa Confession, ne s'est pas écarté de la tradition de l'Église orientale ». — Trivier, pp. 128-29.

(4) « Es ist nicht zu verwundern dass er, ungeachtet seines redlichen Willens, die ihm gestellte Aufgabe der Wahrheit gemäss, und mit aller Klarheit auszuführen, demnoch die jüngst gewonnenen Eindrücke der teologischen Anschauungsweise, mit deren Studium er gerade beschäftigt war, deutlich durchscheinen lässt ». — Von Schéele, apud Zöckler, t. II, p. 717.

contraxisse, sectaeque calvinianae nomen dedisse. De Metrophane loquitur Papadopulos Comnenus, tanquam de graeco lutherano (1). De Confessione Metrophanica hoc fert iudicium Hofmannus: « Quamvis Metrophanes in prooemio suae Confessionis testetur se fidem orthodoxam suae Ecclesiae pure et sincere enucleaturum, haud semel tamen, inscius fortasse, eam corrupit. A doctrina enim orthodoxa dissentit in capitibus quae, ad anthropologiam pertinent, ad sacramenta, quibus tribuitur tantum character mysticorum rituum, ad definitionem Ecclesiae, atque ad libros apocryphos Veteris Testamenti, quos Metrophanes rejicit » (2). Mirandum igitur non est si Sathas et Porphyrius Uspensky conati sint authenticitatem huius Confessionis in dubium revocare, eamque calvinianis vel lutheranis fraudibus acceptam referre: mirandum non est si theologi russi, vel eam silentio praeterierint, vel paucis tantum verbis meminerint.

Cuinam ex praecitatis sententiis magis favendum?... Ut clare meam aperiam mentem, firmiter teneo, sententiam, quam postremo loco recensuimus, propius ad veritatem accedere. Mihi quidem animus non est edicere, Metrophanem, pressis, ut ita dicam, vestigiis, Confessionem Cyrilli Lucareos persecutum fuisse. Haec quidem tota imbibitur calvinianis placitis; calviniano alitur spiritu; calvinianum potius, quam orthodoxum, habet auctorem. Confessio vero Metrophanis haud sane meret ut ex officinis protestantium prodiisse feratur. In multis enim veterem Ecclesiarum orthodoxarum fidem proponere apertissime constat. At in paucis cum lutheranis novitatibus tanta consociatur propinquitate, ut perdifficile sit denegare Metrophanem eis intinctum fuisse.

Iam plerique scriptores adnotarunt tanta benignitate erga protestantes Metrophanem usum fuisse, ut nihil fere ad eorum placita explodenda dixerit. Hocce tamen silentium commode potest explicari, si perpendatur ad Confessionem suam conscribendam Metrophanem auctores suasoresque doctores protestantes habuisse. Mirum igitur non est, praesertim cum ab eis tot beneficia vel amicitiae signa acceperit, si consulto novitates lutheranas, ne eis displiceret, silentio praeteriit. At, si quodammodo hocce silentium excusari potest, nequit fieri quin

(1) *Praenotiones mystagogicae*, Paduae, 1697, p. 184.

(2) « Obwohl Metrophanes selbst in Vorwort sagt, dass er den orthodoxen Glauben seiner Kirche lauter und unverfälscht niederschreiben wolle, so hat er doch denselben in manchen Stücken, wie Cyrillus, alterirt, vielleicht unbewusst... So weicht er von seiner Kirche ab in der Anthropologie, in der Herabsetzung von den Sakramenten zu blossen ritus mystici, in der Definition der Kirche, und in der Verwerfung der alt-test. Apokryphen ». P. 139.

censoria virgula quaedam doctrinae capita in Confessione contenta, notentur.

Et revera: I. Protestantium sententiae maxime consona est definitio Ecclesiae, quae in Confessione traditur: « Ecclesia est, ut nonnulli volunt, congregatio omnium eorum, qui praedicationi Evangelii quocumque modo credunt, orthodoxorum inquam et haereticorum. Alii autem eam congregationem orthodoxorum tantum esse volunt, et eorum qui in doctrina christiana per omnia sani sunt » (1). Fere idem tradit *Confessio Augustana*: « Ecclesia est Congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, et recte administrantur sacramenta et ad veram unitatem Ecclesiae satis est consentire de doctrina Evangelii et administratione sacramentorum » (2). Neminem autem latet scriptores orthodoxos totos in eo semper fuisse, ut usque ad nauseam tuerentur Ecclesiam Christi unicam esse, eamque, post schisma peractum, pios orthodoxos tantum complecti. Metrophanes huncce canonem theologiae orthodoxae sua definitione convellit, ac notae, quas paullo post describit ad veram Ecclesiam discernendam, inter falsos qui hoc nomine gloriantur coetus, sane non determinant ubinam haec vera Ecclesia reperiatur.

II. Congruentem theologiae lutheranae sententiam in sacramentorum numero stabiliendo tradit Metrophanes. Duo enim sacramenta statuit, sanctum baptismum et sanctam communionem, quae ex visibili materia et Spiritu Sancto constant (3): hisce duobus tertium addit sacramentum necessarium, poenitentiam. Cetera vero ritus mystici sunt, homonyme ab Ecclesia mysteria appellati, propterea quod mysticum et spirituale aliquid iis contineatur (4). Hancce doctrinam non veremur asserere a traditione veteris Ecclesiae quam maxime abhorrere, et plane convenire cum novitatibus lutheranis. Audiatur Melanchtonus, ex quo Metrophanes videtur hausisse: « Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiae, facile est iudicare quae sint proprie sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo proprie dicta sacramenta. Non est enim auctoritatis humanae promittere gratiam. Quae signa sine mandato Dei instituta, non sunt certe signa gratiae, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Vere igitur sunt sacramenta

(1) Kimmel, II, p. 100.

(2) Pars I, art. VII. Franke, op. cit., pp. 15-16.

(3) Kimmel, p. 90.

(4) *Παρὰ ταῦτα τὰ τρία ἀναγκαῖα μυστήριά εἰσι καί τινες τελεταὶ μυστικαί, μυστήρια κἀκεῖναι ὁμωνύμως καλούμεναι παρὰ τῇ Ἐκκλησίᾳ, διὰ τὸ μυστικόν τε καὶ πνευματικὸν ταύταις ἐμπεριέχεσθαι.* — Ib., p. 93.

baptismus, coena Domini, absolutio, quae est sacramentum poenitentiae » (1). Equidem non ignoro Pichlerum (2), et Weissenbornium (3) sententiam Metrophanis de numero sacramentorum, fidei orthodoxae haud absonam declarasse. At, quo utitur Metrophanes epitheto *ritus mysticus*, admodum clare innuit non modo distinctionem maioris vel minoris dignitatis aut necessitatis eum inter sacramenta vindicasse, sed et naturae.

III. In capite de *Ecclesia*, non abborret Metrophanes a fingendis mendaciis ut decernat libros deuterocanonicos non abjiciendos quidem, quum multa ethica plurima laude digna in eis comprehendantur; tanquam canonicos autem atque authenticos libros, ex quibus fas sit dogmata orthodoxa astrui, accipiendos non esse (4). Hancce doctrinam ex lutheranis condis deprompsit Metrophanes (5).

IV. Protestantibus denique favet, cum verbum transsubstantiationis, quamvis directe profiteatur realem praesentiam Iesu Christi in Sacramento Eucharistiae, ex theologia orthodoxa expungit, tuitus, modum mutationis panis et vini in corpus et sanguinem Iesu Christi esse ineffabilem, nec nobis curiose inquirendum (6).

Plura non addimus. Ex hucusque disceptatis, satis claret Metrophanicam Confessionem, authenticam fidem orthodoxam non exhibere, neque immerito theologum quendam catholicum eam dixisse perfidam, ac fide indignam (7). Non solum igitur illis refragamur, qui eam in album librorum symbolicorum orthodoxorum digerunt, sed et illis, qui privatae Confessionis orthodoxae characterem ei vindicant. Confessio enim vel privata, si nomini sectae cuiusdam vel Ecclesiae addicatur, sinceram huiusce sectae vel Ecclesiae, idest, nullis ei absonis elementis depravatam, praeseferre debet. Ex dictis autem superius, con-

(1) *Apologia Confessionis augustanae*, c. VI. n. XI, Franke, p. 201.

(2) P. 96.

(3) P. 90. nota 1.

(4) Pp. 106-106. Apte ad hunc locum adnotat Iugie: « On voit très bien, en lisant la Confession de Métrophane, les pertes qu'éprouva son orthodoxie. Plus habile que Gerganos, Métrophane possède l'art de déguiser sa pensée sous des formules imprécises qui prêtent à l'équivoque. Sur plusieurs points, il est vrai, il ne craint pas de heurter de front les dogmes protestants, mais, sur d'autres, il leur fait de fâcheuses concessions ». — Op. cit., p. 39. Cfr. Iasek, *Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti, Slavorum litterae theologicae*, t. II, 1906, p. 136.

(5) Buddeus, pp. 1455-56.

(6) Kimmel, p. 127.

(7) Ziegler, *Institutiones seu prolegomena theologiae catholicae*, Vindobonae, 1821, p. 486.

stat sententias lutheranas haud semel in Confessionem Metrophanis irrepsisse, eisque adstipulari disertis verbis Metrophanem declarasse. Ergo neque characterem privatae Confessionis ei vindicandum ducimus (1).

11. Inter fontes theologiae symbolicae recensentur a scriptoribus orthodoxis vel canones et decreta synodorum particularium. Cum tamen in hoc rerum capite sententiae theologorum orthodoxorum quaedam catholicae doctrinae absona praeseferant, accurate nobis concinnanda sunt: α') *Doctrina catholica de conciliis particularibus;* β') *Doctrina orthodoxa de iisdem conciliis*; γ') *Sententiae illae, quae apud scriptores orthodoxos censoria virgula merent ut notentur.*

α') Conciliis particularibus in theologia catholica *iurisdictio* vel *auctoritas* quaedam vindicatur. Haec autem *iurisdictio* vel *auctoritas* multiplex est: *territorialis, realis, fallibilis, infallibilis, extraterritorialis* vel *oecumenica.* De singulis ex ordine disserendum.

a) Concilia particularia in suis legibus condendis *iurisdictione* potiuntur *territoriali.* Nemini videtur mihi huiusce propositionis veritas dubia fieri. Concilia enim particularia, ut patet ex epitheto quo insigniuntur, ab oecumenicis essentialiter differunt. Haec toti christianorum orbi suas leges condunt; illa vero peculiari nationi (*concilia nationalia*) vel provinciae ecclesiasticae (*provincialia*) ,vel dioecesi (*dioecesana*). Concilia oecumenica vocem efferunt totius Ecclesiae universalis; concilia vero particularia personam gerunt unius Ecclesiae particularis. In prioribus magisterium ecclesiasticum universale, quod totam complectitur hierarchiam, episcopos scilicet cum suo capite, Romano Pontifice, coniunctos, suum munus leges ferendi in fidei morumque provincia exercet; in alteris vero magisterum ecclesiasticum imperfectum habetur, pars hierarchiae, quae abstracta quidem non est a capite, alioquin ad instar cadaveris sese gereret; cum tamen suas leges condit, supremae in Ecclesia auctoritatis influxui non subditur *immediate.* Conficitur inde, ut conciliorum oecumenicorum decreta totius Ecclesiae docentis potestatem legiferam explicent; conciliorum vero particularium, solummodo partem. Unde iam illud patet praerogativas, quae illis competunt, hisce vindicandas non esse.

Concilia oecumenica iurisdictionem exercent in universam Eccle-

(1) Ambiguis verbis suum de Confessione metrophanica expromit iudicium Michaud: « La Confession de Métrophane n'est ni un document dogmatique, qui s'impose à ce titre, ni un document déclaré officiellement hérétique, et qu'il faille rejeter sous peine de l'hérésie ». — *Revue Internationale de Théologie,* t. XIV, 1906, p. 20.

siam, cunctos nimirum fideles ad suarum legum observantiam suo iure moraliter cogunt. Quoties enim agitur de decretis fidei et morum in concilio oecumenico perfecto conditis, atque a romanis Pontificibus approbatis, dubium non est quin ea rejicere, sibi vellet catholicam fidem respuere. Concilia vero particularia *iurisdictionem territorialem*, videlicet nationalem, provincialem, dioecesanam, sibi tantum vindicant. Res apertissime liquet. Leges enim ad subditos, qui eis parent, immediate referuntur. Potestas vero legislativa iure potitur leges ferendi pro suis subditis, hoc est, haec potestas exercetur intra statutos sibi limites. Atqui concilia particularia, quaecumque sint, intra limites unius nationis vel provinciae, vel dioeceseos continentur. Ergo potestate legislativa, vel iurisdictione qua potiuntur, *territorialis* est, non universalis. Leges quae ab eis promulgantur, non omnes in orbe terrarum fideles ligant, sed eos tantum, qui eis immediate subduntur (1).

b) Iurisdictio *realis* vindicatur conciliis particularibus, leges nimirum ab eis promulgatae, postquam omnia servata fuere quae ad eorumdem conciliorum validitatem spectant, authenticas inter leges particulares catholicae Ecclesiae percensentur. « Concilia particularia, ait Wernz, legitime convocata, celebrata atque approbata, vel recognita a sede apostolica sunt subiectum activum legum ferendarum pro universo illo territorio, ex quo episcopi congregati sunt » (2). Si haec igitur concilia subiectum activum sunt potestatis legislativae, decreta quae ab eis promulgantur *realem* auctoritatem vel iurisdictionem praeseferunt. Haec doctrina corollarium est sententiae illius theologiae catholicae, quae catholicos episcopos genuinos tuetur successores Apostolorum in munere docendi veritates fidei et morum. Hoc autem munus duplicem importat auctoritatem: refertur enim ad fidem *explicandam* ac *djiudicandam*. Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, vel pasci fideles: *Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμένειν τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ*, Act. Ap., XV, 28 Bonus vero pastor tenetur cibum salutare suo gregi parare, eumque a venenatis pascuis arcere. Eadem sane ratione, quatenus animarum est pastor, duplex officium magistri atque iudicis Episcopus absolvit. Ut magister, rectam docet fidem; ut iudex, haereses erroresque, quae rectam fidem convellere nituntur, reprobat exploditque. Auctoritatem,

(1) Reiffenstuel, *Ius canonicum universum*, t. I, Romae, 1843, p. 78; Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum universum*, t. I, Romae, 1843, p. 146; Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici*, Brixinae, 1900, p. 22.

(2) *Ius decretalium*, t. I, Romae, 1898, p. 236.

qua fungitur in utroque munere obeundo, divinitus accepit. Hoc si negaretur, consequeretur episcopos intra limites suarum dioecesium, non secus acturos ac privatos theologos, qui suas peculiares sententias expromunt; concilium partciulare conventum esse virorum, qui erudite inter se disceptant, suisque tamen sententiis non aliam vindicent auctoritatem, quam eam quae doctis tribuitur magistris. Statuit contra doctrina catholica, in conciliis particularibus episcopos, dum sua decreta condunt, auxilio quodam Spiritus Sancti communiri, quod licet ad fastigium infallibilitatis ex capite Romano Pontifice in concilia oecumenica dimanantis non assurgat, auctoritatem tamen eis confert, quae theologorum auctoritatem de rebus fidei disputantium longe superat. Haec enim auctoritas humanam tantum praesefert originem: illa vero supernaturale quoddam continet elementum, auxilium nempe Spiritus Sancti, quo instructi tutius episcopi regunt Ecclesiam Dei, sanae doctrinae germina colentes, pravae autem extirpantes (1).

Nostrae suffragantur sententiae scriptores fere omnes catholici, qui permagni faciunt decreta conciliorum particularium. « Concilia particularia, ait Schwetz, etsi cum infallibili certitudine traditionis testari non valent, tamen magna gaudent in Ecclesia auctoritate, ita ut saltem eorum acta ceu totidem fidei in particularibus illis regionibus vigentis, ex quibus sunt convocata, documenta habenda sint » (2). Atque alibi: « Magnae sunt concilia haec auctoritatis, ita ut temerarium esset, si quis eis, nisi error sit apertissimus, resisteret, idque propterea, quoniam etsi episcopi singuli, donum infallibilitatis ex integro non habent, tamen auxilio Spiritus Sancti in veritate indaganda, nequaquam prorsus destituuntur. Unde etiam concilia haec semper in Ecclesia summi habebantur » (3).

(1) Doctrinam quam enucleavimus, perbelle concinnat Heinrich: « Es sind auch die Bischöfe, und zwar nicht nur auf dem allgemeinen Concile, sondern auch ein jeder in seiner Diöcese oder auf Particularconcilien vereinigt, nicht nur Lehrer, sondern auch Richter in Glaubenssachen; denn auch ihnen ist in den Aposteln der Auftrag gegeben, die christliche Wahrheit nicht nur zu predigen, sondern auch autoritativ gegen jede Verfälschung zu schützen. Demgemäss haben es auch die Bischöfe von Anbeginn an als eine Hauptpflicht ihres Amtes betractet, sowohl in ihren Diöcesen, als auch auf kleineren oder grösseren Versammlungen Irrlehren zu verwerfen, Zweifel zu entscheiden, und die wahre katholische Lehre autoritativ auszusprechen. Solche Urtheile der Bischöfe in Glaubenssachen haben daher nicht lediglich die Autorität einfacher Zeugnisse, und theologischer Gutachten Sachverständiger, sondern es sind wahrhaft autoritative Urtheile, denen vermöge der bischöflichen Amtsgnade eine höhere Garantie der Wahrheit innevohnt ». — Op. cit., t. II, p. 527.

(2) *Theologia fundamentalis*, Vindobonae, 1858, p. 616.

(3) Ib., p. 488.

c) Synodi particulares, juxta doctrinam catholicam, fallibiles sunt. Diximus quidem supra auxilio quodam Spiritus Sancti non destitui episcopos in eis congregatos. Minime tamen ex hoc sequitur assistentia illa speciali eos communiri, quae immunitatem ab errore inducit. Communis haec est sententia apud scriptores catholicos (1). Ratio in promptu est. Infallibilitas doctrinalis ad totam pertinet Ecclesiam, in conciliis oecumenicis legitime repraesentatam, vel supremo Ecclesiae capiti, cum munus obit doctoris universalis. Hancce doctrinam tum Revelationis, tum Traditionis innumera firmant testimonia, ut suo loco clarissima in luce ponetur. Consequitur inde neque singulos episcopos, neque episcopos in synodo provinciali, aut nationali, quae totius Ecclesiae personam non gerunt, infallibilitate doctrinali potiri (2). Ad rem Suaresius: « Nullum concilium particulare per se spectatum est regula infallibilis fidei..... Et ratio est quia tale concilium non est universalis Ecclesia, neque illam repraesentat, neque etiam illam obligare potest ad credendum quod docet, quia non habet jurisdictionem in universam Ecclesiam, neque denique invenimus promissionem illi specialiter factam » (3).

Et revera, historia veteris et recentioris oevi testatur concilia quaedam particularia a recto tramite aberrasse, haeresibusque ita favisse, ut merito tanquam conciliabula reprobata fuerint ab Ecclesia (4). Ergo, cum ea non potiantur auctoritate, quae cuniculos haeresi penitus obstruat, minime mirum est scriptores catholicos in hancce devenisse sententiam, ut statuerent in hisce conciliis controversias de fide attingendas non esse: » Cum nulla congregatio particularis episcoporum, etiamsi frequentissima, sine primate Ecclesiae seu summo Pontifice magisterium Ecclesiae constituere possit, patet ad auctoritatem synodorum provincialium non spectare dogmata fidei enumerare, bene vero enunciata ac definita Ecclesiae dogmata illustrare, et abusus intellectus humani contra eorum sensum compescere » (5). Materia legum,

(1) Canus, lib. V, c. IV, t. I, p. 281.

(2) « Höchster und desshalb unfehlbarer Richter in Glaubenssachen ist keine Bischof und keine particulare bischöfliche Versammlung. Allerdings streitet die Vermuthung dafür, dass ein Bischof in seiner amtlichen Lehrthätigkeit, sowie dass rechtmässige Synoden von Bischöfen mit der Lehre der Kirche und des apostolischen Stuhles im Einklange stehen: allein unfehlbar ist ihr Urtheil nicht ». Heinrich, t. II, p. 527.

(3) *De fide*, Disp. V, sect. VII, n. 3.

(4) Canus, loc. cit., p. 283.

(5) Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiae orientalis catholicae*, Magno-Varadini, 1880, p. 128.

ait Wernz, quae a conciliis particularibus condi possunt, certo non sunt controversiae dogmaticae. Conciliorum enim provincialium est definitiones dogmaticas conciliorum oecumenicorum et romanorum Pontificum solemniter recipere, et divulgare, et fidelibus omni vi commendare. Praeterea nihil obstat, quominus doctrinam catholicam iampridem indubitatam, etiam in certum ordinem redactam, suo clero et populo pro necessitate temporum et locorum denuo proponant » (1).

Concilia igitur particularia in rebus fidei auctoritate potius *explicativa*, quam *definitiva* potiuntur. Fatemur quidem primis Ecclesiae christianae saeculis latius quam nunc concilia particularia suum officium exercuisse, ac sibi leges condendi in provincia fidei ius vindicasse. Proficiente tamen Ecclesia in catholica doctrina enucleanda, nec non ecclesiasticae disciplinae vinculis arctius constrictis, incommoda illa, quae interdum ex nullis terminis definita conciliorum particularium auctoritate manabant, discussa fuere.

d) Iurisdictio vel auctoritas *infallibilis* vindicatur illis conciliis particularibus, quorum decreta in provincia fidei suprema romanorum Pontificum auctoritas confirmavit, atque ad universam extendit Ecclesiam. Hoc fert communis scriptorum catholicorum sententia. Ad eam quod spectat, Bellarminus ait: « Haec non est universaliter recepta: non desunt enim qui eam negent. Itaque ea solum de causa non affirmamus hanc propositionem fide catholica esse tenendam, quod auctores, qui contrarium sentiunt, nondum videamus ab Ecclesia damnatos pro haereticis... Sed temerarium, erroneum, et proximum haeresi est, existimare, concilia particularia a Pontifice confirmata, posse errare » (2). Post definitionem tamen Infallibilitatis Romanorum Pontificum, sententia, quam tuemur, de fide tenenda est. Si poneretur enim conciliorum particularium decreta, a summis Pontificibus confirmata, in rebus fidei et morum erroribus obnoxia, sequeretur Romanum Pontificem in rebus fidei et morum fallibilem esse, scilicet, negaretur dogma quod solemniter definivit concilium Vaticanum.

Si obiective spectentur decreta tum conciliorum oecumenicorum, quum particularium, hoc est quatenus ad suam insitam auctoritatem doctrinalem, si hisce superadditur confirmatio expressa Romanorum Pontificum, discrepantia essentialis non datur inter ea. Infallibilitas enim, qua utriusque generis decreta instruuntur, omnino eadem est, sive in se, sive quoad effectus, idest quoad universalitatem assensus

(1) Op. cit., t. I, p. 237. — Bouix, *Tractatus de Conciliis provincialibus*, Parisiis, 1884, pp. 504-514.

(2) *De Conciliis*, lib. II, c. V; *Opera*, t. II, Neapoli, 1857, p. 46.

ei exhibendi. Accidentalem autem discrepantiam inter ea non negamus. Decreta enim conciliorum oecumenicorum nomine totius Ecclesiae christianae edita fuere; conciliorum autem particularium, nomine cuiusdam Ecclesiae particularis. Insuper conciliorum oecumenicorum, quae legitime convocata et approbata fuere, decreta suapte natura infallibilia sunt, quod de decretis conciliorum particularium nefas est affirmare. Hancce enim infallibilitatem eis comparavit subsequens Ecclesiae universalis, vel Romani Pontificis confirmatio (1).

Doctrina, cui adstipulamur, facili probatur negotio. Constat *primo* infallibilitatis nota exornari decreta illa, quae Romanus Pontifex in provincia fidei et morum tanquam supremus Ecclesiae catholicae magister *ex cathedra* orbi christiano promulgat. Atqui in confirmandis decretis conciliorum particularium quae ad fidem morumque spectant, eisque cunctorum fidelium assensu vindicando, munere fungitur supremi catholicae Ecclesiae magistri, idest, *ex cathedra* loquitur. Ergo haec decreta conciliorum particularium infallibilia sunt. Qua in re est notandum, quod ex proposita conclusione non sequitur, concilia particularia, quae haec decreta edidere, infallibilia aestimanda. Aliud est enim veram doctrinam *sincere* proponere, aliud autem *infallibiliter*. Ad illud, auxilium quodcumque Spiritus Sancti sufficit, vel accurata doctrinae inquisitio; ad hoc vero specialis requiritur Dei assistentia, quae mentem humanam ab erroribus immunem faciat. Concilia particularia, ut diximus, suapte natura infallibilia non sunt, ideoque infallibiliter doctrinam Ecclesiae nequeunt expromere, quamvis, ut plurimum, veram expromant doctrinam. Consequitur inde, cum decreta horum conciliorum infallibilia efferimus, hancce infallibilitatem communicatam eis fuisse ab auctoritate illa, quae infallibilis est. Itaque, cum affirmamus eadem per subsequentem confirmationem Romanorum Pontificum infallibilia evadere, Romanis Pontificibus implicite vindicamus infallibilitatem: et simul, cum statuimus Romanum Pontificem in rebus fidei et morum infallibiliter sese gerere, conciliorum particularium decreta ad fidem et mores spectantia ab eo approbata, infallibilia asserimus.

Secundo. Neminem latet saepe concilia particularia haereses damnasse, eorumque sententiam recognovisse, atque approbasse Ecclesiam. Atqui Ecclesia est infallibilis in rebus fidei decernendis, scilicet in vera fidei doctrina determinanda, oppositisque erroribus reprobandis. Ergo et infallibilia sunt concilia particularia in sententiis

(1) « Pour les conciles particuliers approuvés et imposés à l'Église entière il n'y a infaillibilité qu'*après coup.* » — Leclerc, apud Hefele, t. I, 1, p. 77.

adversus haereses prolatis, quibus confirmatio accessit totius Ecclesiae vel Romanorum Pontificum. Minor probatur in tractatu de Ecclesia. Si enim in damnandis haereticis Ecclesia subesset falso, consequeretur eam ineptam esse ad veram doctrinam a falsa secernendam, hoc est, ad magisterium ecclesiasticum exercendum. Fas igitur esset quaecunque in provincia fidei ab ea edicuntur in dubium vocare (1).

Tertio. Haec argumenta firmant conciliorum testimonia, in quorum actis asseritur conciliorum particularium decreta eadem habenda esse veneratione ac decreta conciliorum oecumenicorum, quae verba quidem non nisi de conciliis particularibus ab universa Ecclesia approbatis intelligi queunt. In septimo concilio oecumenico lecta est atque approbata epistola Theodori, patriarchae Hierosolymitani qui testatur se confirmare locales sanctas synodos, et correctiones canonicas, quae divina sunt inspiratione ab eis depromptas (2).

Itidem in canone I synodi oecumenicae octavae statuitur: « Sanctiones Ecclesiae catholicae et apostolicae per traditionem ab orthodoxis oecumenicisque et provincialibus conciliis acceptas, servandas custodiendasque » (3).

e) Auctoritas *extraterritorialis* vel *oecumenica* ea est quae limites praetergreditur illius nationis, vel provinciae vel dioeceseos, in qua concilium congregatur. Haec auctoritas ad concilium oecumenicum solummodo pertinet. Decretis tamen conciliorum particularium, quae Romanus Pontitex confirmavit, eadem vindicatur. Doctrina enim fidei, quam auctoritas infallibilis sua communit sanctione, ad universum fidelium coetum extenditur, eique tenentur omnes assentiri. Haec enim doctrina infallibiliter proposita, commentum humanum non est, vel opinio in qua haeret anceps animus, sed authentica explicatio ve-

(1) « Nec expedit, nec tolerabile est, singulis haereticis condemnandis singulas generales synodos cogere. Cum ergo Ecclesiae suae Deus prospexerit in necessariis, nimirum ad haereses privatas in provinciis refutandis, concilia provincialia satis erunt, si erunt modo Summi Pontificis auctoritate roborata. Praeterea quoscumque eiusmodi concilia damnavere, Ecclesia eos semper explosit. Errare igitur illa in fide nequeunt. Quod si possent, vel unum certe exemplum proferretur. At nullum omnino est. — Canus, p. 281.

(2) *Οὐκ ἀποτρεπόμεθα δέ, ἀλλὰ μάλα στέργομεν καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ τὰς τοπικὰς ἁγίας Συνόδους, καὶ τὰ θεῖα ἐπιπνοίᾳ ἐκφωνηθέντα αὐτοῖς κανονικὰ κατορθώματα, καὶ ψυχωφελῆ νομοθετήματα.* — Mansi, t. XII, col. 1143.

(3) *Τοὺς ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ παραδοθέντας θεσμοὺς παρά τε ὀρθοδόξων οἰκουμενικῶν τε καὶ τοπικῶν ... τηρεῖν καὶ φυλάττειν ὁμολογοῦμεν.* — Mansi, t. XVI, col. 397; Marcellius, *Institutiones theologicae*, t. I, pp. 184-85; Gotti, *Theologia scholastico-dogmatica*, t. I, Venetiis, 1781, pp. 51-52; Papp-Szilágyi, p. 128.

ritatis revelatae, ab authentico magisterio prolatae. Compertum est autem huiusmodi veritates suapte natura cunctis fidelibus probandas, nimirum universaliter in Ecclesia accipiendas. Sicut igitur infallibilitas conciliorum particularium, quae sanxit Romanus Pontifex, ab eis non effluit, sed auctoritate confirmante, ita etiam universalitas vel *extraterritorialitas* eorundem conciliorum eis ingenita non est, sed acquisita, communicata ab auctoritate illa, quae leges condendi pro universa Ecclesia iure potitur (1).

Inter concilia particularia, quae ob universalem suam in Ecclesia receptionem, et confirmationem vel tacitam vel expressam Romanorum Pontificum eandem adepta sunt auctoritatem atque concilia oecumenica, iuvat memorare: 1) Concilium romanum anno 313 adversus Donatistas habitum (2); 2) Concilium arelatense (314), quod iterum donatistas anathemate perculit, et controversias de tempore paschali, ac de baptismo haereticorum agitavit. Hocce concilium, quamvis permultos congregavit episcopos (3), oecumenicum non est, quia orientales episcopi ei non interfuerant, atque Orientem fere latuerunt Donatistarum turbae (4); 3) Concilium sardicense (347) quod maximi momenti est in theologia catholica, cum diserte in canonibus III, IV, V, romanam sedem supremum dissidentium episcoporum tribunal profiteatur (5). Me non fugit scriptores quosdam catholicos tenuisse concilium sardicense conciliis oecumenicis accensendum, sed argumenta, quae huic obstant sententiae, tam firma sunt ut perperam ea refellere quisque conaretur (6); 4) Concilia cartaginense et milevitanum (416) quae pelagianam haeresim damnarunt (7). Decreta utriusque concilii solemniter approbavit Innocentius I (401-417), qui disertissime tradit Romani Pontificis sententiam atque iudicium controversias fidei plenissime dirimere. « Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest, sui nominis, et honoris aucto-

(1) « Die Particularconcilien eine solche Unfehlbarkeit nicht aus sich haben konnen weil eine Particularsynode weder die Gesammtkirche repräsentirt, noch über die ganze Kirche Iurisdiction, noch die Verheissung und Gabe der Unfehlbarkeit besitzt, so kann sie dieselbe nur aus der päpstlichen Bestätigung schöpfen und zwar aus einer solchen päpstlichen Bestätigung, welche den Character einer Kathedralentscheidung hat. — Heinrich, t. II, pp. 529-530.

(2) Hefele. t. I, 1, pp. 272-274.

(3) *Πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους ... συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν.* — *Ep. Const. Imp.*, Mansi, t. II, col. 467.

(4) Hefele, I, 1, p. 278.

(5) Ib., I. 2, pp. 763-777.

(6) Ib., pp. 820-823.

(7) Hefele, t. II, 1, pp. 183-185.

rem, referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse (1). Nil mirum igitur si de litteris Innocentii I ad praefata concilia, dixerit S. Augustinus: « *Inde* (ex Roma) *rescripta venerunt*: *causa finita est* »(2); 5) Concilium arausicanum II (529), cuius capitula permagni habentur pro statuenda doctrina catholica de peccato originali, eisque pluries usum est concilium tridentinum in canonibus de iustificatione (3). Cum igitur quaestiones difficillimas de gratia solvit, subsequente approbatione sedis romanae, valorem oecumenicum suis canonibus adeptum est (4); 6) Concilium francofordiense (749), quod fere omnes veteres rerum gestarum conditores, generale appellant (5). Hocce concilium damnavit haeresim Elipandi Toletani ac Felicis Urgelitani. Oecumenicum non est, ut probat Severinus Binus (6) ac praeterea confirmatum est ab Hadriano I (772 795) quoad partem solummodo suorum decretorum (7).

Haec praesertim concilia approbatione vel *tacita* vel *expressa* sedis romanae auctoritatem quodammodo oecumenicam consecuta fuere. Dicimus approbatione *tacita*, quia « primis saeculis religionis christianae plurimos canones ex consuetudine universaliter accepit Ecclesia. Concilia enim particularia pro magna facilitate, qua ipsorum canones receptis collectionibus inserti in aliis regionibus divulgabantur, etiam extra territorium proprium magnam vim et efficaciam consecuta sunt. Quod quantopere locum habuerit, vel ex ipsis collectionibus posterioris aetatis liquet: in illis enim indiscriminatim canones conciliorum particularium tanquam auctoritates allegantur »(8).

β') Doctrina orthodoxa, ad nostram controversiam quod attinet, tuetur quaedam concilia particularia pedetentim tantam auctoritatem adepta fuisse, ut fontes iuris canonici universalis facta sint, ac suis legibus momentum illud vindicarint, quod proprium est conciliorum oecumenicorum (9). Generatim ab ea asseritur huiusmodi concilia no-

(1) Mansi, t. III, coll. 1071 1075.

(2) *P. L.*, t. XXXXIII, col. 729.

(3) Ernst, *Die dogmatische Geltung der Beschlüsse des zweiten Konzils von Orange, Zeitschrift für katholische Theologie*, t. XXX, 1906, pp. 650-670; Hefele, II, 2, p. 1093.

(4) Hefele, p. 1089.

(5) Hefele, *Conciliengeschichte*, t. III, Arnemii, 1859, p. 802.

(6) Mansi, t. XII, col. 912.

(7) Bellarminus, *De conciliis*, lib. II, c. VIII.

(8) Wernz, t. I, pp 282-283.

(9) De conciliis particularibus in litteratura ecclesiastica russica haec praesertim habentur: 1 Никитин, Карѳагенскій соборъ 411 года, по дѣлу о расколѣ донатистовъ (*Concilium carthaginense anno 411 habitum, ob donatistarum schi*

vem fuisse: quidam vero putant decem enumeranda: quidam undecim. Ordine chronologico servato, ea recensemus: 1) Concilium ancyranum in Galatia, anno 314 congregatum, ut malis mederet christianae Ecclesiae saevientibus persecutionibus inustis, ac de *lapsis* quid agendum decerneret. Ob permultos episcopos qui ei interfuere, generale concilium appellitatum est, quamvis oecumenicum non sit. Complectitur 25 canones (1). 2) Concilium neocaesareense (314-325). Quindecim canones edidit, qùi ad clericalem disciplinam praesertim spectant (2). 3) Concilium gangrense, dimidio saeculi IV congregatum. Viginti, quos con-

---

sma), Духовная бесѣда, 1861, t. XIV, pp. 16-24; 81-92; Ivanovsky, Правила помѣстнаго собора, иже во Иппонѣ сошедшихся святыхъ отцевъ 277 (*Canones concilii particularis, quod 277 Patres Hippone congregavit*), Православный Собесѣдникъ, 1870, t. III, pp. 256-276; Barsov, О правилахъ карѳагенскаго собора (*De canonibus concilii carthaginensis*), Христіанское Чтеніе, 1876, t. II, pp. 405-439; 1877, t. II, pp. 639-708; 1879, t. I, pp. 192-224; Panov, Сравненіе правилъ апостольскихъ съ соотвѣтственными имъ правилами собора Антіохійскаго (*Comparatio canonum apostolorum cum canonibus concilii antiocheni*), Руководство для сельскихъ пастырей, 1879, t. I, pp. 175-184; 217-225; Zaozerrky, Историческое обозрѣніе источниковъ права православной церкви (*Conspectus historicus fontium iuris Ecclesiae orthodoxae*), t. I, Mosquae, 1891, pp. 111-171; Bolotov, Сардика или Сердика?... Ортографическій вопросъ (*Sardycane vel Serdica: Quaestio orthographica*), Христіанское Чтеніе, 1891, t. I, pp. 511-517; Id., Ливерій, епископъ римскій, и сирмійскіе соборы (*Liberius, episcopus romanus et Sirmiensia concilia*), Petropoli, 1893; Ostroumov, Введеніе въ православное церковное право (*Introductio in ius ecclesiasticum orthodoxum*), t. I, Charkoviae, 1893, pp. 187-200; Nicodemus (episcopus Dalmatiae), Православное церковное право (*Ius ecclesiasticum orthodoxum*), Petropoli, 1897, pp. 98-107; Berdnikov, Краткій курсъ церковнаго права православной Церкви (*Parvum compendium iuris canonici Ecclesiae orthodoxae*), Kasan, 1903, pp. 31-44; Zaozersky, Смыслъ и значеніе такъ называемаго 13 правила Лаодикійскаго собора (*Sensus et momentum vulgo dicti XIII canonis concilii laodiceni*), Богословскій Вѣстникъ, 1897, t. I, pp. 639-661; Berdnikov, Смыслъ XIII-го правила Лаодикійскаго собора, Православный Собесѣдникъ, 1908, t. I, pp. 596-608; 747-772; t. II, pp. 281-305; Zaorzesky, Къ вопросу о смыслѣ и значеніи т. н. XIII правила Лаодикійскаго собора, Богословскій Вѣстникъ, 1908, t. III, pp. 386-399; Berdnikov, Отвѣтъ на критическую замѣтку профессора Заозерскаго (*Responsio ad criticas observationes professoris Zaozersky*), Kasan, 1909 (agit de eodem canone laodiceno); Lapin, Соборъ, какъ высшій органъ церковной власти: историко-каноническій очеркъ (*Concilium, tanquam supremum organum auctoritatis ecclesiasticae*), Kasan, 1909. Datur versio russica Actorum novem conciliorum particularium, quae auctoritatem oecumenicam habent: Дѣянія девяти помѣстныхъ соборовъ въ переводѣ на русскій языкъ, Kasan, 1877-78; II ed. 1901.

(1) Hefele, t. I, 1 pp. 298-326; *Πηδάλιον*, *Athenis*, 1066, pp. 382-313.

(2) Hefele, t. I, 1, pp. 326-334; *Πηδάλιον*, pp. 313-321.

flavit, canones novitates eustathianorum explodunt (1). *Πηδάλιον* 21 canones enumerat: postremus tamen *ἐπίλογον* exhibet praecedentium canonum (2). 4) Concilium antiochenum *in encoeniis* anno 341 habitum, ut ritum perficeret solemnis consecrationis ecclesiae, quam Antiochiae Constantinus imperator aedificare coepit, Constantius vero absolvit. Viginti quinque canones promulgavit (3). 5) Concilium laodicenum, de quo non satis compertum est quonam anno convocatum fuerit. Generatim refertur ad alterum dimidium saeculi IV. Condidit sexaginta canones (4). 6) Concilium sardicense, de quo supra diximus. Scriptores orthodoxi admodum insudant in eluenda vi canonum huiusce concilii, qui primatum sedis romanae in controversiis ecclesiasticis dirimendis testantur. *Πηδάλιον* graecum conatur eos funditus evertere, effutitque ex eis nullum depromi argumentum, quod romanae faveat *ambitioni*: 1ura enim quae praefati canones sedi Romanae vindicant, ceteris Orientis Patriarchis in peculiari singulorum ditione communia habentur (5). Graecae collectiones canonum, viginti tantum ei canones tribuunt (6). Summa animi contentione refellunt scriptores orthodoxi sententiam eorum, qui sardicensis concilii oecumenicitatem tuentur (7). 7) Concilium constantinopolitanum anno 394 sub Nectario Patriarcha (381-397) habitum, ut litem dirimeret, inter episcopos Gebadium atque Agapium circa sedem bostrensem in Arabia exortum (8). Duos canones huiusce concilii recenset *Πηδάλιον*: unum tantum Monumenta slavica iuris canonici (9). Quidam scriptores id non enumerant inter concilia, quae quasi oecumenica habentur (10). 8. Concilium carthaginense anno 419 habitum. In eo conflatus est codex generalis canonum Ecclesiae

(1) Hefele, t. I, 2, pp. 1029-1045; *Πηδάλιον*, pp. 322-329.

(2) Nicodemus, ep., op. cit., p. 100.

(3) Hefele, I, 2, pp. 702-733; *Πηδ.*, pp. 330-341.

(4) Hefele I, 2, pp. 989-1028; *Πηδ.*, pp. 342-360.

(5) *Καθῶς περὶ τῆς Ῥώμης οἱ κανόνες οὗτοι διορίζουσιν, ἔτσι παρομοίως καὶ περὶ τῶν ἄλλων τεσσάρων Πατριαρχῶν, καὶ ὁ καθεὶς ἐξ αὐτῶν ἠμπορεῖ νὰ τοὺς μεταχειρισθῇ διὰ τὰ ἀνήκοντα πράγματα, καὶ τὰς ἐκκλήτους τῶν ὑποκειμένων εἰς τὴν ἐδικήν του Πατριαρχίαν, ἐπειδὴ οἱ κανόνες οὗτοι δὲν ἀναφέρουσιν ὅλας τὰς Ἐκκλησιῶν εἰς τὸν ῥωμαϊκὸν θρόνον· τοῦτο γὰρ εἶναι πρᾶγμα καὶ ἀδύνατον καὶ ἀλλότριον τῆς Ἐκκλησίας.* — P. 363.

(6) Hefele, I, 2, pp. 737-824; Nicodemus, ep., p. 103.

(7) Ostroumov, p. 193.

(8) Hefele, II, 1, pp. 97-100; *Πηδ.*, pp. 375-376.

(9) Nicodemus, ep., p. 103.

(10) Pavlov, Курсъ церковнаго права (*Cursus iuris canonici*), Serghievo, 1902, p. 52.

africanae, qui 133 canones continet (1). *Πηδάλιον* 141 canones ei tribuit (2), 9. Scriptores quidam praecitatis conciliis accensent synodum carthaginensem de baptismate haereticorum sub Cypriano anno 256 congregata (3). Rationem quae huic particulari concilio tantam tribuit auctoritatem, aperit Ostroumov. In ea continetur percelebre testimonium S. Cypriani adversus primatum romanae Sedis; « Scimus quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo, quaedam propria, quae apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, ant legem damus, cum habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus eius Domino redditurus » (4). 10. Concilium constantinopolitanum anno 861 in ecclesia Apostolorum congregatum. Edidit canones septemdecim (5). Vocatur etiam synodus *prima-secunda*. In ea, iura Ignatii Patriarchae conculcantur, ac Photius extollitur. Iuxta scriptores orthodoxos, primas tenet inter concilia particularia, atque immediate subsequitur concilium oecumenicum VII (6). 11) Concilium constantinopolitanum, praeeunte Photio, in basilica S. Sophiae anno 879 congregatum. Tres canones complectitur (7). Hocce concilium, ait Ostroumov, duabus ex causis habitum fuit: *Primo*, ut Photium in praecedenti concilio (869) dannatum, omni labe purgaret, suamque in sedem restitueret; *Secundo*, ut quamcunque alterationem in symbolo solemniter reprobaret (8).

Haec sunt concilia, quae *gradatim universaliter recepta fuere in Ecclesia* (9). Hoc acceptum referunt scriptores orthodoxi concilio trullano, quod oecumenicum apud eos habetur. Etenim, in canone II huius concilii statuitur nemini licere decreta conciliorum oecumenicorum vel particuliarium quae commemoravimus, adulterare, vel abolere, vel alia

(1) Hefele, II, 1 pp. 201-209.

(2) Pp. 375-437.

(3) Ostroumov, pp. 196-198: *Πηδάλιον*, pp. 298-302.

(4) Mansi, t. I, col. 900. Ad hancce synodum primatumque romanum quod attinet, Vide Tizzani, *La celebre contesa fra S. Stefano e S. Cipriano*, Romae, 1862, pp. 117-124; Grisar, *Cyprians Oppositionsconcil gegen Papst Stephan, Zeitschrift für katholische Theologie*, 1881, pp. 193-221; Ernst, *Papst Stephan, und der Ketzertaufstreit*,, Oeniponte, 1905, pp. 39-63.

(5) Berdnikov, pp. 42-44.

(6) *Πηδ.*, pp. 280-294.

(7) Ib., pp. 294-288.

(8) Op. cit., p. 225.

(9) Ib., p. 188

praeter ea admittere, ac poenis ecclesiasticis eos subesse qui hoc ausi fuerint (1).

De auctoritate synodorum photianarum decernitur apud orthodoxos eam supparem haberi conciliis oecumenicis. Balsamon enim et Zonaras immediate eas ponunt post concilium oecumenicum septimum. Consequitur exinde, iuxta *Πηδάλιον*, eas aestimatas fuisse tanquam continuationem vel complementum eiusdem concilii (2). Photianas synodos oecumenicas appellitarunt Gemistus, Bryennius, Aristenus, Nilus Thessalonicensis, Nilus Rhodius, Matthaeus Blastares, Macarius Ancyranus (3). Synodum oecumenicam appellat Marcus Ephesinus in Actis concilii florentini synodum photianam anno 879 congregatam (4). In epistola encyclica Patriarcharum orientalium, anno 1848 data, illud Filioque respuitur, propterea quod ipsummet reprobavit synodus praefata, quae est oecumenica octava, ad pacem restituendam inter Orientem atque Occidentem convocata (5). Documenta tamen slavica iuris canonici photianas synodos conciliorum particularium in album digerunt (6).

Enumeratis synodis, quas memoravimus, scriptores orthodoxi aiunt generatim concilia oecumenica longe differre a particularibus (7). Horum enim canones suapte natura oecumenicam auctoritatem sibi non vin-

(1) *Μηδενὶ ἐξεῖναι τοὺς προδηλωθέντας παραχαράττειν κανόνας, ἢ ἀθετεῖν ἢ ἑτέρους παρὰ τοὺς προκειμένους παραδέχεσθαι κανόνας ψευδεπιγράφως ὑπό τινων συντεθέντας, τῶν τὴν ἀλήθειαν καπηλεύειν ἐπιχειρησάντων. Εἰ δέ τις ἁλῷ κανόνα τῶν εἰρημένων καινοτομεῖν ἢ ἀνατρέπειν ἐπιχειρῶν, ὑπεύθυνος ἔσται κατὰ τὸν τοιοῦτον κανόνα, ὡς αὐτὸς διαγορεύει, τὴν ἐπιτιμίαν δεχόμενος, καὶ δι' αὐτοῦ ἐν ὧπερ πταίει θεραπευόμενος.* — Pitra, t. II, p. 23.

(2) *Προετάχθη ἡ παροῦσα σύνοδος, ἢ διατὶ ἐστάθη μεγάλη καὶ πολυανθρωποτέρα ἐκείνων, ἢ μᾶλλον διατὶ ἀμέσως ἠκολούθησε μετὰ τὴν οἰκουμενικὴν ζ' σύνοδον, καὶ κατὰ τοὺς χρόνους, καὶ καθ' ὅτι συνεκροτήθη κατὰ τῶν ἰδίων εἰκονομάχων, κατὰ τῶν ὁποίων καὶ ἐκείνη συνεκροτήθη, καὶ τρόπον τινά, κατὰ τοῦτο αὕτη ἐκείνης ἐγένετο ἀναπλήρωσις.* — P. 281.

(3) Philaretus, metr., Разговоры между испытующимъ и увѣреннымъ о православіи восточной Церкви (*Dialogi inter virum convictum veritatis fidei orthodoxae, ac vivum eam inquirentem*), Petropoli, 1815, p. 95.

(4) *Ἐγένετο ἄλλη σύνοδος, καὶ ἀνώρθωσε τὸν Φώτιον, καὶ ἠκύρωσε τὴν πρώτην σύνοδον· αὕτη ἡ σύνοδος . . . ὠνομάσθη καὶ ὀγδόη σύνοδος.* — Mansi, t. XXXVI, A., col. 551.

(5) *Ἀναθέματι* (illud Filioque) *καθυποβληθεῖσα, οἷα νεωτερισμὸς καὶ ἐπαύξησις τοῦ συμβόλου κατὰ τὴν η' οκουμενικὴν σύνοδον τὴν ἐν Κ. συγκροτηθεῖσαν ἐπὶ εἰρήνῃ τῶν Ἀνατολικῶν τε καὶ Δυτικῶν Ἐκκλησιῶν.* — *Ἐγκύκλιος ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξους*, n. 3, Constantinopoli, 1863, p. 7.

(6) Ostroumov, p. 228.

(7) Ostroumov, p. 183.

dicant. Quapropter si eam consecuti sunt, hocce quidem ex seipsis non habuerunt, sed ex libera et voluntaria particularium Ecclesiarum acceptatione. Primoeva enim christianae religionis aetate leges fundamentales vitae ac disciplinae ecclesiasticae variis Ecclesiis fere communes erant. Mirandum igitur non est, si unius provinciae canones, in altera recipiebantur (1). Post lapsum vero temporis, huiusmodi canones, qui christianam antiquitatem redolebant, veterisque Ecclesiae spiritu informabantur, solemnem approbationem in concilis oecumenicis, praesertim in Trullano, nacti fuere (2) (quamvis ab imperatoribus confirmata non fuerint!) (3), atque in leges auctoritate conciliorum oecumenicorum legibus suppares abierunt (4).

γ΄ Doctrina orthodoxa, quam hucusque exposuimus, si ad trutinam revocetur, haec nobis exhibet nigro lapillo notanda: *a*) Elenchum conciliorum particularium *quasi oecumenicorum* pertexunt scriptores orthodoxi, auctoritate innixi synodi *quinisextae*, quae Trullana etiam audit. Quisnam tamen valor est huiusce synodi?... In litteris synodalibus concilii Trullani legitur Justinianum imperatorem decrevisse, ut synodus oecumenica convocaretur: *Τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ θεόλεκτον οἰκουμενικὴν ἀθροισθῆναι σύνοδος ὥρισας* (5). Constat autem ipsius canones, neque confirmationem romani Pontificis accepisse, neque Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum in eo consentientes vel praesentes fuisse (6).

Ex historia vero traditionis christianae liquidissime cognoscitur, confirmationem Romanorum Pontificum prorsus necessariam haberi, ut concilium quoddam nota oecumenicitatis instruatur. « Sine Romanis,

(1) Pavlov, p. 52.

(2) *Αἱ τοπικαὶ σύνοδοι συνεκροτοῦντο ὑπὸ μέρους μόνον ἐπισκόπων τῆς Ἐκκλησίας, αἱ δὲ ἀποφάσεις αὐτῶν ἀναμφιβόλως δὲν ἠδύναντο νὰ ἔχωσι κῦρος διὰ τὴν καθ' ὅλου Ἐκκλησίαν· Ἐπειδὴ ὅμως οἱ κανόνες αὐτῶν εἶχον ἐκδοθῆ ὑπὸ γενικὴν ἔποψιν καὶ ἐν αὐτοῖς ἀνετυποῦντο οἱονεὶ τὸ πνεῦμα, καθ' ὃ ἐνυβερνᾶτο ἡ Ἐκκλησία τῶν πρώτων αἰώνων, ἠδύναντο νὰ ἔχωσι γενικὴν ἐφαρμογὴν, ἐὰν ἀνεγνωρίζοντο καὶ ἐπεκυροῦντο ὑπὸ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων.* — Sakellaropulos, *Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας*, Athenis, 1898, p. 37.

(3) *Αἱ ἀποφάσεις αὗται, καίπερ μὴ ἐπικυρωθεῖσαι τότε ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων, ἐξέφρασαν ὅμως κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον πιστῶς τὰ ἀρχαῖα τῆς Ἐκκλησίας ἤθιμα, καὶ τὰς παραδόσεις, ἃ διετύπωσαν τὴν συμφωνοτέραν πρὸς τὸ ἐκκλησιαστικὸν πνεῦμα κατανόησιν τῆς θετικῆς ἐκκλησιαστικῆς νομοθεσίας.* — Apostolos (*Christodoulos*), *Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου*, Constantinopoli, 1896, p. 53.

(4) Berdnikov, p. 31.

(5) Pitra, op. cit., t. II, p. 16·

(6) Ib., p. 5.

ait Nicephorus Constantinopolitanus (806-815), illud dogma quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine fuerit antea ratum, nunquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur, quia illi sacerdotii principatum sortiti sunt, atque coryphaeorum inter Apostolos dignitatem sibi traditam habent » (1).

Si christiana interrogetur traditio, uberrima nobis colligentur testimonia, quibus extra dubitationem ponetur concilia oecumenica nota oecumenicitatis donata fuisse, cum primum eorum decreta Romani Pontifices sua confirmatione communierint. Rem affirmo, cunctis christianae antiquitatis studiosis tam clara et testata, ut supervacaneum arbitrer eam multis verbis demonstrare (2). Concilium igitur trullanum, cui non modo Romanorum Pontificum confirmatio defuit, sed et haec eadem etiam atque etiam denegata est, in album conciliorum oecumenicorum nequit percenseri. Concilium est particulare, et consequenter, cum nota expolietur oecumenicitatis, hancce notam suis canonibus vindicare perperam diceretur.

Ex principiis sane theologiae orthodoxae consecutio nostra deducitur. Tuentur enim scriptores orthodoxi canones tantum in concilis oecumenicis conditos ad universam extendi Ecclesiam, notamque oecumenicitatis praeseferre. Itaque si exploratum est concilium trullanum particulare fuisse, idque romanos Pontifices non approbasse, sua sponte fluit canones in eo conditos vel legum particularium valorem sibi mereri, vel nulla pollere auctoritate in universa Ecclesia.

Equidem mihi in animo non est asserere, concilia particularia quae in praefato canone enumerantur, omni vi legis destitui. Fateor sane complures ex eis, vel diserto Romanorum Pontificum consensu, vel consuetudine in commune ius catholicae Ecclesiae invecta fuisse, oecumenicitatem quandam adepta. At in praecitato canone trullano, pro arbitratu documenta veteris iuris catholici, praesertim Romanorum Pontificum litterae, atque occidentalis Ecclesiae constitutiones delentur; accipiuntur contra canones Apostolorum, qui ad IV saeculum conflati fuere (3), nec non synodus cyprianica « qua nicaeno decreto de Pascha, qua constantinopolitano symbolo de uno baptismate, qua et romanae et universae Ecclesiae iniuria fit apertissima » (4).

(1) *Ὦ (ἐκ τῆς πρεσβυτίδος Ῥώμης) ἄνευ, δόγμα κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν κινούμενον, θεσμοῖς κανονικοῖς καὶ ἱερατικοῖς ἔθεσι νενομισμένον ἄνωθεν, τὴν δοκιμασίαν οὐ σχοίη ἢ δέξαιτ' ἄν ποτε τὴν περαίωσιν, ὡς δὴ λαχόντων κατὰ τὴν ἱερωσύνην ἐξάρχειν, καὶ τῶν κορυφαίων ἐν Ἀποστόλοις, ἐγκεχειρισμένων τὸ ἀξίωμα.* — Ib., p. 81.

(2) Hefele, I, 1, p. 58-68.

(3) Battifol. *La littérature grecque chrétienne,* Parisiis, 1901, p. 201.

(4) Pitra, t. II, p. 86.

Insuper characterem, inquam, tumultuarium praeseferunt canones huiusce concili. Usitatam enim in ceteris conciliis viam conditores trullanorum canonum abhorruere: « Nulla, quam sciamus, praehabita deliberatione, nisi acta omnia perierint, nulla consideratione facta canonum re, loco et tempore dissimilium, uno tractu ingens legis ecclesiasticae corpus circumscribitur: et similia et contraria miscentur; peregrina cum domesticis, privata cum publicis ambulant; et quod gravius est aequo iure procedunt tam quae sunt generalium, quam quae particularium, tam maiorum Patriarcharum, quam minorum praesulum sententiae » (1). Haud immerito igitur eorum canonum seriem στρωματῶδες opus vocat Card. Pitra (2), in quo potius sibi adesse cordati viri putabunt quendam iuris magistrum hinc et inde non sine peritia et dexteritate sua corrodentem, quam praesules inter Evangelium et altare de rebus sacris sponte et σεμνῶς deliberantes (3).

Huc accedit quod principium illud lethale iuris canonici byzantini, missis ambagibus, heic expromitur. Civilis potestas, nimirum imperatores, ad leges ferendas in Ecclesia compellantur, eisque tribuitur ius statuendi canones, eosque sua confirmatione obsignandi (4). Haud igitur absonum veritati iudicium de hisce canonibus fert Emûs Pitra: « Codex est ea cum solertia, et cum ea fraude structus, ut quum nihil fere ex toto orbe romano retineret, quasi libellus haberetur repudii byzantinam inter et latinam Ecclesiam renuntiati. Semel enim inserto illo iure, inque mores populorum funditus immerso, iam schisma a radicibus haeret » (5).

Ex hucusque disceptatis pronum est colligere labem originariam canonibus trullanis inustam fuisse, quae semper obstitit quominus et plenam approbationem romanorum Pontificum adipiscerentur, et notam oecumenicitatis induerent. Si quando Romani Pontifices eos approbarunt, haec approbatio, ait Johannes VIII (872-882), ad ea tantum refertur, quae nec rectae fidei, nec probis moribus obviant, sed nec sedis romanae decretis (6). Quae supra diximus satis habentur ad statuendum principium, quo utuntur scriptores orthodoxi ut suam thesim probent, solidis carere fundamentis. Non negaverim profecto characterem quasi oecumenicum huius vel illius concilii particularis, per subsequentem confirmationem romanam, vel per inveteratam consue-

(1) Ib., p. 86.
(2) Ib., p. 83.
(3) Ib., p. 6.
(4) Ib., p. 17.
(5) Ib., p. 87; Pargoire, *L'Eglise byzantine*, Parisiis, 1905, pp. 199-201.
(6) Mansi, t. XII, col. 982.

tudinem partam: firmiter tamen asseveramus huncce characterem ex II canone trullano hauriendum non esse.

b) Scriptores orthodoxi synodos photianas inter eas recensent, quae nota potiuntur oecumenicitatis. Priorem synodum, quae Ignatium damnavit, nefandam appellavit Nicolaus I (858-817) (1). Itidem nota oecumenicitatis synodo illi tribuitur, anno 879 convocatae. Non desunt tamen, ut Constantinus Harmenopulos, et Matthaeus Blastares, qui utramque particularem tueantur. Quidquid tamen sit de duplici hac sententia, exploratum est Johannem VIII, postquam ex ordine quae in altera synodo photiana acta fuere, comperuit, eam reprobasse, ac Photium anathemate perculisse (2). Itaque scriptores orthodoxi tanquam legitimas accipiunt synodos, quae non modo confirmatae non sunt a romanis Pontificibus, sed et reprobatae. Immo, eo audaciae progressi sunt ut synodum Constantinopoli habitam anno 869, in quo Ignatius, tot aerumnis fractus, adnitentibus romanis Pontificibus, suam in sedem restitutus est, nullo nixi firmamento, prorsus reiiciant (3).

At cuinam favet in hoc rerum capite traditio catholica, traditio nempe universalis Ecclesiae?... Si veteris historiae christianae documenta perleges, statis persuasum tibi erit ea concilia summa veneratione prosequutos fuisse fideles, quae et romanam sedem per suos legatos praesidem habuere, et romanae sedis approbatione firmata sunt. Itaque nil mirum si, duce traditione, statuamus duo concilia quae Ignatium dedecore affecerunt, Photiumque usurpatorem laudarunt ex elencho legitimorum conciliorum expungenda esse. Non negaverim profecto Balsamonem eique adstipulatos graecos scriptores praefatas synodos epitheto oecumenici cohonestasse. Ecquis tamen suadebit nobis

(1) Mansi, t. XV, col. 245; Hergenröther, *Photius, Patriarch von Konstantinopel*, t. I, pp. 419-438; Lebedev, Исторія раздѣленія церквей въ IX-мъ X и XI вѣкахъ (*Historia scissionis Ecclesiarum saeculis IX, X, atque XI*), Mosquae, 1900, pp. 51-64.

(2) Hergenröther, II, p. 578.

(3) Ib., pp. 63-132. Haec synodus, ait Anastasius bibliothecarius, sine omni contradictione synodus universalis octava nuncupanda est, ut et appellatio quam cum septem aliis conciliis sortita est, non celetur, et nomen proprium, quod singulariter possidet, designetur. Mansi, t. XVI, col. 8. Rationes ipse tradit, quibus oecumenicitas huic concilio tribuenda sit, coll. 7-8. Eam denegant scriptores orthodoxi, propterea quod haec synodus declaravit Romanos Pontifices Spiritus Sancti assistentia communiri, et conciliis oecumenicis non subesse. Ostroumov, p. 224; Lebedev, pp. 127-200. Omnem lapidem movet Photius ut praeclarum hocce concilium turpi oblivione tegeret, idque maxima ex parte consecutum est. — Hergenröther, t. II, p. 540.

Balsamoni fidem adhibendam, Harmenopulo vero et Blastari resignandam?... Balsamon ceterique cum eo sentientes privatam opinionem expromunt, immo praeiudicatam: notum est enim scriptorem illum palponem fuisse, et byzantinis *βασιλεῦσι* ius tribuisse condendi leges ecclesiasticas, easque pro lubitu abrogandi (1). Ex principiis autem iuris canonici orthodoxi satis claret privatos doctores tanta non pollere auctoritate, ut sua sententia notam oecumenicitatis synodis illis affingant, quae totius Ecclesiae consensione destituuntur, nec non approbatione romanae Sedis. Quo fit ut perperam praefata concilia photiana, vel inter concilia oecumenica percenseantur, vel inter concilia particularia *quasi oecumenica.*

c) Quoad concilia particularia, romana sedes novitatis insimulatur, quippe quae *principium*, ut vocant, *conciliare, synodale,* ad viam communiendam *tyrannidi* Romanorum Pontificum penitus delevit (2). Hancce criminationem facili negotio depellimus.

Principium illud synodale, vel *theorice* vel *practice* spectari potest.

Si *theorice* spectetur, apertissime patet in catholica Ecclesia, ut primoeva religionis christianae aetate, totam suam vim id servare. Theorice enim hocce principium requirit: 1 Ut habeatur auctoritatas quaedam suprema, cui competat ius convocandi concilia, ut prosperitati consulat Ecclesiae, vel eius malis medeat; 2 Ut habeatur auctoritas suprema, cui decernatur iudicium *definitivum* de rebus in concilio actis ac de canonibus ab eo editis. Haec duo si negentur, vel concilii congregatio fieri nequit, vel concilii legislatio sua vi destituitur. Recentior historia Ecclesiarum orthodoxarum veritatem harum consecutionum mirum in modum probat.

Ubi deest auctoritas, concilium non convocatur. Duobus solidis annis, in actis diurnis et commentariis periodicis Russorum de concilio generali russicae Ecclesiae congregando disceptatum est (1905-1907): tot tamen controversiae, quae prodromi censebantur illius concilii, nihil profuere. Concilium habitum non est, propterea quod suprema defuit auctoritas, quae russos episcopos ac proceres inter clerum ad illud accersiret.

(1) Gasquet, *De l'autorité impérial en matière religieuse à Byzance,* Parisiis, 1879, pp. 120-122.

(2) На западѣ, соборы, понятно, должны были потерять тамъ свое значеніе. Для соборнаго принципа въ сущности не могло быть мѣста на ряду съ абсолютическою властью римскаго епископа. — Lapin, Судьбы соборнаго принципа въ западномъ патріархатѣ (*Fata principii synodalis intra limites occidentalis patriarcatus*), Православный Собесѣдникъ, 1909, t. II, p. 381.

Itidem, ubi deest auctoritas, leges conciliorum vim non habent, saltem oecumenicam. In conciliis enim factiones insurgunt, discrepantes sententiae agitantur, ac sublata confirmatione auctoritatis infallibilis, non habetur amplius ratio, cur huic factioni, potius quam illi, parendum sit. Reponitur, parendum esse sententiae, quam maior pars concilii suo suffragio approbavit. At neminem latet, conventus humanos, qui sine capite congregantur, suis in sententiis volubiles fieri: quod tamquam veritas hodie proponitur, cras oblivione tegitur, vel exploditur. Consequeretur concilia particularia, quae supremae in Ecclesia auctoritatis suffragio non firmantur, rerum humanarum more, quae fluxae sunt et caducae, inconstantia laborare. Quod asserimus, luculenter nobis testatur historia. Verbigratia, concilium particulare mosquense, annis 1666-1667, decreta praecedentis concilii anno 1551 congregati, cui nomen inditum est Стоглавъ (centum capitulorum) sustulit, tanquam inscitiae fetum. Saeculo XVII, duo concilia mosquensia plane absona de validitate baptismatis latini edidere. Synodus generalis constantinopolitana, anno 1872 congregata populum clerumque bulgaros schismaticos declaravit, eosque ab Ecclesia orthodoxa rescidit. Compertum tamen est, slavicas Ecclesias synodale decretum huiusce concilii non agnovisse, ac Bulgaros *schismaticos* suam in communionem recipere. Haec cum ita sint, sua sponte fluit principium illud synodale *theorice* in Ecclesiis orthodoxis haud vigere, quae fulcra illa convulserunt, ex quibus legislatio conciliorum suam haurit firmitatem.

At neque *pratice*, principium illud *synodale* viget. Scriptores quidam catholici fatentur concilia particularia in desuetudinem abiisse (1). Ex eorum tamen absentia in catholica Ecclesia nefas est deducere ea convocari non posse, quoties romanae sedis magisterium ea fore utilia censuerit Ecclesiae. Si enim catholica Ecclesia post peractum schisma concilia oecumenica pluries convocavit, dubium non est quin concilia particularia convocare possit, et *de facto* convocavit, ut concilia baltimorensia annis 1866 et 1884. Cum detur enim et suprema auctoritas, quae concilia haec congregare possit, et confirmare, ac simul episcopatus in qualibet natione cum sede romana, tanquam membrum cum capite, coniungatur, omnes praesto sunt conditiones, quae requiruntur, ut concilia habeantur.

Adde, quod concilia dioecesana frequentissime in catholica Ecclesia convocantur, ex eisque facilius ea commoda profluunt, quae ex conciliis nationalibus expectanda forent. Unde patet, principium illud

(1) Sebastianelli, *Praelectiones iuris canonici, De personis.* Romae, 1896, p. 147.

synodale, quod miris landibus efferunt scriptores orthodoxi, *practice* servari in catholica Ecclesia.

Num licet hoc idem de russica Ecclesia proferre?... Duo iam saecula praeteriere, ex quo Petrus Magnus russicam Ecclesiam *reformavit*, vel potius *deformavit*, ac diuturno hoc temporis lapsu, ut fas erit cuique ex historia comperire, nulla synodus neque generalis, neque provincialis, neque dioecesana habita est in Russia. Quidnam igitur est principium illud synodale, quod in catholica Ecclesia deletum, tot in ea convocavit concilia, perpetuo autem virens in Ecclesiis orthodoxis, neque solvi metuens, maxima laboravit laboratque inertia?...

Hoc idem testatur nobis graecae Ecclesiae historia. Perpauca recensentur in ea concilia, quae tamen nullas condiderunt leges, nota oecumenicitatis apud orthodoxos instructas.

Itaque, non veremur asserere, principium illud synodale, quo catholicam Ecclesiam carere scriptores orthodoxi effutiunt, in Ecclesiis orthodoxis *theorice* ac *practice* figmentum praeseferre, quod conciliorum oecumenicorum et particularium convocationem perdifficilem reddit, eaque habita firma et vera auctoritate legislativa expoliat.

13. De synodis particularibus earumque apud veterem Ecclesiam auctoritate satis superque verba fecimus. Cuipiam fortasse videbitur in praecedenti capitulo haec potius pertractanda fuisse. Heic tamen ea exposuimus, ut facilior nobis communiretur via, ad recentiorum conciliorum, tam russicae quam graecae Ecclesiae, indolem describendam, auctoritatemque in theologia symbolica determinandam. Sine partium studio in limine ipso tractationis nostrae asserimus, concilia haec, si diligenter ad trutinam revocentur, aperte prodere, principium illud synodale, quod scriptores orthodoxi suis in Ecclesiis aut viguisse, aut vigere autumant, vel inertia laborare, vel profectui doctrinali *ὀρθοροξίας* quam vocant, nihil aut parum profuisse.

Ut provinciam nostram accuratius exploremus, inquirendum nobis est: *α′ De synodi russicae Ecclesia ea aetate, quae praemongolica audit, congregatis; β′ de synodis russicis ab anno 1234 usque ad finem saeculi XV; γ′ de synodis mosquensibus; δ′ de synodis Russiae meridionalis atque occidentalis; ε′ de synodo in votis, quae annis 1906-1908 congreganda fuisset Mosquae; ϛ′ de synodis Ecclesiae graecae recentioris: ζ′ de actis in praefatis conciliis, eorumque valore symbolico* (1).

(1) De conciliis particularibus in russica Ecclesia haec praesertim habentur: Innocentius (Sukhanov), Разсужденіе или историческое изслѣдованіе о соборахъ россійскія Церкви (*Examen vel disquisitio historica circa synodos russicae*

α′ Cum, accepta fide christiana, Russi graecorum pastorum magisterio regiminique subiecti fuerint, dubium non est, quin iuris canonici orientalis normas legesque usurparint. Exploratum autem est

---

Ecclesiae), Petropoli, 1803; Lavrov, Разсужденіе о соборномъ дѣяніи бывшемъ въ Кіевѣ 1157 г. на еретика Мартина (*Examen actorum synodi anno 1157 contra haereticum Martinum Kioviae habitae*), Petropoli, 1804; P. T., О соборахъ, бывшихъ въ Россіи со времени введенія въ ней христіанства до царствованія Іоанна IV Васильевича (*De conciliis habitis in Russia a tempore praedicationis apud Russos religionis christianae usque ad regnum Iohannis IV Vasilevicii*), Petropoli, 1829; Philaretus (metr. mosquensis), О стоглавомъ соборѣ и о истинномъ согласіи его съ православною Церковью (*De synodo* centum Capitulorum *de eiusque vera cum Ecclesia orthodoxa consensione*), Христіанское Чтеніе, 1835, t. II, pp. 180-205; Bodiansky, Московскіе соборы на еретиковъ XVI вѣка, въ царствованіе Ивана Васильевича Грознаго (*Concilia mosquensia, saeculo XVI. imperante Iohanne Vasilevicio, quem* Terribilem *vocant, adversus haereticos convocata*), Чтенія Societatis Mosquensis antiquitatum russicarum, 1847, III, 1-30; Свѣдѣнія о соборахъ бывшихъ въ русской церкви (*Notitiae circa synodos in russica Ecclesia coactas*), Христ. Чтеніе, 1852, t. I, pp. 301-318; 353-376; t. II, pp. 11-28; 238-294; 529-554; Bieliaev, Объ историческомъ значеніи дѣяній Московскаго собора 1551 (*De momento historico actorum synodi Mosquae anno 1551 congregatae*), Русская бесѣда, 1858, IV, pp. 1-34; Стоглавый соборъ (*Synodus centum capitulorum*), Прав. Собесѣдникъ, 1860, t. II, pp. 107-153; 219-255; 362-412; t. III, pp. 3-34; 113-161; 241-278; 1862, t. I, pp. 85-96; Опредѣленія владимирскаго собора 1274 г. (*Decreta concilii vladimiriensis a. 1274*), Ib., 1863, t. I, pp. 221-243; Опредѣленія московскаго собора (*Decreta synodi mosquensis a. 1503*), Ib., 1863, t. II, pp. 349-363; Опредѣленія виленскаго собора (*Decreta synodi vilnensis a. 1509*), Ib., 1863, t. III, pp. 113-124; Опредѣленія московскаго собора (*Decreta synodi mosquensis a. 1666 et 1667*), Ib., t. II, pp. 3-40; t. III, pp. 3-44; 211-261; 348-371; Каноническая книга Стоглавъ или неканоническая (*Utrum acta synodi centum capitulorum documenta canonica sint necne*), Ib., t. I, pp. 317-336; 421-441; t. II, pp. 76-98; Опредѣленія московскаго собора (*Decreta concilii mosquensis a. 1675*), Ib., 1864, t. I, pp. 416-446; О церковно-каноническихъ правилахъ древнихъ русскихъ митрополитовъ (*De canonibus ecclesiasticis veterum metropolitarum russorum*), Ib., 1864, t. III, pp. 195-200; Соборъ бывшій въ Москвѣ при патріархѣ Филаретѣ въ 1620 году и его опредѣленія (*Concilium habitum Mosquae sub Philareto Patriarcha anno 1620 eiusque decreta*), I., 1764, t. I, pp. 153-180; Vorobev, Постановленія соборовъ XVI вѣка, касающіяся духовенства (*Decisiones conciliorum saeculi XVI, ad clerum spectantes*), Духовная Бесѣда, 1864, t. XXI, pp. 333-347; 401-413; Правила митрополита Кирилла II (*Canones metropolitae Cyrilli II: 1246-1280*), Прав. Собесѣникъ, 1865, t. I, pp. 51-57; Правила митрополита Махима (*Canones metropolitae Maximi: 1283-1308*), Ib., 1865, t. I, pp. 107-111; Правила св. Петра митрополита (*Canones sancti Petri metropolitae: 1308-1326*), Ib., 1865, t. I, pp. 189-194; Правила митрополита Кипріана (*Canones metropolitae Cypriani: 1376-1406*), Ib., 1865, t. II, pp. 9-64; Правила митрополита Фотія (*Canones metropolitae Photii 1410-1431*), Ib., 1866, t. I, pp. 88-103; Grenkov, Соборы

ius canonicum graecorum, veteris traditionis vestigia premens, statuere, ut quam saepissime concilia particularia provincialia congregentur, suffragante metropolita. Scriptores orthodoxi, ut ea necessaria tueantur,

---

русской церкви бывшіе по поводу истрабленія церковно-богослужебныхъ книгъ (*Concilia russicae Ecclesiae quae habita sunt pro emendandis libris liturgicis*), Прав. Собесѣдникъ, t. III, pp. 71-82; Bogoslovsky, Соборъ Московскій (*Concilium mosquense: 1666-1667*), Православное обозрѣніе, 1871, t. I, pp. 230-259; 387-411; 819-841; t. II, pp. 45-70; О клятвѣ Московскаго собора 1667 года (*De anathemate concilii mosquensis: 1667*), Христ. Чтеніе, 1872, t. II, pp. 1-70; Smielkov, Очеркъ церковно-гражданскихъ постановленіи противъ раскола отъ большаго московскаго собора 1666-67 года до Петра Великаго (*Specimen decisionum ecclesiasticarum et civilium contra russicum intestinum schisma in concilio mosquensi promulgatarum anno 1667-1667 usque ad Petri Magni aetatem*), Руководство для сельскихъ пастырей, 1873, t. I, pp. 169-179; 198-210; Bieliaev, О стоглавѣ противъ раскольниковъ (*De synodo centum capitulorum contra raskolnikos*), Чтенія societatis amicorum progressus spiritualis, 1875, t. II, sectio III, pp. 51-87; 88-94; 102-124; 125-134; Meletius (archim.), Церковный Соборъ въ Подольскѣ при митроп. Филоѳеѣ (*Concilium ecclesiasticum podoliense sub metropolita Philotheo: 1702*), Прав. Собесѣдникъ, 1875, t. III, pp. 434-461; Ždanov, Матеріалы для исторіи Стоглаваго собора (*Materiarum sylva ad historiam synodi centum capitulorum quae spectant*), Журналъ мин. народн. просвѣщенія, 1876, t. CLXXXVI, pp. 50-89; 173-225; Соборное изложеніе патр. Филарета (*Expositio synodalis Patriarchae Philareti*), Чтенія societatis amicorum progressus spiritualis, 1879, t. II, pp. 53-88; Arkhangelsky, О соборномъ уложеніи царя Алексѣя Михайловича 1649 г. въ отношеніи въ православной русской церкви (*De ordinatione synodali tzari Alexii Michailovicii, anno 1649 edita, quatenus refertur ad Ecclesiam orthodoxam russicam*), Христ. Чтеніе, 1881, t. I, pp. 42-134; 300-365; Lebedev, Стоглавый соборъ 1551: опытъ изложенія его внутренней исторіи, (*Synodus centum capitulorum: specimen expositionis eius intimae historiae*), Mosquae, 1882; Malychevsky, Кіевскіе церковные соборы (*Concilia ecclesiastica kioviensia*), Kioviae, 1884; Vorobev, О Московскомъ соборѣ 1681-1682: опытъ историческаго изслѣдованія (*De synodo mosquensi annis 1681-1682 congregata: specimen disquisitionum historicarum*), Petropoli, 1885; Pokrovsky, Опредѣленія Стоглава о св. иконахъ (*Decreta synodi centum capitulorum ad sacras imagines spectantia*), Христ. Чтеніе, 1885, t. I, pp. 527-559; Vasilev, Соборы 1547 и 1549 годовъ: очеркъ изъ исторіи канонизаціи русскихъ святыхъ (*Concilia annis 1547 et 1549 convocata: specimen historiae canonizationis sanctorum russorum*), Христ. Чтеніе, 1889, t. I, pp. 33-65; 266-292; Karterev, Сужденіе большаго московскаго собора 1667 года о власти царской и патріаршей (*Iudicia magni concilii mosquensis anno 1667 habiti de potestate imperiali et patriarchali*), Богословскій Вѣстникъ, 1892, t. II, pp. 483-516; III, pp. 171-190; IV, pp. 46-74; Charov, Большой московскій соборъ (*Magnum concilium mosquense: 1666-1667*), Шруды К. Д. А., 1895, t. I, pp. 23-85; 176-222; 517-553; t. II, pp. 171-222; Pisarevsky, Значеніе стоглаваго собора въ исторіи русской церкви (*Momentum concilii centum capitulorum in historia russicae Ecclesiae*), Богословскій Вѣстникъ, 1895, t. II, pp. 365-389; Dobrotin, Какъ могли

in medium afferunt canonem XXXVII Apostolorum, qui ita se habet: « Bis in anno episcoporum concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, et emergentes ecclesiasticas controversias absolvant: semel quidem quarta septimana pentecostes: secundo vero quarto idus octobris (1) ». Huncce canonem sua confirmarunt auctori-

---

явиться въ Стоглавѣ постановленія, благопріятствующія раскольничьимъ мудрованіямъ (*Qui potuit fieri ut in synodum centum capitulorum inductae fuerint decisiones placitis raskolnikorum faventes*), Миссіонерское Обозрѣніе, 1898, pp. 560-572; Eudochimus (episcopus), Новооткрытый рукописный Стоглавъ 16 вѣка (*Codex synodi centum capitulorum saeculo XVI exaratus, ac nuperrime inventus*), Бог. Вѣстникъ, 1899, t. III, pp. 1-39; 196-231; Vinogradsky, Церковный соборъ въ Москвѣ 1682 года (*Concilium ecclesiasticum mosquense anno 1682 convocatum*), Smolensk, 1899; Chalkinsky, На кого положены и надъ кѣмъ тяготѣютъ клятвы большого Московскаго собора 1666-1667 гг. (*Contra quem pronuntiata sit, et quid importent anathemata magni concilii mosquensis*), Миссіонерское Обозрѣніе, 1900, t. I, pp. 226-236; 403-410; Bagretzov, Нѣсколько словъ о такъ называемомъ Освященномъ соборѣ при всероссійскомъ патріархѣ (*Quaedam circa vulgo dictum ecclesiasticum concilium apud russicos patriarchas*), Вѣра и Разумъ, 1905, XXI-XXIII, pp. 482-512; 537-555; 586-608. Scriptores russi plures sensus affingunt epitheto освященный: Botchkharev, Стоглавъ и исторія собора 1551 года: историко-каноническій очеркъ (*Synodus centum capitulorum: specimen historicum et canonicum*), Iukhnov, 1906; Kapterev, Царь и церковные московскіе соборы XVI и XVII столѣтій (*Tzarus, et concilia ecclesiastica mosquensia, saeculis XVI et XVII congregata*), Бог. Вѣстникъ, 1906, t. III, pp. 326-360; 467-502; 631-682; Likhnitzky, (*Synodus ecclesiastica mosquensis saeculis XVI et XVII*), Христ. Чтеніе, 1906, t. I, pp. 71-111; 239-255; 437-453; 716-747; Pokrovsky, О соборахъ юго-западной Руси XV-XVIII вѣковъ (*De conciliis in Russia meridionali atque occidentali habitis, saeculis XV-XVII*), Serghievo, 1906; Dobronravov, Соборы въ Русской Церкви до половины XV вѣка (*Concilia russicae Ecclesiae ante dimidium saeculi XV*); Передъ церковнымъ соборомъ, Mosquae, 1906, pp. 167-197; Kedrov, Очеркъ характеристики древне-русскихъ церковныхъ соборовъ (*Specimen notarum peculiarium veterum conciliorum russicae Ecclesiae*), Ib., pp. 128-166; Stromilov, О соборахъ церковныхъ, бывшихъ въ Россіи со времени введенія въ ней христіанства до царствованія Іоанна Грознаго (*De conciliis ecclesiasticis, quae habita fuere in Russia ab inducta in eam fide christiana usque ad regnum Iohannis Terribilis*), Petropoli, 1907; Stephanovitch, О стоглавѣ, его происхожденіе, редакціи и составѣ къ исторіи памятниковъ древне-русскаго права (*De actis synodi centum capitulorum eorumque origine, codicibus, et compositione: subsidium ad historiam monumentorum antiqui iuris ecclesiastici russici*), Petropoli, 1909.

(1) *Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀναχρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας, διαλυέτωσαν, ἅπαξ μέν, τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς· δεύτερον δέ, ὑπερεβερταίου δωδεκάτῃ.* — Pitra, t. I, p. 21.

tate concilia laodicenum (1) et chalcedonense (2), quae decernunt concilia bis in anno convocanda, praecipiuntque episcopis ut eis intersint.

Ex hisce canonibus facile inferunt scriptores orthodoxi, ab incunabulis russicam Ecclesiam suos pastores in synodum coegisse, ut gravioris momenti res ad fidem moresque spectantes commodius ac tutius discuterentur.

Quaenam tamen adducuntur argumenta ad hanc hypothesim firmandam?... Candide fateor, vel nulla haec adesse, vel si adsint, nullius ponderis. Hasce enim, quae finguntur, synodos, alto premunt silentio veterum chronicorum russici conditores. Vix aut ne vix ter quaterque apud eos enarratur russicarum eparchiarum pastores, collatis consiliis, negotia ecclesiastica pertractasse.

Scriptores russi hoc idem inviti testantur. Documentorum tamen inopia, aiunt, ansam non praebet suspicandi, aetate, quam *praemongolicam* appellitant, concilia particularia Kioviae coacta non fuisse. Constat enim graecos episcopos suae patriae mores consuetudinesque in russicas regiones invexisse (3). Itaque, haude absimile est veritati conjicere, synodorum convocationem, quoties id opportunum visum fuerit, sedulo curasse. Huic hypothesi calculum adiungit satis perspectus Russorum character, qui, nulla facta distinctione inter varios civilis societatis coetus, communi omnium sententia, sua negotia expediunt (4). Conficitur inde, a fide non abhorrere opinionem illorum, qui putant, vel clerum russicum, indoli suae gentis obsequutum, concilia saepe congregasse, ut necessitatibus vagientis in Russia Ecclesiae consuleret. Suo lubitu igitur, narratores historiae russicae sibi fingunt, aetate praemongolica plurimas synodos congregatas fuisse, et quotiescumque traditur in Russorum chronicis ante saevas Tartarorum incursiones paucos episcopos ad solemnes ritus in hac vel illa Ecclesia convenisse, statim arguunt episcopos illos synodales habuisse sessiones. Memorasse tantum iuvat Malychevskium, qui fabulatur Leontium ceterosque episcopos a Nicolao Chrysobergio, patriarcha Constantinopolitano (984-986), rogatu Vladimiri Magni in Russiam missos, synodum habuisse Kioviae anno 991, ut russicam pene ortam Ecclesiam ad canonum norman componerent (5). Alias vero synodos con-

(1) Pitra, p. 501.

(2) Ib., p. 529.

(3) Kedrov, p. 130.

(4) Русскій народъ, всегда любилъ, и любитъ рѣшать свои дѣла сообща, по соглашенію всѣхъ, не придавая значенія различію сословій. — Dobronravov, op. cit., p. 167.

(5) Pp. 2-5.

vocatas fuisse perperam decernit anno 996, ut solemniter consecrarent episcopi ecclesiam Beatae Mariae Virgini dicatam, quae Kioviae anno 991 aedificari coepta est (1); anno 1004, ut haeresim Adriani, Bogomilorum placitis addictissimi, damnarent (2); anno 1072, ut reliquiae sanctorum Borisii et Glebae ex una in alteram transferrentur Ecclesiam (3); anno 1089, ut Ecclesiae principalioris, quae in Pecerscaia λαύρᾳ constructa fuerat, solemnis perficeretur dedicatio (4); anno 1101, ut reliquiae S. Theodosii Pecerskii extraherentur ex sepulcro atque agnoscerentur (5). Haec quidem concilia sibi finxit Malychevskius. Nulla enim documenta, ad ea quod attinet, asservantur. Haec tamen documentorum inopia scriptorem nostrum haud prohibet, quominus perfricta fronte declaret ea quondam extitisse, atque in tabulariis cathedralis kioviensis S. Sophiae delituisse, donec Tartari ea combusserint (6). Credat Iudaeus Apella, non ego, hisce figmentis quae eo spectant, ut russicae Ecclesiae abnuendum ei decus vindicetur.

Ad veritatem proprius accedere videtur Golubinskius, qui maxume dolet, a remotissima iam aetate, russicam Ecclesiam perantiquas leges de synodis episcopalibus quotannis congregandis posthabuisse (7). Veteres enim rerum gestarum narratores apud Russos aetate praemongolica paucissimarum synodorum mentionem injiciunt. Si rationes autem perpendantur, quae primoevos episcopos russos adegit ut convenirent in unum, resque ab eis gestae, confestim apparebit hosce episcoporum conventus synodi appellationem haud mereri.

α′ Prima synodus russica, quam meminerunt chronicorum russicorum scriptores, anno 1051 Kioviae habita est. Eam congregavit Iaroslavius Magnus, ut russici episcopi, russicum metropolitam prima vice eligerent. Ex motivis igitur politicis, ut Barsov declarat (8), convocata est haec synodus, nimirum ut pedetentim iurisdictionem Ecclesiae constantinopolitanae, russica Ecclesia renuntiaret (9). 2. Se-

(1) Pp. 6-8.
(2) P. 8.
(3) Pp. 8-9.
(4) Pp. 11-12.
(5) P. 12.
(6) P. 38.
(7) Къ величайшему сожалѣнію надлежитъ думать, что наша русская церковь, съ самаго древняго времени подлежитъ укору въ несоблюденію этого весьма важнаго предписанія каноническихъ правилъ о митрополичьихъ ежегодныхъ соборахъ. — Исторія русской церкви, t. I, 1, p. 294.
(8) Конст. Патріархъ и его власть надъ русскою церковью (*Patriarcha Const. eiusque auctoritas in russicam Ecclesiam*), Petropoli, 1878, p. 448.
(9) Malychevsky, pp. 9-10; Macarius, Исторія русской церкви, t. II, pp. 1-5; Golubinsky, t. I, 1, pp. 297-330; Dobronravov, pp. 169-170; Stromilov, pp. 7-8.

cunda habita est anno 1147. Haec ut cogeretur auctor suasorque fuit princeps Iziaslavius Mistislavicius. Michael, metropolita kioviensis, non satis claret ex quibusnam causis, sede kioviensi abdicata, Constantinopolim secesserat. Tunc princeps Iziaslavius episcopos russos rogavit, ut russum metropolitam, eius in locum sufferrent. Sex vel septem episcopi huic synodo interfuere, quae Clementem Smoliaticium ad sedem kioviensiem evexit (1). 3. Anno 1168 tertia synodus coacta est. Polycarpus, higumenus λαύρας quae Pecerskaia audit, in vulgus spargebat vetitum non esse quominus diebus festis dominicis, caseo, ovis, butyro et lacte fideles vescantur. Complures clerici, immo et quidam episcopi, huic sententiae suffragati sunt. Synodus, cui munus demandatum fuit controversias hinc exortas dirimendi, 150 monachos et presbyteros congregavit, praeter episcopos, principes atque optimates. Rem tamen in medio reliquit, nulla prolata sententia, quo factum est ut non cessarent disceptationes (2). 4. Anno insequenti, vel 1170, quarta synodus kioviensis congregata est. Haec synodus capite damnavit Theodorum, metropolitam rostoviensem, quem incusabant haereseos, atque incredibilis feritatis in suos subditos. Ut russica tradunt chronica, iussu synodi, Theodoro sua crimina haud detestato, oculos effoderunt, linguam absciderunt, dexteram manum amputarunt, eumque seminecem in mare demerserunt (3).

β′ Postquam Tartari, primo dimidio saeculi XIII, Russiam ferro atque igni vastarunt, synodi russicae Ecclesiae tot aerumnis exagitatae nonnisi rarissime congregatae fuere, usque ad finem saeculi XV. Scriptores russi hasce recensent: 1. Synodum vladimiriensem, anno 1274 habitam. Cyrillus III, metropolita kioviensis (1242-1281) perpaucos

(1) Macarius, t. III, pp. 9-18; Golubinsky, t. I, 1, pp. 300-311; Dobronravov, pp. 170-176; Stromilov, pp. 8-10.

(2) Macarius, t. III, pp. 105-111; Golubinsky, t. I, 2, pp. 466-470; Stromilov, pp. 14-15; Dobronravov, pp. 178-180. Inflatis buccis crepat Malychevsky momentum synodi, quae Kioviae habita est anno 1157, ut sub examen revocaret pravas haereticasque doctrinas cuiusdam Martini, monachi armeni. Hic, narrat praefatus scriptor, Romae multis sententiis haereticis imbutus est, quapropter synodus kioviensi eum damnavit anno 1157, misitque ad Patriarcham Lucam Chrysobergium (1156-1169). Hic synodum convocavit Constantinopoli anno 1158, quae iussit ut Martinus in rogum immitteretur, pp. 10-14. Epistola tamen synodalis, quae haec mira congerit, figmentum est Pitirimi, episcopi Novogrodensis († 1738), qui, sub dominatu Petri Magni diris persecutionibus ac suppositiis documentis, raskolnikos in sinum russicae Ecclesiae compellebat. — Golubinsky, t. I, 2, pp. 794-95.

(3) Macarius, t. III, p. 244; Malychevsky, pp 29-34; Golubinsky, t. I, 1, pp. 439-443; Stromilov, pp. 15-16. Alii alia tradunt de hac synodo scriptores russi, quae meum non est diligentius pervestigare, ad trutinamque revocare.

episcopos in ea congregavit. Synodus leges condidit ad simoniam arcendam in conferendis ordinibus sacris, ecclesiasticisque dignitatibus; ad statuendas dotes quibus dioceseon pastores opus est exornentur; ad rite administranda sacramenta, praesertim baptismum; ad collapsam morum disciplinam inter clerum populumque instaurandam. De baptizandis decernitur trina immersione necessario abluendos (1). 2. Anno 1283 mentio injicitur synodi kioviensis, quae praeside metropolita Maximo (1283-1304), omnes congregavit episcopos russos. Suspicatur Golubinskius, cum haec synodus generalis fuisset, de rebus maximi momenti in ea disceptatum fuisse. Nihil tamen certi scimus. Narratores enim rerum apud Russos gestarum nihil de actis huiusce Synodi posteris commendarunt (2). 3. Anno 1311 habita est synodus pereieslaviensis (Переславль-Залѣсскій), ut ferret iudicium de accusationibus, quas Andreas, episcopus Tverensis, adversus Petrum metropolitam (1308-1326) congesserat. De sententia, quam synodus protulerat, siletur apud veteres scriptores (3). 4 Synodus kostromensis, quae anno 1347 (?) convocata est a Theognosto, metropolita (1328-1353), ut litem dirimeret inter episcopos riazanensem ac saraiensem, circa suarum eparchiarum fines, exortam. Nihil de ea traditur in chronicis Russorum (4). 5 Synodus tverensis anno 1390 congregata est. Euthymius Vislenius, episcopus tverensis, odium sui gregis ac principis Michaelis Alexandrovicii sibi maxime contraxerat. Hac de causa Cyprianus metropolita (1390-1406) Tverum petivit, ut suum ad tribunal citaret Euthymium. Rationes nos effugiunt, quibus odium sui gregis hicce episcopus sibi concitaverat. Cyprianus principis imperio paruit, novumque episcopum ad tverensem eparchiam regendam creavit (5). 6. Anno 1415, Novogrodii septentrionalis (Новгородъ сѣверскій) synodus congregata est, quae permagni habetur in historia russicae Ecclesia. Princeps lithuanus Witholdus, tam persuasionibus quam minis adegit episcopos orthodoxos suae ditioni subiectos ut metropolitam sibi proprium deligerent, renuntiata iurisdictione metropolitae mosquensis, cui ad illud tempus subdebantur. Tergiversantes

(1) Golubinsky, t. II, 1, pp. 65-78; Stromilov, pp. 16-18. Decreta huiusce synodi reperiuntur apud Pavlov, Памятники древне-русскаго права (*Monumenta veteris iuris canonici russici*), Petropoli, 1908, ed. II, coll. 83-102.

(2) Malychevsky, p. 39; Macarius, t. IV, p. 13; Golubinsky, t. II, 1, p. 91; Stromilov, pp. 18-19.

(3) Golubinsky, t. II, 1, pp. 106-108.

(4) Ib., II, 1, p. 163; Stromilov, pp. 21-22.

(5) Macarius, t. IV, pp. 78-79; Golubinsky, t. II, 1, pp. 312-14; Dobronravov, pp. 185-187.

primum espiscopi, principi tandem morem gesserunt, ac metropolitam Lithuaniae Gregorium Tzamblacum crearunt. Huiusce eventus nuntium cum accepisset Photius, metropolita Mosquensis (1408-1431), synodum convocavit, quae Gregorium anathemate perculit, orthodoxisque ditionis mosquensis prohibuit, quominus, in posterum orthodoxos ditionis lithuanicae et kioviensis suam in amicitiam reciperent. Ab ea tempestate in duas sedes metropolitanas Ecclesia russica orthodoxa disiecta est (1).

γ' Sub alterum dimidium saeculi XIV concilia particularia Mosquae coepta sunt haberi: praecipua tamen saeculis XVI et XVII convocata memorantur. 1 Anno 1353, antequam diem supremum obiret Theognostus metropolita, suffragante magno principe Simeone Ioannovicio, synodus Mosquae habita est, de qua nihil certi ad nos pervenit (2). 2 Anno 1379 synodum coegit Demetrius Donskoi, ut pergratum sibi Mitiaium (Митяй) archimandritam ad sedem metropolitanam eveheret. Obnitente tamen Dionysio, episcopo susdaliensi, synodus nihil statuit (3). 3 Sedem metropolitanam occupante Cypriano, Iohannes archiepiscopus novogrodiensis in simultate erat cum principe eiusdem urbis Basilio Dimitrovicio, suumque gregem, cuius favorem sibi conciliaverat, ad arma contra eum capienda incitabat. Ad compescendam eius audaciam, Mosquae synodus convocata est anno 1401, cui septem episcopi interfuere, qui Iohannem coegerunt, ut suo munere abdicato, in monasterium mosquense *Miraculorum* secederet (4). 4 Anno 1417 Photius metropolita synodum illam congregavit, quae anathema in Gregorium Tzamblacum pronuntiavit (5). 5 Anno 1441 synodus illa mosquensis, iussu Basilii Basilevicii habita est, quae primum blandis verbis, deinceps minis, Isidorum metropolitam ad *unionis florentinae* decretum eiurandum frustra incitavit. At, neque persuasiones, neque minae Isidorum a fide romana dimovere potuerunt, quo factum est, ut in carcerem inclusus monasterii

(1) Golubinsky, t. II, 1, pp. 368-380; Macarius, t. IV, pp. 88-98; Sokolov, Исторія раздѣленія русской митрополіи (*Historia disiunctionis sedis metropolitanae russicae*), Petropoli, 1900, pp. 71-81; Pavlov, Памятники, coll. 309-314; Anno 1414 bis synodum Novogrodii convocavit Witholdus, Iatzimirsky, Григорій Цамблакъ: очеркъ его жизни, административной и книжной дѣятельности (*Gregorius Tzamblacus: specimen eius vitae, rerumque ab eo gestarum scriptorumque ab eo exaratorum*), Petropoli, 1904, p. 175.

(2) Golubinsky, t. 1, p. 163.

(3) Macarius, t. IV, p. 67; Golubinsky, t. II, pp. 239-241; Stromilov, pp. 22-23.

(4) Golubinsky, t. II, 1, pp. 318-19; 323-24; Steomilov, pp. 25-26.

(5) Stromilov, pp. 28-29.

Miraculorum, gravissima proculdubio supplicia perpessus fuisset, nisi, arrepta fuga, tutum apud Italos, asylum sibi comparasset (1). Minoris momenti concilia sunt Mosquae habita (6-10) annis 1446, 1448, 1461, 1464, 1473, ut novos metropolitas crearent, Ionam (1448-1461), Theodosium (1461-1464), Philippum (1464-1473), Gerontium (1473-1489); maioris vero, quod, (11), praeside Zosimo metropolita (1490-1494), grassantem in provinciam novogrodiensem *iudaizantium* haeresim anathemate percelleret. Zosimus, qui huic praefuit concilio, ob haereticam, quam in praecordiis condebat, pravitatem faedasque vitae libidines, anno 1494 sua sede depulsus est (2).

Saeculis XVI et XVII permulta feruntur concilia mosquensia, quorum praecipua tantum, ne longum faciam, meminisse mihi in animo est. 12 Annis 1503-1504 synodus quaedam, plurima edixit de simonia exstirpanda, de viduis presbyteris ad meliorem frugem reducendis, de fundis monasteriorum, ac de iudaizantibus per supplicia mortemque compescendis (3). 13-14 Annis 1525 et 1531 causa discussa est Maximi graeci, ob librorum liturgicorum emendationem haereseos insimulati (4). 15-16 Annis 1547 et 1549 memorantur praeclarae synodi, quas Macarius metropolita (1542-1563) congregavit, quaeque de sanctorum canonizatione plura decrevere, sanctosque russos numero duplicarunt (5). 17 Anno 1551 famosa illa synodus habita est, quae Стоглавъ (centum capitula) apud Russos audit. Volumen enim illud, quod leges,

(1) Macarius, t. V, pp. 373-374; Golubinsky, t. II, 1, pp. 456-457.

(2) Golubinsky, t. II, 1, pp. 608-624; Servitzky, Ересь новгородскихъ еретиковъ, или жидовствующихъ: опытъ изслѣдованія (*Haeresis novogrodensium haereticorum seu iudaizantium, specimen disquisitionis*), Прав. Обозрѣніе, 1862, t. II, pp. 177-205; 293-323; 431-443; Panov, Ересь жидовствующихъ (*Haeresis iudaizantium*), Журналъ мин. народн. просв., 1877, t. CLXXXIX-XC, pp. 1-40; 253-295; 1-59; Butkevitch, Обзоръ русскихъ сектъ (*Conspectus russicarum sectarum*), Вѣра и Разумъ, 1909, t. III, pp. 297-331.

(3) Berdnikov, Курсъ церковнаго права, pp. 184-186.

(4) Macarius (metr.), Исторія русскаго раскола извѣстнаго подъ именемъ старообрядства (*Historia schismatis russici, quod a veteribus ritibus nomen mutuatum est*), Petropoli, 1889, pp. 23-48; Smirnov, Исторія русскаго раскола старообрядства (*Historia russici schimatis veterum rituum*), Petropoli, 1895, pp. 22-24).

(5) Golubinsky, Исторія канонизаціи святыхъ въ русской церкви (*Historia canonizationis sanctorum in Ecclesia russica*). Mosquae, 1903, pp. 90-109; Lebedev, Макарій, митрополитъ всероссійскій (*Macarius, metropolita totius Russiae*), Чтенія *Societatis amicorum progressus spiritualis*, 1877, t. III, pp. 392-406; 444-478; 1878, t. I, pp. 394-429; 1880, t. III. pp. 286-310; 1881, t. II, pp. 41-69; Zaustzinsky, Макарій, митрополитъ всея Россіи, Журналъ мин. нар. просв., 1881, CCXVII-XVIII, pp. 209-259; 1-38.

actaque huiusce concilii comprehendit, in centum capita distribuitur. Multa statuit de rebus liturgicis, de cleri tam saecularis quam regularis disciplina, de laicorum vita christiana, de Ecclesiae regimine, conditionibus ac redditibus. Usque ad finem saeculi XVII summa gavisus est auctoritate, tanquam authenticus iuris canonici fons. Cum tamen synodus mosquensis, quae anno 1667 *raskolnikos* anathemate perculit, nigro lapillo simplicitatem animi atque inscitiam illorum notavit, qui *centum capitula* conscripsere, auctoritas praefatae synodi valde imminuta est, ac brevi oblitterata. Ex eis enim firmissima capiebant argumenta *raskolniki*, ut sua tutarentur placita, librorumque liturgicorum emendationem acerrime impugnarent (1). 18 Anno 1553 synodus convocata est, quae capite damnavit haereticum Bachkinum (2). 19-20 Annis 1573 et 1580 in duabus synodis disceptatum est de iure monachorum circa fundos acquirendos (3), 20 Anno 1589, synodus cui praefuit Hieremias Constantinopolitanus, sedem patriarchalem mosquensem instituit (4).

Saeculo vero XVIII memoratu digniores sequentes percensentur synodi: 21) Synodus quam convocavit anno 1620 Philaretus Nikititch, Patriarcha (1619-1635). Tuita est baptismum ab haereticis collatum invalidum esse, quapropter, cum latini omnium haereticorum scelestissimi habeantur, opus est ut eis denuo conferatur, si Ecclesiae orthodoxae adscribi velint (5). 22) Synodus, quae anno 1651 plura de cantu liturgico sanxit. 23) Synodus, quae anno 1654 palam fecit necessitatem libros liturgicos emendandi (6). 24) Hancce necessitatem

(1) Berdnikov, p. 246; Дѣянія Московскаго собора, бывшаго въ царскихъ палатахъ въ лѣто 1654 (*Acta synodi mosquensis, habitae in aula regia, anno 1654*), Mosquae, 1873; Pskoviae, 1875.

(2) Liber centum capitulorum (Стоглавъ) typis primum evulgatus est Kasani, anno 1862; deinde pluries impressus, Stephanovitch, pp. 27-40; Macarius, Исторія раскола, pp. 49-150.

(3) Solovev, Исторія Россіи, t. II, coll. 440-445. De Bachkino egimus in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, coll. 6-8.

(4) Berdnikov, pp. 193-195.

(5) Zernin, Учрежденіе въ Россіи патріаршества (*Institutio patriarchatus in Russia*), Архивъ истор.-юрид. свѣдѣній Калачова, t. II, 1855, pp. 1-34; Sokolov, Учрежденіе патріаршества въ Россіи, Прибавленія operibus Sanctorum Patrum russice versis, t. XVIII, 1859, pp. 288-338; Nikolaevsky, Учрежденіе патріаршества въ Россіи, Христіанское Чтеніе, 1879, t. II, pp. 3-40; 369-406; 552-581; 1880, t. I, pp. 128-158, Macarius, t. X, pp. 3-54; Zampelios, *Καθίδρυσις πατριαρχείου ἐν Ῥωσσίᾳ*, Athenis, 1859; Regel, *Analecta byzantino-russica*, Petropoli, 1891, pp. xcviii-civ.

(6) Berdnikov, p. 246; Smirnov, Святѣйшій патріархъ Филаретъ Никитичъ Московскій и всея Россіи (*Sanctissimus Philaretus Nikititch, patriarcha mosquensis et totius Russiae*), Mosquae, 1874.

confirmavit synodus, quae anno 1655 habita est (1). 25) Synodus, quae anno 1656 de observandis, cum Latini Ecclesiae orthodoxae adscribuntur, statuit. Macarius, Patriarcha antiochenus (1648-1672) coram synodo declaravit Latinos reos tantummodo esse schismatis: schisma autem non obstare, quominus valide baptizati censeantur. Huic sententiae adstipulata synodus declaravit Latinos sine baptismatis iteratione in sinum Ecclesiae orthodoxae recipiendos esse: e contrario lutheranos calvinianosque, hierarchiam ac sacramenta respuentes, baptismate iterum abluendos (2). 26) Synodus, quae anno 1666 raskolnicorum causam ingressa est, ac multa decrevit pro recta sacramentorum administratione (3). 27) Synodus mosquensis, anno 1667 coacta, quam, ob ingentem episcoporum numerum clericorumque, ac rerum momentum, de quibus actum est, epitheto *magnae* posteritas insignivit. Praeter Macarium Antiochenum ei adstitit Paisius Alexandrinus (*β'* 1668-1676). Concilium deposuit Patriarcham Niconem, ut morem gereret tzaro Alexio Michailovicio (1645-1676). Insuper, ut veritati haud consona, plura reprobavit, quae synodi praecedentes annis 1551 et 1620 statuerant. Ut suum excusaret facinus, declaravit haec synodus antiquos Patres refellisse interdum atque immutasse statuta in primoevis conciliis. Multa etiam decreta tulit ad ecclesiasticam disciplinam, liturgiam, regimen ecclesiasticum, monachorum vitam, iura civilis ecclesiasticaeque potestatis spectantia (4). 28) Synodus, quae anno 1675 de

(1) Macarius, t. XII, pp. 172-177.

(2) Macarius, t. XII, pp. 191-197.

(3) Дѣянія московскаго собора о разныхъ церковныхъ исправленіяхъ въ 1666 году (*Acta concilii mosquensis de variis reformationibus ecclesiasticis, anno 1666 habiti*) Mosquae, 1881.

(4) Anitchkov-Platonov, Краткое начертаніе жизни и дѣяній Никона, патріарха Московскаго (*Brevis delineatio vitae Niconis, patriarchae mosquensis, rerumque ab eo gestarum*), Mosquae, 1839; Apollos (Archim.), Краткое начертаніе жизни и дѣяній Никона, патріарха московскаго, Mosquae, 1845; Laskarev, Патріархъ Никонъ, Труды К. Д. А., 1860, t. II, pp. 131-168; Subbotin, Дѣло о патріархѣ Никонѣ (*Quaestio de patriarcha Nicone*), Mosquae, 1862; Жизнеописаніе Никона, патріарха всероссійскаго (*Vita Niconis patriarchae totius Russiae*), Mosquae, 1879; Macarius (metrop.), Патріархъ Никонъ въ дѣлѣ исправленія церковныхъ книгъ (*Patriarcha Nicon, et correctio librorum liturgicorum*), Mosquae, 1881; Zaozersky, Никонъ и раскольники, Прав. Обозрѣніе, 1882, t. II, pp. 540-566; Gibbenet, Историческое изслѣдованіе дѣла патріарха Никона (*Inquisitio historica in quaestionem Patriarchae Niconis*), Petropoli, 1882-84; Sklobovsky, Патріархъ Никонъ по новымъ историческимъ указаніямъ (*Patriarcha Nicon ac nova documenta historiam eius vitae illustrantia*), Прав. Обозрѣніе, 1883, t. II, pp. 421-85; 627-92; Heiden, Изъ исторіи возникновенія раскола при патріархѣ Никонѣ (*Quaedam ex historia apparitionis schismatis sub patriarcha*

insignibus egit, quibus membra hierarchiae ecclesiasticae exornari ac distingui possent (1). 29) Synodus, quae anno 1682, imperante Theodoro Alekseevicio (1676-1682), ad compaginem russicae Ecclesiae novis ordinationibus instaurandam adlaboravit, ac de raskolnikis plura decrevit (2).

Haec omnia concilia (praecipua tantum meminimus) tres in classes commode distribui queunt: 1) *Concilia improprie dicta*, vel *electiva* (избирательные). 2) *Concilia imperfecta* (неполные), magna vel parva. 3) *Concilia proprie dicta*, aut *vera* (истинные) (3) A primis conciliis ex ordine percensendis abstinuimus. Paucissimis enim tantum constabant episcopis, qui iussu Tzari in unum conveniebant, ut metropolitam, vel patriarcham, vel eparchiales episcopos crearent. Qua in re notandum est, *pro forma*, ut aiunt, haec concilia acta fuisse. Et revera, ex documentis historicis eruitur nulla praemissa deliberatione, vel futurorum episcoporum dotibus meritisque ne obiter quidem perspectis, hasce synodos suum munus obiisse. Assolebant enim imperio Tzari demisse parere, quemque ipse proposuisset dignitatum ecclesiasticarum petitorem, compressis oculis, dignissimum qui infulas gestaret, succlamasse. Ne fucum haec loquendo veritati fecisse incuser, iuvat in medium proferre testem, cui fidem nemo sane detrectaverit, clarissimum virum Kapterev, quem omnes norunt in historia Ecclesiae russicae recentioris aevi studiosissime versatum fuisse. Veteres episcopi russi, ipse scribit, synodalem Patriarcharum electionem devitabant, eamque tzarorum arbitrio penitus committebant (4). Non modo Patriar-

---

Nicone), Petropoli 1886; Nikolaevsky, Жизнь патріарха Никона въ ссылкѣ, и заключеніи послѣ осужденія его на московскомъ соборѣ 1666 г. (*Vita Patriarchae Niconis in exilio atque in carcere post sententiam in eum illatam a concilio mosquensi anno 1666*), Petropoli, 1886; Kapterev, Патріархъ Никонъ и его противники въ дѣлѣ исправленія церковныхъ обрядовъ (*Patriarcha Nicon eiusque adversarii in emendandis ritibus ecclesiasticis*), Mosquae, 1887; Ikonnikov, Новые матеріалы и труды о патріархѣ Никонѣ (*Nova documenta et disquisitiones circa Patriarcham Niconem*), Kioviae, 1888; Bykov, Патріархъ Никонъ, его жизнь и общественная дѣятельность (*Patriarcha Nicon, eiusque vita resque ab eo gestae*), Petropoli, 1891; Дѣло о Патріархѣ Никонѣ (*ed. Commissio archaeographica*), Petropoli, 1897; Kapterev, in commentario periodico Бог. Вѣстникъ, 1908, II, 176-220; III, 218-52; 1909, I, 24-44; 509-539; II, 1-31; 353-90; III, 1-23; 177-211; 361-88; Macarius, t. XII, pp. 638-669; 683-792.

(1) Berdnikov, pp. 255-257.

(2) Vinogradsky, Церковный соборъ въ Москвѣ 1682 года, Smolensk, 1906.

(3) Kapterev, Бог. Вѣстникъ, 1906, t. III, p. 331.

(4) Древне-русскіе епископы отказывались отъ соборнаго избранія папріарховъ, и предоставляли это дѣло всецѣло государю и его боярской думѣ. — Ib., p. 335.

chae, sed et pastores eparchiarum saeculis XVI et XVII in conciliis non creabantur: tzarus eos eligebat (1). Synodis, quas commemoravimus, hocce suapte natura propositum erat, ut Patriarchas episcoposque eligerent: at contra illud tantum praestabant ut viros a Tzaro delectos suo confirmarent suffragio (2). Hancce autem rationem agendi non miratur perdoctus scriptor. Etenim, ea tempestate, multis adaucti praerogativis, civilibus etiam negotiis sese immiscebant. Hac de causa Tzari iure meritoque sibi ius vindicabant viros pergratos episcopalibus infulis exornandi (3).

Secundam conciliorum classem ea constituunt, quae Kapterev *incompleta, imperfecta* vocat. Saeculis XVI et XVII ob ecclesiastica et civilia negotia gerenda Mosquam affluebant episcopi russi, domumque sibi destinatam hac in urbe incolebant. Hosce igitur episcopos adventitios facile erat iussu Tzari in concilium cogere. Animadvertendum tamen est, non suo lubitu russos episcopos moratos fuisse Mosquae. Etenim, sine tzari licentia, nemini fas erat suam urbem episcopalem relinquere. Tzarus aut Patriarcha eis praecipiebant, aut permittebant ut Mosquam convenirent. Sua sponte fluit huiusmodi concilia perpaucos tantum episcopos congregasse, duos vel tres, ad summum septem, eorumque in sessionibus de controversiis fidei actum non fuisse, sed potius de causis particularibus, ac praesertim de episcopis clericisque ob sua indecora facinora puniendis. Rarissime hisce conciliis adiungebantur archimandritae monasteriorum. Sententiae, quae ab eis proferebantur, tanta non pollebant auctoritate, ut silentium contendentibus indicerent, eisque omnes obtemperarent. Etenim cuique dabatur ius, ex uno concilio ad *maius* provocandi. Hocce *maius* concilium, praeter episcopos Mosquae degentes, alios episcopos arcessebat, iudiciumque in praecedenti concilio latum iterum describebat. Non negaverim profecto haec eadem concilia interdum quaestiones ad fidem spectantes attigisse. De fide tamen nihil sanxerunt, sed solummodo haereticos vel haeresibus addictos poenis ecclesiasticis mulctarunt, ut factum fuisse compertum est in conciliis, annis 1525, 1531, 1553, 1554, 1619, 1665-67 congregatis (4).

(1) Linitzky, pp. 45-52.

(2) Не только патріархи, но и всѣ епархіальные архіереи московской Руси тоже избирались не соборомъ, не патріархомъ, не паствою, а государемъ. — Ib., p. 337.

(3) Соборы избирательные должны бы были избирать патріарховъ и всѣхъ епархіальныхъ архіереевъ, въ дѣйствительности ихъ вовсе не избирали, а собирались они только для того, что бы торжественно признать царскій выборъ. — Ib., p. 341.

(4) Ib., p. 338.

Nonnisi improprie, me iudice, nomen concilii hisce conventibus episcoporum tribuitur. Tribunalia potius ecclesiastica ea dicenda autumo, quippe quae magis de personis, quam de rebus iudicabant.

Ad tertiam classem concilia proprie dicta revocantur, quae et russicam Ecclesiam *plenarie* repraesentabant, et controversias de fide solvere non dubitabant. Ut Kapterev animadvertit, horum conciliorum praeses aestimabatur tzarus, eique primas deferebant episcopi, suis in negotiis gerendis (1). In eis agebatur de *fide* et *pietate*, nimirum de ritibus ecclesiasticis, de libris liturgicis, de recta dioeceseon administratione, de instauranda disciplina ecclesiastica, de monasteriis reformandis. Haec concilia, quae paucissima habentur, nigro notat lapillo Kapterev, cuius iudicium tamen veritati historicae maxime consonum est. Qui in eis congregabantur episcopi censebant Tzarum fontem esse atque originem cuiuslibet legis tam ecclesiasticae, quam civilis. Etenim communis tunc erat apud Russos sententia Tzarum munere *vicarii Iesu Christi* in terris defungi, eique Deum negotiorum omnium sive civilium, sive ecclesiasticorum curam commisisse ac gestionem (2). Concilium habitum anno 1660 veritum non est asserere Deum suam Ecclesiam tzaris regendam tradidisse (3). Antistites qui praefatis conciliis intererant, id unice studebant, ut pro lubitu civilis potestatis suam sententiam enuclearent, eique in cunctis morem gererent. Haec cum ita sint, mendacium effingunt qui concilia illa extollunt, tanquam signa florentis vitae russicae Ecclesiae. E contrario compertum est, ea nullum beneficium in populum ad christianam vitam fovendam contulisse. Huiusmodi concilia instituta fuere, quibus usum est regimen civile ut suum dominatum in Ecclesiam exerceret (4). Nil mirum igitur, si petropolitana synodo constituta iussu Petri Magni, suum momentum ea penitus amiserint, eaque iam demortua nemo conquestus fuerit. Illud enim quod praestabant, praefata synodus facilius atque efficacius perfecit perficitque (5). « Antistites russi, ait Kapterev, ante Petri

(1) P. 477.

(2) Царь есть единственный источникъ всякаго закона, какъ гражданскаго, такъ и церковнаго, такъ какъ онъ, по мнѣнію древней Руси, былъ намѣстникомъ Бога на землѣ, и ему Господь, какъ своему намѣстнику вручилъ заботу и попеченіе не только о дѣлахъ государственныхъ, но и о всѣхъ дѣлхаъ церковныхъ. — Ib., p. 493.

(3) Царю свою церковь Господь преда. — Ib., p. 495.

(4) Ib. pp. 671, 681.

(5) Ib., p. 681; Podgursky, *De auctoritate sacro-sanctae synodi rossicae, tamquam concilii Ecclesiae repraesentativae, summam rerum ecclesiasticarum administrationem procurantis*, Шруды К. Д. А., 1869, t. IV, pp. 113-142.

Magni aetatem, suam operam dabant civili regimini, suisque in muneribus obeundis ei parebant. Haec tamen agendi ratio superstes vixit post illam aetatem, quo factum est ut nunquam episcopi nostri sibi ius vindicarint proprio marte res ecclesiasticas gerendi, sed in cunctis ad nutum potestatis civilis sese composuerint »(1). Hocce iudicium clarissimi scriptoris russi, quantumvis acre, veritati consonum nemo inficias iverit, qui historiam russicae Ecclesiae pervestigarit, idque permagni faciendum aestimo, propterea quod a viro prolatum est, fidei orthodoxae addictissimo.

δ' Pauciores numero recensentur concilia particularia, quae in Russia meridionali atque occidentali sub dominatu polonico, nimirum Vilnae, Novogrodii lithuanici, Brestae, et Kioviae saeculis XVI et XVII convocata fuere. Inter ea memoratu praesertim digna: 1) Synodus, quam Vilnae anno 1509 Iosephus Soltan, metropolita Lithuaniae et Galaeciae (1507-1521) coegit. Septem episcopi ei interfuere, complures archimandritae ac laici. Canones haec synodus condidit, ut malis Ecclesiae orthodoxae medelam afferret, iura clericorum laicis usurpantibus, atque episcopis suam obedientiam metropolitae renuentibus. Vestigia latini, quem vocant, *influxus* in eis deprehenduntur (2). 2) Eadem in urbe, anno 1514 habita est synodus, quae sanctorum in album digessit Eliseum Lavrichevskium, lithuanum († 1250) quem tradunt monasterium condidisse in provincia minscensi (3). De clericorum disciplina praesertim egerunt synodi vilnenses (3-5), quas Macarius II (1534-1556), et Sylvester Belkevicius (1556-1567), metropolitae lithuani, congregarunt annis 1540, 1546, 1558 (4). 6-7) Anno 1589 Hieremias constantinopolitanus, redux ex urbe mosquensi, duabus synodis praefuit, quae habitae fuere Vilnae ac Tarnopoli, eo praesertim consilio ut discordias inter episcopos metropoleos lithuanicae componeret. 8) Anno 1590 synodus brestensis convocata est, quae statuit quotannis die 24 iunii episcopos omnes orthodoxos iurisdictioni metropolitae lithuani subiectos in synodum coactum iri. Ab eo tempore plura concilia Brestae congregata sunt, ex quibus clarissimam famam

(1) Наши іерархи какъ до Петра были чиновниками, дѣйствовавшими по приказу и указдѣ свѣтскаго правительства, такъ такими же большею частью они остались и послѣ Петра, и потому они не считали себя въ правѣ выступать и въ церковныхъ дѣлахъ въ собственною инициативою, а по прежнему ждали во всемъ приказаній и распоряженій со стороны свѣтской власти. — Ib., p. 682.

(2) Macarius, t. IX, pp. 166-174; Pokrovsky, p. 6; Pavlov, Памятники, coll. 6-18.

(3) Golubinsky, Исторія канон. p. 217; Macarius, t. IX, pp. 176-177.

(4) Macarius, t. IX, pp. 246-248; Pokrovsky, p. 20,

sibi compararunt concilia annis 1595 et 1596 habita. In eis enim acceptarunt quidam episcopi orthodoxi Romanorum Pontificum primatum suasque eparchias catholicae Ecclesiae coniungendas decrevere, seseque ab episcopis hancce unionem adversantibus abstraxerunt.

Postquam vero sedes metropoleos orthodoxae lithuanicae ex Vilna Kioviam translata est, hac in urbe complures synodi habitae fuere. 9) anno 1621 ob instauratam in Russia per Theophanem, Patriarcham hierosolymitanum, hierarchiam orthodoxam. 10-12) Annis 1627, 1628 et 1629, praeside Iob Boretzkio († 1631), 13) atque anno 1640, praeside Petro Moghila. 14) Anno 1691 synodum coegit metropolita Barlaam Iasinskius (1690-1707), quae leges promulgavit ad clericalem disciplinam instaurandam, populique pietatem fovendam (1).

Quae hactenus memoravimus concilia nihil fere de controversiis fidei egerunt, sed de ecclesiastica disciplina leges condidere. Ut Pokrovsky ait, ea proculdubio nemo dixerit russicae Ecclesiae inutilia fuisse. Exploratum enim est, naviter incubuisse in reficiendas vires Ecclesiae orthodoxae, animosque erigendos bellumque acerrimum signiferis unionis Ecclesiae ruthenicae cum sede romana indicendum. At fortiter ei obstitere synodi, unitorum, quos vocant, qui omnem curam impenderunt in clero ad altius sacerdotalis perfectionis fastigium provehendo. Scriptores russi qui praecitata concilia meminerunt, ea propterea laudant, quod eorum sessionibus etiam laici interfuerint, dum synodi *unitorum* traditioni catholicae obsequentes primas episcopis detulerint, laicosque procul ablegarint (2). Hancce tamen laudem synodis orthodoxis non invidemus. Traditio enim catholica in hoc rerum capite nihil innovavit. De rebus quae ad fidem morumque disciplinam optimamque cleri institutionem pertinent iudices habentur tantum pastores Ecclesiae, ut luculenter veterum conciliorum testatur historia. Quapropter laicos in concilia ecclesiastica immittere idem esset atque ea sua destituere auctoritate, civiliumque discordiarum semina in ea conserere.

ε′ De synodo illa *in votis* quae congreganda fuisset anno 1906, vel 1907, vel 1908, ut russicae Ecclesiae, propter violatos a Petro Magno canones deflorenti, pristinam firmitudinem restitueret, perpauca dicemus. Volumen enim illud, quod abhinc duobus annis mandavimus

(1) Malychevsky, pp. 40-52; Macarius, t. XI, pp. 284-86; 344; Orlovsky, Кіевскій церковный соборъ 1629 г. (*Concilium ecclesiasticum kioviense anno 1629 habitum*), Kioviae, 1905; Żukovitch, О составѣ западно-русскихъ церковныхъ соборовъ (*De constitutione synodorum ecclesiasticarum Russiae occidentalis*), Церковный Вѣстникъ, 1906, coll. 99-101.

(2) P. 43.

typis de synodo illa *herbacea*, quae nullam, vel verminosam baccam, protulit, uberrime agit.

Scriptores russi maxima diligentia animum adiunxerunt ad morbos illos enumerandos, quibus ab aetate Petri Magni russicae Ecclesiae vires conflictantur, nec non ad remedia adhibenda, quae eis adhiberi queunt. Tres annos solidos nobis decantarunt renovationem (обновленіе), novum ortum (возрожденіе), *vivificationem* (оживленіе) russicae Ecclesiae, per concilium generale absolvendam. Die 8 mensis maii 1907 tzarus Nicolaus II decretum promulgavit, quo ut legislator supremus Ecclesiae orthodoxae sanxit hocce concilium generale, Mosquae congregandum, episcopos, clericos, laicos coacturum (1). Eheu! *Parturierunt montes* ...

Tot quae in lucem prodierunt volumina, libelli, ephemerides, dissertatiunculae, nuntiationes, edicta, tanquam semina in rimas scopulorum immissa, neque in plantas excrevere, neque fructus edidere. Quî potest explicari principium illud synodale, quod scriptores orthodoxi catholicam Ecclesiam delevisse incusant, duorum saeculorum spatio in russica Ecclesia, velut in sepulchro conditum delituisse, atque in praesentiarum suo ex feretro exsurgere non valuisse?...

Pro comperto habetur, ipsique praesules russi fatentur (2), ab aetate Petri Magni constitutionem russicae Ecclesiae apertissimam praeseferre canonum orthodoxorum violationem et contemptum. Ut hocce ei dedecus deleatur nihil reliquum est, nisi ut principium illud synodale ad pristinam revocetur vitam. Nostra quidem memoria, quotquot excellentiores habentur praesules et viri in Russia, prae viribus id conati sunt, oleum tamen operamque perdiderunt. Ex quonam fonte, quaeso, haec processit synodalis desidia?... Nonne repugnantia coniunguntur, cum asseritur a scriptoribus orthodoxis principium illud synodale inconcussum manere, ac perpetuo virere in Ecclesia orthodoxa, ac simul nobis ostenditur hocce idem principium tanta laborare inertia, ut cunctis adhibitis mediis, nequeat in concilium aliquod efflorescere?... Haud igitur partium studio favemus, cum statuimus, primatu romano abiecto, synodos particulares in Ecclesiis orthodoxis convocari non posse, vel, si convocentur, firmissimae, quae veteribus conciliis vindicatur, auctoritatis, expertes fieri (3).

(1) *La Chiesa russa*, pp. 681-683.

(2) Nicodemus (ep.), О святѣйшемъ синодѣ (*De sanctissima synodo*), Бог. Вѣстникъ, 1905, t. III, pp. 191-214.

(3) Quae scriptores russi de synodo illa *in votis* typis mandarunt, quamvis nullos fructus ediderint, uberrimam tamen studiosis historiae ecclesiasticae segetem praebent. In eis enim tanquam penicillo sincere depictam aspicies faciem

ϛ′) Ex synodis recentioris Ecclesiae grecae perpaucas tantum meminerimus, eas nimirum quae de rebus gravissimis disceptarunt, maiorem episcoporum numerum coegerunt, ac synodales formas sua in convocatione magis tutatae sint.

1. Hasce inter synodos primas olim sibi vindicavit pseudo-synodus sophiana, quam scriptores graeci sequioris oevi falso tradidere

---

russicae Ecclesia. Imprimis maximi momenti existimo volumina, quae synodus petropolitana, hisce titulis insignita evulgavit: Журналы и протоколы засѣданій высочайше учрежденнаго Предсоборнаго Присутствія (*Acta et relationes sessionum quas ad synodum russicam parandam habuit conventus virorum doctorum decreto imperiali constitutus*), Petropoli, 1906-1907 (quatuor volumina); Отзывы епархіальныхъ архіереевъ по вопросу о церковной реформѣ (*Declarationes et responsiones episcoporum eparchiarum russicarum circa reformationem ecclesiasticam*), Petropoli, 1906 (quatuor volumina in folio). Praeter haec, quae studiosis valde commendanda censeo, memoratu digna videntur scripta sequentia: Prebrajensky, Церковная реформа: сборникъ статей духовной и свѣтской печати о реформѣ (*Reformatio Ecclesiae: sylloges scriptionum quae in commentariis periodicis russicis pro reformanda Ecclesia inserta fuere*), Petropoli, 1905; t. II 1908; Вопросы требующіе соборнаго рѣшенія (*Quaestiones quibus solvendis necessaria est sententia synodi*) Церковный Вѣстникъ, 1905, coll. 1193-96; Troitzky, Церковный Соборъ и міряне (*Concilium ecclesiasticum et laici*), Ib.. coll. 1378-81; 1412-17; 1445-48; Sergius (archiep. Finlandiae), О составѣ ожидаемаго чрезвычайнаго помѣстнаго собора русской церкви (*De constitutione proximi concilii particularis russicae Ecclesiae*), Ib., coll. 1608-1612; Potiekhin, О церковномъ соборѣ (*De concilio ecclesiastico*), Mosquae, 1905; О возрожденіи русской церкви (*De novo ortu russicae Ecclesiae*), Вышный Волочекъ (*Volotchek superior*), 1905; Brodovitch, Предстоящій соборъ въ русской церкви (*Proximum concilium russicae Ecclesiae*), Вѣра и Разумъ, 1905, XX, pp. 414-431; Къ вопросу о всероссійскомъ соборѣ и церковныхъ преобразованіяхъ (*Quaestio de concilio generali russico, ac de reformatione Ecclesiae*), Ib., XXI, pp. 455-481; Mitchchensk, Къ вопросу о составѣ предстоящаго собора русской церкви (*Quaedam ad quaestionem spectantia de proximo concilio russicae Ecclesiae*), Kioviae, 1906; Sokolov, Предстоящій всероссійскій церковный соборъ, его составъ и задачи (*Concilium generale ecclesiasticum russicum, eius constitutio ac munera ab eo persolvenda*), Serghievo, 1906; Kiparisov, Къ предстоящему собору россійской церкви, Omsk, 1906; Dobronravov, Участіе клира и мірянъ на соборахъ въ первые девять вѣковъ христіанства (*Interventus cleri et laicorum conciliis primis decem religionis christianae saeculis*), Бог. Вѣстникъ, 1906, t. I, pp. 263-283; Popov, По вопросу о составѣ предстоящаго церковнаго собора, Ib., t. II, pp. 82-97; Aksakov, Къ вопросу о составѣ церковнаго собора, Ib., pp. 212-269; Nepliuev, Голосъ вѣрующаго мірянина по поводу предстоящаго собора (*Vox fidelis laici circa proximam synodum*), Труды К. Д. А., 1906, t. II, pp. 269-305; Zavitnevitch, По вопросу о составѣ собора, Ib., III, pp. 136-185; Lebedev, Объ участіи мірянъ на соборахъ, Mosquae, 1906; Ognev, Церковный соборъ и религіозные запросы общества (*Concilium ecclesiasticum et controversiae religiosae quae agitantur in societate*), Petropoli, 1908.

habitam fuisse in basilica Sanctae Sophiae, anno 1450, antequam byzantina urbs ferro ignique a Turcis vastaretur (1). Fabulantur iidem scriptores huic synodo interfuisse Patriarchas Philotheum Alexandrinum, Ananiam Antiochenum, ac Theophanem Hierosolymitanum, sexdecim metropolitas atque episcopos, clericos constantinopolitanos, et quorundam monasteriorum higumenos. Pronuntiavit synodus sententiam depositionis adversus Gregorium III, qui firmiter adhaerebat fidei concilii florentini, atque *unionem florentinam* anathematis insectata est.

Acta huiusce pseudo-synodi ex insula Chio Allatio missa fuere, qui typis vulgavit excerpta tantum ex eis, hocce titulo: *Ἐντεῦθεν τὸ βιβλίον ἀπάρχεται τῆς ἐν Κ. ὑστάτης συνόδου ἐν τῇ ἁγία Σοφίᾳ ἐπιτελεσθείσης μετὰ τὴν γένεσιν τοῦ ψευδοσυλλόγου φλωρεντίνου, ἑνὸς ἐνιαυτοῦ διαστήματι καὶ ἡμίσεως καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ λατινόφρονος Ἰωάννου, τοῦ Παλαιολόγου, τοῦ ἀπατηθέντος ὑπὸ τῶν Ἰταλῶν ἐπὶ βοηθείᾳ καὶ ἐπὶ τελευτῆς συμφρονήσαντος τῷ ὀρθοδόξῳ δόγματι, ἐπὶ τοῦ ὀρθοδόξου υἱοῦ αὐτοῦ Κωνσταντίνου* (2). Ex titulo ipso, qui chronologicis scatet mendis, arguebat Allatius « hancce synodum ab eis, qui dicuntur in illa interfuisse, nunquam celebratam, sed a nebulone quopiam, et utinam non recentissimo, ex variis Amyrutzii, Gemisti, Gennadii contra florentinam synodum scriptis concinnatam » (3), eamque *sophianam* apppellitandam decrevit.

Haec eadem Acta typis iterum vulgavit Dositheus hieresolymitanus inseruitque in opere polemico, quod inscribitur: *Tomus recon-*

(1) De ea praesertim egerunt: Allatius, *De... consensione*, coll. 1380-81; Dositheus (hierosol.), *Δωδεκάβιβλος*, pp. 914-917; Zoernicavius, *Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρός*, t. II, Petropoli, 1797, pp. 677-708; Const. Oeconomos, *Περὶ τῆς τελευταίας ἐν τῇ ἁγίᾳ Συνόδου τῶν ὀρθοδόξων, Τὰ σωζώμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα*, t. I, Athenis, 1862, pp. 449-454; Demetracopulo, *Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῆς λατινικῆς Ἐκκλησίας ἀπὸ τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας*, Lipsiae, 1867, pp. 161-163; Wast, *Le cardinal Bessarion: étude sur la chrétienté et la renaissance vers le milieu du XV siècle*, Parisiis, 1878, pp. 133-35; Lebedev, Очерки исторіи византійско-восточной церкви отъ конца XI-го до половины XV-го вѣка (*Specimen historiae Ecclesiae orientalis byzantinae ab initio saeculi XI usque ad dimidium saeculi XV*), Mosquae, 1892, pp. 438-440; Papajoannes, Акты такъ называемаго Послѣдняго Софійскаго собора 1450 и ихъ историческое достоинство (*Acta synodi vulgo dictae postremae synodi sophianae, eorumque authenticitas historica*), Византійскій Временникъ, 1895, t. II, pp. 394-415; Id., *Τὰ πρακτικὰ τῆς οὕτω λεγομένης ὑστάτης ἐν ἁγίᾳ Σοφίᾳ συνόδου καὶ ἡ ἱστορικὴ ἀξία αὐτῶν, Ἐκκλ. Ἀλήθεια*, t. XV, 1895, pp. 237-38; 259-60; 266-67; 282-84; 299-307; t. XVI, pp. 40; 47; 116-17; Palmieri, *Dositeo*, pp. 55-56.

(2) Op. cit., coll. 1380-81.

(3) Ib., col. 1389.

ciliationis (1). Titulum tamen vel emendavit, vel ex emendatiore codice deprompsit: ea enim non exhibet sphalmata chronologica, quae apud Allatium occurrunt (2). Ita enim se habet: *Σύνοδος ὑστάτη ἐν Κ. ἐπιτελεσθεῖσα ἐν τῇ ἁγίᾳ Σοφίᾳ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ λατινόφρονος Ἰωάννου τοῦ Παλαιολόγου, τοῦ ἀπαθητέντου ἀπὸ τῶν Ἰταλῶν [ἐπὶ βοηθείᾳ καὶ ἐπὶ τελευτῆς συμφρονήσαντος τῷ ὀρθοδόξῳ δόγματι ἐπὶ τοῦ ὀρθοδόξου ἀδελφοῦ Κωνσταντίνου Βασιλέως.* Haud parum insudavit Dositheus, fortasse contra sui animi persuasionem, in fictae illius Synodi authenticitate vindicanda. Ut enim Lebedev ait, si magna animi contentione hoc in facinore ad latinos confodiendos decertavit Dositheus, in confesso est argumenta, quae ab eo effinguntur, genuinitatem illius synodi nemini fecisse indubiam (3).

Dositheo adstipulati sunt scriptores orthodoxi, e quibus eminent Zoernicavius, Constantinus Oeconomos atque Andronicus Demetracopulos. In praesentiarum tamen cordatiores viri pro comperto habent tot laudibus decantatam sophianam synodum inter aniles fabulas amandandam, eamque seriori oevo theologos infimi apud Graecos subsellii excogitasse, ut suis asseclis suaderent, ante captam byzantinam urbem, graecam Ecclesiam irritum fecisse concilium florentinum.

Ne morer in actorum synodi sophianae spuria detegenda origine, mihi satis erit sententiam in medium proferre, quam de hisce actis nuperrime tuitus est scriptor graecus orthodoxus, rerum byzantinarum peritissimus: « Acta vulgo dictae postremae synodi sophianae nequeunt haberi genuina. Concilium enim sophianum, quod fertur anno 1450 tres patriarchas multosque metropolitas atque episcopos congregasse, nunquam habitum est » (4). Tot firmissimis argumentis hancce sententiam fulcit clarissimus vir, ut sane dici possit causam authenticitatis illius synodi conclamatam esse (5).

(1) *Τόμος καταλλαγῆς*, Iassii, 1692, pp. 457-521.

(2) Виз. Временникъ, t. II, p. 396.

(3) Онъ показываетъ больше полемическаго усердія въ борьбѣ съ папствомъ, чѣмъ убѣждаетъ читателя въ подлинности защищаемыхъ имъ актовъ. — P. 438.

(4) Акты послѣдняго софійскаго собора никоимъ образомъ не могутъ считаться подлинными актами того собора который они описываютъ..... Софійскаго собора 1450 года, на которомъ бы присутствовали патріархи и множество митрополитовъ и епископовъ никогда не было. — Papajoannes, p. 413.

(5) Monendum hic ducimus scriptores graecos tradere, huic pseudo-synodo sophianae alteram praecessisse, Hierosolymae congregatam anno 1443. Fertur tres patriarchas in ea interfuisse: Philotheum Alexandrinum, Dorotheum Antiochenum, atque Joachim Hierosolymitanum, nec non synodum, Metrophanem II (1440-1443), Constantinopolitanum ob suam constantiam in fide romanae Ecclesiae tuenda damnasse, gravissimisque verbis Joannem VIII Palaeologum adiurasse, ut latinis

2. Anno 1482 Simeon I constantinopolitanus (β' 1482-1486) in Ecclesia Beatae Mariae Virginis *τῆς Παμμακαρίστου* synodum congregavit, cui adstitere legati patriarcharum Alexandrini atque Antiocheni (1). Sumptuosum epitheton oecumenicae usurpavit sibi haec synodus, quae concilium florentinum suis dicteriis lacessivit, ac ritus statuit, quibus utendum est cum latini catholici, sua fide eiurata, in Ecclesiam orthodoxam sese adscribere student. Officium illud liturgicum, quod synodus composuit ad latinos suae fidei proditores in gregem orthodoxum cooptandos, graece inscribitur: *Ἀκολουθεία τυπωθεῖσα ὑπ' αὐτῆς τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου εἰς τοὺς ἐκ τῶν λατινικῶν αἱρέσεων ἐπιστρέφοντας τῇ ὀρθοδόξῳ τε καὶ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ τῆς Κ., ἀλλὰ δὴ καὶ ταῖς τρισίν ἁγιωτάτοις Πατριάρχαις τῆς Ἀνατολῆς, Ἀλεξανδρείας δηλονότι, Ἀντιοχείας καὶ Ἱεροσολύμων.* Hocce officium edidere Dositheus (2), Rhalli et Potli (3), Demetracopulos (4), Gedeon (5).

3. De instituendo patriarchatu in Russia synodum congregavit Hieremias II (γ' 1586-1595) Constantinopoli in Ecclesia Beatissimae Virginis *τῆς Παραμυθίας* (mense februario, 1593). Huic synodo adstitere Meletius Alexandrinus, et 40 praelati. Canones octo in ea conditi sunt (6). Alteram iam synodum coegerat Hieremias mense maio 1590,

---

novitatibus abdicatis, in sinum Ecclesiae orthodoxae sese reciperet. Haud parum dubitationis habent documenta ad hancce synodum spectantia, quae reperiuntur apud Allatium, coll. 938-947, et Mansi, t. XXXV, Parisiis, 1902, coll. 55-64. De ea disserit Demetracopulos, *Ἱστορία τοῦ σχίσματος*, pp. 155-59.

(1) Gedeon, *Πατριαρχικοὶ πίνακες*, 487-488; Lebedev, Исторія греко-восточной церкви, pp. 255-257; Petit, *L'entrée des catholiques dans l'Église orthodoxe, Échos d'Orient*, t. II, pp. 129-131; Palmieri, *Dositeo*, p. 65.

(2) *Τόμος Ἀγάπης*, Iassii, 1690, pp. 568-570.

(3) *Σύνταγμα ἱερῶν κανόνων*, t. V, pp. 143-147.

(4) Nathanaelis Chychae, *De primatu Papae*, Prooemium, Lipsiae, 1869, pp. *θ-ιγ'*.

(5) *Κανονικαὶ διατάξεις*, t. II, Constantinopoli, 1889, pp. 65-69.

(6) Acta huiusce synodi russice edidit Porphyrius Uspensky: Дѣяніе конст. собора 1593 г. которымъ утверждено патріаршество въ Россіи, Шруды К. Д. А., 1865, t. IV, pp. 237-248; graece reperiuntur apud Dositheum, *Τόμος Ἀγάπης*, Iassii, 1689, pp. 541-547; Rhalli et Potli, t. V, pp. 149-155; Sathas, *Βιογραφικὸν σχεδίασμα περὶ τοῦ Πατριάρχου Ιερεμίου Β'* Athenis, 1870, pp. 82-92; Delikanis, *Πατριαρχικὰ ἔγγραφα*, t. III, Constantinopoli, 1905, pp. 10-20. In opere Sathas inserta est narratio historica de institutione russici patriarcatus, quam Arsenius Elassonensis versibus exaravit: *Κόποι καὶ διατριβὴ τοῦ ταπεινοῦ ἀρχιεπισκόπου Ἀρσενίου· γράφει καὶ τὴν προβίβασιν τοῦ πατριάρχου Μοσχοβίας*, p. 35-81. Hoc poema ediderat antea Zampelios in praecitato opere: *Καθίδρυσις Πατριαρ-*

quae electionem Job ad sedem patriarchalem totius Russiae, anno 1589 habitam, confirmavit. Exstat huiusce synodi *Χρυσόβουλλον συνοδικὸν ἢ τόμος*, cui subscripserunt, praeter Hieremiam, Joachim Antiochenus, Sophronius Hierosolymitanus, atque 81 Metropolitae, Archiepiscopi atque Episcopi (1). Meum non est enarrare quae de facinore Hieremiae alii alia scriptores graeci tradunt. *Ἔργον βίας* ab eis appellitatur institutio russici patriarchatus (2).

4. Anno 1722 congregata est synodus constantinopolitana adversus christianos provinciae antiochenae, qui ad catholicae fidei unitatem redierant. In ea interfuere Hieremias III Constantinopolitanus (1716-1726), Athanasius Antiochenus, et Chrysanthus Hierosolymitanus (1707-1731). Latinas, quas vocant, *novitates*, dicteriis potius quam argumentis, haec synodus adorta est, praesertim primatum romanae Sedis, illud Filioque, azyma, purgatorium ignem, suffocatorum usum (3).

5. Anno 1727 congregata est synodus constantinopolitana, quae fidem Ecclesiae graecae sexdecim articulis exposuit. Hancce fidei expositionem, quae perpulchre doctrinam transsubstantiationis eucharisticae concinnat, auctorem Chrysanthum Notaram habuisse sat probabili sententia censet L. Petit (4).

6. Sub Patriarchis Cyrillo V (1748-1751; 1752-1757), et Paisio II (1751-1752) concilia habita fuere ad controversias in Ecclesia greca

---

χείου ἐν Ῥωσσίᾳ, Athenis, 1859, ac latina versione instructum Pasini, *Codices manuscripti bibliothecae regii taurinensis athenaei*, t. I, Taurini, 1749, pp. 433-69. De ceteris editionibus ipsius cf. Dmitrievsky, Архіепископъ елассонскій Арсеній и мемуары его изъ русской исторіи по рукописи трапезунтскаго Сумелійскаго монастыря (*Arsenius, archiepiscopus Elassonensis, ac memoriae eius ad russicam historiam pertinentes, iuxta codicem manu exaratum monasterii urbis Trapezuntos, quod Sumeliotis vocant*), Kioviae, 1899, pp. 26-27, qui publici iuris facit alteram narrationem Arsenii circa institutionem russici patriarchatus, pp. 78-86.

(1) Delikani, pp. 24-26.

(2) *Κατὰ ὁ χρονογράφος* (Dorotheus *Μονεμβασίας*, ib., pp. 21-22) *καὶ ἐκ ἄλλων μαρτυριῶν πιστοποιεῖται, ἡ καθίδρυσις τοῦ ῥωσσικοῦ πατριαρχείου ὑπῆρξεν ἔργον βίας, καὶ ὡς τοιοῦτον δὲν ἐπεκυρώθη ἀμέσως ὑπό τε τῶν ἄλλων πατριαρχῶν καὶ τῆς ἄλλης συνόδου. Ὁ Ἱερεμίας, εἴτε διὰ τῆς βίας ἢ ἄλλως πῶς δοὺς τὸν λόγον αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο ἐκτεθειμένος ἐνώπιον κραταιᾶς ὁμοδόξου δυνάμεως, προσεπάθησεν ἵνα πείσῃ αὐτοὺς εἰς ἀποδοχὴν τῶν ἐν Ῥωσσίᾳ γενομένων. Πλήν, ὡς φαίνεται, ὀκτὼ (!) μόνον μητροπολῖται καὶ ἀρχιεπίσκοποι μετὰ τῶν τοῦ πατριαρχείου ὑπαλλήλων συνῆνεσαν ἵνα συνυπογράψωσι τὴν ἐπικυρωτικὴν πρᾶξιν.* — Sathas, p. *πη'*.

(3) Mansi, t. XXXVII, coll. 127-208.

(4) Ib., coll. 887-910.

ortas de latinis rebaptizandis dirimendas. Haec concilia, quae baptismum a Latinis collatum invalidum declararunt, satis erit heic tantum meminisse: fusiori enim calamo alias exposuimus, quae ad eorum pertinent historiam (1).

7. Synodus generalis constantinopolitana, quae anno 1872 (mense augusto ac septembri, praeside Anthimo VI (γ′ 1871-1873) congregata est, ut Bulgaros ex ovilibus Ecclesiarum orthodoxarum extorres

(1) Palmieri, *Le rebaptisation des latins chez les Grecs, Revue de l'Orient chrétien*, t. VII, 1902, pp. 618-646; VIII, 1903, pp. 111-143; Id., *Un document inédit sur la rebaptisation des latins chez les Grecs, Revue bénédictine*, 1906, pp. 215-231. Hic prima vice in lucem protulimus, uberrimo commentario et gallica versione instructum, excerptum ex catalogo Patriarcharum Constant., quem Pancratius Dimeris aut Dimaris conscripsit. Hocce idem documentum evulgavit Petit, Mansi, t. XXXVIII, Parisiis, 1907, coll. 577-579, qui mirificis verbis ipsius momentum exaggeravit. Ut mea enim fert sententia, perpaucas tantum nugas adiunxit Dimaris fusis narrationibus ceterorum scriptorum, qui de turbis ab Auxentio hieromonacho contra baptismum Latinorum in Ecclesia graeca concitatis, posteros certiores fecerunt. Documenta quae ad controversias de latinis rebaptizandis spectant, inseruit L. Petit in praecitato volumine Collectionis Conciliorum. Harum tamen controversiarum historia, quam numeris omnibus absolvere mihi quondam in animo fuit, nisi res adversae ab incoepto proposito desistere me coegissent, suum adhuc narratorem expectat. Specimen enim historicum atque canonicum de heterodoxis in sinum Ecclesiae orthodoxae accipiendis, quod anno 1882 Kostromae typis vulgavit Alexander Seraphimov, deinde, nomine Sergii, episcopus urbis Viatkae, permagnas exhibet lacunas. Meminisse iuvat in Bibliotheca Comitii Delegatorum popularium atheniensium (*τῆς Βουλῆς*) permulta documenta in codice quodam asservari quae haud parum utilitatis hancce provinciam explorantibus afferent. Pauca de hoc rerum argumento russice exstant: Barsov, Правила и практика древней вселенской церкви относительно принятія неправославныхъ священнослужителей въ православную церковь съ потвореніемъ и безъ повторенія рукоположенія (*Canones et praxis veteris Ecclesiae universalis circa receptionem presbyterorum heterodoxorum inter membra orthodoxae Ecclesiae, iterata vel non iterata consecratione sacerdotali*), Хр. Чтеніе, 1870, t. I, pp. 867-919; Исторія существующаго въ греческой церкви обычая перекрещивать латинянъ, и приводимыя ею основанія этого обычая (*Historia consuetudinis Latinos iterum baptizandi, quae perseverat adhuc in graeca Ecclesia, ac praecipuae, quae eam invexerunt, causae*), Руководство для сельскыхъ пастырей, 1877, t. III, p. 356-363; 1878, t. II, pp. 97-99; О составѣ чинопослѣдованія присоединенія къ православію чрезъ таинство миропомазанія (*De ordine rituum liturgicorum, quibus utendum quum heterodoxi per sacramentum unctionis sacrae Ecclesiae orthodoxae adscribuntur*), Ib., t. I, pp. 121-125; Какова была практика, и какія были распоряженія русской церкви относительно принятія неправославныхъ клириковъ (*Quaenam fuit praxis, et quaenam fuerunt constitutiones russicae Ecclesiae in presbyteris heterodoxis orthodoxae Ecclesiae adscribendis*), Ib., 1897, t. III, pp. 396-399.

declararet, eosque anathemate percelleret (1) Huic synodo adstiterunt Anthimus VI, legati Patriarcharum Alexandrini atque Antiocheni, complures metropolitae, episcopi, et praelati Graecae Ecclesiae (2).

(1) Georgius Papadopulos, *Ἡ σύγχρονος ἱεραρχία τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, Athenis, 1895, pp. 659-665. Diu insudarunt atque insudant Graeci in opusculis consarcinandis ad schisma Bulgarorum explodendum. Ab hisce libellis, qui omni destituuntur auctoritatis pondere, memorandis abstinemus. Ex eis quosdam citatos reperies apud Georgium Papadopulum, p. 645. Documenta potiora, quae ad hanc spectant gravissimam inter Graecos ac Bulgaros controversiam, collegit M. Gedeon, qui scurrilibus sane verbis Bulgaros in prooemio sui operis insectatus est: *Ἔγγραφα πατριαρχικὰ καὶ συνοδικὰ περὶ τοῦ βουλγαρικοῦ ζητήματος* (1852-1873), Constantinopolis, 1908. Inter russicos scriptores eam enarrarunt (maioris momenti scripta tantum recensemus): Philippov, Вселенскій Патріархъ Григорій VI и греко-болгарская распря (*Gregorius VI, Patriarcha oecumenicus, et certamen graeco-bulgaricum*), Petropoli, 1870; Tesovsky, Греко-болгарскій церковный вопросъ (*Quaestio ecclesiastica graeco bulgarica*), Petropoli, 1871; Popov, Книги о болгарскомъ вопросѣ (*Libri qui agunt de quaestione bulgarica*), Православное обозрѣніе, 1872, t. II, pp. 759-765; Kurganov, Историческій очеркъ греко-болгарской распри (*Specimen historicum certaminis graeco-bulgarici*), Православный Собесѣдникъ, 1873, t. I, pp. 13-94; 187-260; II, 3-70; 175-202; 283-333; III, 101-57; 325-88; Греко-болгарскій церковный вопросъ, Petropoli, 1884; Troitzky, Церковная сторона болгарскаго вопроса (*Elementum ecclesiasticum in quaestione bulgarica*), Petropoli, 1888; Teplov, Греко-болгарскій церковный вопросъ по неизданнымъ источникамъ (*Quaestio ecclesiastica graeco-bulgarica, iuxta fontes ineditos*), Petropoli, 1889; Palmov, Болгарская экзархійская церковь, первоначальное и современное ея устройство (*Ecclesia exarchatus bulgarici, ac primitiva hodiernaque eius constitutio*), Petropoli 1896; Trubetzkoi, *La politique russe en Orient: le schisme bulgare*, Parisiis, 1907; Palmieri, *Un documento prezioso sul decadimento dell'ortodossia, Bessarione*, anno V, pp. 80-87. Bulgarice volumen exstat documentis historicis refertum, quod in lucem edidit Burmov: Българо-гърцката църковна распря (*Quaestio ecclesiastica de exarchatu bulgarico*), Sophiae, 1902. Cf. etiam: Pievnitzky, Западный взглядъ на болгарскій вопросъ (*Iudicia scriptorium occidentalium de quaestione bulgarica*), Шруды К. Д. А., 1861, t. II, pp. 271-303; Muravev, Переписка съ восточными патріархами по Греко-болгарскому вопросу (*Commercium epistolarum cum Patriarchis orientalibus circa quaestionem graeco-bulgaricam*), Ib., 1873, t. I, pp. 105-148; Petrov, Начало греко-болгарской распри и возрожденія болгарской народности (*Initium discidii graeci bulgarici, ac bulgaricae stirpis reditus ad vitam*), Ib., 1886, t. II, pp. 43-72; 157 197; 383-417; Dmitrievsky, Попытки Римской церкви починить своей власти восточную Церковь вообще, и болгарскую въ частности въ XIX столѣтіи (*Molimina Romanae Ecclesiae, ut, vertente saeculo XIX, suo dominatui subjiceret Ecclesias orientales generatim, ac peculiari modo Ecclesiam bulgaricam*), Душеполезное Чтеніе, 1887, t. III, pp. 297-325; Id., Греко-болгарскоій церковный вопросъ (*Quaestio ecclesiastica graeco-bulgarica*), Ib., 1888, t. II, pp. 272-307; 370-409; Chopov, Греко-болгарскій церковный вопросъ, Petropoli, 1889.

(2) Cyrillus, Patriarcha Hierosolymitanus, neque huic synodo interfuit, neque anathematis in Bulgaros subscripsit, quapropter sua sede deiectus est, atque a communione Ecclesiae graecae rescissus, *Ἡ Ἐκκλησία Ἱεροσολύμων κατὰ τοὺς τέσσαρας τελευταίους αἰῶνας*, Athenis, 1900, pp. 104-105.

Haec praecipua visum est mihi memorare inter concilia graeca recentioris oevi (1). Me non latet multorum Conciliorum, quae Constantinopoli habita sunt, mentionem iniecisse L. Petit in supplementis ad Collectionem Conciliorum. Haec tamen concilia miserrimam sane segetem theologis praeseferunt, quamvis, ob eruditas praesertim ipsius Petit adnotationes, ad pleniorem graecae Ecclesiae scientiam historicam assequendam mirum in modum conferant. Adde, quod nonnisi improprie concilii nomen eis tribuitur. Propius ad veritatem accederet, qui ea appellitaret *Acta Patriarchatus Constantinopolitani*. Compertum est enim documenta, quae eis addicuntur, condidisse synodum illam patriarchalem, quae ut graecae Ecclesiae statuta decernunt, suam operam Patriarchae *oecumenico* praestat in negotiis Patriarcatus gerendis. Haec synodus perennis est, quo fit ut dicatur *ἐνδημοῦσα, διαρκής*; paucos tantum complectitur episcopos, qui degunt in urbe patriarchali, ac si fas est ita loqui, speciem praesefert Congregationum romanarum, pro varia Catholicae Ecclesiae administratione institutarum. Documenta igitur, quae ab eis promulgata feruntur, ex concilio non profluunt legitime congregato, sed ex tribunali quodam perenni, *ex throno constantinopolitano*, ut verbis utar quae usurpant scriptores iuris canonici orthodoxi. *Θρόνος* enim constant., ait Ostroumov, significat Patriarcham et synodum patriarchalem, qui viribus collatis ad gubernacula sedent magnae Ecclesiae (2). Conficitur inde, documenta, quae ab eo promanarunt, atque in praesentiarum promanant, improprie tantum in actis Conciliorum inseri, non secus atque improprie hisce actis adscriberentur decisiones Congregationum romanarum (3).

Sententiam nostram confirmant scriptores orthodoxi, qui iurisdictionem vel auctoritatem declarativam legum ecclesiasticarum praeexistentium synodo patriarchali tantum vindicant, ac pro rebus gravioris momenti, synodi particularis vel generalis convocationem necessariam esse statuunt (4).

(1) Concilia graeca saeculo XVII adversus protestantes habita silentio praeterivimus, propterea quod de eis supra fusiori calamo edisseruimus.

(2) Op. cit., p. 459.

(3) De hac synodo patriarchali, eiusque origine, constitutione ac vicibus fuse agunt Zhishman, *Die Synoden und Episcopal-Aemter in der morgenländischen Kirche*, Vindobonae, 1867; Kurganov, Отношенія между церковною властію и гражданскою въ византійской имперіи (*Relationes inter potestatem ecclesiasticam ac potestatem civilem in imperio byzantino*), Kasan, 1880, pp. 125-145; Barsov, op. cit., pp. 235-295; Silbernagl, *Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämmtlicher Kirchen des Orients*, Ratisbonae, 1904, pp. 10-12.

(4) *Ἡ πατριαρχικὴ σύνοδος ἀποφασίζει μόνον ἐπὶ τῇ βάσει τῆς ἀναγνωρισμένης καὶ ἐν ἰσχύει οὔσης νομοθεσίας, αἱ δὲ ἀποφάσεις αὐτῆς δέον νὰ μὴ ἀνα-*

ζ') Ex hucusque adnotatis, pronum erit cuique cordato viro inferre, concilia, quae vere hoc nomine gaudeant, in orientalibus Ecclesiis iamdudum intercidisse. Haud quidem studio partium addictus, sed argumentis ex historia depromptis nixus, hancce mihi persuasionem in animum induxi, eamque firmant scriptorum orthodoxorum testimonia qui plus vice simplice sine involucris ac liberius locuti, nostrae suffragatae sunt sententiae. Scriptores vero qui nobis obnituntur, vel verba tantum funditant, vel pondus argumentorum, quae nobis comparat historia, unius aestimant assis.

Audiatur verbigratia Ostroumov, cui nihil arridet, nisi ex fontibus iuris canonici byzantini, quod in id praesertim incubuit, ut regimen Ecclesiae civili potestati committeret, suum ortum acceperit. Ore rotundo crepat ipse, concilia particularia in Ecclesiis orthodoxis nulla aetate defuisse, idque sibi proposuisse ut conciliorum oecumenicorum leges sartas tectasque servarent, fideique integrae doctrinas ac placita in unum veluti corpus, quod *orhtodoxiae* nomine insignitum est, coire iuberet. Immo haec concilia, praeterquam quod omne posuere studium in commendandis tradendisque posteritati sine ulla alteratione veritatibus dogmaticis, antiquioris Ecclesiae constitutionem incolumem tutata sunt, atque indesinenter ea reiecerunt novi iuris principia, quae *papismum* in romanam invexerunt Ecclesiam. Ad numerum vero Ecclesiarum, quae in praesens non secus atque a remota aetate *animatum* illud *corpus* efficiunt, in quo perpetuo efflorescit *τῆς ὀρθοδοξίας* vita, haud sane prudenti consilio, adscribit auctor noster Ecclesiam exarchatus bulgarici, quam synodus *τοπικὴ* Constantinopolitana (1872), a vera Christi Ecclesia perquam alienam, immo abscissam declaravit (1). Cuinam, quaeso, fides adhibenda, synodone generali, ut Graeci hancce synodum appellitant, an viro privato, qui provinciam iuris canonici explorat?...

τρέπωσι κανόνας οἰκουμενικῶν συνόδων, ἀλλὰ μόνον νὰ ἑρμηνεύωσι τὴν ἀσάφειαν τῶν κειμένων νόμων καὶ διατάξεων, ἀλλ' οὔτε καὶ νὰ ὁρίζωσι δόγματα πίστεως, διότι τοῦτο ἀνήκει εἰς τὴν καθ' ὅλην Ἐκκλησίαν. — Sakellaropulos, p. 224. De recentioribus synodis graecae Ecclesiae disserit Berdnikov, Основныя начала церковнаго права православной церкви (*Principia fundamentalia iuris canonici Ecclesiae orthodoxae*), Kasan, 1902, pp. 129-141. De synodali regimine in Ecclesia constantinopolitana permulta tradit: N. Zaozersky, О церковной власти: осново-положенія церковной власти въ различныхъ формахъ устройства церкви по ученію православно-каноническаго права (*De potestate ecclesiastica: fundamenta, character, rationes agendi potestatis ecclesiasticae in variis formis constitutionis Ecclesiae, iuxta doctrinam iuris canonici orthodoxi*), Serghievo, 1894, pp. 253-313; 376-392.

(1) Papadopulos, p. 664; Ostroumov, p. 670.

Synodi, quas hactenus recensuimus, quaeque potiores nobis feruntur in Ecclesiis orthodoxis, hisce peculiaribus notis instructae nobis ante oculos obversantur: 1) Ex eis nulla, strictius si loquar, *synodi generalis* epitheton meret. Quotquot enim sunt, si attentius eas spectas, episcopos unius tantum regionis in unum coactum comitium exhibent vel graecos, aut russos, aut romenos etc. Synodus, quae vere dici queat legitima repraesentatio omnium Ecclesiarum orthodoxarum, collatis consiliis de rebus fidei leges condentium, me penitus latet, quamvis non lateat semel atque iterum vel graecam vel russicam Ecclesiam pro virili parte studuisse id convocare, ad lites dirimendas gravissimas, quae adhuc sub iudice pendent. Ceterum animadvertas hic velim, scriptores orthodoxos in eam descendisse sententiam, ut statuerent hancce synodum generalem convocari amplius non posse (1). Constat igitur *principium* illud *synodale*, abhinc pluribus saeculis, propemodum, vel plane potius periisse. 2) Synodi particulares, quae reapse tales haberi possint, paucissimae tantum enumerantur, ac paucissimos tantum congregarunt episcopos. Quae autem clarissimam sibi famam compararunt in historia theologiae orthodoxae, ut synodi iassiensis atque hierosolymitana, nihil fere praeseferunt, quod synodales formas meminerit. Prior enim, quinque tantum viros coegit; altera vero, conventus potius fuit praelatorum clericorumque graecorum, qui nullis praehabitis sessionibus ad lutheranos errores discutiendos, documentis a Dositheo conflatis suum nomen apposuere. 3) Frequentissimae illae synodi, quarum injicitur mentio, actaque evulgantur in supplementis ad *Collectionem Conciliorum, abusive* synodorum particularium in album digeruntur. Pro comperto enim habetur eas nihil aliud praestare, nisi coetus *perennes* episcoporum, quibus demandatur munus Patriarcham adiuvandi in gubernanda *magna*, quam vocant, Ecclesia. *Synodus* enim *patriarchalis*, quae acta illa edidit, ut iam diximus, perennis est institutio (*διαρκής*), quapropter synodus particularis improprie vocatur, seseque gerit ad instar romanarum Congregationum. Scriptores orthodoxi nostrae sententiae interdum suffragantur. Verbigratia, Ivantzov-Platonov edocuit synodum petropolitanam potius denominandam esse *collegium clericorum* (коллегіумъ духовныхъ лицъ), eo magis, quod non detur suprema quaedam auctoritas ecclesiastica, quae eam convocet (2). Synodus constantinopolitana ex

(1) Demetrescu, *Convocarea unuĭ sinod ecumenic, Biserica ortodoxă română*, t. XXIII, 1899, pp. 72-80.

(2) Lapin. Судьба соборнаго принципа на Востокѣ въ XVIII и XIX вв. (*Vices principii synodalis in Oriente, vertentibus saeculis XVII et XVIII*), Прав. Собесѣдникъ, 1908, t. II, p. 203.

duodecim constituitur episcopis, qui, praeside Patriarcha oecumenico, ad negotia ecclesiastica patriarchatus gerenda saepe saepius in anno congregantur. Conficitur inde, hasce perennes institutiones, quae ad formam tribunalium ecclesiasticorum proxime accedunt, vera concilia particularia non praebere, eadem sane ratione, qua congregationes romanae conciliorum particularium nomen naturamque non induunt. Nec praetermittendum puto, hasce congregationes, quae lectissimos viros scientia et eruditione praestantes suum in coetum adsciscunt, maiorem quidem auctoritatem suis decisionibus ac sententiis apud omnes sibi comparare, quam sumptuosas tantum nomine synodos Ecclesiarum orthodoxarum, quorum sententiae haud raro temporum adiunctis indulgent.

4. Paucissimae synodi particulares, quae in Ecclesiis orthodoxis habitae sunt, de gravissimis fidei controversiis suo examini subiectis, contradictorias interdum protulere sententias. Supra iam diximus synodum mosquensem anno 1620 habitam baptismum latinorum invalidum statuisse; validum e contrario synodos mosquenses annis 1656, et 1666-1667 habitas: synodum mosquensem *centum capitulorum* quosdam ritus liturgicos, perinde ac si essent necessaria fidei elementa, pernetuo servandos declarasse; synodum vero mosquensem annis 1666-1667 congregatam, conditores centum capitulorum, ob nimiam animi simplicitatem credulitatemque irrisisse, legesque ab eis prolatas oblitterasse. Quaenam ex hisce synodis veritatem locuta est, consonamque fidei sententiam proposuit?... Si ponatur concilia particularia supremum exercere magisterium in Ecclesiis orthodoxis, nonne repugnat hocce magisterium contradictorias pro tempore ferre sententias?... Nonne ex eis dabitur ansa fidelibus sibi persuadendi sententiis conciliorum illorum, quae contradictionibus implicantur, plenam fidem adhibendam non esse?... 5) Concilia particularia unius Ecclesiae orthodoxae interdum in controversiis fidei sententias protulere, quibus ceterae Ecclesiae suum renuerunt suffragium. Memoravimus iam synodum constantinopolitanam, quae Bulgaros schismaticos declaravit. Haec tamen sententia *magnae Ecclesiae*, ceteris Ecclesiis slavicis autocephalis, quarum vestigia persecuti sunt Bulgari, visa est per iniuriam lata, quapropter ei non obtemperarunt. Ad normam autem iuris canonici orthodoxi, Ecclesia russica, quae potissima censetur pars *animati* illius *corporis τῆς ὀρθοδοξίας*, leges synodi particularis alterius Ecclesiae orthodoxae nequit flocci facere. At compertum est, russicam Ecclesiam Bulgaros schismaticos suam in communionem recipere, hoc est, anathematis in Bulgaros illatis percelli. Hoc fatetur scriptor qui-

dam orthodoxus, N. Durnovo, ni fallor (1). Ac tamen, graeca Ecclesia illud crimen russicae non imputat Ecclesiae?... Nonne mirum est supremum conciliorum particularium magisterium in Ecclesiis orthodoxis circa res ad fidem spectantes (ad fidem enim spectat pro comperto habere, utrum Ecclesia quaedam particularis schismatica sit necne), sententias emittere, quibus infima tantum pars gregis orthodoxi suffragetur?...

6. Concilia particularia Ecclesiarum orthodoxarum sententias interdum ferunt, quae intra limites propriae iurisdictionis, vel ad effectum non perducuntur, vel contradictoriis interpretationibus ansam praebent. Haec quae asserimus Inculentissimo confirmat testimonio controversia de latinis in graeca Ecclesia iterum baptizandis. Anno 1756 decretum (ὅρος) graecae Ecclesiae, cui subscripsere Cyrillus V Constant., Matthaeus Alexandrinus, et Parthenius Hierosolymitanus, declarabat latinos, perinde ac si baptizati non essent, baptismate iterum abluendos: *τοὺς δ' ἐξ αὐτῶν ἀβαπτίστως βαπτιζομένους ὡς ἀβαπτίστους ἀποδεχόμεθα* (2). Synodus Const. anno 1875 in litteris ad synodum atheniensem fatebatur hocce decretum editum fuisse, quia visum est *ἐπάναγκες εἰς τὰ συμφέροντα τῆς ὀρθοδοξίας* (3), nimirum haud quidem veritas fidei, sed utilitas Ecclesiae orthodoxae, ut norma usurpatur criteriumque in controversiis ad fidem spectantibus dirimendis! Anno 1878 sanxit eadem synodus, iuxta leges orthodoxas, baptismum conferendum esse latinis, qui, suis abiectis erroribus, in sinum Ecclesiarum orthodoxarum recipi efflagitant (4). Insequenti vero anno (1879), oblita se declarasse chrismatis sacri unctionem satis non esse ad Latinos in coetum orthodoxorum adsciscendos, sed baptismum requiri, decrevit, latinos quidem baptizandos esse, hocce tamen non

(1) *Ἡ ῥωσσικὴ Ἐκκλησία, ὡς ἀποτελοῦσα μέλος ἀναπόσπαστον τῆς καθόλου ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, δὲν δικαιοῦται νὰ ἀθετήσῃ τὸ κῦρος τῶν ἀποφάσεων τῆς ἐν Κ. μεγάλης τοπικῆς συνόδου, καὶ νὰ μὴ λάβῃ ταύτας ὑπ' ὄψει, διότι ἄλλως ἡ διοικοῦσα σύνοδος θὰ ἐλογίζετο συνένοχος ἐν τῷ βουλγαρικῷ σχίσματι, καὶ κατὰ συνέπειαν θὰ ἐπεξετείνετο καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡ ληφθεῖσα συνοδικὴ ἀπόφασις. — Ἐπιστολὴ ῥώσσου εὐσεβοῦς ὀρθοδόξου πρὸς τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην περὶ τῆς ἐν Ῥωσσίᾳ τελουμένης κατὰ τῶν ὀρθοδόξων τῆς ἀνατολῆς Ἐκκλησιῶν συστηματικῆς ἐργασίας*, Athenis, 1899, p. 8.

(2) Gedeon, *Κανονικαὶ διατάξεις*, t. I, p. 254.

(3) Theotokas, *Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου*, Constantinopoli, 1897, p. 369.

(4) *Ὀφείλει ἵνα παραδέχηται τούς τε δυτικοὺς καὶ τοὺς ἀρμενίους εἰς τὴν ὀρθοδοξίαν διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, κατὰ τὰς διατάξεις τῆς ἡμετέρας ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, καὶ οὐχὶ διὰ μόνης τῆς χρίσεως τοῦ ἁγίου μύρου.* Ib., p. 370.

impedire, quominus sola unctione chrismatis in Ecclesiam orthodoxam recipiantur (1). Conficitur inde, magisterium synodale *magnae Ecclesiae*, alias latinos aspicere tanquam ethnicos non baptizatos, alias, tanquam viros christianae militiae addictos, ac fere abhinc duobus saeculis, quamvis tot synodos coegerit, nihil certi, ad hanc quod attinet controversiam, statuisse. Haec aperta contradictio in re maximi momenti adeo graves consecutiones effectusque habet, cum practice usurpatur, nimirum clerum graecum orthodoxum scienter sacram eucharistiam *ethnicis* latinis, quos russica Ecclesia sine baptismo suum in sinum recepit, distribuere, ut presbyter Anglicanus Palmer, postquam multos annos de fide orthodoxa amplectenda serio cogitavit, eam cum perspectam habuisset neque unquam solvere potuisset, catholicae Ecclesiae nomen dederit (2).

7. Haec concilia provinciam fidei vix ac ne vix explorarunt. Scriptores ipsi orthodoxi fatentur vel adversus grassantes errores, veteres synodos russicae Ecclesiae, quaestiones dogmaticas vix ac ne vix delibasse (3), potius de personis quam de rebus egisse, ac veras definitiones in provincia fidei non condidisse. 8) Denique convenit inter omnes, haud raro synodos illas ad nutum civilis regiminis sese finxisse. Ne videar partium studio occupatus haec temere insinuasse, quod vitium scriptoribus catholicis continenter increpitant theologi orthodoxi, praeter testimonium Kapterevi superius allatum, verba recitabimus clarissimi viri S. Lapini, quem in hoc capite doctrinae suspectum nemo sane declarabit. De Synodo petropolitana haec habet laudatus scriptor: « Synodus ex civili regimine iuridice dependet, cuius personam gerit Tzarus, eiusque delegatus supremus moderator synodi. Hoc autem absonum est canonicis institutis. Etenim, iuxta canones doctrinamque fidei christianae, Ecclesia est peculiaris institutio, a civili regimine oppido distinctam. Consequitur inde pastoribus Ecclesiae, non autem civili suum regimini ius vindicari Ecclesiam rite gubernandi: pastores autem Ecclesiae officium exercere, non equidem ad arbitrium potestatis civilis, sed

(1) *Καίτοι ἡ Ἐκκλησία Κωνστ. γενικώτερον σκεπτομένη πάντοτε προετίμα καὶ προτιμᾷ τὴν βάπτισιν ἀντὶ τῆς χρίσεως μόνης, ἐπιτρέπεται* (!..) *κατὰ συγκατάβασιν τῷ ἐρωτῶντι ἀρχιμανδρίτῃ ἵνα ἀποδεχθῇ τοὺς τρεῖς διαμαρτυρομένους καὶ καθολικούς, τοὺς προσερχομένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ διὰ τῆς χρίσεως τοῦ ἁγίου μύρου.* — Ib., p. 370.

(2) Birkbeck, *Russia and the english Church during the last fifty years*, Londini, 1895, pp. 109-110; 170; Fortunatov, Воспоминаніе о В. Пальмерѣ, Духовная Бесѣда, 1867, t. I, pp. 206-216; 223-242; 257-264; Id., Еще слово о Пальмерѣ, Ib., 1867, t. II, pp. 297-305; 333-328; 347-353; 384-389; 422-428.

(3) Собственно догматическихъ вопросовъ древнерусскіе церковные соборы касались слишкомъ рѣдко. — Kedrov, loc. cit., p. 159.

auctoritate divina, cuius nomine consecratio episcopalis perficitur. Haec dependentia synodi a civili potestate permulta iam incommoda nostra genuit Ecclesiae (1). Concilia igitur proprie dicta in codice legum russicarum penitus ignorantur, quo fit ut russica careat Ecclesia medio efficacissimo, sive ad sua gerenda negotia, sive ad suum moralem influxum explicandum (2). Hoc idem de veteribus conciliis russicis iudicium ferendum. Etenim, supra diximus tzaros suum in ea dominatum exercuisse. Tzari ea convocarunt, in eis interfuerunt, quaestiones agitarunt, suam sententiam proposuerunt, leges ecclesiasticas suo nomine promulgarunt (3). Hancce autem rationem agendi neminem latet eos deprompsisse ex iure canonico byzantino, quod tot celsas praerogativas vindicavit imperatoribus, dum romani Pontifices pro libertate Ecclesiae tuenda, diuturnum bellum in Occidente gesserunt (4). Illa igitur pessima vitia quae in conciliis russicae Ecclesiae occurrunt, ex iure canonico byzantino, tanquam ex primo fonte, suum ortum stirpemque repetunt. Nil mirum igitur, si haec eadem apud Graecos recentiores deprehendas, si iura Ecclesiae a laicis ita usurpentur, ut ad eorum fere nutum tota componatur graeca Ecclesia, supremi antistites constant. eligantur depellanturque, atque in rebus gravissimis eorum sententiis indulgeatur. Vel graeci scriptores, verbigratia Gedeon, fatentur nefarium illud decretum Cyrilli V, quod latinorum baptismum invalidum praedicavit, in-

(1) Синодъ находится въ юридической зависимости отъ правительства въ лицѣ государя и его уполномоченнаго. Это не соотвствуетъ каноническимъ требованіямъ. По канонамъ и церковному ученію, церковь есть особый ограннзмъ, отличный отъ организма государственнаго, и управляютъ ею пастыри-епископи, не по государственному уполномоченію, а по уполномоченію отъ самого Христа, даваемому епископу въ актѣ его хиротоніи. Зависимость синода отъ правительства заключаетъ въ себѣ много неблагопріятнаго для церкви. — Loc. cit., p. 201.

(2) Русскіе законы касательно церкви не знаютъ соборовъ. II русская церковь въ своемъ управленіи лишена этой могучей церковно-нориднческой и нравственной силы. — Ib., p. 204.

(3) Вмѣстѣ съ патріархомъ, а иногда и одинъ, царь созываетъ церковные соборы, имѣетъ почетное предсѣдательство на соборахъ, дхълаетъ соборамъ предложенія о разныхъ церковныѣ нуждахъ. Онъ отъ своего имени и имени патріарха издаетъ церковные законы и указы, а иногда безъ предварительнаго совѣщанія съ патріархомъ и соборомъ. — Прав. Собесѣдникъ, 1908, t. I, p. 584.

(4) « Dans l'Église byzantine les membres du concile étaient considérés comme investis d'une magistrature religieuse, qui les faisait dépendants de l'empereur ; l'empereur jugeait de l'opportunité de leur convocation, fixait l'époque et le lieu de leur reunion, présidait leurs séances, délimitait le champs de discussions engagées, enfin se réservait de ratifier, et quelquefois de casser pour vices de forme leurs sentences ». — Gasquet, *De l'autorité impériale en matière religieuse à Byzance*, pp. 162-163.

firmae plebeculae clamoribus ac seditionibus obtentum fuisse (1). Hic *laicalis* in graeca concilia influxus altiores adhuc egit radices, cum post dimidium saeculi XIX *κανονισμοὶ* generales graecae Ecclesiae perpoliti sunt, nimirum ab eis tanta in negotia ecclesiastica Patriarchatus gerenda tributa est laicis auctoritas, ut propemodum hisce graeci Patriarchae mancipentur (2).

Ex hucusque disceptatis, sententia nostra de absentia magisterii ecclesiastici authentici in Ecclesiis orthodoxis, luculenter ostenditur. Magisterium enim authenticum in rebus fidei, magisterium scilicet, cui omnes teneantur suffragari eique plenissimam fidem adhibere, illud non est quod repugnantia docet in controversiis fidei; quod aliud theorice, aliud practicae proponit; quod ad arbitrium potestatis civilis sese gerit in suis muneribus obeundis. Atqui ex superius allatis satis abunde patet hisce congenitis vitiis infici magisterium ecclesiarum orthodoxarum. Ergo illud magisterium authenticum non est.

Quidquid autem ad sententiam nostram evertendam adducetur, argumenta quae ex historia Ecclesiarum orthodoxarum deprompsimus, enervare non poterit. Tot iam annos vires ingenii mei, quantulaecumque sint, in studium accuratum vitae doctrinaeque harum Ecclesiarum impendi; anteceptis opinionibus nunquam indulsi; veneratione, candide fateor, prosequutus sum, ac prosequor hasce Ecclesias, quae licet a catholicis castris, proh dolor! defecere, ingentes adhuc vereris fidei christianae thesauros suo in pectore recondunt; veritatis tantum me tentavit amor ut perpenderem aequa lance doctrinam theologiae orthodoxae; ex purissimis fontibus orthodoxis, ut nostri operis adnotatiunculae satis produnt, meis dubiis responsiones hausi. Ergo, si acerbior cuipiam videbitur mea sententia, quae magisterium doctrinale in Ecclesiis orthodoxis pernegat adesse, obtestor firmissimam animi persuasionem me exprompsisse.

Illud autem, quod ad hanc praesertim me adduxit sententiam, controversia gravissima fuit de validitate baptismi latini in Ecclesiis orthodoxis. Theorice enim ac practice graeca Ecclesia, aliud omnino quam Russica, praedicat agitque. Hocce dissidium minutum non est abhinc duobus saeculis, quanquam, ut aiunt, *principium synodale*, apud orthodoxos perpetuo virescat. Cur igitur hoc principium in con-

(1) *Ἡ κανονικὴ τοῦ Κυρίλλου διάταξις περὶ ἀναβαπτισμοῦ ἐγένετο βίᾳ καὶ συνεπείᾳ στάσεως τοῦ σύφακος ὄχλου.* — Gedeon, *Πατρ. Πίνακες*, p. 645.

(2) Michael (Semenov), Собраніе церковныхъ уставовъ конст. патріархата въ русскомъ переводѣ съ исторіей ихъ происхожденія (*Collectio statutorum ecclesiasticorum patrtarcatus const. in russicam linguam translatorum, quibus adiungitur eorum originis historia*), Kasan, 1902, pp. 16-33.

cilia non effloruit, quae suis decretis dubia nostra excuterent, ac veritatem clarissima ponerent in luce?... Memini simplicioris animi hieromonachum graecum, quocum multa verba de capitibus inter latinos et graecos controversis conserui, cum instanter ab eo flagitassem, persuasum ne sibi foret me christianum esse baptizatum, ipseque noluisset doctrinam suae Ecclesiae damnare, tacite ad breve tempus sese gessisse, ac tandem cunctanter respondisse: *Ὁ θεὸς ξεύρει* (Deus scit). Num tenebuntur singuli fideles Deum ipsum immediate rogare, ut nebulas, quibus offunduntur, dispellat, eosque singillatim veritates doceat, quas tradendi munus commisit Ecclesiae?... Fucum igitur faciunt veritati scriptores orthodoxi qui praedicant, post schisma peractum, Ecclesias orthodoxas suum magisterium in controversiis fidei dirimendis per concilia particularia indesinenter absolvere. In aprico enim est, huiusmodi magisterium adeo lacunosum sese praebere, ut sententiis ab eo prolatis haud raro falsum subjiciatur, ac repugnantia inter se ab eo suis in legibus statuantur.

14. Ad sententiam theologorum orthodoxorum, ex litteris dogmaticis patriarcharum orientalium, atque inprimis Ecclesiae constantinopolitanae, plenior hauritur fidei orthodoxae scientia, quo fit ut haec documenta merito a quibusdam in album symbolicorum Ecclesiarum orthodoxarum librorum recenseantur. De hisce litteris nobis inquirendum est. *α′*) *Quaenam ad nostram provinciam praesertim spectent.* *β′*) *Quaenam auctoritas doctrinalis eis vindicetur oporteat.* *γ′*) *Quisnam sit earum valor symbolicus.*

Heic praemonendum ducimus, inter litteras patriarchales a nobis afferri complura documenta, quae vocantur etiam synodalia, quaeque in actis conciliorum L. Petit inseruit. Haec tamen documenta usitatius scriptores orthodoxi litteras patriarchales appellitant: atque id iure meritoque. Patriarchae enim orientales suo nomine in lucem eas ediderunt, nullo vero concilio coacto, quamquam synodi patriarchalis metropolitae eis subscripsere.

α′ Iuvat inprimis litteras patriarchales meminisse, quae clarissimam apud orthodoxos famam sibi compararunt: *α*) *Ἀποκρίσεις τῶν ἀνατολικῶν ὀρθοδόξων πρὸς τὰς ἀπὸ Βρεττανίας ἀποσταλείσας ὑπὲρ ἑνώσεως καὶ ὁμονοίας μετὰ τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας προθέσεις* [1]. Continet hocce praeclarum documentum responsa, quae Hieremias III Const. (1716-1726), Samuel Alexandrinus et Chrysanthus Hierosolymitanus (1707-1731) ad propositiones dederunt theologorum anglicanorum, de ineunda Graecos inter atque Anglicanos unione ecclesiastica.

[1] Petit-Mansi, t. XXXVII, coll. 395-454.

Hisce responsis conantur laudati Patriarchae demonstrare fidem orthodoxam in cunctis cum doctrinae Iesu Christi plane convenire, ac ne transversum quidem unguem ab ea discedere, quippe quae tota fuerit e penu Sacrarum Scripturarum hausta (1). Sequitur perbrevis delineatio historica moliminum Protestantium, qui semel atque iterum Ecclesias orthodoxas suam in haeresim pertrahere studuerunt. Cyrillum Lucarim denegatur Confessionem illam conscripsisse, quam ei calviniani addixere. De iuribus patriarcharum orientalium deinceps instituitur sermo, ac propositiones anglicanorum de ineunda unione, sub examen revocantur. Tenent Patriarchae, concedendum non esse Anglicanis, ut suam sibi liturgiam usurpent, si foedus velint cum Ecclesiis orthodoxis pangere. Insuper, quodlibet additamentum ex eorum Symbolo declarant expungendum. Iesus Christus statuitur caput Ecclesiae, cuius vices nemo gerit in terris. Transsubstantiatio eucharistica strenue vindicatur; purgatorius ignis extinguitur; traditiones veterum conciliorum efferuntur, quorum sententias, divino Spiritu afflante pervulgatas, nemini fas est dissolvere, aut immutare, aut reprehendere, vel alia pro eis constituere (2). Concilium florentinum maledictis oneratur, ut Caipha dignum synedrium, ac praedatorum congregatio violenta (3). Cultus Beatissimae Virginis, quam fideles venerantur ut Dei genitricem, vehementer defenditur contra pseudo-reformatorum assultus. Cultus sanctorum sacrarumque imaginum asseritur planissime convenire cum traditione, ab avitis Ecclesiae aetatibus recepta (4).

b) Litterae patriarchales ad refellendos latinos errores ob conversos ad fidem catholicam in Syria orthodoxos, anno 1722 in lucem editae subscribentibus Hieremia III, Const., Athanasio Antiocheno,

(1) *Σύμφωνός ἐστιν ἀκριβῶς τῇ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διδασκαλίᾳ καὶ κατ' οὐδὲν ὅλως ἐκείνης παρηλλαγμένη, ἀλλ' ἐξ αὐτῶν τῶν θείων Γραφῶν ἀποδεφυμένη.* — Ib., col. 397.

(2) *Οὐ γὰρ ἀνεχόμεθα τὰ καλῶς καὶ δικαίως καὶ ὡς ἔδοξε τῷ ἁγίῳ Πνεύματι διορισθέντα καὶ νομοθετηθέντα κεἰ κανονισθέντα ὑπὸ πνευματοφόρων καὶ ἁγίων ἀνδρῶν συνοδικῶς καὶ συμψήφως ἢ ἀθετῆσαι, ἢ ἀλλοιῶσαι, ἢ ἀποβαλέσθαι, καὶ ἕτερα ἀντινομοθετῆσαι.* — Ib., p. 433.

(3) P. 435.

(4) Obraztzov, О попыткахъ къ соединенію англійской епископальной церкви съ православною (*De conatibus ad procurandam unionem Ecclesiae episcopalis anglicanae cum Ecclesia orthodoxa*), Прав. Обозрѣніе, 1866, t. XIX, pp. 41-70; 169-201; 244-270; Kodratov, Очеркъ исторіи восточной церкви со времени взятія Конст. Шурками до настоящаго времени (*Specimen historiae Ecclesiae orientalis a capta per Turcas urbe constantinopolitana usque ad praesens tempus*), Странникъ, 1878, t. IV, pp. 168-172.

Chrysantho Hieros., ac septem metropolitis (1). Hasce litteras vulgarunt praecitati patriarchae, ut Latinorum falsa atque exitialia dogmata ab imo subruerent (2). Disceptatur in eis de primatu atque infallibilitate Romanorum Pontificum, de processione Spiritus Sancti ac de additione Symbolo facta, de azymis, de igne purgatorio, de beatitudine sanctorum et poena damnatorum, usque ad communem resurrectionem differendam, de usu suffocatorum, de ieiunio die sabbati non observando, de confirmatione atque eucharistia statim post acceptum baptismum parvulis conferendis, de extrema unctione qua non tantum moribundi, sed etiam haud graviter aegrotantes communiri queunt. Stylo utuntur auctores huiusce epistolae satis in Latinos aculeato. Culpantur enim Latini, quod nullum Ecclesiae dogma, vel mysterium, vel traditiones praetermisissent, quin illud corrupissent vel adulterassent (3), ac permulta moliti essent praeter Evangelii doctrinam, Apostolorum canones, sacra concilia et Patres (4).

Hisce litteris adiungitur epistola Hieremiae III ad Antiochenos de respuendis Latinorum erroribus, rectaque orientalis Ecclesiae doctrina retinenda (5). Praeter recensitos paullo superius pseudo-novitates Latinorum, memorat etiam Hieremias III Latinos veteris Ecclesiae consuetudines circa ieiunia, abstinentiam, et quarta coniugia non amplius toleranda, audacter violasse. In eos autem qui fidem orthodoxam repudiarent, ad catholicorum castra confugientes, teterrima iaciuntur maledicta: « Giezi lepram et Iudae laqueum adipiscantur; scindatur tellus eosque absorbeat, veluti Datam et Abiron; bona eorum atque res funditus tollantur ac deleantur; pars eorum sit cum proditore Iuda, cumque Iudaeis Deo repugnantibus, qui Dominum crucifixerunt; ne unquam per totam vitam in ulla re proficiant, sintque rei ignis gehennae subiectique aeternae execrationi » (6). Litterae datae sunt anno 1724 (7).

(1) Petit-Mansi, t. XXXVII, coll. 127-208.

(2) Ib., col. 130.

(3) *Οἱ Λατῖνοι δέν ἄφησαν κανένα δόγμα καὶ μυστήριον καὶ παράδοσιν τῆς Ἐκκλησίας, ὁποῦ νὰ μὴν τὸ φθείρουν καὶ νὰ τὸ νοθεύσουν* ». Ib , p. 205.

(4) Ib., p. 203.

(5) Delicanis, *Πατριαρχικὰ ἔγγραφα*, t. III, pp. 166-171; Petit-Mansi, t. XXXVII, coll. 207-220.

(6) Ib., col. 217.

(7) Bazili, Сирія и Палестина подъ турецкимъ правительствомъ (*Syria et Palaestina sub iugo turcici regiminis*), Petropoli, 1875; Porphyrius (Uspensky), Востокъ христіанскій: Сирія (*Orbis christianus*: *Syria*), Kioviae, 1874, pp. 105-6; 127; Списокъ антіохійскихъ патріарховъ (*Elenchus antiochenorum patriarcharum*), Kioviae, 1876, pp. 14-15; Lebedev, op. cit., pp. 774-779.

c) Litterae quas ad episcopos iniuratos Angliae 1723 Hieremias III Const., Athanasius Alexandrinus, atque Chrysanthus hierosolymitanus miserunt, qui eis una cum novem metropolitis subscripsere. Praeter emendatam, potius mutilam versionem harum litterarum, quam comparavit Philaretus metropolita mosquensis, nova datur editio in commentario periodico Вѣра и Церковь inserta (1).

d) Anno 1727 composita est brevis illa fidei expositio, cuius mentionem supra iniecimus, de conciliis graecae Ecclesiae disserentes: *Ἔκθεσις σύντομος καὶ κεφαλαιώδης τῶν ἱερῶν τε καὶ δογμάτων τῆς καθολικῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας*. Typis eam primus evulgavit M. Gedeon, hocce titulo instructam: *Ἀνέκδοτος ἐγκύκλιος τοῦ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου Ἱερεμίου Γ'* 1723 *ἐξ ἀνεκδότου κώδικος τοῦ Κριτίου*, Constantinopoli, 1872, qui meminit synodum, cuius nomine haec prodiit expositio fidei, quintam esse inter eas, quae post fiorentinum concilium novitates latinas anathemate perculere (2). In codice, quo usus est Gedeon, praeter verba superius allata, titulus haec adhuc continet: *ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς εὐσεβοῦς καὶ ἀμωμήτου πίστεως τῶν χριστιανῶν, καθῶς ὁμολογεῖ καὶ φρονεῖ καὶ δοξάζει αὐτὴν ἡ ἀνατολικὴ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία, ἥντινα ὀφείλουσι πάντες οἱ ἁπανταχοῦ χριστιανοί, ὅσοι τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας εἰσὶ γνήσια τέκνα ἀποδέχεσθαι καὶ πιστεύειν καὶ ὁμολογεῖν ἀπαραλλάκτως, καθῶς ἐνταῦθα ἐκτίθεται* (3). Ad calcem epistolae subscriptiones habentur Paisii II Const. (*α'* 1726-1732), Sylvestri Antiocheni, Chrysanthi Hierosolymitani, et duodecim metropolitarum. Hasce praecedunt sequentia verba: *Ἐξεδόθη καὶ συνεγράφη τὸ παρὸν ἐν Κ. κοινῇ γνώμῃ καὶ συναινέσει καὶ ἐπικρίσει τῶν ὑπογεγραμμένων ἐνταῦτα ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν, ἱεροτάτων μητροπολιτῶν καὶ παντὸς τοῦ εὐαγοῦς κλήρου τῆς Κ.* (4).

In hac fidei expositione Patriarchae orientales decernunt dogmata omnino servanda, quae conciliis oecumenicis (excipitur concilium florentinum) Patrumque traditionibus consona deprehenduntur. Improbatur deinceps illud Filioque; sed vocabulum transsubstantiationis, utpote accuratissimum, perspicuum, luculentissimum, aptissimum ad mysterium eucharisticum significandum, in universa Ecclesia

(1) Anno 1907, IX, 9-10. *De historia huiusce versionis quaedam in* Церковный Вѣстникъ, 1909, coll. 877-878.

(2) Ib., p. 6.

(3) Ib., p. 6.

(4) Petit-Mansi, col. 907. Haec verba asserit L. Petit non exstare in editione Manuelis Gedeonis: reperiuntur tamen in prooemio quod suo opusculo laudatus praefixit scriptor, p. 7, ubi multa etiam de Hieremia III leguntur.

adhibendum recipiendumque statuitur (1). Exinde sermo instituitur de igne purgatorio, de statu beatitudinis, de natura luminis divini, quo in monte Thabor Iesus Christus offusus est, de Iesu Christo capite Ecclesiae, de *fallibilitate* Romanorum Pontificum, de Sacra Scriptura ad mentem Ecclesiae explananda, ac de infallibilitate Ecclesiae. Duo praesertim capita peculiarem mentionem sibi vindicant. Prius illud est, quod contra hodiernam graecae Ecclesiae doctrinam, docet indulgentias refugium maxime salutare fidelibus censendas, easque apud orthodoxos oblitteratas non esse, quamvis veritati repugnet asserere ad solum romanum Pontificem eas pertinere. Reprehensionem tantum merent Latini, propterea quod in eis largiendis ultra citroque limites recti progressi fuerint (2).

Alterum vero caput in speciem tantum affirmat indissolubilitatem matrimonii, iuxta illud, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; re quidem vera eam pernegat. Statuitur enim ex causis in sacris canonibus ac legibus civilibus byzantinis recensitis, divortium licere, ac virum, cuius uxor adultera deprehensa fuerit, iure potiri novas nuptias contrahendi (3).

e) Anno 1836 prolixam epistolam encyclicam adversus grassantes heterodoxos (protestantes) publici iuris fecit Gregorius VI Const. (1835-1840; 1867-1871) eique subscripserunt etiam Athanasius hierosolymitanus (1827-1845) ac 17 metropolitae (4). Graece inscribitur:

(1) *Τῆς μεταβολῆς τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου εἰς αὐτὸ τὸ δεσποτικὸν σῶμα καὶ αἷμα παραστατικὴν καὶ σημαντικὴν ὁμολογεῖν ὀφείλουσι καὶ ἀποδέχεσθαι, οἱ πιστοὶ τὴν λέξιν τῆς μετουσιώσεως, ἣν καὶ ἡ καθόλου τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία ὡς προφυέστατα παραστατικὴν τοῦ μυστηρίου τούτου κέχρηται καὶ ἀποδέχεται.* — Petit-Mansi, col. 899.

(2) *Τὴν ἐξουσίαν ὑπὲρ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, ἣν ἐγγράφως διδομένην τοῖς εὐσεβέσιν ἡ μὲν ἀνατολικὴ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία ὀνομάζει συγχωρωχάρτια, Λατῖνοι δὲ ταῦτα καλοῦσιν Ἰντουλγκέντζας, ὁμολογεῖ διδόσθαι μὲν παρὰ Χριστοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ καὶ τὴν αὐτῶν χρῆσιν τοῖς πιστοῖς σωτηριωτάτην εἶναι καταφυγήν· δίδοσθαι μέντοι τὰ τοιαῦτα συγχωρωχάρτια ἐν ὅλῃ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ, καὶ παρὰ τῶν τεσσάρων ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν, τοῦ Κωνστ., τοῦ Ἀλ., τοῦ Ἀντ., καὶ τοῦ Ἱερ. φειδομένως μέντοι καὶ μετὰ πνευματικῆς ἐπικρίσεως καὶ οἵσπερ δὴ καὶ ὅτε δεῖ, καθὼς ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία ἐν ταῖς τοιαύταις ὑποθέσεσιν ἀκριβῶς παρατηρεῖ, οὐχὶ δ' ὡς ἡ τῶν Λατίνων καὶ ἐν τούτοις προχωρεῖ ἄλογος ἐλευθεριότης καὶ κατάχρησις, ἐξ ἧς ὅσα κακὰ ἠκολούθησαν τῇ δυτικῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδένα λέληθε τῶν ἁπάντων. Τὸ δὲ λέγειν. Ἀποκεκληρωμένως ἔχει τὴν ἐξουσίαν τοῦ διδόναι ταῦτα μόνος Ῥώμης πάπας, ψευδός ἐστι προφανὲς καὶ τῆς τῶν Λατίνων ἀτόπου καινοτομίας.* — Petit-Mansi, t. XXXVII, col. 903.

(3) Ib., col. 905.

(4) Sokolov, Константинопольская Церковь, Petropoli, 1904, pp. 599-632; Id., Борьба Конст. Патріарха Григорія VI съ инославною пропагандою на Востокѣ (*Gregorius Const. eiusque certamina adversus praedicatores heterodoxiae*), Христіанское Чтеніе, 1909, pp. 908-931; 1148-79; 1313-41; 1433-51; 1636-72.

Ἐγκύκλιος ἐκκλησιαστικὴ καὶ συνοδικὴ ἐπιστολὴ παραινετικὴ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξους, εἰς ἀποφυγὴν τῶν ἐπιπολαζουσῶν ἑτεροδιδασκαλιῶν. Constantinopoli edita est anno 1836, eamque suis in praecitatis collectionibus inseruere Gedeon (1) et Petit (2). Russice in arctum contraxit Sokolov (3).

Invehitur Gregorius VI in Lutherum, Zwinglum, Calvinum et Socinum, quorum sectatores enixis viribus fundamenta Ecclesiae orthodoxae labefactare student. Omni contumelia inquinatur Lutherus, qui eousque progressus fuit audaciae, ut virginem Deo dicatam, humanis divinisque legibus per nefas proculcatis, uxorem sibi adiunxerit (4). Doctrina lutherana, si dogmata spectentur, de medio tollit fidem orthodoxam; si vero influxus in societatem civilem, pessumdat mores legesque pervertit. Humanis enim voluptatibus omnes effundit habenas, atque inutilia reddit certamina, quae nobis ineunda sunt, si rite christianas velimus virtutes colere (5).

Hoc idem iudicium fert Gregorius de ceteris, quos memoravimus, haeresium conditoribus. Permultis deinceps eos admonet, qui animarum curam gerunt, ut neque laboribus, neque vigilantiae parcant ad pravas doctrinas in regionibus orthodoxis convellendas. Consilium datur fidelibus, ut sese abstineant ab accipiendis, vel legendis lutheranorum libris, atque odio inprimis persequantur versiones illas Sacrarum Scripturarum, quas malo ausu tum lutheranizantes quidam Graeci, tum lutherani doctores plebeio stylo ac vernacula lingua typis mandaverant.

Hancce epistolam Iohannes Sokolov, verbosus laudator vel quisquiliarum, quae nomine Patriarcharum Const. in lucem eduntur, specimen historicum protestantismi vocat, aptissimum ad novitates haereticas explodendas, quas in Oriente protestantes disseminabant (6). Sedato corde, obiective, ut aiunt, falsa Lutheranorum placita dijudicat Patriarcha, ac theologicae doctrinae divitias congerit (7). Ut mea fert opinio, si falce vel socoloviana materiarum theologicarum segetem in litteris Gregorii VI cordatus quidam vir meteret, dubium non est, quin perustis avenis ac palea sua compleret horrea!

(1) *Κανονικαὶ διατάξεις*, t. II, pp. 248-280.

(2) Petit-Mansi, t. XL, Parisiis, 1909, pp. 245-264.

(3) Христ. Чтеніе, pp. 925-31; 1148-63.

(4) Gedeon, p. 252.

(5) *Ἡ διδασκαλία τοῦ Λουθήρου τὴν ἐλευθερίαν θρησκευτικῶς μὲν ἀνατρέπει τὸ πᾶν τῆς ὀρθοδοξίας, πολιτικῶς δὲ εἰσάγει τὴν διαφθορὰν τῶν ἠθῶν ... καὶ δὲν ἔχει ἄλλον σκοπὸν, παρὰ νὰ δώσῃ τὴν ἐλευθερίαν εἰς τὰ πάθη ... καὶ νὰ ἐμποδίσῃ ῥητῶς ὅλους τοὺς ἀγῶνας, τοὺς πρὸς κατόρθωσιν τῆς ἀρετῆς.* — Ib., p. 254.

(6) P. 1173.

(7) Ib., pp. 1175-78.

f) Ad annum 1838 refertur altera eiusdem Patriarchae epistola contra latinas novitates, cui subscripserunt etiam Athanasius Hierosolymitanus, atque undecim metropolitae. Typis evulgata est Constantinopoli, hocce titulo instructa: *Πατριαρχικὴ καὶ συνοδικὴ ἐγκύκλιος ἐπιστολὴ, διακηρυχθεῖσα παρὰ τοῦ παναγιωτάτου οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κ. κ. Γρηγορίου καὶ τῆς περὶ αὐτὸν ἱερᾶς συνόδου, κατὰ τῶν ἤδη ἀναφανεισῶν Λατινικῶν καινοτομιῶν, καί τις ἐπιστολὴ τοῦ ἀοιδίμου Εὐγενίου τοῦ Βουλγάρεως περὶ τῶν αὐτῶν.* Anno 1839. Typis recudendam Gedeon ([1]) et Petit ([2]) curarunt. Russice *περίληψιν* concinnavit Sokolov ([3]). Tot scatet suburranis probris, maledictisque ex trivio arreptis haec epistola hortatoria, ut potius eam diceres sillum in Latinos scrutis ramentisque contextum, quam monumentum theologicum. Vocantur enim Latini feroces lupi, corruptores, perniciosi (*λύκοι βαρεῖς, φθοροποιοί, καὶ ὀλέθριοι*), dolis exundantes absurdisque sophismatis. Fides catholica appellitatur *pappismus* (sic) (*παππισμός*), qui rabie incessabili concoquitur (*ἡ ἀκόρεστος λύσσα τοῦ παππισμοῦ*). Albis dentibus Romanum Pontificem deridet Gregorius, cui divinos honores catholici decernunt: *θεοποιούμενος Πάππας.* Quid amplius?... Ipsummet *catholici* epitheton detorquet immitis Patriarcha, ut pudore Latinos afficiat. Pro eo enim ut scribat *καθολικοί*, novum quidem atque insanum effingit vocabulum *κατόλικοι*, quod scribendum putat adsentator Sokolov *κατόλυκοι* (*κατο-λύκοι*: *apage-lupos*) ([4]). Novem recensentur blasphemiae Latinorum ac nefanda facinora, inter quae omnium anathematum telis confondiendus perniciosissimus error de usu suffocatorum et sanguinis in prandio et coena, de ieiunio die sabbati indicto, ac de coelibatu clericorum. Sokolovus petropolitanus in levidensi hoc, potius odii quam scientiae theologicae, fetu, nescio quot reconditos doctrinae thesauros detexit, quos ex ordine distribuit in sectiones *dogmaticas* (*de ieiuniis*?...), *historicam*, *paraeneticam*, *positivam*, *negativam*, cunctas peraptas sectiones ad mortiferam Latinorum luem (гибельная зараза) arcendam ([5]).

([1]) Op. cit., t. II, pp. 235-248.

([2]) T. XL, coll. 313-338.

([3]) Loc. cit., pp. 1317-28.

([4]) Apud Gedeonem legitur *κατολικοι*: ob *iotacismum* tamen hodiernae pronuntiationis graecae, hoc verbum idem sonat, cum profertur, ac verbum *κατόλυκοι*.

([5]) P. 1329. Ex quonam fonte verbosus scriptor russus hauserit catholicam Ecclesiam ad coniungendos sibi orthodoxos postulare tantum, ut memorent nomen Romanorum Pontificum in liturgia, eorumque infallibilitati fides adhibeatur, ceteris fidei capitibus neglectis, quae utramque scindunt Ecclesiam, candide fateor me penitus ignorare. Itidem mihi nunquam persuaderi poterit, serio, amoto ludo, eundem scriptorem declarasse Romanam Ecclesiam, *praeter latinam constitutionem interioris vitae Ecclesiae*, omnes huic absonas abhorrere. P. 1330.

g) Cum die 6 ianuarii 1848 Pius IX Pontifex Maximus litteras encyclicas edidisset *In suprema Petri Apostoli sede*, quae delatae fuerunt Constantinopolim ad Patriarcham Constantinopolitanum, mense maio, synodus patriarchalis, praeside Anthimo VI (1845-48; 1853-55; 1871-73) ad eas respondit satis prolixa epistola, quae graece inscribitur: *Ἀπάντησις τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας εἰς τὴν ἀρτίως πεμφθεῖσαν πρὸς τοὺς ἀνατολικοὺς ἐγκύκλιον ἐπιστολὴν τοῦ Μ. Πάπα τῆς Ῥώμης Πίου τοῦ ἐννάτου* (Constantinopoli, 1848). Russice haec epistola lucem aspexit Mosquae anno insequenti: Отвѣтъ православной восточной церкви на окружное посланіе папѣ римскаго Пія IX къ православнымъ на Востокѣ (1), et gallice anno 1850: *Lettre encyclique* de S. Sainteté le Pape Pie IX *aux chrétiens d'Orient, et encyclique responsive des Patriarches et des Synodes de l'Eglise d'Orient* (Parisiis). Graece recusa est Constantinopoli anno 1863 inscriptaque: *Ἐγκύκλιος τῆς μιᾶς ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας ἐπιτολὴ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξους· ἐκδίδεται νῦν τὸ δεύτερον μετὰ προσθήκης* (Haec additio continetur pp. 43-115). Graece et gallice eam inseruit L. Petit in Collectione Conciliorum (2).

Huic epistolae subscripserunt, praeter Anthimum VI, Hierotheus II Alex. (1847-56); Methodius Antiochenus (1823-50), Cyrillus II Hierosolymitanus (1845-1872), et 29 metropolitae graeci (3). Eam conscripsisse pro comperto habetur Constantium I († 1859), qui rexit ad breve tempus sedem constantinopolitanam (1830-34) (4).

Fidem catholicam Romanae Ecclesiae comparat Constantius cum haeresi ariana (!), quae totum olim pervaserat terrarum orbem, ac fideles quamplurimos suos in laqueos irretiverat: paulatim tamen diminuta est, ac denique penitus extabuit. Non dissimili sane ratione, *papismus*, qui nunc viret ac robur ostentat, dissolvetur audieturque vox magna de eo dicens: *Proiectus est!* (5).

Posteaquam romanae Ecclesiae mortualia concinuit graecus theologus, illud Filioque adoritur, quod quindecim argumentis putat fun-

(1) Прибавленія, 1848, t. VIII, pp. 35-65.

(2) T. XL, coll. 377-418.

(3) Sokolov, op. cit., pp. 632-651.

(4) Aristocles, *Κωνσταντίου τοῦ ἀπὸ Συναίου ἀοιδίμου Πατριάρχου Κωνστ. τοῦ Βυζαντίου Βιογραφία καὶ συγγραφαὶ αἱ ἐλάσσονες*, Constant., 1866, pp. 1-77. De eo scripsimus in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. III, col. 1520.

(5) *Ἦν τοτε ὁ ἀρειανισμός, ἔστι δὲ τὴν σήμερον καὶ ὁ Παπισμός. Ἀλλὰ καὶ οὗτος, ὥσπερ κἀκεῖνος ὁ ἤδη παντάπασιν ἐκλελοιπὸς, καίτοι ἀκμαῖος τὸ γε νῦν, οὐκ ἰσχύσει εἰς τέλος, ἀλλὰ διελεύσεται καὶ καταβληθήσεται, καὶ ἡ οὐράνιος μεγάλη φωνὴ ἠχήσει· Κατεβλήθη.* — P. 5 (ed. const. 1863).

ditus convulsisse. Deinceps in primatum romanum sua iacit tela, ac testimonium Irenaei de potiore principalitate romanae Ecclesiae spurium declarat, ac per fraudem iu eius opera invectum. Paragraphus XVII haec habet, quae recolenda mihi videntur: « Apud nos, neque Patriarchae, neque Synodi ullas novitates inducere potuere. Vindex enim statorque religionis ipsummet est corpus Ecclesiae, nimirum populus, qui semper in id incubuit, ut fidem a maioribus acceptam, custodiret immutatam atque integram » (1). Scurrilia in Latinos verba Constantium non pudet usurpare: catholicos enimo *οὐατικανοὺς* appellat.

Immitior adhuc appendix illa est, quae alterum ipsius epistolae graecam editionem subsequitur, quaeque, praemissa historia schismatis, primatum romanum iniuriis lacessit. Sub initium ipsius, anonymus scriptor dolet Romanam Ecclesiam, ob suam pietatem quondam perillustrem, defloruisse, ac permultis novitatibus adhaesisse, quae haeresi labefactantur. Divinam enim attingunt naturam, vel apertissimas continent blasphemias, aut mendacia, Sacrae Scripturae, Ecclesiae, apostolicisque constitutionibus repugnantia (2). Fides catholica definitur ab eo sentina omnium novitatum: *ἄθροισμα νεωτερισμῶν*.

Apud Graecos epistola Anthimi VI complures nacta est explanatores ac defensores (3). Concinne ac nervose pro suo more Constantium perstrinxit ad incitasque redegit Matthaeus Liberatore S. I. (4), cuius argumenta frustra conatus est evertere N. Moschatos (5).

(1) *Παρ' ἡμῖν οὔτε Πατριάρχαι, οὔτε σύνοδοι ἐδυνήθησάν ποτε εἰσαγαγεῖν νέα, διότι ὁ ὑπερασπιστὴς τῆς θρησκείας ἐστὶν αὐτὸ τὸ σῶμα τῆς Ἐκκλησίας, ἤτοι αὐτὸς ὁ λαός, ὅστις ἐθέλει τὸ θρήσκευμα αὐτοῦ αἰωνίως ἀμετάβλητον καὶ ὁμοειδὲς τῷ τῶν Πατέρων αὐτοῦ.* — P. 31. Meminisse iuvabit graecum popellum Patriarchas coegisse ad baptismum Latinorum invalidum declarandum.

(2) *Ἡ ῥωμαϊκὴ Ἐκκλησία, ἡ πάλαι περικλεὴς ἐπὶ εὐσεβείᾳ ὑπέπεσε καὶ ὑπόκειται ἤδη εἰς πολυειδεῖς νεωτερισμούς, ὧν οἱ μέν εἰσι καθαραὶ αἱρέσεις, οἱ δέ εἰσι προφανῶς βλασφημίαι εἴς τε τὴν ἱερὰν Γραφὴν καὶ εἰς τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν, οἱ δὲ τέλος οὐκ ἀδιάφοροι ὅτι πλαγίως ἢ ψευδίζουσιν ἢ ἀλλοιοῦσι τὰς ἀποστολικὰς διατάξεις.* — P. 43.

(3) Marcoranos, *Ἐπιστολιμαία ἀπάντησις εἰς τὴν πρὸς τοὺς ἀνατολικοὺς ἐπιστολὴν τοῦ Πάπα*, Const., 1848; *Ἀπάντησις πρὸς τὴν πρὸς τοὺς ἀνατολικοὺς ἐπιστολὴν τοῦ μακαριωτάτου Πίου Θ' ὑπό τινος κληρικοῦ ὀρθοδόξου*, Smyrnae, 1848; *Ἀπόκρισις εἰς τὴν ἐγκύκλιον τὴν ὁποίαν ὁ ἔννατος Πῖος Ῥώμης πρὸς τῶν ὀρθοδόξων τὰ τέκνα διεκοινοποίει κατὰ τὸν ἰανουάριον τῶν* 1848, Corcyrae, 1848.

(4) *Confutazione di Antimo, patriarca scismatico costantinopolitano*, Romae, 1854; graece: *Ἀνασκευὴ τῆς συνοδικῆς ἐγκυκλίου Ἀνθίμου τοῦ σχισματικοῦ Πατριάρχου Κωνστ., μετάφρασις ἐκ τοῦ ἰταλικοῦ*, Athenis, 1855. Exstat etiam gallice et germanice.

(5) *Ὁ Κουριαλιστὴς ἐν παλινῳδίᾳ ἤτοι ἀπάντησις εἰς τὸν κατὰ τῆς ἐγκυκλίου τοῦ Ἀνθίμου Πατριάρχου Κ., γράψαντα ματαιολόγον Ἰταλόν*, Athenis, 1859.

g) Epistola encyclica Anthimi VII (1895-1896) quae responsionem continet ad litteras encyclicas *Praeclara gratulationis* datas a Leone XIII die 20 iunii 1894. Graece inscribitur: *Ἐγκύκλιος πατριαρχικὴ καὶ συνοδικὴ ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἱερωτάτους καὶ θεοφιλεστάτους ἐν Χριστῷ ἀδελφοὺς μητροπολίτας καὶ ἐπισκόπους καὶ τὸν περὶ αὐτοὺς ἱερὸν καὶ εὐαγῆ κλῆρον καὶ ἅπαν τὸ εὐσεβὲς καὶ ὀρθόδοξον πλήρωμα τοῦ ἁγιωτάτου ἀποστολικοῦ καὶ πατριαρχικοῦ θρόνου Κωνστ.* (Constantinopoli, 1895). Complures exstant huiusce epistolae versiones, quas supervacaneum arbitror recensere. Russice inserta est in Церковныя Вѣдомости, 1894, pp. 1523-34

Neminem latet quot beneficia in orientales Ecclesias romanae sedi addictas, contulit immortalis quidem memoriae Leo XIII, qui labente iam ad occasum saeculo XIX, Catholicam Ecclesiam in orbe terrarum tam altius extulit, ut nihil supra. Dubium mihi non est, quin, tot inter praeclaros Petri successores, qui Orientem christianum vehementissime dilexerunt, primas teneat Leo XIII. Quidquid enim ad fovendam Ecclesiarum unionem conferre potuerit, lubentissime semper praestitit immortalis ille Pontifex, cuius encyclicas monumenta aere perenniora ad nomen ipsius posteris commendandum iure meritoque dixeris. Tanti viri gloriam scioli quidam in praesens labefactare aggressi sunt, effutientes nihil emolumenti ex conatibus ipsius ad comparandam unionem Ecclesiarum derivasse. Etiamsi vera esset haec improbatio, nemo inficias iverit Leonem XIII, ad orientales quod attinet Ecclesias munera Pastoris supremi, qui dispersum gregem in unum studet congregare ovile, sapienter obiisse. Dolendum quidem est sanctissimos haud raro conatus secundum exitum statim non habuisse: iniuria tamen diceretur nubes et inania prensasse, qui munus sibi demandatum feliciter persolverit, quamvis peroptatum sibi finem non attigerit (1).

(1) Cf. Tondini, *Ciò che il Papa Leone XIII ha già ottenuto per l'unione delle Chiese*, Romae, 1896; De Meester, *Leone XIII e la Chiesa greca*, Romae, 1894 (Exstat etiam graece). De vita Leonis XIII, quem maxima veneratione prosequuti sunt orthodoxi, praesertim Russi, haec juvat scripta memorare in Ecclesiis orthodoxis: Vozdvijensky, Пятилѣтіе пребыванія Льва XIII на папскомъ престолѣ (*Quintus iam annus ex quo Leo XIII Pontificatum gerit*), Православное Обозрѣніе, 1883, t. I, pp. 346-60; 524-39; Kyriakos, *Λέων ὁ ΙΓ' καὶ Ἰωακεὶμ ὁ Δ', Ἀντιπαπικά*, Athenis, 1893, pp. 87-96; Id., *Ἡ πεντηκονταετηρὶς τῆς ἱερωσύνης τοῦ Πάπα Λέοντος τοῦ ΙΓ'*, Ib., pp. 97-113; Golubtzov, Пятидесятилѣтіе епископства папы Льва XIII-го (*Quinquagesimus annus consecrationis episcopalis Leonis XIII*), Вог. Бѣстникъ, t. III, pp. 123-138; Vvedensky, Папа Левъ XIII по отзывамъ современниковъ (*Leo XIII prout ab ipsius aequalibus depingitur*), Ib., 1893, t. II, pp. 515-534; Sokolov, Папа Левъ XIII: очеркъ его жизни и дѣятельности (*Leo XIII Rom. Pontifex: specimen eius vitae rerumque ab eo ge-*

In sua epistola synodali, Anthimus VII Romanos Pontifices irridet, quorum animis nihil est potius quam omni ope contendere, ut crepantes temere atque inconsiderate unionem Ecclesiarum, orthodoxas Ecclesias ab avita maiorum fide abstrahant (1). Explanat deinceps media, quibus fieri potest ut pax in orbe christiano reflorescat, ac rite animadvertit, liturgicas consuetudines ritusque nullum ponere obicem peroptatae unioni Ecclesiarum. Tum, enumeratis pseudo-novitatibus Latinorum, Cyrillum et Methodium diras ab istis persecutiones tulisse, perperam narrat, populosque catholicos adprecatur, ut repudiatis suis pravis de fide sententiis, in sinum redeant Ecclesiae universalis, ac fidem profiteantur conciliorum oecumenicorum. Suum gregem denique monet, ut lupos ovinis pellibus obtectos strenue et constanter suis ab ovilibus arceant. Hancce epistolam, quae statim atque in lucem prodiit, scriptores orthodoxos ad *latinos errores* evertendos incitavit (2), facili negotio refellerunt, atque omni robore destituerunt cla-

---

starum) Богословскій Вѣстникъ, 1903, t. I, pp. 64-78; 601-39; Leontev, Папа Левъ XIII, какъ богословъ, Вѣра и Разумъ, 1905, t. I, pp. 49-64; 89-103; II, 1-13; De litteris encyclicis Leonis XIII quae ad orientales spectant Ecclesias haec memoratu digna iudicamus: Анти-энциклика или братское слово православнаго славянина къ славянамъ католикамъ, по поводу изданія папою Львомъ XIII буллы о празднованіи памяти свв. Кирилла и Меѳодія (*Antiencyclica, sive fraternum verbum christiani orthodoxi ad catholicos slavos, occasione arrepta ex bulla pontificia Leonis XIII de festo celebrando Sanctorum Cyrilli et Methodii*), Kharkoviae, 1882; Отвѣтъ автора анти-энциклика на послѣдовавшее противу нея со стороны католичества возраженіе (*Responsio auctoris anti-encyclicae ad obiectiones ex parte scriptorum catholicorum contra eum illatas*), Kharkoviae, 1884; Bryennius (metrop.), *Πάπα Λέοντος ΙΓ' ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς ἔλεγχος*, *Ἐκκλ. Ἀλήθεια*, 1880-1881; Constantinopoli, 1882; Vozdvijenskv, По поводу энциклики папы Льва XIII (*Occasione arrepta ex litteris encyclicis Leonis XIII*), Прав. Обозрѣніе, 1886, t. III, pp. 364-401; Butkevitch, Энциклика Папы Льва XIII (*Encyclica Leonis XIII*), Вѣра и Разумъ, 1886, t. II, pp. 470-96; 606-42; Новая энциклика папы Льва XIII *De unitate Ecclesiae*, Церковныя Вѣдомости, 1896, pp. 1349-1357; Raphael (archim), Посланіе римскаго папы Льва XIII о сохраненіи восточныхъ обрядовъ (*Nova encyclica Leonis XIII de servandis ritibus orientalibus*) Вѣра и Разумъ, 1899, t. I, pp. 51-66.

(1) *Παντὶ πρόπῳ ἀγωνίζονται οἱ κατὰ καιρὸν πάπαι τῆς Ῥώμης, ἵνα ὑποτάξωσιν εἰς τὰς ἑαυτῶν πλάνας τὴν ἀκραδάντως ἀνὰ τὴν Ἀνατολὴν τῇ παιροπαραδότῳ τῆς πίστεως ὀρθοδοξίᾳ στοιχοῦσαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ, ἑνώσεις κατὰ τὴν ἰδίαν φαντασίαν ἐπιδιώκοντες ἁπλῶς καὶ ἀβασανίστως* — Ed. Const., 1905, p. 3.

(2) Zigavinos, *Ἀπάντησις εἰς τὴν ἐγκύκλιον ἐπιστολὴν Λέοντος ΙΓ' Πάπα Ῥώμης περὶ ἑνώσεως τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας μετὰ τῆς δυτικῆς*, Massiliae, 1894; Новая энциклика папы о соединеніи Церквей (*Nova encyclica Papae de unione Ecclesiarum perficienda*), Церковныя Вѣдомости, 1904, pp 1032-39; Отношеніе

rissimi scriptores catholici (1). Maxime dolendum est, ut rite animadvertit Fortescue, petulanter ac proterve graecum Patriarcham in Leonem

---

восточныхъ Церквей къ энцикликѣ папы Льва (*Quomodo sese gerunt Ecclesiae orthodoxae ad encyclicam Leonis XIII quod spectat*), Ib., pp. 1595-97; *Ἡ Ῥώμη καὶ αἱ Ἐκκλησίαι τῆς Ἀνατολῆς*, Ἐκκλ. Ἀλήθεια, t. XV, 1895, pp. 78-80; 85-86; *Ὑποδοχὴ τῆς παπικῆς περὶ ἑνώσεως τῶν Ἐκκλησιῶν ἐγκυκλίου παρὰ τῷ ἀγγλικῷ ἔθνει*, Ib., 256-57; 265-66; 276; 281-82; 291-92; 298-99; 307-8; *Πρωτόλαιον παπικῆς ἀπαντήσεως εἰς τὴν πατριαρχικὴν καὶ συνοδικὴν ἐγκύκλιον τοῦ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου*, Ib., pp. 319-22; 328-30; 338-40; *Ἡ ὀρθοδοξία καὶ ὁ παπισμὸς, ἢ ἱστορικὴ ἀπολογητικὴ μελέτη εἰς τὰ ἐναντίον τῆς πατριαρχικῆς καὶ συνοδικῆς ἐγκυκλίου τῆς ἀναιρούσης τὴν παπικὴν περὶ τῆς ἑνώσεως τῶν Ἐκκλησιῶν ἐγκύκλιον παρὰ διαφόρων παπιστῶν γραφέντα*, Ib., pp. 356-58; 381-82; 387-89; 394-96; *Ἡ ὀρθόδοξία καὶ ὁ παπισμός*, Ib., t. XVI, 1896, pp. 3-5; 12; 67-69; *Ἡ νέα περὶ ἑνώσεως τῶν Ἐκκλησιῶν ἐγκύκλιος τοῦ Πάπα Λέοντος ΙΓ'*, Ib., pp. 170-71; Papageorgios, *Ἡ ἑνότης τῶν Ἐκκλησιῶν*, Ib., pp. 234-36; 343-47; 254-56; 262-64; L'*union des église chrétiennes, l'Église romaine et l'Église orthodoxe, par un orthodoxe*, Massiliae, 1894; *Ἀπάντησις εἰς τὴν τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης Λέοντος τοῦ ΙΓ' ἐκδοθεῖσαν ἐγκύκλιον περὶ ἑνώσεως τῶν ἐν Ἀνατολῇ Ἐκκλησιῶν*, Athenis, 1895; Энциклика папы Льва XIII о соединеніи церквей: continet: Kireev, Разборъ энциклики (*Examen encyclicae*), pp. 20-26; Lopukhin, Смыслъ предлагаемаго намъ возсоединенія (*Quid sibi vult unio nobis proposita?...*), pp. 27-46; Kyriakos, Возможные результаты возсоединенія съ римскою Церковію (*Effectus probabiliter consecuturi ex nostra cum romana Ecclesia unione*), pp. 47-56; Новѣйшій отвѣтъ на старыя и новыя римскія заблужденія (*Postrema responsio ad veteres ac recentes errores romanos*), Душеполезное чтеніе, 1896, t. I, pp. 389-94; 697-718; A. Bieliaev, Возможно-ли соединеніе православной церкви съ Латинскою: по поводу энциклики папы Льва XIII, (*An fieri possit unio Ecclesiae orthodoxae cum Latina*), Вѣра и Разумъ, 1896, t. I, pp. 297-320; 532-52; 631-56; t. II, pp. 19-46; 142-63; 218-34; Id., О соединеніи Церквей: разборъ энциклики папы Льва XIII отъ 20 іюня 1894 (*De unione Ecclesiarum: examen encyclicae Leonis XIII, datae die 20 iunii 1894*), Serghievo, 1897. Graece vertit Paschalides, Petropoli, 1896; Pephanes, *Σύντομος ἔκθεσις τῶν διαφορῶν τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας τῆς δυτικῆς καὶ τῶν διαμαρτυρομένων*, Athenis, 1897: Kyriakos, *Ἀπάντησις εἰς τὴν ἐπιστολὴν τοῦ Πάπα Λέοντος XIII*, Athenis, 1902. Hancce Anthimi epistolam summis laudibus extulerunt veteres catholici: *Simples remarques sur l'encyclique du Patriarche Anthimos de Constantinople, Revue internationale de Théologie*, t. IV, 1896, pp. 217-23. Minoris momenti de hac re scriptiunculas recensuimus in opella: *La polemica religiosa in Oriente*, Romae, 1898, p. 136.

(1) Praecipuas tantum Confutationes memoramus: M(aximus) M(alatakis). *Ἀπάντησις εἰς τὴν περὶ τῶν χοριζουσῶν τὰς δύο Ἐκκλησίας διαφορῶν πατριαρχικὴν καὶ συνοδικὴν ἐγκύκλιον τῆς Ἐκκλησίας Κωνστ.*, Ib., 1895. Datur etiam versio gallica (Const. 1895) huiusce operis, quo nihil elegantius ac nervosius scriptum est. Omni contumelia id inquinavit Chrysostomus protosyncellus, in opere *Περὶ Ἐκκλησίας*, t. II, *Αἱ πλάναι τοῦ ῥωμαικοῦ κατολικισμοῦ κατὰ τὴν πατριαρχικὴν καὶ συνοδικὴν ἐγκύκλιον*, Athenis, 1896, pp. 302-576; Duchesne, L'*Encyclique du*

XIII, tam suaviter christianos orthodoxos allocutum, bilem effudisse (1).

β' Quae hucusque recensuimus documenta, nomine praesertim atque auctoritate Patriarchae Const. pubbici iuris facta sunt, quamvis adnexas ferant subscriptiones ceterorum Orientis Patriarcharum, ac metropolitarum synodi constantinopolitanae. Quo fit, ut nomini tantum Patriarcharum Const. huiusmodi litterae addictae apud scriptores occurrant. Exoritur inde quaestio de iuribus Patriarchatus Const. in controversiis fidei dirimendis, doctrinaque Ecclesiae orthodoxae rite exponenda.

Ostroumov tenet, sententias Ecclesiae Const. quae ad res dogmaticas, vel canonicas, vel liturgicas spectant, generatim probari ceteris Ecclesiis orthodoxis, nimirum auctoritatem quandam universalem in tota Ecclesia orthodoxa sibi vindicare (2). Hanc sententiam russus scriptor argumentis ex veteri traditione deductis firmare nititur. Paucis sub examen eam revocamus: *α*) Hoc ius quod sibi vindicat Patriarcha Const., omnium Ecclesiarum nomine de rebus fidei orthodoxae dijudicandi, neque divinam, neque apostolicam iactat originem. Nullus enim datur locus in Sacris Scripturis, vel apud antiquos Patres, qui ambitioni praesulum byzantinorum faveat. Si hoc quidem ius cuidam antistiti Ecclesiarum orthodoxarum vindicandum foret, id potius tribuendum sedi Hierosolymitanae, vel Alexandrinae, vel Antiochenae, cordatus quisque diceret, quam sedi Constant., de qua merito negatur ab apostolis eam conditam fuisse. Primus enim, qui ut verbis utar Card. Hergenrötheri, initium facit seriei historicae byzantinorum episcoporum, Metrophanes (306-314 habetur (3). Vailhé satis probabili coniectura opinatur altius adhuc adscendendum esse, primumque in hac serie fuisse Philadelphum (211-

---

Patriarche Anthime, Églises séparées, Parisiis, 1896, pp. 59-112; *Ἀπάντησις τοῦ αἰδ. Πατρὸς Σωτῆρος* Brandi *πρὸς τὴν ἐγκύκλιον ἐπιστολὴν τῆς Α. Μ. τοῦ Πατριάρχου Κ.*, Syrae, 1896. Italice primum et gallice suam perpulchram opellam edidit auctor; Baur, *Argumenta contra orientalem Ecclesiam eiusque synodicam encyclicam anno 1895 fere unice hausta ex libris eius confessionalibus aliisque ipsius scriptoribus atque auctoribus,* Oeniponte, 1897. Graece editum est Syrae anno 1899. Cf. praecitatum opusculum *La polemica religiosa in Oriente.* Opus Duchesnii anglice versum est editumque Londini, 1907; Neo-Eboraci, 1907.

(1) *The orthodox eastern Church,* pp. 435-36.

(2) Рѣшенія Конст. Церкви, касающіяся догматическихъ предметовъ или каноническихъ и обрядовыхъ обыкновенно принимаются другими православными церквами, и такимъ образомъ пріобрѣтаютъ общее значеніе во всей восточной каѳолической церкви.» — Op. cit., p. 448.

(3) *Photius,* t. I, p. 5.

217) (1). Itaque nefas est asserere hancce auctoritatem doctrinalem Patriarcharum Const. in ceteras Ecclesias orthodoxas institutum aliquod fuisse ab Apostolis derivatum. *b*) Conciliorum traditio non favet hisce iuribus fabulosis sedis Constantinopolitanae. Scriptores orthodoxi provocant quidem ad canonem XXVIII concilii chalcedonensis, qui statuit sanctissimae Ecclesiae Const. novae Romae eadem iura ac privilegia tribuenda, quae antiquae vindicantur Romae, propterea quod supremi regiminis sedes facta est (2). Exploratum tamen est invicta animi constantia Leonem Magnum hancce innovationem in constitutione christianae Ecclesiae reprobasse, ac semel atque iterum rogasse Anatolium, ut ea repudiata, veterem disciplinam fideliter servaret. Anatolius (449-458) autem, licet invitus, saltem in speciem, imperio paruit Romani Pontificis, et canon ille in collectionibus iuris canonici aetate Photii antiquioribus abrasus est (3). Suo loco haec tota discutienda est controversia. In praesens satis habeo eam primoribus labiis delibasse. *c*) Itaque, cum neque traditio apostolica, neque traditio conciliorum postulatis faveat antistitum byzantinorum, ex motivis politicis ea derivasse dubitare nemo poterit. Testes habemus hac in re scriptores orthodoxi. Episcopi byzantinae urbis ad maiorem dignitatem evecti sunt quam sui sodales, propterea quod urbs byzantina, aetate illa quam mediam vocant, tot passa non est discrimina, quot ceterae Orientis urbes. Etenim, post dimidium saeculi VII atque in posterum, rudes asseclarum Mahumeti copiae regiones ad ecclesiasticam pertinentes ditionem patriarchatuum Hierosol., Alexandr. atque Antioch., ad internecionem vastarunt, quo factum et ut vita Ecclesiae, quamquam penitus intercepta non fuit, paralysi tamen quodammodo laboraverit. Concilia enim in desuetudinem abiere; commercium cum ceteris Ecclesiis pene extinctum; privilegia ecclesiastica, saevientibus infidelibus, abrogata; antistites saepe saepius coacti, vel effugium sibi quaerere in urbe byzantina, vel in ea vitam ducere. In peius adhuc ruerunt patriarchatuum, quos memoravimus, conditiones, vertente saeculo XII, cum exercitus crucibus insigniti ad infideles ex locis sanctis expellendos Syriam et Palaestinam pervaserunt. Sua sponte igitur factum est, ut praecipuis Orientis urbibus tam dire exagitatis, in metropoli byzantina, quae feliciorem agebat vitam, negotia ecclesiastica totius fere Orientis pertractarentur, ceterique patriarchae, e suis sedibus exules,

(1) *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, coll. 1315-18; Palmieri, *Le antitesi di due metropoli, Bessarione*, t. VI; 1899, pp. 476-77.

(2) Mansi, t. VII, col. 369; Ostroumov, p. 449.

(3) Souarn, *Le 28me canon de Chalcédoine, Bessarione*, 1897, t. I, 875-885; II, 215-224.

quodammodo ei subjicerentur. *d*) Adde quod clerus byzantinus perillustres olim educavit apostolos, qui semina christianae fidei terris slavicis mandarunt, statimque germinantia coluerunt. Ex ditione byzantina ad slavicas regendas Ecclesias antistites illi digrediebantur, qui pro viribus adlaborabant, ad civilem ac religiosum influxum suae patriae dilatandum firmandumque. Exinde factum est, ut pedetentim Ecclesia Const. veneratione affici coepta sit, tanquam ceterarum Orientis Ecclesiarum mater et magistra, ab eaque ob politiorem byzantinorum civium cultum ac sedem imperii in ea urbe statutum, praesertim post schisma peractum, responsiones ad res dogmaticas vel canonicas efflagitarint. Ex quo iam illud patet, sedem patriarchalem Const. factam esse quasi *κεφαλὴν* ceterarum Ecclesiarum orthodoxarum, propterea quod caput esset Byzantium totius imperii. *e*) Hisce disceptatis, consequitur auctoritatem praesulum byzantinorum, quae neque divinis praeceptis, neque conciliorum firmatur suffragio, fluxam esse caducamque. Habent enim sua fata civitates atque imperia, Ecclesiaeque, quae civilis regiminis vices subsequuntur, non secus ac regimen, ex fastigio gloriae ad humillima repente dejici queunt. Si ergo Patriarchatus Const. suam auctoritatem quasi oecumenicam ex eo derivavit, quod Byzantium caput esset imperii, postquam dominationem byzantinam disiecerunt Turcae, ratio illa periit qua fulciebatur commentitius primatus antistitum byzantinorum. Conficitur inde, consonam principiis iuris canonici orthodoxi exprompsisse sententiam scriptores quosdam russos, qui, vertente saeculo XV, Mosquam tertiae Romae epitheto cohonestarunt, eiusque metropolitae, post lapsum temporis, Patriarchae, ceteras Ecclesias orthodoxas subiectum iri decreverunt (1). Si enim inter civitates orthodoxas maiorem sibi comparaverit famam Mosqua, quam Constantinopolis, sub iugo infidelium constituta, caputque facta sit imperii orthodoxi, quo amplius cogitari non potest, illud quod olim evenit pro oecumenicis Patriarchis, contingere non repugnat pro metropolitis vel patriarchis mosquensibus (2).

(1) Chebatinsky, Историческій генезисъ идеи Москвы, третьяго Рима въ XV в. (*Genesis historica conceptus Mosquae, ut tertiae Romae, saeculo XV*). Вѣра и Разумъ, 1908, t. III, pp. 289-300.

(2) Meminisse iuvabit scriptores quosdam byzantinos serioris aevi somniasse byzantinum pontificatum instituendum, planeque iisdem ac romanam sedem, immo potioribus exornandum praerogativis. At, uno veluti ore, qui apud orthodoxos in studium iuris canonici incumbunt, hosce conatus irritos semper fuisse declarant: Ostroumov, p. 453; Pavlov, Ученіе восточнаго папизма въ новѣйшей русской литературѣ каноническаго права (*Theoria papismi orthodoxi in recentissimo iure canonico russico*). Прав. Обозрѣніе, 1879, t. III, pp. 476-99; 734-65.

γ′ Quae hucusque disceptavimus satis aperte produnt magisterium Ecclesiae Const. in rebus fidei nil aliud nisi figmentum praeseferre. Ecclesia enim suam constitutionem, ut vices ferunt civilis regiminis indesinenter non immutat. Proprium hoc est magisterii ecclesiastici, nisi velimus id sua exuere auctoritate, ut perenne sit, ut sese libere gerat, ut perpetuo eidem sedi inhaereat, quae cunctis tanquam magistra fidei agnoscatur. Haec autem omnia, ut probavimus, sedi constantinopolitanae denegat ius canonicum orthodoxum. Ergo magisterium ecclesiasticum universale huic sedi vindicandum non est. Const. quiddem Patriarchae usurpare sibi queunt epitheton oecumenici. Verba tamen res non immutant. Ex principiis enim iuris canonici orthodoxi, Patriarchas constat a ceteris episcopis orthodoxis ne hilum quidem distingui, eisdemque atque illos iuribus instrui, ac magisterium privatum non secus atque illos sibi vindicare. Quae igitur ab eis in lucem eduntur de fide orthodoxa epistolae encyclicae, ultra fines Patriarchatus, vel potius archepiscopatus Const. sese non extendunt, nimirum haberi nequeunt ut regula fidei oecumenica pro ceteris Ecclesiis orthodoxis.

Hoc autem, quod theorice statuimus, sua confirmat experientia historia. Meminimus enim ceteras Ecclesias orthodoxas lubenter accepisse litteras patriarchales, quae Latinos ac protestantes arguunt; at litteras synodales ac patriarchales quibus Bulgari schismatici praedicantur, praeter graecas, ceterae Ecclesiae orthodoxae flocci fecerunt. Quae quum ita sint, nemo nos insimulabit veritatem mendacio contaminasse, magisterium oecumenicum Patriarchis Const. denegantes. Nostra enim sententia sua sponte fluit en principiis iuris canonici orthodoxi.

δ′ Inter recensita Const. Ecclesiae documenta, litterae Patriarcharum Orientis ad episcopos Iniuratos (1723) in album librorum symbolicorum a theologis ortodoxis digeruntur (¹). De recentioribus tamen litteris patriarchalibus, nihil ab eis edisseritur, ex quo iam illud patet huiusmodi litteras non secus haberi, ac ceteras confessiones a viris privatis conscriptas. Equidem non ignoro in theologicis disquisitionibus harum litterarum testimonia usurpari ad veritates fidei orthodoxae firmandas. Non legitur tamen, ut libros symbolicos eas haberi.

Mea ut fert opinio, huncce honorem haud merent praecitatae litterae. *a*) Induunt enim characterem omnino polemicum, totque in adversarios effundunt iniuriarum plaustra, ut rabiem theologicam potius, quam fidei expositionem eas dixeris exhibere. Haec autem *polemica*, quae probris scatet, atque odio penitus imbibitur, quam maxume

(¹) Macarius, I, 63; Malinovksy, I, 45; Nikitsky, I, p. III.

abhorret a sincera librorum symbolicorum indole. *b*) Contradictoria docent, vel inter se non conveniunt, cum capita illa controversa Graecos inter ac Latinos enumerant. Antiquiores litterae patriarchales perperam tradunt catholicam Ecclesiam dogmata fidei corrupisse, propterea quod statuit die sabbati ieiunandum, vel pietati absonum non esse pisces comedere tempore quadragesimali. Ecquis tamen effutiet huiusmodi romanae Ecclesiae consuetudines, dogmata fidei corrumpere, vel blasphemias sane horrendas praeseferre?... Satis habeo ad hanc calummiam retundendam memorasse nostra aetate scriptores ecclesiasticos russos vehementer instare, ut veteris disciplinae rigor, ad ieiunia quod attinet, lentescat: ieiunium enim atque abstinentia pro monachis constituta est, non autem indiscriminatim pro cunctis fidelibus (1). Nil mirum igitur si haec dogmata impia expuncta fuere ex elencho novitatum latinarum, quem contexuit Anthimus VII. *c*) Denique si praecitatae litterae ut monumenta spectentur theologica atque apologetica, pro eo ut densissimam illam materiarum sylvam praestent, in qua totus abditur in extasim raptus Iohannes Sokolovus, tot scatent erroribus, argutiis, cavillationibus, ineptiis ineptissimis, atque eventuum historicorum praepostera interpretatione, ut facili negotio cuique, ne iis quidem exceptis, qui theologica studia a limine salutarunt, eas refellere in promptu sit. Scriptores catholici, id plus vice simplici aggressi, luculenter demonstrarunt litteras Patriarcharum Const., quibus characterem symbolicum vindicare nefas apertissimum esset, si revocentur ad trutinam theologicam, nil aliud exhibere nisi tenues argumentorum farragines; spissas vero cavillationum ac probrorum.

15. Breviter iam prolocuti sumus de Catechismo maiore Philareti mosquensis, qui prae ceteris celebratur in Ecclesiis orthodoxis (2). De eo in praesentiarum fusius pertractare locus nos admonet, cum in album librorum symbolicorum Ecclesiarum orthodoxarum eum complures scriptores digessisse mihi compertum sit. Ad eum quod attinet, *α′ historiam litterariam ipsius breviter enarrabimus; β′ res in eo contentas perstringemus; γ′ valorem symbolicum ei vindicandum statuemus.*

α′ Catechismus Philareti varios pertulit fortunae ludos. Anno 1822 synodus petropolitana ad pueros christianis praeceptis instituendis breviarum aliquod fidei orthodoxae conficere iussit, quod aptiore methodo propositam sibi provinciam exploraret. Hocce munus novum catechismum exarandi demandatum est Philareto, metropolitae mosquensi, qui tunc

(1) *La Chiesa russa*, pp. 292-93.
(2) Pp. 181-182.

temporis doctrinae non minus quam sanctitatis laude inclarebat. Naviter Philaretus huiusce muneris partes omnes implevit, ac breviarum fidei orthodoxae conscribere festinavit, quod insequenti anno (1823) numeris omnibus absolutum, synodo petropolitanae examinandum tradidit. Censores synodales id approbarunt. Eodem igitur anno, sanctione imperiali communitus, Cathechismus Philareti, litteris palaeoslavicis impressus, lucem aspexit Petropoli, hocce titulo insignitus: Христіанская катихизисъ православныя каѳолическія восточныя греко-россійскыя церкви (*Cathechismus christianus Ecclesiae orthodoxae catholicae orientalis graeco-russicae*). Praeter solitum, sua in opella Philaretus inseruit symbolum, orationem dominicam ac praecepta Decalogi in russicam linguam traslata.

Hanc principem editionem iterum sub examen revocavit Synodus petropolitana, approbavitque, quo factum est ut in scholis coepta sit adhiberi ad pueros christiana fide imbuendos, eique sedulo studuerint qui sacerdotium vel diaconatum inire rogitassent.

Perparum tamen haec viguit fama illius catechismi, quo Philaretus nomen suum posterorum memoriae commendavit. Improbo enim dente eum appetivere susurratores artis criticae, qui vetustioribus institutis plus aequo addicti, ut monstrum horrendum, ingens detestati sunt russicam versionem symboli atque orationis dominicae. Haec versio, ad eorum sententiam, traditionis antiquae repagula perfringebat, fideique corruptoribus latam communiebat viam. Hisce criminationibus faciles accommodavit aures synodus petropolitana, quae anno 1824 prohibuit quominus novae fierent editiones opellae Philareti, in quam coenosis ex fontibus aquas advectas fuisse lamentatus est quidam censor synodalis.

Hancce interdictionem revocavit tzarus Nicolaus anno 1826, qui imperavit, ut cathechismus Philareti, suis noevis expurgatus, in lucem prodiret, puerorumque manibus in scholis tereretur. Annuit Philaretus, ut quaedam emendatius sua in opella traderentur, ac russicis, quas memoravimus, versionibus expunctis, explanatius passim suas sententias enucleavit; novam locorum segetem, a graecis Patribus petitam, adiunxit; stylum castigavit, eumque ut proxime accederet ad palaeoslavicam dicendi rationem summa ope studuit. Ita catechismus Philareti, commutata facie, anno 1827 palaeoslavicis litteris typis prodiit. Titulo huiusce editionis adiectum est epitheton пространный (maior, longior).

Anno 1839 visum est synodo petropolitanae cathechismum Philareti lacunas praeseferre explendas, ne suo muneri deesset puerorum mentem christianis praeceptis informandi. Quapropter moderator su-

premus Synodi, comes Nicolaus Protasov, Philaretum rogavit, ut suo in catechismo methodum ac doctrinam Confessionis Moghilanae pressius sequeretur, in eumque emendandum, adaugendum diligentiorem operam impenderet, explanationibus adiunctis de praedestinatione, de praeceptis Ecclesiae, ac de beatitudinibus. Respondit Philaretus se id libenter facturum, ad primum et tertium caput quod attinebat: de praeceptis tamen Ecclesiae silendum, propterea quod catechismus praecepta tantum divina explananda complectitur. Hisce igitur praetermissis, de beatitudinibus egit, ac de praedestinatione (fusius), ut morem gereret postulatis comitis Protasovi, nec non quaedam ad Dei naturalem cognitionem pertinentia delevit. Summa praesertim accuratione stylum perpolivit, ac, pene dixerim, coelavit, cunctisque rhetoricis pigmentis abiectis, aptissimis verbis sententias suas brevissime concinnavit.

Ab eo tempore nulla passum est amplius discrimina opus Philareti, quod aetate nostra in prima ponitur commendatione, omniumque tanquam praestantissimum habetur, in ipsumque veluti in absolutissimum exemplar scriptores russi intuentur (1).

β′ Catechismus Philareti, praeter prooemium atque epilogum, tres in partes distribuitur. In prooemio conceptum revelationis explanat auctor, brevissimoque praemisso specimine de Sacris Scripturis ac traditione, rerum tradendarum elenchum pertexit. Prior sectio catechismi, quae sub titulo generali *de fide* continetur, commentariolum exhibet symboli nicaeni-constantinopolitani. Cum sermonem instituit de unitate Ecclesiae, nititur Philaretus probare hancce unitatem in Ecclesiis orthodoxis effingere quatuor patriarchatus orientales ac russicam Ecclesiam; vinculum autem unitatis in eo poni ut Ecclesiae, quas memoravimus, eidem capiti Jesu Christo adhaereant, eisdem roborentur sacramentis, eisdemque precibus Deum propitium sibi reddant. Ad quaesitum autem, cuinam supremae auctoritati subjiciantur Ecclesiae illae, respondet: « Patriarchis orientalibus ac synodo petropolitanae ».

Altera sectio quae de spe inscribitur, explicat doctrinam de beatitudinibus, ac praesertim de scientia orationis disserit.

(1) Korsunsky, Судьбы катихизисовъ Филарета, митрополита Московскаго (*Fata Catechismorum Philareti, metropolitae mosquensis*), Mosquae, 1883; Gruzdev, apud Прав. богословская энциклопедія, t. IX, Petropoli, 1907, coll. 213-217. Plura de catechismis russicis in hoc opere congerit Gruzdev, coll. 203-218, qui hanc provinciam iam exploraverat in commentario periodico Странникъ: По какимъ книгамъ обучались у насъ закону божію въ XVIII столѣтіи, и чему обучались (*In quibusnam libris saeculo XVIII apud nos divina praecepta addiscebant pueri, et quidnam in eis tradebatur*), 1896, t. I, pp. 587-613; t. II, pp. 61-77; 272-289.

Tertia pars, quae *de Amore* pertractat, divina praecepta exponit, in officiisque ab eis expressis versatur. Brevissimus epilogus perpaucis innuit modum practice utendi doctrina de fide ac pietate.

Satis claret ex hoc materiarum elencho catechismum Philareti in priore parte theologiam dogmaticam concinnare, asceticam in altera, moralem vero in tertia. Mihi quidem animus non est praeiudicatis opinionibus inservire, ac meritas laudes Catechismo Philareti deterere, qui doctrinam fidei orthodoxae in arctum contrahit seseque temperat ab Ecclesia romana conviciis impetenda. Cuipiam fortasse videbitur Philaretum inconsiderate locos Sacrarum Scripturarum ac Patrum, haud raro prolixos, in opella congessisse, quae adolescentulis instituendis praecipue inservit. At nemo inficiabitur concinna brevitate in suis sententiis enucleandis eum usum fuisse. Quid autem de doctrina ab eo tradita nobis sentiendum sit, pro re nata, declarabimus.

γ' Catechismus Philareti inter libros symbolicos, vel saltem inter fidei orthodoxae monumenta, quae authenticam praeseferunt auctoritatem, percensetur, quamvis Gass autumet, suis privatis sententiis auctorem plus aequo indulsisse (1). Eum inseruit Schaff in sylloge expositionum authenticarum fidei orientalis: *The longer catechism of the russian Church, prepared by Philaret, revised and approved by the most holy synod* (2).

Hodierni scriptores russi eum permagni faciunt. Macarius ei locum assignat inter confessiones fidei diligenter elaboratas, quae apud theologos orthodoxos praecipua laude feruntur (3). Hoc idem tenet Sylvester (4). Malinovsky (5) et Nikitsky (6) contendunt catechismum Philareti libris quidem symbolicis adscribendum esse, pro sola tamen Ecclesia russica: символическое значеніе онъ имѣтъ только въ русской православной церкви. De eo hoc fert iudicium Gruzdev: « Catechismus Philareti sub examen revocatus est, in eoque dijudicando omnium, quae eum praecesserunt, fidei speciminum habita est ratio. Hocce examen summa diligentia institutum est. Nil igitur mirum si laudatus catechismus ceteris perfectius haberi coeptus sit, omniumque absolutissimum *directorium*, et quodammodo liber symbolicus Eccle-

(1) P. 89.
(2) T. II, pp. 445-542.
(3) T. I, p. 63.
(4) T. I, p. 65.
(5) T. I, p. 46.
(6) T. I, p. III.

siae orthodoxae russicae, quem non secus ac symbola fidei scriptoris russi suis animadversionibus commentariisque declararunt » (1).

Ut mea fert opinio, nullum adest argumentum, quo suppeditetur nobis ansa statuendi catechismum Philareti librum symbolicum *sui generis* (своего рода) efficere. Scriptores russi qui symbolicum eum faciunt tantum pro russica Ecclesia, implicite nostrae favent sententiae. Etenim, quum fides orthodoxa cunctis eadem insit Ecclesiis orthodoxis, liber symbolicus Ecclesiae russicae, si vere characterem symbolicum praeseferat, iniuria diceretur pro russis orthodoxis tantum symbolica insigniri auctoritate. Consequeretur enim fidem, quae authentice in confessione illa vel expositione, russica Ecclesia approbante, concinnatur, ceteris, saltem in quibusdam, non satisfacere; consequeretur quamlibet Ecclesiam orthodoxam particularem pro suo lubitu iure potiri Confessiones fidei eliciendi, quae dici quidem possent Confessiones illius Ecclesiae particularis, non autem fidei orthodoxae, quam omnes uno veluti ore profitentur Ecclesiae orthodoxae. Haec autem si ponerentur, labefactaretur unitas illa fidei, quam in cunctis Ecclesiis orthodoxis conglobatim sumptis vigere asserunt scriptores orthodoxi. Liber enim symbolicus veri nominis, authenticam fidem illius Ecclesiae, cuius nomini addicitur, expromit; quapropter, si liber symbolicus authenticus unius Ecclesiae particularis, ceteris Ecclesiis orthodoxis particularibus non accipitur, datur ansa suspicandi fidem, quae in illo continetur, hisce Ecclesiis, saltem in aliquibus, non accipi ut apprime consonam suae fidei.

De catechismo Philareti illud nobis admonendum occurrit, quod de Confessione Dosithei pronuntiavimus. Confessio Dosithei liber est symbolicus graecae Ecclesiae, ab ipsius Dositheì aetate. Post longam temporis intercapedinem, russica Ecclesia huncce characterem symbolicum agnovit, sententiis tamen expunctis vel emendatis, quae suis

(1) Loc. cit., col. 216. Placet heic afferre iudicium quod de catechismo Philareti censor quidam synodalis tulit: « Hic liber qui constitutus est, ut generatim omnes edoceat praecepta fidei, permultis scatet locutionibus ambiguis, sententias de fide accurate non exprimit, ac plus vice simplici ab Ecclesiae nostrae doctrinis abscedit: Книга предназначенная для всеобщаго употребленія въ изученіи правилъ вѣры, не малою частію исполнена неопредѣлительныхъ выраженій, не достаточествуетъ въ точности предлагаемыхъ ею понятій, и даже въ нѣкоторыхъ мѣстахъ отступаетъ отъ ученія нашей церкви. — Barsov, Критика сочиненій Филарета, митрополита Московскаго (*κρίσις operum Philareti, metropolitae mosquensis*), Христіанское Чтеніе, 1887, t. I, p. 791. Nuperrime etiam Antonius, archiepiscopus Volhyniensis, declaravit cathechismum Philareti in pluribus alienum esse a fide orthodoxa. — Svietlov, Христіанское вѣроученіе въ апологетическомъ изложеніи (*Doctrina fidei christianae apologetice exposita*), t. I, 1910, pp. x-xi.

theologis displicebant. Conficitur inde, librum illum symbolicum graecae Ecclesiae, vel nomen haud mereri libri symbolici *orthodoxi*, vel absonas fidei orthodoxae sententias complecti. Si vere enim symbolicus fuisset, non potuisset russica Ecclesia huncce characterem symbolicum ei denegare, vel si veram fidem orthodoxam continuisset, ausa non esset russica Ecclesia eum corrigere. Eadem sane ratione dicendum est, catechismum Philareti, si characterem symbolicum intra limites tantum russicae induit Ecclesiae, vere symbolicum non esse, aut consonam fidei ceterarum Ecclesiarum doctrinam, in quibusdam saltem capitibus, non exhibere. Etenim, sicut ad fidem orthodoxam authenticam declarandam consensus, et quidem explicitus, omnium Ecclesiarum orthodoxarum requiritur, ita sine isto consensu fieri nequit ut fidei expositio a privato viro conscripta authenticam fidem orthodoxam, quae communis est cunctis Ecclesiis orthodoxis, statuatur expromere. Quae quum ita sint, declarandi nobis datur ius catechismum Philareti, omni charactere symbolico destitutum, compendium theologiae orthodoxae tantum praeseferre, a viro privato conscriptum.

16. De praecipuis ac recentioribus Ecclesiarum orthodoxarum libris symbolicis disceptavimus. Si cuipiam mirum videbitur tam diu in eorum historia litteraria concinnanda, et placitis dijudicandis nos moratos fuisse, hic proculdubio desinet mirari cum perspectum sibi habuerit consectarium maximi momenti ex nostra profluere disceptatione. Aequa lance perpendimus libros symbolicos, quotquot feruntur, Ecclesiasum orthodoxarum, eisque perpensis in eam descendimus sententiam ut libris symbolicis veri nominis careant Ecclesiae orthodoxae, vel saltem perpaucis ex illis epitheton *symbolici* nonnisi *latius* tribuendum sit, eodem sane sensu quo Confessiones fidei pseudo-reformatorum symbolicae audiunt (1).

Et revera, ut verbis utamur antiquioris theologi russi, « liber symbolicus in Ecclesia pro norma aliqua doctrinae orthodoxae non immerito habetur et haberi debet: quidquid ergo in dogmatum explicatione et determinatione cum libris symbolicis conveniat, illud verum et orthodoxum in Ecclesia putandum est; quidquid vero iis contradicat, statim falsum et haereticum a piis orthodoxisque Ecclesiae

(1) « Distinguendi sunt, ait Tittmann, libri symbolici *proprii*, ab his qui publicam acutoritatem postea acceperunt. Est enim liber symbolicus proprie Ecclesiae nomine editus, et receptus, in quo eiusdem Ecclesiae sententia de doctrina et disciplina sacra declarata est. Sed *latius* libri symbolici dicuntur quibus, principes hanc auctoritatem tribuerunt, ut sententia Ecclesiae in iis accurate expressa et definita existimaretur ». — Op. cit., p. 14.

sociis habendus est » (1). Atqui hancce normam rectae fidei, quae falsas haereticasque sententias prorsus amoveat, libri qui feruntur symbolici apud orthodoxos non praeseferunt. Ergo.

a) De Confessione Cyrilli Lucareos aperte constat novitatibus calvinianis eam ita coagmentari, ut rite horreant omnes theologi orthodoxi. *b*) Confessio Metrophanis semel atque iterum placitis pseudo-reformatorum favet, unde conficitur doctrinam authenticam Ecclesiae orthodoxae eam non exhibere. *c*) Confessio Dosithei profitetur approbatque sententias, quas acerbissime scriptores orthodoxi perstringunt, ut latinas in dogmatis fidei alterationes: ex quo iam illud patet eam fidem orthodoxam authenticam non edocere. *d*) Catechismi Petri Moghilae et Philareti theologiae orthodoxae potius compendia, quam fidei orthodoxae confessiones habentur, videlicet iis non alia vindicanda est auctoritas, quam quae doctorum particularium scriptis asseritur. *e*) Documenta symbolica quae recensuimus contradictoria in rebus fidei edocent (validitatem atque invaliditatem baptismatis a latinis collati). *f*) Sententias interdum tuentur, quibus non omnes Ecclesiae orthodoxae unanimi suffragantur consensu, vel quibus una, vel altera, aperte obnititur. Nullum igitur ex praecitatis monumentis fidei orthodoxae charactere symbolico *oecumenico* instruitur.

Historia theologiae orthodoxae novum addit calculum nostris consecutionibus. Supra enim significavimus, russicam Ecclesiam Dosithei Confessionem, quae ut liber symbolicus graecae Ecclesiae efferebatur, a genuinis fidei orthodoxae sententiis iterum atque iterum descivisse declarasse; siquidem eam, nonnisi suis mendis expurgatam, in lucem prodire iussit. Catechismus Philareti, quem initio censores synodales in provincia fidei claudicare doluerunt, liber symbolicus habetur tantum in russica Ecclesia. Haec quum ita sint, calumnias agere mihi non videor, characterem symbolicum praecitatis Confessionis orthodoxis prorsus denegando. Fidem enim orthodoxam accurate non exprimunt, aut heterodoxis favent sententiis, aut privatas theologorum opiniones proponunt, aut sanctione ac suffragio omnium Ecclesiarum orthodoxarum non communiuntur (2).

Sententiam nostram, in quam, sine partium studio, post accuratam Confessionum fidei orthodoxae analysin, venimus, missis verborum

(1) *Theses theologicae,* Petropoli, 1804, III-VI.

(2) « In nostram sententiam inclinare videtur Kattenbusch: Es ist leicht zu erkennen, dass die griechischen Confessionsschriften nicht die Gewähr besitzen, uns wirklich mit allen oder doch den wesentlichen Eigentümlichkeiten der griechischen Kirche bekannt zu machen ». — *Kritische Studien zur Symbolik, Theologische Studien und Kritiken,* Gotha, 1878, t. LI, p. 105.

ambagibus, nostra profitentur aetate scriptores quidam orthodoxi, quorum nomina volitant per ora virum. Prae ceteris audiatur Diomedes Kyriakos: « Apud nos disciplinae theologicae liberius sese gerunt quam apud pontificios. Catechismus enim moghilanus, ac decisiones synodorum, quae saeculo XVII habitae fuere, pro nihilo nobis habentur nullaque absoluta communiuntur auctoritate » (1). Tam clara et testata sunt haec verba, ut luculentiora testimonia in medium afferre cordatus quisque supervacaneum arbitraretur. Cum vero exploratum sit Diomeden Kyriakon protestantium in partes propendere, magis consentaneum videtur mihi sententiam nostram auctoritate firmare scriptorum orthodoxorum, quorum doctrinam theologicam nemini fas erit iu suspicionem vocare.

Nicolaus Amvrazis, *ἱεροκῆρυξ* graecus, in opere abhinc paucis annis edito, haec scribit: « Confessiones fidei orthodoxae cunctis probantur ut fontes doctrinae orthodoxae, quin tamen vindicetur illis vis *obbligatoria*, quae symbolis inest fidei, vel decretis septem conciliorum oecumenicorum. Eatenus authenticae dici queunt huiusmodi confessiones, quatenus doctrina in eis contenta consona est fidei expressae in symbolo nicaeno, vel in decretis dogmaticis synodorum oecumenicarum. Ad veritatem propius accederet, qui asseveraret, praecitatas confessiones suam doctrinam haurire dogmaticam ex symbolo fidei, ac super eodem niti: eas tamen fusius evolvere, ac plenius interpretari veritates quasdam fidei, idque Ecclesiam egisse ea tempestate qua coacta fuit pravas heterodoxarum Ecclesiarum sententias explodere ac debellare » (2).

(1) « Die theologische Wissenschaft bewegt sich freier bei uns als in der päpstlichen Kirche. Der Katechismus von Mogilas, und die Bestimmungen einiger kleinen Synoden des XVII Jahrhunderts haben bei uns keine absolute Geltung ». *Jahrbücher für protestantische Theologie*, t. XVI, 1890, p. 153.

(2) *Αἱ ὁμολογίαι θεωροῦνται μὲν ὑπὸ πάντων ὡς πηγαὶ τῆς ὀρθοδόξου διδασκαλίας, οὐδόλως ὅμως ἔχουσι τὴν αὐτὴν ὑποχρεωτικὴν δύναμιν, τὴν ὁποίαν ἔχουσι τὸ σύμβολον τῆς πίστεως, καὶ αἱ ἀποφάσεις τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων. Κατὰ τοσοῦτον αὗται αἱ ὁμολογίαι ἔχουσι κῦρος, καθ' ὅσον τὸ περιεχόμενον αὐτῶν εἶναι σύμφωνον, καὶ πρὸς τοὺς δογματικοὺς ὅρους τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, ἢ μᾶλλον πᾶσαι αἱ εἰρημέναι ὁμολογίαι ἀρύονται τὴν διδασκαλίαν αὐτῶν τὴν δογματικὴν, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς πίστεως συμβόλου, καὶ ἐπ' αὐτοῦ βασίζονται, ἀναπύσσουσιν ὅμως καὶ ἑρμηνεύουι πληρέστερον ἀληθείας τινὰς καθ' ἃς περιστάσεις καὶ ἀνάγκας εὑρέθη ἡ Ἐκκλησία θέλουσα νὰ ἀναιρέσῃ καὶ πολεμήσῃ κακοδοξίας ἑτεροδόξων χριστιανικῶν Ἐκκλησιῶν. — Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία περιέχων τὰς μεταξὺ τῶν Χριστιανικῶν Ἐκκλησιῶν διαφοράς, καὶ τὰς λεπτοτάτας ἐξ αὐτῶν καὶ τοῖς πολλοῖς μᾶλλον ἀγνώστους*, Athenis, 1903, p. 73.

Eandem tuetur sententiam archimandrita Chrysostomus Papadopulos, ad latinae theologiae influxum in Confessionem Orthodoxam Dosithei excusandum: « Facili negotio intelligitur Confessionem Dosithei ac ceteras Confessiones orthodoxas saeculo XVII exaratas, nec non synodales decisiones, auctoritate non potiri dogmatica absoluta atque infallibili, sed tantum relativa, historica et theologica: non enim symbola fidei praestant vel decisiones conciliorum oecumenicorum » (1). In nostras autem animadversiones ad hancce sententiam (2), doctus archimandrita verbis ambiguis ita respondit: « Synodus bethleemitica vel hierosolymitana, non secus ac ceterae synodi ab eisque exaratae Confessiones fidei, vertente saeculo XVII, auctoritatem non habent synodorum oecumenicarum, quia apud nos synodus oecumenica tota constituitur Ecclesia orthodoxa, in Spiritu Sancto congregata et locuta. Haec est nobis peculiaris nota synodi oecumenicae, quum, e contrario, apud Latinos oecumenicitas synodi depromitur ex ingenti episcoporum, qui ei interfuere, numero. Synodus hierosolymitana totam non congregavit Ecclesiam orthodoxam, sed Ecclesiam hierosolymitanam tantum, quapropter decreta ab ea prolata, valorem oecumenicum non habent » (3).

Nec minus ambigua videntur mihi, quae laudatus scriptor in opella, quam de Dositheo conscripsi, dijudicanda, edisserit. Decernit enim donum infallibilitatis toti tribuendum hierarchiae, quae afflante Spiritu Sancto in synodis oecumenicis res fidei et morum discutit ac definit. « Notum est neminemque latet Romanos Pontifices, qui feruntur

(1) *Εὐνόητον δὲ ὅτι ἡ ὁμολογία τοῦ Δοσιθέου, καὶ αἱ λοιπαὶ ὀρθόδοξοι ὁμολογίαι τοῦ ιζ' αἰῶνος καὶ συνοδικαὶ ἀποφάσεις ἔχουσιν ἀξίαν οὐχὶ ἀπόλυτον καὶ ἀλάνθαστον δογματικήν, ἀλλὰ σχετικὴν θεολογικὴν καὶ ἱστορικήν, διότι δὲν εἶναι ἀποφάνσεις οἰκουμενικῶν συνόδων, οὐδὲ σύμβολα.* — *Δοσίθεος, πατριάρχης Ἱεροσολύμων, Νέα Σιών*, t. V, 1907, p. 127. *Ἡ ὁμολογία τοῦ Δοσιθέου εἶναι θεολογικὸν καὶ ἱστορικὸν μνημεῖον.* — Ib., p. 128.

(2) *Bessarione*, an. XII, t. III, 1907, pp. 117-118.

(3) *Ἡ ἐν Βηθλεὲμ ἢ ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις σύνοδος, ὡς καὶ αἱ λοιπαὶ κατὰ τὸν πολυτάραχον* XVII *αἰῶνα συνελθοῦσαι σύνοδοι, καὶ αἱ ὑπ' αὐτῶν ἐκπονηθεῖσαι ὁμολογίαι βεβαίως δὲν ἔχουσι κῦρος οἰκουμενικῶν συνόδων, διότι παρ' ἡμῖν τοῖς ὀρθοδόξοις σύνοδος οἰκουμενικὴ εἶναι ἡ συγκροτουμένη ὑπὸ πάσης τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, ἐν ἁγίῳ Πνεύματι συνερχομένης καὶ ἀποφανομένης. Τοῦτο εἶναι τὸ κύριον χαρακτηριστικὸν γνώρισμα τῆς οἰκουμενικότητος συνόδου τινός, ἐνῷ ἐν τῇ λατινικῇ Ἐκκλησίᾳ λαμβάνεται ὑπ' ὄψει τὸ πλῆθος τῶν συνερχομένων ἔν τινι συνόδῳ ἵνα χαρακτηρισθῇ αὕτη ὡς οἰκουμενική. Ἡ ἱεροσολυμιτικὴ σύνοδος δὲν συνεκροτήθη ὑφ' ὅλης τῆς ὀρθοδόξου οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας, ἀλλὰ μόνον ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας Ἱεροσολύμων καὶ ἑπομένως αἱ ἀποφάνσεις αὐτῆς δὲν ἔχουσι κῦρος οἰκουμενικῆς συνόδου.* — *Αἱ σύνοδοι καὶ αἱ ὁμολογίαι τοῦ ιζ' αἰῶνος, Νέα Σιὼν* t. VII, 1908, p. 747.

infallibiles, in multos errores incidisse, vel quando *ex cathedra* locuti sunt. Ecclesia est infallibilis in toto suo complexu, non autem in solo romano Pontifice. Confessio quidem Dosithei, si consideretur *in se*, interiorem simul atque exteriorem prodit influxum, quem in eam exercuit theologia occidentalis; si vero perpendatur, habita simul ratione temporis, quo conscripta est, ceterorumque operum Dosithei, sententia priore loco exposita admodum emollitur » (1).

Verbis opus non est ad declarandum, quae graecus theologus tuetur de infallibilitate conciliorum oecumenicorum suffragio communiri cuiuslibet scriptoris catholici. At, quaestionem ipse non ingreditur, quae solvenda est theologiae orthodoxae. Concedimus quidem magisterium infallibile, ad fidem christianam quod attinet, per concilium oecumenicum exerceri. Sed neminem latet, concilium oecumenicum ab aetate Photii ad nostra usque tempora in Ecclesiis orthodoxis habitum non fuisse, neque, fatentibus theologis orthodoxis, amplius habitum iri. Quid est igitur concilium istud oecumenicum quod nequeunt cogere Ecclesiae orthodoxae ad magisterium fidei exercendum. Merum figmentum!, me iudice.

Itaque, vel dicendum erit, magisterium illud penitus desiisse, vel necessarium non haberi. Si penitus desiit, consequitur Ecclesiam Christi praestantissimum omnium medium amisisse, quo traditam sibi a Deo doctrinam intaminatam servare posset, eamque efficaciter tutari. Si dicatur vero magisterium illud necessarium amplius non esse, consequeretur, ab aetate Photii haereses non amplius damnandas ac reprobandas legitima auctoritate. Satis enim claret, illud solummodo magisterium infallibile iure instrui sententias promulgandi, quae prava haereseon germina funditus convellere queant.

Dixi modo scriptores orthodoxos fateri conciliorum oecumenicorum convocationem fieri non posse in Ecclesiis orthodoxis. Audiatur Philaretus mosquensis: « Orbis christianus in duas scinditur partes, quae nisi vinculo unionis iterum consocientur, irritos conatus facient con-

(1) *Λησμονεῖ ὁ συγγραφεὺς* (Palmieri), *ὅτι τὸ ἀλάθητον ἔγκειται ἐν τῷ συνόλῳ τῆς Ἱεραρχίας ἀποφανομένης ἐν ἁγίῳ Πνεύματι ἐν συνόδοις περὶ τῆς πίστεως καὶ ἠθικῆς. Πόσα καὶ πόσα* (quaenam?...) *παραδείγματα δὲν ὑπάρχουσιν ἐν τῇ λατινικῇ Ἐκκλησίᾳ, καθ' ἃ αὐτοὶ οἱ Πάπαι οἱ δοκοῦντες ἀλάθητοι περιέπεσαν εἰς πλάνας καὶ μάλιστα ἐνῷ ἀπεφαίνοντο* ex cathedra; *Ἡ Ἐκκλησία εἶναι ἀλάθητος ἐν τῷ συνόλῳ αὐτῆς, οὐχὶ ὅμως ἐν τῷ ἑνὶ προσώπῳ καὶ δὴ τῷ Πάπα..... Ἀληθῶς, ἐὰν πρέπει νὰ ἐξετάσωμεν τὴν ὁμολογίαν τοῦ Δοσιθέου καθ' ἑαυτὴν, θὰ εὕρωμεν οὐ μόνον ἐξωτερικὴν ἐπίδρασιν, ἀλλὰ καὶ ἐσωτερικήν. Ἐφ' ὅσον ὅμως αὕτη ἐξετάζεται ἐν σχέσει πρὸς τὰς περιστάσεις τῆς τότε ἐποχῆς καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ ἔργα τοῦ Δοσιθέου, ἡ ἀνωτέρω γνώμη πολὺ μετριάζεται.* — *Νέα Σιών*, 1909, t. VIII, p. 358.

cilia oecumenica cogendi (1). Et si concilium oecumenicum nequit congregari, sua sponte fluit Ecclesias particulares, propriis viribus relictas, firmitate destitui. Scriptor Apocalypseos eas comparat candelabris, in quibus deficere potest lux veritatis oleumque amoris, quae manus audaces suo loco movere possunt, dejicere, auferre. Quaelibet particularis Ecclesia tanta non potitur virtute, ut periculum vacillandi omni discutiat aetate, ac numquam pessum eat. Haec enim virtus Ecclesiae universali tantummodo inest, quam superare nequeunt agmina inferorum (2).

Luculentius adhuc atque apertius hancce sententiam proponit πρωτοϊερεύς Paulus Svietlov, quam ad verbum espressam heic transcribimus: « Ecclesiae universali, in praesens constitutione destituitur externa, immo deest ei organum, quod patefaciat fidem communem ac voluntatem totius Ecclesiae universalis, organum videlicet illud, quod in conciliis oecumenicis tantum reperire fas est, atque olim reperiebatur. Adde, quod apud Ecclesias orthodoxas orientales eiusdem fidei vinculo coniunctas, nullam speciem constitutionis externae deprehendere licet. Unaquaeque pro suo lubito vitam ducit, et cum aliis consuetudine non coniungitur. Itaque absonum esset veritati asserere constitutam inter eas unitatem haberi, propterea quod fortuito et raro, qui eis praeficiuntur antistites, commercium epistolarum ineunt. Conficitur inde, post schisma peractum, Ecclesiam universalem in terris degentem, aggregare omnes qui Christo adhaerent fideles, quique expectant ut vinculo externo (eo carent in praesens) devinciantur, nimirum, ut potiantur externa unitate » (3).

Ex adductis clarissimorum theologorum locis pronum est nobis hasce consecutiones logicas eruere. *a*) Ad sententiam scriptorum orthodoxorum magisterium infallibile absolute requiritur in Ecclesia, quod grassantes in orbe christiano haereses sententiis, cui omnes suffragentur fideles, explodere valeat; *b*) Organum, magisterium infallibile, praeter concilium oecumenicum, aut totam hierarchiam, afflante Spiritu Santo, in unum corpus coeuntem, non datur; *c*) Singulae particulares Ecclesiae a fide deficere possunt, erroribusque in provincia fidei obnoxiae deprehenduntur. Atqui constat ex superius allatis concilia oecumenica congregari non posse in Ecclesiis orthodoxis, neque

(1) *Le métropolitain Philarète de Moscou*, *Revue Internationale de Théologie*, t. XI, 1903, pp. 350-351.

(2) Ib., p. 352.

(3) Старокатолическій вопросъ въ его новомъ фазисѣ (*Quaestio vetus catholica novaque in eius historia periodus*), Богословскій Вѣстникъ, t. I, p. 302; Valmy, *Vieux catholicisme et orthodoxie*, *Études*, t. CI, 1904, pp. 874-878.

congregatum iri, donec deleatur schisma. Ergo magisterium illud infallibile in Ecclesiis orthodoxis extinctum est ab incoepto schismate, ac decisiones, quae in conciliis particularibus condunt antistites earumdem Ecclesiarum, nequeunt infallibiles dici in rebus fidei et morum.

Fucum igitur veritati faciunt, qui perperam asserunt, Ecclesias orthodoxas, post schisma peractum, omnes sui muneris partes, ad magisterium doctrinale quod spectat, implere. Evictum enim est magisterium illud, cui hocce munus demandatur, sententias quidem *theologicas* proferre, quibus falsum subesse potest; non autem definitiones dogmaticas, quae fidelium omnium assensum rite sibi vindicent.

17. Quae hucusque disceptavimus, veritatem doctrinae catholicae de magisterio authentico ordinario atque infallibili in Ecclesia universali extra omnem ponunt dubitationem. Non potest enim concipi Ecclesiae unitas, sine fidei unitate; neque fidei unitas, sine fidei regula infallibili (1).

(1) Recolenda heic quae alias scripsimus: « Habetur in Ecclesia romana uniformitas doctrinae ac regiminis. Una fides et unum baptisma. Et sub nomine fidei omnia comprehenduntur, quae ad fidem recte interpretandam pertinent. Praesertim in ordine supernaturali humana mens nequit sine principio auctoritatis controversias dirimere, ac tranquillitatem, quae ex certitudine oritur, suis mediis acquirere. In Ecclesia romana hoc habetur principium auctoritatis, quod bellantes placat, theologorum praeliis finem imponit, dubitantibus semitam monstrat, quidquid ab omnibus sit credendum aperte proponit. Ubinam reperitur apud orientales Ecclesias hoc principium, quo sublato, ut contingit in individuis, unitas doctrinalis servari non poterit?... Est quidem unitas in praecipuis fundamentis fidei, quae a conciliis oecumenicis definita sunt: sed si novae exoriantur controversiae, quaenam est auctoritas, quae omnium consensum suis oraculis vindicet?... Ubi est in Ecclesiis orthodoxis auctoritas suprema, quae clare doceat veram sententiam, ac dubiis praecludat semitam?... Sublata auctoritate suprema, mea quidem sententia, deficit medium servandae unitatis fidei, ac pedetentim ruit Ecclesiae aedificium. Vera Ecclesia necesse est habeat unitatem universalem centrumque unitatis: tunc una est civitas aut regnum supernaturale, atque in se elementum perpetuae conservationis fovet atque evolvit ». — Palmieri, *De motivis polemicae inter catholicos et orthodoxos, Slavorum litterae theologicae*, t. III, 1907, pp. 262-63. Vim nostri argumenti conatus est infringere scriptor anonymus russus in scriptiuncula: Къ противокатолической полемикѣ: о единствѣ Церкви (*Polemica adversus catholicos: de unitate Ecclesiae*), Церковныя Вѣдомости, 1908, pp. 1997-2000. Coactus est tamen fateri praecipuum argumentum catholicae theologiae efficacissime me proposuisse: Шаковъ главный католическій аргументъ въ его наиболѣе сильной формѣ. Doleo tamen scriptorem russum suum munus obiter absolvisse, neque demonstrasse: 1 Utrum sit necessarium in Ecclesia supremum aliquod magisterium infallibile in rebus fidei et morum? 2. Utrum, posito quod sit necessarium, detur hocce magisterium in Ecclesiis orthodoxis. Unitas illa charitatis, quam sibi effingit scriptor russus, merum est figmentum. Vis argumenti catholici talis est ac tanta, ut scriptores orthodoxi, effugium

Luculenter haec quae asserimus, probat Suaresius: « Ecclesia Christi perpetuitatem habet. Haec autem Ecclesiae non potest in suo esse, et in sua puritate conservari, nisi una et eadem fides in ea semper duret; tum quia sicut est una Ecclesia et unus Deus, ita et unum baptisma, tum etiam quia fides est quasi vinculum huius Ecclesiae, et quasi forma, per quam constituuntur membra eius. Impossibile autem est unitatem fidei conservari in hac Ecclesia, nisi sit in ea aliqua infallibilis regula, quam omnia huius Ecclesiae membra in credendo, sequi teneantur. Ergo talis regula necessaria est, et ideo in Ecclesia deesse non potest; nam prudentissime et sufficientissime instituta est, neque Christus illi defuit in necessariis... Si deficeret autem regula, necessarium esset, ut unusquisque iudicium suum, et opinionem pro regula sumeret in discernenda vera fide a falsa: vel certe, quoniam vulgaris populus, et fideles indocti non possunt suo iudicio hoc discernere, necessarium esset, ut unusquisque populus doctorem aliquem pro regula fidei proponeret; tunc autem et incertissima esset talis regula, et tot essent regulae, quot iudicia doctorum, unde necessarium foret tot esse fides, quot capita Doctorum, quia haec est naturalis conditio hominis, ut inter se vix conveniant in iudiciis, in opinionibus, maxime in rebus, quae evidenter non cognoscuntur » (1).

Haec autem regula infallibilis extraordinaria est, vel ordinaria. Quod regula extraordinaria habenda sit in Ecclesia, nemo est qui ambigat inter theologos orthodoxos, eaque ponitur concilium oecumenicum. Atqui ut paulo supra diximus, concilia oecumenica, quae in

---

ut sibi compararent, declararint interdum Ecclesiis orthodoxis centrum unitatis fraternae in rebus dogmaticis et canonicis adesse, nempe *magnam* Iesu Christi Constantinopolitanam Ecclesiam: *Τὴν δὲ μεγάλην τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίαν τιμῶσιν ὡς κέντρον, οὐχὶ μονοκρατορίας δεσποτικῆς, ἀλλ' ὡς κέντρον ἀδελφικῆς ἑνότητος, συγκρατοῦν καὶ συνέχον οὐχὶ τὴν κατακυρίευσιν, ἀλλὰ τὴν μέριμναν πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν περί τε τὴν δογματικὴν καὶ τῆν κανονικὴν εὐστάθειαν καὶ συντήρησιν. Πρὸς τοῦτο τὸ ἐν ὀνόματι Χριστοῦ κατεστηριγμένον κέντρον ἀπευθύνονται πᾶσαι αἱ ἀδελφαὶ Ἐκκλησίαι* (num bulgarica ?...), *καὶ χρείας τυχοῦσης, περὶ τῶν ἀνηκόντων τῇ διακοσμήσει καὶ διατάξει τῆς καθόλου Ἐκκλησίας συναποφαίνονται. Διὸ καὶ πάντες οἱ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ὀρθόδοξοι λαοὶ τὴν μεγάκην Ἐκκλησίαν, ὡς μητέρα πνευματικὴν καὶ τροφόν, καὶ ἐν ταῖς μείσταις περιστάσεσι μέγιστον εὐεργέτην θεόθεν ἀναδειχθεῖσαν, σέβονται καὶ τιμῶσι. — Σύντομος ἀπάντησις πρὸς τὸν λοιδωρὸν φυλλάδιον τοῦ δυτικοῦ ἀρχιεπισκόπου Ἰουλιανοῦ Μαρία Ἰλλερώ*, Athenis, 1844, p. 40. Quam vanum et puerile sit hoc effugium satis abunde patet ex eis, quae superius diximus de auctoritate Patriarcharum oecumenicorum.

(1) *Disp. de fide*, Disp. V, sectio II. n. 3.

Ecclesia Catholica semper convocata sunt, et convocari poterunt, quoties id opportunum visum fuerit, in Ecclesiis orthodoxis neque congregantur, neque congregari queunt. Ergo regula infallibili extraordinaria carent Ecclesiae orthodoxae.

Sed regula infallibilis extraordinaria satis non est ad conservationem unitatis fidei in Ecclesia universali. In terris suam vitam ducit Ecclesia Christi, quapropter tenetur suam doctrinam authentice interpretari atque explanare. Certum est autem neminemque latet concilia oecumenica rarissime congregari. Itaque, ne suo munere oscitanter defungatur Ecclesia, praeter illud medium extraordinarium magisterium ecclesiasticum in provincia fidei morumque exercendi, liquidissime patet magisterium aliquod ordinarium habendum, ad fidei unitatem, haeresibus prostratis, tuendam. Rationes, quae hanc necessitatem patefaciunt, affert Suaresius: « Experientia ostendit oriri circa mysteria fidei varias controversias in Ecclesia, propter haereticorum importunitatem, et ipsos haereticos inter se etiam esse dissidentes. Ergo nisi sit aliqua viva regula habens auctoritatem statuendi, quid credendum sit, impossibile est conservari Ecclesiam cum fide, quam Christus in ea esse voluit. Etenim sola Scriptura et Traditio non sufficiunt, qui et de sensu, et de certitudine, et de qualitate illarum sunt potissimae controversiae. Deinde non sufficiunt privata iudicia dissentientium inter se: quia vel sunt paria, vel si altera pars excedat in sapientia humana, vel etiam in moribus, vel aliis coniecturis, non transcendit hoc totum probabilitatem humanam; et ita totum fidei negotium ad humanam opinionem reducitur. Denique neutra pars allegare potest spiritum privatum, infallibiliter dirigentem; tum quia quaelibet potest hoc dicere, et cum saepe contradictoria dicant, non potest utraque esse a bono spiritu; neque est maior ratio cur uni credatur potius quam alteri, quia neutra exhibet aliquod certum signum, quod a bono spiritu moveatur, cum tamen generaliter incertum sit, qualis sit talis spiritus, nisi per aliam certiorem regulam discernatur » (1).

Hoc autem magisterium infallibile ordinarium, quod leges condit in rebus fidei et morum, ad sententiam theologiae catholicae habetur in Ecclesia romana: deficit vero in Ecclesiis orthodoxis. Quo fit, ut hisce in Ecclesiis, regula fidei infallibilis non reperiatur, tam ordinaria, quam extraordinaria.

Ex hucusque disceptatis de libris symbolicis ac de magisterio fidei pronum est colligere: Ecclesias orthodoxas, in rebus fidei licen-

(1) Ib., Disp. V, sectio V, n. 4.

tiae intellectuali ingratiis favere; in Ecclesia autem romana unitatem fidei nullis subiacere periculis. Ad novas ingruentes haereses depellendas, Ecclesiam romanam sententias edere, quae valorem oecumenicum, atque authenticitatem iuridicam exhibent, cunctisque in orbe christiano fidelibus ex aequo accipiuntur; Ecclesias vero orthodoxas in opiniones theologicas discedere, quae neque omnium fidelium, neque omnium Ecclesiarum particularium suffragium sibi vindicant: Ecclesiam romanam munere magisterii doctrinalis ex apertissimo veteris traditionis testimonio defungi; Ecclesias vero orthodoxas hocce magisterium proprio marte exercere, nullo eis suffragante antiquitatis christianae teste: Ecclesiam romanam id indesinenter agere, quod anteacta aetate vel ipsa, vel concilia oecumenica egerunt; Ecclesias vero orthodoxas, traditiones veterum conciliorum oblitterasse, nec non praxim, quae ante schisma exortum, in Oriente aeque viguit atque in Occidente, Romanae sedis decisiones amplectandi, ut irreformabiles.

Cum haereses debacchantur, ac novis adaugetur declarationibus confessio fidei catholicae, qui catholicae adscribuntur Ecclesiae, aiunt: « *Roma locuta est, causa finita est.* Romanam profiteor fidem, quia sedes romana, ut mihi constat traditione a vetustioribus temporibus ad nostram usque aetatem propagata », nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculatur. Nam si, quod Deus avertat, et quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, vel cui iam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus ?... » (1).

Fideles vero orthodoxi, grassantibus haeresibus, haec aiunt: « Profiteor fidem orthodoxam, quam mihi proponit synodus petropolitana, vel Patriarcha Const., quia Petrus Magnus statuit illi parendum, scriptores autem iuris canonici byzantini supremam isti vindicarunt in Ecclesia auctoritatem ».

Prudenti lectori expendendum relinquo, quinam ex hisce sermonibus in contrarias abeuntibus sententias, proprius accedat ad doctrinam et praxim antiquioris Ecclesiae aetatis.

Mihi dubium non est quin suprema potestas (primatus), atque infallibilitas magisterii prorsus necesse habeantur, ut libri symbolici veri nominis in lucem edi valeant. Suprema enim potestas suis sententiis hoc agit, ut fidei confessio quaedam, cunctis, tanquam authentica, *extrinsece* accipiatur: infallibile vero magisterium, ut intimior ei praebeatur voluntatis assensus. Supremae auctoritati si quis non obediat, a societate scinditur, cui potestas illa praeest; suprema igitur

(1) S. Dam. Papae, *Ep. ad Anast. Imper., P. L.*, t. LVI, col. 636.

potestas, principium est unitatis externae. Infallibile vero magisterium omnes moraliter cogit ad suas sententias amplexandas, quia dubium de harum sententiarum veritate, penitus amovet. Hocce igitur magisterium unitatem fidei internam gignit. Omnes enim fideles, qui huic supremae subsunt auctoritati, eique, infallibilitate praeditae, fidem adhibent, vinculo sociali extrinseco, ac vinculo spirituali intrinseco unum corpus realiter efficiunt.

Consequitur inde, temere affirmari a scriptoribus orthodoxis, unitatem illam, in qua magnopere gloriantur catholici, exteriorem speciem tantum praeseferre, ex *tyrannidé pontificia* promanare. Hocce potuisset forte dici, si potestas suprema charismate infallibilitatis non polleret, ac violentia physica uteretur, vel morali ad suas sententias *fallibiles* ceteris inculcandas. Sed si ponamus eam infallibilem, ut de fide est in Ecclesia catholica, praeter unitatem exteriorem, vindicatur catholicis, qui auctoritatem illam praedicant ac tuentur infallibilem, unitas interior cordis mentisque. Si datur autem haec duplex unitas, sua sponte fluit Confessionem fidei, quae a suprema atque infallibili auctoritate cunctis fidelibus accipienda proponitur, librum symbolicum veri nominis constituere, librum scilicet, qui fidem sinceram Ecclesiae, cui praeficitur potestas illa, exponat, cuique omnes fideles subscribant.

Firma igitur haec sententia meo sedet animo, in catholica Ecclesia tantum Confessiones fidei exstare, quae valorem symbolicum oecumenicum praeseferant. Libri symbolici pseudo-reformationis, placita theologica, vel potius novitates continent, quas viri privati pro lubito in societatem christianam invexere. Haec vero placita fidem non expromunt huius vel illius sectae, quia theologia reformata, per liberum, quod vocant, examen, licentiam maximam in provinciam fidei inducit, totque facit religiones, quot sunt capita (1).

Libri autem ac documenta symbolica orthodoxa, vel unius Ecclesiae particularis orthodoxae fidem exprimunt, quae apprime consona non est fidei alterius Ecclesiae (validitas atque invaliditas baptismatis a Latinis collati, schisma Bulgarorum), vel suffragia omnium fidelium sibi non comparant. Auctoritas enim privata in eis loquitur, quae *theologice* controversias fidei agitat, non autem *iuridice* dirimit. Exploratum est autem hancce auctoritatem, quae privatum induit characterem, ad suam sententiam amplectandam ceteros non alligare. Ob-

(1) Reinhold, *Der alte und neue Glaube: ein Beitrag zur Vertheidigung des katholischen Christentums gegen seine moderne Gegner*, Vindobonae, 1908, p. 320.

noxia enim est erroribus, quaproter, ut rem exemplo clariorem reddam, non adest amplius ratio, cur orthodoxi russi teneantur maiorem fidem adhibere placitis tolstoianis, quam sententiis synodi petropolitanae. Absentia igitur in Ecclesia supremae auctoritatis atque infallibilis magisterii, unitatem fidei paullatim convellit, latam communit viam repugnantibus inter se doctrinis, atque obstat quominus libri symbolici veri nominis habeantur, seu libri, qui fidem exteriorem atque interiorem consensum totius Ecclesiae, veluti tersissimo in speculo, graphice exprimant (1).

(1) Supplementum bibliographicum, quod titulos refert operum praetermissorum binis in capitibus de theologia symbolica orthodoxa, ad finem nostrae tractationis adiungimus: Marcus Antonius De Dominis, *Sui reditus ex Anglia consilium exponit*, Parisiis, 1623; Catumsyritus, *Quaestiunculae circa processionem Spiritus Sancti, in qua gratis et falso accusatur ac censuratur haereseos Ecclesia graeca, seu Patriarcha Cyrillus Constantinopolitanus in orthodoxo sensu explicato, Vera utriusque Ecclesiae concordia circa processionem Spiritus Sancti*, Venetiis, 1633, pp. 1-6; Phil. Limburgius, *Praestantium ac eruditorum virorum epistolae ecclesiasticae, et theologicae*, Amstelodami, 1704 (Continet quasdam litteras Cyrilli Lucareos); Benzelius, *De sectis Ecclesiae orientalis, Syntagma dissertationum in Academia lundensi habitarum*, l. I, Francofurti, 1745 (agit de authenticitate Confessionis Lucareos, pp. 259-265); J. G. Walchius, *De veterum symbolorum in articulo de Spiritu Sancto discrepantia, Miscellanea sacra*, Amstelodami, 1744, pp. 791-797; J. C. Walchius, *Antiquitates simbolicae, quibus symboli apostolici historia illustratur*, Jenae, 1772. Continet praesertim: 1) *De symbolis veterum sacris*, pp. 3-14; 2) *De symbolis veterum militaribus*, pp. 17-26; 3) *De symbolis veterum Graecorum convivalibus*, pp. 29-41; 4) *De symbolis veterum romanorum convivalibus*, pp. 45-54; 5) *De sponsionum symbolis apud veteres*, pp. 57-66; 6) *De symbolis apostolici denominatione*, pp. 69-82; Strahl, *Der russische Metropolit Isidor, und sein Versuch die russisch-griechische Kirche mit der römisch-katholischen zu vereinen, Theologische Quartalschrift*, Tubingae, 1823, pp. 46-63; Gennadius (Scholarius), Исповѣданіе православной вѣры христіанской (*Confessio fidei orthodoxae christianae*), Христіанское Чтеніе, 1828, t. XXIX, pp. 3-13; Св. Адріана, Патріарха, возваніе къ православнымъ христіанамъ по случаю изданія въ свѣтъ въ славянскомъ переводѣ книги: Православное исповѣданіе Каѳолической Апостольской Перкви восточной (*Adhortatio ad christianos orthodoxos, arrepta occasione ex versione slavica libri, cui titulus: Confessio orthodoxa Ecclesiae catholicae apostolicae orientalis*), Христіанское Чтеніе, 1843, t. IV, pp. 376-388; Melchisedec (episcopus), *Sinodul Constantinopolitanŭ din anul 1593, Biserica orthodoxă română*. 1881, V, pp. 785-796; Zotu, *Aşa numită schismă bulgară*, ib., 1882, VI, pp. 597-608; Gorsky, О церкви греческой съ 1453 года до начала XVIII столѣтія (*De Ecclesia graeca ab anno 1453 usque ad principium saeculi XVIII*), Прибавленія operibus sanctorum Patrum russice versis, 1883, XXXII, pp. 415-23 (agit de synodis graecis saeculi XVII); Keramevs, *Περὶ τῆς τρίτης πατριαρχίας Συμεὼν τοῦ Τραπεζοντίου, Δελτίον* societatis atheniensis ethnologiae atque historiae, 1890, III, pp. 478-86; Golubev, Южно-русскій православный катехизисъ 1600 года (*Catechismus ortho-*

CAPUT IX.

De natura, definitione ac vitiis Theologiae polemicae, scriptoribus catholicis vitandis.

1. De appellationibus ac definitionibus theologiae polemicae: accuratior eius definitio ac distinctio a theologia apologetica, dogmatica et symbolica. — 2. De utilitate ac necessitate theologiae polemicae. — 3. De vitandis in theologia polemica, nimirum α' minutiarum studio; β' negatione consensionis in plurimis inter utramque Ecclesiam; γ' negatione cuiuslibet discrepantiae inter utramque Ecclesiam; δ' silentio circa adversariorum obiectiones; ε' censura rectae doctrinae adversariorum; ς' studio decertandi tantum pro victoria assequenda; ζ cupidine humanae gloriae. — 4. De motivis, quibus vehementiore studio opus est impellamur ad schisma debellandum, ac legibus charitatis in controversiis theologicis cum orthodoxis obtemperandum — 5. Utrum liceat in controversiis theologicis cum orthodoxis uti epitheto *schismatici*.

1. Late exploravimus provinciam theologiae symbolicae orthodoxae, ex qua absolutissima comparatur nobis cognitio fidei, quam seiunctae a romana Ecclesia profitentur Ecclesiae orientales. Sterile tamen vide-

---

doxus Russiae meridionalis in lucem editus anno 1600), Kioviae, 1890; Erbiceanu, *Insemnări și esplicatiŭ asupra enciclicei, adresată orientalilor de papa Leon XIII, Biserica ortodoxă română*, 1894, XVIII, pp. 1006-1022; Zerlentis, *Ἐπιστολὴ Κυρίλλου Λουκάρεος πρὸς Ἀλέξιον Ὀξεντιέρναν*, Athenis, 1902; Spassky, Вопросъ о подлинности правилъ Сардикійскаго собора въ современной западной литературѣ (*Quaestio de authenticitate canonum concilii sardicensis in hodierna litteratura occidentali*), Бог. Вѣстникъ, 1902, t. I, pp. 345-84; Kononov, Разборъ нѣкоторыхъ вопросовъ, касающихся Стоглава (*Examen quorumdam quaestionum ad synodum centum capitulorum spectantium*), ib., 1904, t. I, pp. 663-701; *Sinodul din Iasi, in 1752, prin care se indepărtează streinii grecii de a intra în ierarhia bisericeĭ nationale, Bis. ort. română*, 1907, XXXI, pp. 174-180; Benechevitch, Синайскій списокъ отцовъ Никейскаго перваго вселенскаго собора (*Elenchus sinaiticus Patrum primi concilii oecumenici nicaeni*), Petropoli, 1908 (Excerptum ex Actis — Извѣстія — Academiae imperialis scientiarum); id., Молитва отцовъ никейскаго перваго вселенскаго собора (*Oratio Patrum primi concilii oecumenici nicaeni*), Petropoli, 1908 (Excerptum ex eodem commentario periodico); *Παράλογοι ἀξιώσεις τῆς βουλγαρικῆς ἐξαρχίας*, Constantinopoli, 1909; *Ἐπιστολὴ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως, Γαβριὴλ τῷ Παντογάλλῳ* (1616), *Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος*, Alexandriae (in Aegypto), 1909, t. IV, pp. 271-272. De catechismis Graecorum permulta erudite tradit Iugie in praecitata opella, pp. 90-126. De Graecorum conciliis ac de magisterio doctrinali in Ecclesia fuse egimus in opere: *Il progresso dogmatico nel concetto cattolico*, Florentiae, 1910, pp. 90-130. De synodo iassiensi ac de Confessione Petri Moghilae optime disseruit Pargoire, *Meletios Syrigos, sa vie et ses oeuvres, Échos d'Orient*, t. XII, 1909, pp. 24-27; 285-286.

retur nobis huiusce theologiae studium, nullumque ex ea nos fructum decerpturos vel ad fovendam unitatem christianam, vel ad provehendas disciplinas theologicas, nisi, progressi ulterius, eam ad altiorem finem assequendum usurparemus. Haud enim satis est apprime ex purissimis fontibus placita theologiae orthodoxae, ac dogmata fidei orthodoxae haurire. De hisce placitis, de hisce dogmatis nobis ferendum est iudicium, examen instituendum, sententia pronuntianda, eaque perpendenda ad normas fidei catholicae, et quidquid huic repugnet, tanquam alienum a catholica veritate rejiciendum. Theologia symbolica breviter accurateque doctrinam fidei orthodoxae exponit; hancce vero expositam alterius nominis disciplina theologica, doctrinae catholicae trutina pensat, atque hoc munus sibi vindicat theologia, quae vulgo polemica audit. De ea in praesens mihi generatim agendum.

α) Theologia polemica denominationem sortitur *ἀπὸ τοῦ πολεμεῖν* quapropter, si etymon spectes, bellum significat, peculiarem innuit theologiam illam, quae cum inimicis veritatis christianae latissimo sensu acceptis dimicat. Me quidem non latet nomen istud quidpiam a christiana mansuetudine et charitate alienum praeseferre, ideoque, ut minus congruum tolerantiae ecclesiasticae ex theologia christiana expungendum nonnulli decrevere ([1]). Apostolus enim docet servos Domini lites non decere, sed mansuetudinem et patientiam: *δοῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλὰ ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικόν, ἀνεξίκακον*, II Tim., II, 24. atque hortatur ut quaestiones vitentur, quae lites generant: *τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι γεννῶσιν μάχας*, Ib., 23. Sermones ad fidem edocendam, persuasibilibus humanae sapientiae verbis non innituntur, sed in ostensione spiritus et virtutis: *ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει Πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει τοῦ Θεοῦ*, I Cor., II, 4.

At, proh dolor! prava germina enascuntur in vinea Ecclesiae, cito excrescunt, vitalibus succis furtim enutriuntur, ac nisi radicitus convellerentur, ubertatem illius vineae pessumdarent. Pacem quidem deperit Ecclesia Christi, pacemque indesinenter cunctis praedicat; sed, ne segniter suo munere defungatur, ne suarum virium ac pulchritudinis divinae iacturam patiatur, non potest quin suos intra limites grassantes hostes profligat, ac sternat, quo fit ut ingratiis ad bellum adigatur. « Hac in re optandum foret, ait theologus quidam lutheranus,

([1]) Gudme, *Protheoria theologiae polemicae, sive praeparatio ad studium in theologiam polemicum*, Hafniae, 1752, p. 33.

veritates revelatas nullos plane adversarios habere: quam lubenti tunc animo ab omni controversiarum genere abstinere vellemus. Verum cum haereses esse oporteat, cum quotidie insurgant, qui totum revelationis corpus pessumdare moliantur; cum hanc alii aliam eius partem adgrediantur; quis sustineat ministros religionis otiosos consistere, iniuriam dominae, ac matri suae illatam aequanimiter ferre, eamque calumniantibus annuere? Licebit ergo adversariis pro erroneis opinionibus decertare, religionem fidemque quovis modo impetere, recte credentibus impune insultare; at hisce probra diluere, religionis apologiam dicere, illam et seipsos contra iniustos adgressores defendere non licebit?... Nemo aequus rerum arbiter hanc, opinor, iniquam legem credentibus imponet » (1). Suo exemplo ipsi Apostoli demonstrarunt pugnas interdum agendas pro tuenda fide christiana (2).

Si cuipiam tamen hocce nomen immite videatur, praesto sunt alia epitheta, quae munus proprium theologiae polemicae ad amussim nobis proponunt. Quidam eam appellitarunt theologiam *elenchticam*, *ἀπὸ τοῦ ἐλέγχειν*, quo verbo utitur Apostolus: *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος... πρὸς ἐλεγμόν*, II, Tim. III, 16; *κήρυξον τὸν λόγον, ... ἔλεγξον*, Ib., IV, 2; *ἵνα δυνατὸν ᾖ... καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, Tit., IV, 9; *ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως*, Ib., 13; *ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς*, Ib., II, 15. Verbum *διακαταλέγχειν* usurpatur in Actis Apostolorum, cum narratur Stephanum argumenta refellisse Iudaeorum, qui Iesum Christum Deum esse negabant: *Εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν Γραφῶν εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν*, XVIII, 28. Illud *ἐλέγχειν* aptissime munus innuit theologiae polemicae, quippe quae, ait Buddeus, id quod caput est, ipseque simul modus exprimitur; cum hoc unice in controversiis theologicis agendum sit, ut rationibus evidentissimis solidissimisque dissentientes erroris convincantur (3).

Apud scriptores orthodoxos appellatio theologiae *elenchticae* obtinuit: Богословіе обличительное, quia, ut episcopus Innocentius animadvertit, epitheton polemicae hostilitatem pandit atque inimicitiam. Haec eadem denominatio apud Graecos invaluit, qui suis libris adversus catholicos vel protestantes conscriptis titulos faciunt *ἐλέγχων*, vel *ἀνασκευῆς* (Confutatio). Theología polemica elenchtica audit, quatenus finem sibi proponit persuasionem veritatis in animos inducendi, ac falsas arguendi sententias. Denominatur etiam *antithetica*, quia

(1) Scheidel, *De natura, utilitate, et iustis limitibus theologiae polemicae in scholis seorsim a dogmatica tradendae*, Moguntiae, 1784, pp. 35-36.

(2) *Isagoge ad theologiam universam*, pp. 965-969.

(3) Innocentius, Богословіе обличительное, t. I, Kasan, 1859, p. 8.

propositiones, quae *antitheses* veritati praebent, solvendas aggreditur (1); *controversistica*, quia repugnantes inter se perpendit doctrinas, de iisque suum profert iudicium. Haud raro *comparativam* eam dicunt scriptores russi (богословіе сравнительное), vel *examem confessionum occidentalium* (разборъ западныхъ исповѣданій). Omnes, quas recensuimus denominationes, elementum essentiale theologiae polemicae (hac denominatione utemur, quippe quae magis in theologia catholica invaluit) collocant in luce, videlicet conatus tuendi doctrinam cuiusdam Ecclesiae vel sectae, contra obiectiones adversariorum.

β' Theologia polemica suos habet cultores inter protestantes, orthodoxos et catholicos. Variae de ea feruntur apud scriptores definitiones, ex quibus paucas tantum ac praecipuas meminisse iuvabit. Omnium primi in ordinem eam systematice redigere protestantes aggressi sunt, seiunctam interdum a theologia dogmatica, interdum cum ea ita coagmentatam, ut unam efficeret scientiam, sub nomine *theologiae didactico-polemicae*, vel *dogmatico-polemicae* (2).

Quenstedtus potius eam describit, quam definit: « Theologia polemica controversias theologicas veteres et recentiores tractat, statum quaestionis rite format, coelestem veritatem argumentis e Sacris Scripturis petitis confirmat, confirmatam ab exceptionibus vindicat, vindicatam contra obiectiones asserit, adeoque in *ὀρθοδοξίας κατασκευῇ καὶ ἑτεροδοξίας κατασκευῇ*, seu in adstruenda veritate, et destruenda falsitate occupata est » (3). « Per theologiam polemicam, ait Buddeus, eam intelligimus theologiae partem, quae veritatem doctrinae, ex Scriptura Sacra haustae, in rebus praecipue ad salutem consequendam necessariis, contra insultus dissentientium rite defendit, et errores refutare docet, ut puritas istius doctrinae conservetur, et vitae aeternae hominumque saluti consulatur » (4). Iuxta Gudme « scientia est refutandi errores theologicos » (5). Hisce verbis eam definit Cotta: « Theologia polemica est pars theologiae principalis, quae veritates divinas ex Sacris Scripturis haustas a dissentientum obiectionibus vindicare, erroresque oppositos confutare, quin et de illorum pondere et momento iudicare docet » (6). Iuxta Scheidel « scientia est modum tradens errantes, sive haereticos impugnandi, et ad veram religionem ducendi » (7).

(1) Gudme, p. 34.

(2) Heinrich, *Theologische Encyklopädie*. Tubingae, 1893, p. 229.

(3) *Theologia didactico-polemica, sive systema theologicum in duas sectiones didacticam et polemicam divisum*, Wittembergae, 1696, pp. 11.

(4) Op. cit., p. 963.

(5) P. 32.

(6) *De variis theologiae speciebus*. Tubingae, 1759, p. 11.

(7) Op. cit., pp. 9-10.

Hae omnes definitiones ad veterem tantum theologiam polemicam pseudo-reformationis accommodantur. Nostra enim aetate theologia polemica, quae apud protestantes obtinet, in suo munere persolvendo, missa facit argumenta theologica, atque omnem industriam ponit in historia explorandâ, quo fit ut magis magisque a provincia theologicarum disciplinarum arceatur (1). Insuper adnotamus fere totam, quae iam extabuit, veterem protestantium polemicam, pluteos vineasque admovisse ad catholicam doctrinam evertendam, atque hosce conatus in praesentia renovare.

Inter varios scriptores orthodoxos, qui de theologia polemica egerunt, concinne eam definivit Innocentius, rector academiae ecclesiasticae kasanensis: « Theologia polemica ea est quae versatur in critico examine doctrinae coetuum illorum, qui nunc temporis haud rectam profitentur fidem christianam, ac potissimum in eorum dogmaticis erroribus refellendis » (2). Non desunt tamen qui eam unum idemque faciant cum apologetica fidei christianae, eique munus demandent veritates revelatas contra assultus tam incredulorum, quam heterodoxorum tuendi.

Apud scriptores catholicos tanti non fit theologia polemica, ut seiuncta a theologia dogmatica in scholis tradatur, atque in compendia systematice redigatur. « In rebus enim catholicis, apte animadvertit Pichler, melius agit, qui defensionem potius quam aggressionem conetur; nos sumus in possessione veritatis, et verae Christi Ecclesiae. Adversarii autem aggrediuntur nos, et ex hac possessione moliuntur deturbare » (3). Ad sententiam ipsius scriptoris, theologia polemica scientia est, quae fidem asserit, roborat ac defendit (4). Berti eam definit « scientiam, qua cum haereticis, ceterisque fidei hostibus funem ducimus contentionis, videlicet scientiam, quae in dirimendis controversiis inter fideles et orthodoxos versatur » (5). Gazzaniga « artem seu scientiam verae religionis dogmata contra omnes errores tuendi, atque errantes ipsos opportunis mediis ad veritatis semitam redu-

(1) Die gegenwärtige Polemik legt nicht mehr das Hauptgewicht auf den dogmatischen Beweis: sie ist geschichtlich entsprechend dem auf das historische, Reale gerichtetem Interesse der Gegenwart. Der Geschichtbeweis hat den dogmatischen Beweis in den Hintergrund geschoben. — Schultze, *Evangelische Polemik*, apud Zöckler, t. III, p. 349.

(2) Op. cit., t. I, p. 7.

(3) *Cursus theologiae polemicae universae*, Augustae Vindelicorum, 1713, p. 10.

(4) Ib., p. 6.

(5) Op. cit., t. I, p. 3.

cendi » (1). « Theologia polemica, ait Thill, est disciplina sacra, quae fidei dogmata, et ex illis deductas conclusiones ab adversariorum impugnationibus vindicat, atque defendit » (2). Liebermann eam definit, « Disciplinam quae novarum opinionum commenta dissolvit, et in evertendis oppositionibus versatur » (3), atque implexis verbis Ianssens, « theologiam, quae directius adversarium impugnat, non eum quidem, quem in dubiis propriis intellectus, impulsuve inferioris suae partis quisque reperit, sed externam hanc vel illam doctrinae revelatae partem minaci telo impugnantem » (4).

Ex hisce aliisque, quas supervacaneum arbitror afferre, definitionibus, satis abunde patet eam propriis scientiae peculiaris limitibus non contineri. Neque id mirum, cum vulgo seiunctim a theologia dogmatica in scholis non tradatur, neque tradendam scriptores optimae notae putent (5). Hancce sententiam diiudicare mihi animus non est. Haud videor tamen mihi abs re facturus, si maiori accuratione obiectum proprium theologiae polemicae definiam. Nisi enim perperam asserere velimus hancce denominationem ampullas praeseferre, opus est statuamus theologiam polemicam obiectum proprium a ceteris partibus theologiae latissimo sensu acceptae usurpare. Equidem verum est, in scholis catholicis, seiunctam a theologia dogmatica, eam non tradi: nihil tamen vetat quominus diligentius excolatur, potissimum in regionibus illis, quae catholicos protestantibus vel orthodoxis admixtos habent. Dedecus enim foret, imbecilles, ne dicam inermes, iuvenes in spem catholicae Ecclesiae succrescentes, certamen inire cum suis adversariis, quos pravae ex compendiis theologiae polemicae vel lutheranis vel orthodoxis haustae persuasiones, infensissimos reddiderunt veritati catholicae. Itaque si diligentius, saltem in quibusdam locis, theologia polemica excolenda sit, fieri non potest, quin certos limites ei ponamus, ne in totam provinciam disciplinarum theologicarum, immissis veluti habenis, excurrat.

(1) *Theologia polemica*, Moguntiae, 1783, t. I, pp. 2-3.

(2) *Exercitatio theologica de locis seu fontibus theologiae christianae*, I, Romae, 1820, p. 5.

(3) T. I, p. 3.

(4) T: I, p. 5.

(5) Liebermann, t. I, p. 4. Russicus etiam scriptor proposuit nuperrime Theologiam polemicam penitus oblivioni mandandam in seminariis, vel saltem obiter attingendam: Обличительное богословіе, какъ самостоятельный предметъ, могло бы быть, если не совершенно уничтожено, то въ значительной степени сокращено въ семинаріи. — Levitov, Къ вопросу объ учебникѣ догматическаго богословія въ духовныхъ семинаріяхъ (*De compendio theologiae dogmaticae in seminariis adhibendo*), Вѣра и Разумъ, 1908, t. II, p. 291.

γ') Hosce limites constituit, ni fallor, definitio theologiae polemicae, quam prudentis lectoris iudicio subjicimus: « *Theologia polemica ea est disciplinarum theologicarum pars, quae ex authenticis divinae revelationis fontibus catholicam veritatem contra grassantes in societate christiana haereses, tuetur, earumque cavillationes enodare nititur, ut deerrantes haereticos per acceptam ab eis catholicam fidem, participes faciat aeternae salutis.* Singulas partes huiusce definitionis perpendemus, ut pateat theologiam polemicam per propositam nobis definitionem secerni a theologia apologetica, dogmatica et symbolica.

a) Diximus primum theologiam polemicam partem efficere theologicarum disciplinarum, videlicet naturam, indolem, praerogativas theologiae veri nominis sibi vindicare. Obiectum enim materiale theologiae Deus est, ac veritates illae, quae ad Deum referuntur: obiectum vero formale est revelatio tanquam obiectivum principium cognitionis, vel immediatum, vel mediatum. Atqui theologia polemica eadem habet obiecta, materiale et formale. Ergo theologia veri nominis dicenda est. Me quidem non latet suo quodammodo iure theologiam polemicam ad pravas referri sententias, quae puritatem fidei nituntur infuscare. At, si rem attentius spectes, directe tendit ad veritates illas, quae Deum, vel immediate, vel mediate, spectant, clarissima in luce ponendas. Conficitur inde, obiectum materiale, quod sibi vindicat pertractandum, haereses sane non esse, sed veritates divinae revelationis. Adde, quod in provinciam philosophiae non excurrit theologia polemica: rationes humanas in suo munere obeundo non usurpat, sed ex firmissimis divinae revelationis thesauris sua depromit argumenta, divinam scilicet revelationem sibi sumit tanquam principium cognoscitivum, de quibus agit. Ergo ad obiectum tam materiale, quam formale quod attinet, theologia polemica vere est pars theologiae revelatae.

b) Diximus *ex fontibus authenticis divinae revelationis.* Hisce verbis utimur ad innuendum theologiam *polemicam* realiter distingui a theologia *apologetica.* A permultis enim scriptoribus utrique theologiae prorsus eadem assignatur provincia, quo fit, ut plane eadem de utraque concinnetur definitio. Audiatur Del Val: « Apologetica christianas veritates propagandas assumit, et obiectiones solvere nititur, quibus divina dogmata ab adversariis impetuntur: polemica adversarios directe impugnare aggreditur, eorumque erroneam doctrinam refellere » (1). Supra significavimus archim. Antonium nomen theolo-

(1) Op. cit., t. I, p. 5.

giae apologeticae adhibuisse pro exprimenda theologia polemica. Etiam graecus theologus Scaltzunis latissimum statuit campum theologiae apologeticae, in refellendis quibuscumque contra fidem christianam erroribus, quo fit, ut fere eam non distinguat a theologia polemica (1).

Profecto non negaverim arctissimo quodam vinculo theologiam apologeticam cum theologia polemica consociari: unum tamen idemque munus atque eam exercere, nefas est decernere. Datur enim haud parva distinctio in obiecto materiali. Theologia apologetica complectitur praeambula fidei ac motiva credibilitatis (2); theologia autem polemica veritates stricte revelatas, dogmata fidei, quorum scientiam per divinam assequuti sumus revelationem. Elementum philosophicum ac rationale illa includit; haec vero expuit. Obiectum suum materiale attingit theologia apologetica lumine naturali rationis; theologia vero polemica, aeque ac dogmatica, lumine supernaturali fidei. Magis illa indulget curiositati humani ingenii, quod oculos defigere conatur in abditissimam Dei scientiam, ut ratiocinio, si fieri potuisset, eam metiretur: nititur haec magis auctoritate Dei revelantis, cuius sapientia per Iesum Christum revelata, perque Apostolos transmissa, ad nos usque pervenit. In vestibulo fidei, ut ita dicam, illa sistit; haec provinciam fidei totam explorat ac lustrat. Equidem non asserimus ex penu philosophiae theologiam apologeticam suam materiam tantum haurire. Etenim, si hoc faceret, potius philosophia religionis, quam theologia apologetica diceretur. Philosophia religionis vel apologetica philosophica per se non requirit lumen supernaturale revelationis, quia argumenta rationalia in philosophia tantum usurpantur. Theologia apologetica e contrario per se requirit fidem in viro, qui eam aggreditur, requirit firmissimam persuasionem de existentia revelationis christianae, quo fit, ut diversimode *subiective* veritates, de quibus agit apologetica philosophica, pertractentur in theologia apologetica. In illa disputat ratio naturalis, suis viribus relicta; in ista, ratio supernaturalis, lumine fidei illustrata, ideoque mirum non est hocce elementum naturale etiam *obiective* influere, maiorem scilicet firmitatem adiungere demonstrationibus philosophicis, easque efficacius ab immixtione errorum tueri.

(1) *Ἡ ἀπολογητικὴ εἶναι εἷς τῶν κλάδων τῆς θεολογικῆς ἐπιστήμης, ἐν ᾧ ἀναπτύσσονται πάντες οἱ λόγοι καὶ αἱ ἀποδείξεις τῆς ἀληθείας τῆς χριστιανικῆς πίστεως, ἀνασκευάζονται δὲ καὶ ἀποκρούονται πᾶσαι αἱ ἀντιτασσόμεναι ἐνστάσεις καὶ γινόμεναι ἐπιθέσεις κατὰ τῆς θρησκευτικῆς τῶν πιστῶν συνειδήσεως. — Θρησκεία καὶ ἐπιστήμαι· δημώδης τοῦ Χριστιανισμοῦ ἀπολογιτική*, Athenis, 1898, p. 4.

(2) De Groot, *Summa apologetica*, p. 4.

Conficitur ex dictis theologiam apologeticam, neque partem efficere disciplinarum theologicarum, quia penitus non excludit elementum supernaturale in veritate christiana demonstranda, neque stricte nomen theologiae mereri. Ad rem Franzelin: « Dum firmissima christiana persuasio de existentia revelationis explicatur et elucidatur per distinctam comprehensionem motivorum credibilitatis, atque ita intelligentia rationum, ex quibus factum divinae revelationis relucet, extensive et intensive amplificatur, exoritur pars illa theologiae, quae dicitur apologetica. Haec autem non meretur nomen theologiae christianae, nisi quatenus nititur ut suo fundamento primitivae persuasioni supernaturali ex lumine fidei: hic enim nexus cum persuasione supernaturali si desit, poterit esse philosophica propaedeutica ad theologiam christianam; theologia christiana proprio sensu non erit » (1).

Cum igitur statuimus in nostra definitione theologiam polemicam erui ex fontibus authenticis divinae revelationis, declaramus lumen supernaturale fidei non *concomitanter* se habere ad rationem naturalem, ut contingit in provincia theologiae apologeticae, sed principium esse cognoscitivum veritatum, de quibus inquirimus; statuimus, intra limites proprios theologiae christianae veri nominis excurrere theologiam polemicam, dum theologia apologetica ex finibus philosophiae in provinciam theologiae revelatae, cuniculis, ut ita dicam, patefactis, nititur ingredi. Statuimus denique in eodem obiecto pervestigando utramque scientiam non versari. Theologia polemica proxime attingit quod revelatione immediate cognoscitur; theologia vero apologetica quod ratione assequi valemus, quamvis non repugnet ut simul sit obiectum divinae revelationis, verbigratia existentia Dei.

c) Diximus, catholicam veritatem tuetur contra grassantes in societate christiana haereses ut eam a theologia dogmatica secernamus, atque accuratius obiectum, quod sibi vindicat pertractandum, definiamus. Si obiectum formale spectes, theologia polemica nihil sane differt a theologia dogmatica. Ex principiis enim revelationis suas conclusiones eruit, ac veritates revelatas discutiendas sibi sumit, nempe obiectum suum materiale lumine supernaturali fidei disquirit. Haereses quidem impugnat, at veritates illas, quas ab haeresium assultibus defendit, ut divinitus revelatas accipit, easque argumentis ex fontibus divinae revelationis haustis roborat. Principium igitur obiectivum cognitionis in utraque theologia, idest, divina revelatio, unum idemque est. Hac de causa perdifficile est utramque seiungere, ac di-

(1) *Tractatus de Deo uno secundum naturam*, Romae, 1883, p. 15; Ottiger, *Theologia fundamentalis*, Friburgi, 1897, p. 15.

versos, ut ita dicam, cancellos, uni alterique statuere. Ad rem Fejer: « Aegre aut vix potest ita seiungi theologia dogmatica a polemica, ut dum una argumenta sua adcuratius exponit, in campum alterius non excurrat. Sunt enim sententiae orthodoxae ita colligatae, ac implicitae saepius adversariorum opinionibus, ut sine his explicari illae, aut plene intelligi, minime possint » (1). Identitas enim obiecti formalis prohibet quominus differentia specifica inter utramque ponatur. Consequitur inde, censoria virgula dignos non esse ut notentur scriptores catholici, propterea quod coagmentatam cum theologia dogmatica eam tradant.

Attamen, si methodum spectes, obiectumque materiale, theologia polemica realiter distinguitur a theologia dogmatica. Haec enim veritates fidei simpliciter exponit; illa vero tuetur: haec in id tendit ut fidelium mentes sanae fidei doctrinis instituat; illa, ut fidelium mentes ab errorum insidiis praemuniat: haec valetudinem fidei in fidelibus spectat, ut firmiorem eam reddat, novisque adaugeat viribus; illa vero in morbos praesertim obtutum defigit, ut, eis depulsis, faciliori negotio comparatam sibi per fidem bonam valetudinem sartam tectamque conservet. Theologiae dogmaticae navamus operam, tanquam integerrimi praeceptores fidei; theologiae polemicae, tanquam medici solertes ad praecavendos errores in fide. Partem positivam sibi vindicat illa in provincia theologiae christianae, nimirum, traditionem doctrinae; partem negativam ista, repulsionem haeresium.

Illa nostrorum oculorum aciem acuit, et clariores nobis facit veritates fidei: aerem istam, quo circumfundimur, nitidiorem efficit, ut huiusmodi veritates sua in luce divina pertingamus. Summatim, hocce propositum est theologiae dogmaticae, ut clarissima luce veritates divinae revelationis perfundantur, dum theologia polemica id potissimum persequitur, ut fideles, in veritate confirmati, errorum insidias anteveniant.

Ad obiectum autem materiale quod attinet, generatim asserere licet provinciam theologiae dogmaticae latius se extendere quam theologiae polemicae. Pars datur quidem communis utrique theologiae, dogmata fidei catholicae, quae exponenda sibi vindicat, ista defendenda. At constat etiam, praeterv eritates divinitus revelatas, theologiam dogmaticam sua lance pensare vel opiniones theologicas, ac sententias quae in deposito fidei non continentur, quaeque tanquam veritates divinitus revelatae accipiendae non proponuntur a magisterio ecclesiastico. E contrario, in provinciam theologiae polemicae ea tantum

(1) *Institutiones theologiae dogmaticae*, t. I, Vindobonae, 1819, p. 31.

locum habent, quae exclusive ad fidem, ad revelationem pertinent. Veritates enim asserit ac tuetur, quas haereses impugnant, scilicet veritates dogmaticas. Conficitur inde, *speculative* obiectum theologiae dogmaticae excedere obiectum theologiae polemicae, quamvis haec *practice* latius se extendat. De mediis enim agit quibus facilius ad veritatem fidei catholicae amplectendam adduci queunt ipsius veritatis osores, qui haereticorum laqueis irretiti, eam reiecerunt. De hisce mediis silet theologia dogmatica, quae, ut diximus, valetudinem fidei spectat, quin medelas patefaciat ad morbos fidem labefactantes depellendos (1). Scriptores etiam protestantes tuentur realem inter utramque theologiam distinctionem (2).

Tanquam corollaria ex proposita inter theologiam dogmaticam et polemicam distinctione eruimus: *Primum*. Theologia polemica, stricte quaestiones morales non ingreditur, quae potius theologiae apologeticae reservantur discutiendae. Proprium obiectum theologiae polemicae in veritatibus fidei ponitur, quibus refragantur haereses, scilicet, in veritatibus dogmaticis speculativis. *Secundum*. Theologia polemica catholica cum hostibus domesticis religionis christianae decertat, nimirum haereses christianas proprie dictas oppugnat. Qua in re notandum, theologiam polemicam, ut partem distinctam theologiae dogmaticae post infandum Lutheri lapsum coeptam fuisse haberi, quando scilicet pseudo-reformationis novatores praecipuas fidei catholicae veritates concutere aggressi sunt. Suapte igitur natura theologia polemica bellum non gerit adversus rationalistas, atheosque, seu hostes externos, qui prorsus rejiciunt *factum* revelationis, nullumque sibi veritatis fontem agnoscunt, praeter rationem humanam. Confutatio rationalismi proprie spectat ad theologiam apologeticam. *Tertio*. Apud scriptores catholicos, theologia polemica interdum pugnam committit cum iudaeis et mahumetanis. Qui ita se gerunt, incusandi non sunt perinde ac si alienam usurpaverint a theologia polemica provinciam. Quamvis enim hostes externi censeantur illi, ex parte tamen iisdem ac nos utuntur fontibus divinae revelationis, Iudaei Vetere Testa-

(1) Gazzaniga, pp. 3-4.

(2) « Theologia dogmatica habet pro obiecto veritates revelatas in verbo Dei cognitas; polemicae errores et falsa systemata. Haec demolitur, haec arcem expugnat. Finis ultimus idem; proximus alter; dogmaticae, ut fideles cognoscant veritatem sine nubibus; polemicae, ut convincantur errores, et reducantur ad tramitem veritatis. Dogmatica proponit ac determinat fidei veritates, propositas tradit ac demonstrat; polemica decertat, armis depromptis ex revelatione, erroresque simul in ipsis adversariorum principiis, in pugna opinionum, in variis doctrinis, ex absurdis sequentibus demonstrat ». — Scheidel, pp. 10-11.

mento, Mahumetani autem Vetere et Novo. Cum autem uberrima traditionis christianae testimonia ad fidei catholicae veritatem ostendendam contra iudaeos et mahumetanos afferre nobis non liceat, in eis refellendis potiorem impendit operam theologia apologetica. Cum enim praecipua denegent mysteria fidei christianae, auctoritatem traditionis, magisterium Ecclesiae, sacramenta, tam iudaei quam mahumetani rationalistarum in castris mereri stipendia iure feruntur, eo magis quod baptismatis expertes in societatem christianam non cooptentur.

d) Diximus *eontra hodiernas haereses* ut innuamus temporis adiunctis magis indulgere theologiam polemicam quam dogmaticam. Haec enim compaginem doctrinarum fundamentalium constituit, quae, labentibus saeculis, nihil admittunt, nihilque expungunt, ac, si decrementum vel incrementum aliquod in ea deprehenditur, utrumque ad theologicas spectat opiniones, quae ex humana speculatione in disciplinas theologicas profluxere. E contrario, theologia polemica non omnes semper easdem veritates fidei ab iisdem vindicat erroribus. Veritas enim perenni fruitur vita, error quidem caduca. Quum autem theologia polemica practicum etiam finem persequatur, mirum non est absonum ei esse refutationes aggredi, quibus explosae iam praeteritis saeculis haereses quodammodo reviviscant. Nullum sane *practicum* emolumentum caperet theologia polemica, si veterum haeresium, verbigratia gnosticismi, arianismi, eutychianismi produceret ἔλεγχον. Huiusmodi enim haereses non modo vetustate iam extabuere, sed etiam fere penitus evanuerunt, radicitus extirpatae sunt, quapropter in historia ecclesiastica tantum de eis instituitur sermo. Eas igitur missas facit theologia polemica, atque in illas potissimum sua iacit tela, quae vita in praesens fruuntur, immo humanis opibus adauctae, catholicae Ecclesiae castra expugnare ac populari maiori contendunt nisu. Unde iam illud manat, ad complexum obiecti materialis quod attinet, theologiam polemicam stabilitatem illam non praeseferre, quam in theologia dogmatica deprehendimus, sed pro tempore, hanc vel illam sui obiecti partem penitius investigare, ut tutius defendat.

e) Diximus, *cavillationes haereticorum nititur enodare*, ut realem distinctionem asseramus inter theologiam polemicam ac theologiam symbolicam, Haec tam verae Christi Ecclesiae, quam ceterarum falsi nominis Ecclesiarum vel haeresium doctrinam et placita exponit, illa vero refellit; haec personam gerit viri, studio partium nullimode addicti, qui discrepantes christianorum coetuum sententias declarat; illa bellatoris, qui discrepantes a veritate sententias adoritur. Obiectum materiale unum idemque est in utraque theologia. Aeque ac theologia polemica, theologia symbolica sententias doctrinamque exponit, tam

verae Ecclesiae, quam obnitentium ei haeresium: methodus tamen in utraque alia omnino est. Prior se gerit bellicose, posterior pacifice (1). Paucis, theologia dogmatica in suo obiecto pervestigando, methodum sequitur *demonstrativam* ex principiis revelationis; symbolica vero methodum *declarativam*; theologia denique *polemica*, methodum *aggressivam*. Ex *principiis revelatis* theologia dogmatica veritates fidei divinitus revelatas *demonstrat*; hasce veritates, prout a vera Ecclesia proponuntur, ac sententias eis repugnantes *exponit* theologia symbolica; errores contra veritates revelatas, ut efficacius hasce tuetur, *explodit* theologia polemica. Theologiae igitur symbolicae complementum habetur theologia polemica. Vix aut ne vix proficeret theologia christiana, si tantum sisteret in nuda discrepantium sententiarum expositione, quam nobis comparat theologia symbolica, ac munus repudiaret falsas evertendi sententias, veras autem clariore in luce ponendi, quod munus sibi demandat theologia polemica.

Heic adnotandum, eadem sane ratione ac theologiam polemicam theologiam symbolicam firmitate carere, ad complexum sui obiecti materialis quod attinet. Theologia enim symbolica temporis adiunctis etiam inservit, ac licet diserte id non fateatur, finem tamen sibi proponit fovendae ac restituendae unitatis christianae. Itaque coetuum illorum, qui christiano insigniuntur nomine, doctrinas enucleat, ac fideliter exponit, qui vivunt adhuc in praesens, ac socialem influxum penitus non amiserunt: sese vero abstinet a placitis doctrinisque refellendis haeresium illarum, quae nullos vel perpaucos sectatores nunc temporis habent (2).

f) Diximus denique, *ut deerrantes haereticos per acceptam ab eis catholicam fidem, participes faciat aeternae salutis*, ad finem

(1) Die Darstellung der Symbolik, so fern sie das Werk des Geschichtsschreibers ist, soll die höchste Ruhe und Stille verrathen; denn er hat, als solcher, nicht befangen in alle die Gegensätze der Systeme, auch den Streit für keine Parthey gegen die andere nicht zu führen, sondern in immer klarer Betrachtung die Dinge selbst über den wildesten Sturm streitender Elemente in der Geschichte an sich den Frieden der Histoire auszubreiten. — MARHEINECKE, *Christliche Symbolik*, t. I, Heidelbergae, 1810, p. 26.

(2) Cl. Dobmayer triplex munus theologiae polemicae vindicat: « Theologia polemica tota in eo est, ut controversias religionis recenseat ac componat. Unde functione historica, sententias adversariorum, maxime recentiorum ac viciniorum fideliter refert: tum functione bellatrice vel potius critica, falsum refutat, et verum tuetur; demum functione irenica vel pacifica opportunis mediis et consiliis errantes ad veritatem, et dissidentes ad pacem revocare studet. — *Systema theologiae catholicae*, Solisbaci, 1807, t. I, p. 30. Animadvertimus tamen *munus historicum* magis ad theologiam symbolicam quam ad polemicam spectare.

praecipum declarandum theologiae polemicae, eamque a theologia contentiosa discriminandam, quae definiri potest « pravus et immoderatus affectus quavis arrepta occasione controversandi modo haud convenienti » (1). Theologia polemica bellum non agit, ut, catholicae veritatis adversariis protritis, eos superciliose contemnat, inferisque devoveat. Bellum agit, ut pace suos donet hostes: ut collucentes veritatis radios in eorum mentes immittat; ut eos salutaribus reprehensionibus admonitos, in munitissimas catholicae veritatis arces introducat. Haud abs re igitur complures tenent optimae notae scriptores, theologiam polemicam, quidquid bellicosi hocce epitheton sonet, potius *irenicam* appellitandam; et Zikos Rhosis animadvertit bellum theologiae polemicae finem non haberi, sed medium tantum ad finem assequendum (2).

2. De utilitate ac necessitate theologiae polemicae disceptantes, alii alias amplexati sunt sententias. Non desunt inter scriptores catholicos et protestantes, qui eam prorsus oblitterandam putent, cum tota sit in dialecticis argutiis, in sophismatis plectendis (3). Quo minus contentionibus theologicis indulgemus, eo magis praeiudicatas opiniones, quae schisma fovent, removemus. Per commercium cum seiunctis ab unitate Ecclesiae *fratribus* (hocce verbum horrent Mohliani!) communitur nobis via ad mutuam dilectionem obsequiumque (4). Perfectio vitae christianae, quae in amore potissimum consistit, aptior videtur quam controversia theologica, ad fovendam animorum concordiam (5).

(1) Sporon, *De contendendi studio circa res theologicas vitioso*, Hafniae, 1764, p. 7.

(2) *Ἡ ἀντιρρητικὴ, ἢ ἄλλως καλουμένη καὶ πολεμικὴ ἢ ελεγκτικὴ, δύναται ν' ἀποτελέσῃ καὶ ἰδίαν ἀποτελῇ ἐπιστήμην κεχωρισμένην ἀπὸ τῆς δογματικῆς. Ἀλλ' ἡ ἐξέλεγξις τῆς πλάνης τῶν ἀλλοτρίων τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας δογμάτων δὲν εἶναι σκοπός, ἀλλὰ μέσον πρὸς τὸν σκοπόν, ὅστις πρέπει νὰ εἶναι ἡ συνδιαλλαγὴ καὶ εἰρήνη τῶν διαφόρων χριστιανικῶν ἐκκλησιῶν πρὸς ἀλλήλας. Ὅθεν ἡ δογματικὴ πρέπει νὰ ἔχῃ καὶ εἰρηνικόν τινα χαρακτῆρα, δεικνύουσα πῶς δύνανται ν' ἀρθῶσιν αἱ μεταξὺ τῶν διαφόρων Ἐκκλησιῶν ὑφιστάμεναι διαφωνίαι ἐν τοῖς δόγμασι καὶ ἐπέλθῃ ἡ διαλλαγὴ καὶ εἰρήνη μεταξὺ τῶν διαφόρων Ἐκκλησιῶν.* — Op. cit., p. 33.

(3) Die Polemik ist eine bloss logische Uebung der Dialectik, eine bloss leere Sophistik. — Marheineke, *Christliche Symbolik*, p. 50.

(4) « Moins l'on fera de polémique, et mieux cela vaudra. Les relations courtoises entre chrétiens n'ont pas seulement pour résultat qu'on se connaît mieux, elles en ont un autre: c'est que l'on s'estime, et quand on en est là, le désir de l'union grandit, et l'on travaille avec une toute autre ardeur à la réaliser ». — Calvet, *L'abbé Gustave Morel, professeur à l'Institut catholique de Paris*, Parisiis, 1907, p. 297.

(5) « The removal of these barriers may be expected as the result of honest christian living, and of christian love. Controversy is not apt to bring about this

Polemicae utilitatem denegant alii, propterea quod veritas fidei catholicae, vel luce meridiana clarior, ob malam voluntatem in eis qui schismati adstipulantur, obcoecatis mentibus non affulgebit. De Russis orthodoxis, initio iam saeculi XVI, canonicus cracoviensis, quem venerari potest ut suum praecursorem Mohlianismus hodiernus, calamo felle intincto haec scribebat: « Adeo namque in secta et errore suo, dura et inflexibilis est gens, ut nulli Scripturarum veritati, nulli ecclesiasticae determinationi, nulli doctorum catholicorum, aut conciliorum sententiae, assensu cedit unquam, quando potius visae et agnitae veritati, proh dolor! pertinaciter contra dicit, et doctos catholicos, etiam sui ritus viros refugit, sanamque doctrinam eorum odit semper ac disciplinam salutarem exhorret » (1).

Ad nostram quod attinet sententiam, mordicus tuemur utilitatem atque necessitatem theologiae polemicae. Ac *primum*, utilitatem.

α' *a*: De theologia polemica asseri quidem potest quod S. Augustinus de haeresibus admonet: « Haereses et scandala futura praedicta sunt, ut inter inimicos erudiamur: ac sic, et fides, et dilectio nostra possit esse probatior. Fides utique, ne ab eis decipiamur, dilectio autem, ut etiam ipsis corrigendis, quantum possumus, consulamus, non solum instantes ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis sensum et intelligant Scripturas » (2). Et revera, theologia polemica catholica, si apte evolvatur, praesertim si removeat pus et venenum mohlianismi, maximae erit utilitati, tum profectui disciplinarum theologicarum, tum renovationi christianae unitatis. Non omne bellum in vita et scientia christiana procul arcendum. Etenim non secus ac pugna nobis committenda est cum pravis animi voluptatibus, ita et grassantes errores, si catholicam diligamus Ecclesiam, non possumus quin evertere conemur. Equidem verum est, ut Apostulus ait, servum Domini litigare

---

result. The practical fruits of christianity are, i suppose, of more value than metaphisical articles of doctrine ». — Schaff, *The sacramental theory of the mediaval Church. The princeton theological rewiew*, 1906, t. IV, p. 235.

(1) *Elucidarius errorum ritus ruthenici: scripsit Iohannes* Sacranus, *cracoviensis Ecclesiae canonicus, annno D. 1500.* — Lasicius, *De russorum moscovitarum, et tartarorum religione, sacrificiis nuptiarum et funerum ritu*, Spirae, 1582, p. 184. Ne debitam tamen laudem huic detraham scriptori, verba Possevini memoranda duco: « Sacranus, nec indocte, nec indiligenter scripsit adversus Ruthenorum errores ». — Starczewski, *Historiae ruthenicae scriptores*, Berolini, 1842, p. 304.

(2) *De correctione Donatistarum*, Ep. CLXXXV, n. 2, *P. L.*, t. XXXIII, col. 793.

non oportere, II Tit., 11, 24; sed interpretatur S. Augustinus, « quem noluit litigari, voluit tamen in modestia corripere diversa sentientes, ne Dei servus prohibitionem petulantiae, occasionem putaret esse pigritiae » (1).

b) Utilis est theologia polemica habita ratione veritatum, quas vindicandas sibi sumit. Nemini enim dubium est, quin per eam catholica veritas clarior efficiatur, atque accuratius exponatur. Et revera, hoc proprium est erroris, ut mentem cogat humanam ad profundiorem veritatis inquisitionem instituendam; ad nebulas, quae eam involvunt, dimovendas; ad eam confulciendam firmioribus argumentis. Haud raro prohibent errores quominus mens nostra turpi consenescat otio, penitiore veritatis cognitione neglecta. Torporem animi excutit error, ac nobis in memoriam revocat haud satis haberi veritatem possidere, eamque, prout maiores nostri nobis commendarunt, servare. Oportet etiam hancce veritatem tueamur, ne labe sordescat errorum.

c) Utilis est etiam theologia polemica, *practice*. Convenit enim inter omnes, theoreticum studium alicuius doctrinae ex qua petitur subsidium ad mores hominum rite componendos, animosque instituendos, parum nobis conferre, nisi detur nobis copia cavillationes adversariorum dissolvendi. Opus est igitur, non modo calleamus scientiam fidei, sed etiam valeamus firmissimis argumentis eam tueri, ac nobis hoc praestat theologia polemica (2). Ex hucusque dictis pronum est colligere theolgiam polemicam maximam praeseferre theologis utilitatem, tum ad pleniorem scientiam obiecti materialis theologiae christianae latissimo sensu acceptae comparandam, tum ad feliciore nisu deerrantes verae fidei doctrina imbuendos (3).

β' Nec tantum *utilem* declaramus theologiam polemicam, sed et *necessariam*. Qua in re praemonenda ducimus, quae rite animadvertit Breithaupt: « Disputatio de rebus ad fidem spectantibus non ex numero est eorum, quae prorsus habentur necessaria, sed ad illa pertinet,

(1) *Contra Cresconium*, l. I, c. VII, *P. L.*, t. XLIII, col. 2.

(2) Iuxta S. Basilium, triplex bonum ex theologia polemica erui potest: *a* iis qui iam praeoccupati sunt, confutatio erroris veluti remedium morbi confert; *b* sanis praestat tutamen; *c* nobismetipsis, qui nostris fratribus optime consuluerimus, mercedem a Deo promeretur: *Ἡγούμενοι τριῶν ἀγαθῶν ἑνός γε πάντως μὴ ἁμαρτήσεσθαι· ἢ γὰρ τοῖς ἤδη προειλημμένοις ἀλεξητήριον τοῦ κακοῦ τὸν ἔλεγχον δώσειν. ἢ φυλακὴν μειρίαν παρέξειν τοῖς ὑγιαίνουσιν· ἢ πάντως γε αὐτοὶ τῶν ἐπὶ τῷ προελέσθαι τοῖς ἀδελφοῖς ἡμῶν τὰ βέλτιστα μισθῶν ἐπιτεύξεσθαι.* — *Adversus Eunomium*, l. I, *P. G.*, t. XXIX, col. 500.

(3) Cfr. Gehe, *Quomodo lites in causa religionis nobis utiles esse possint*, *Sylloges commentationum philologici et theologici argumenti*, Lipsiae, 1792, pp. 83-107.

quorum et origo et necessitas ex malis ipsis enascitur: qualiter apud medicos veneni usus ex damnis oritur venenosis, apud politicos poena ex flagitiis, apud philosophos ex indigentia, artes. At enim huiusmodi rerum tam periculosa observatur indoles, ut nisi temperatissime homines utantur iis, repente ipsi in longe deteriorem statum sua culpa incident, medicusque in homicidam, iudex in tyrannum, philosophus in stultum opinione citius commutatur » (1).

Necessitas igitur theologiae polemicae absoluta non est: sed media humana sua in Ecclesia non respuit Deus, ut potius consulatur animarum saluti (2). Ecclesia catholica munus sibi vindicat intaminatam servandi, quam accepit a Iesu Christo doctrinam, in eamque vel labeculam falsi furtim induci non patitur. In hoc munere obeundo roboratur quidem supernaturali Dei auxilio, atque, ut supra significavimus, pro fide tutanda confirmandaque ad captum humanum sese accommodare studet. Itaque, si exoriantur haereses atque in societate christiana debacchentur, ratione officii non potest quin eas explodat, in eisque latens venenum pravarum doctrinarum incautis detegat fidelibus, ne id sumant. Quapropter, non secus ac veram fidem edocere tenetur Ecclesia, ut valeat homines ad salutis aeternae consecutionem adducere, ita suo nequit deesso muneri redarguendi, increpandique adversus fidem errores. Theologia autem polemica in provincia disciplinarum theologicarum hocce idem munus exercet. Ergo theologia polemica necessaria est defensoribus fidei catholicae, ac nulla ratione abjicienda. Ad rem S. Augustinus: « Si pia sollicitudine charitatis in huius dispensationis labore versamur, puto nequaquam iuste reprehendendi ministerium nostrum, si contra quoslibet adversarios veritatis ferventi spiritu pro veritate certemus » (3).

3. Ut theologia polemica suum assequatur propositum, quod supernaturale nemo sane est qui non agnoscat, perinde ac ceterae humanae scientiae, regulis subsit necesse est, quibus intra limites recti constituatur. Supervacanea enim foret, nisi et catholicam veritatem nebulis haereseon eximeret, et quantum fieri potest, in illud tenderet, ut deerrantes ad fruitionem veritatis adducere conaretur. Quaedam igitur in ea pertractanda vitare oportet, et quaedam observare. De vitandis primum nobis erit sermo, ac verbis theologorum antiquioris oevi haud raro utemur, ut luculenter pateat novam doctrinam nos non exponere.

(1) *De ratione disputandi christianorum propria, Programmata selecta de vario argumento*, ed. II, Halae, 1703, pp. 65-66.

(2) Gazzaniga, pp 4-5.

(3) *Contra Crescentium*, l. I, c, VII, *P. L.*, t. XLIII, col. 45.

α' Theologus quidam lutheranus sapienter admonebat, ne in theologia polemica, « minutiis aut levioris momenti rebus inhaereamus : quapropter dispiciendum sedulo, ut arcem causae statim invadamus, et fundamento, cui totius aedificii innititur moles, subverso, ad singula demum ita descendamus, ut nulla elabendi rima adversariis relinquatur, expugnatisque propugnaculis omnibus, et argumentorum praesidiis, seu exceptionibus discussis, eo redigantur, ut, ni victas dare manus velint, reipsa tum pervicaciam suam, et obduratum in errores animum profiteantur » (1).

Et revera, theologia dogmatica de capitibus dogmaticis controversis inter utramque agit Ecclesiam. Capita autem dogmatica idem non habent momentum ac discrepantiae rituales. Pulchre hanc distinctionem inter dogmata et ritus explanat Allatius : « Duo distinguenda in religione christiana. Alterum sunt dogmata et quae ad dogmata spectant ; alterum ritus, mores et consuetudines, quibus christiani vitam dirigunt, et ad perfectionem contendunt. Mores et consuetudines, nec non etiam ritus, adde et coeremonias, quibus res sacra perficitur, ad hominum arbitrium et nutum factae sunt,, ideoque etiam arbitratui accommodantur, moventur, immutantur et abolentur : nec eadem apud omnes sunt, sed pro conditione gentis et praesulum, haec quidem apud aliquos firma sunt, apud alios, ut minus laudabilia rejiciuntur, et alia in eorum locum sufficiuntur. Tantumque haec veritas placuit, ut in eadem quoque natione et urbe ita invaluerit, ut nisi ex dogmate colligeres unum eorum cultum, diversum quoque cultum existimares » (2). Consequitur inde perperam agere scriptores illos qui omnem ponunt industriam in novis detegendis discrepantiis ad latius barathrum Orientem inter atque Occidentem effodiendum (3).

Eos cerneres pallescere vultu (Mohlianos censeo), ac suspiria ex imo corde profundere cum orthodoxos presbyteros, promissis comis ac barba, sibi obvios prospiciunt ; horrescere metu haereseos, cum theologus catholicus, principiis theologiae catholicae innixus, teneat ac

(1) Op. cit., p. 513·

(2) *Concordia nationum christianarum*, pp. 121-122.

(3) Ad Mohlianos referri quidem possunt, quae argute de contendendi studiosis Sporon scribebat : « Ut vero non desit materia litigandi, minutias praeferunt, quisquilias colligunt, mille de verbis, vocibus et syllabis aiunt quaestiunculas, argumenta sibi pertractanda sumunt talia, ut etiamsi quiddam circa ea indagari posset, operam non compensaret fructus inde redundans. Nihilominus tamen tantis animi motibus, tanta cum vehementia sese pugnant, quasi totius religionis prora et puppis in illis, quas sibi pertractandas sumpserunt, nugis staret. — Op. cit. pp. 22-23.

tueatur baptismum orthodoxornm validum habendum, vel presbyteros orthodoxos, valide, quamvis illicite, mysterium Eucharistiae conficere. Si quid in liturgiis orthodoxis non reperiant, quod nostris consuetudiuibus consonum non videatur., illud anathemate percellendum contendunt, in eoque dogmatum fidei corruptionem latere decernunt.

Hancce intolerantiam mohlianismi, quae tum theoriae, tum praxi catholicae Ecclesiae maxume repugnat, lepide ac festive castigant Allatius optimaeque notae scriptores catholici. Audiatur primum Allatius, quo pulchrius hoc in argumento neminem scripsisse teneo: « Quid enim refert, si hic barbam tondeat, ille protensam deferat (purgamentum omnium haereseon, clamitabunt mohliani); hic annulos gestet, ille nudus ab omni ornatu digitis benedicat; hic consutis vestibus ex omni parte in ministerio altaris, ille ante a tergo propendentibus utatur: hic radat caput, ille comam alat; hic Sabbato, ille feria quarta ieiunet; et in ieiunio quadragesimali hic piscibus vescatur, ille ab iis abstineat; alius oleo, alius sale tantum olera condiat; alius fabis aqua maceratis et sale, alius siccis utatur; hic aperta manu et extensis digitis, ille in modum crucis complicatis se signet; et alia similia; si modo coronam in capite gestiant, ornatuque sacro amicti altàri inserviunt, ieiuniis pro more suae Ecclesiae corpus macerant, et a prohibitis cibis tempore ieiuniorum abstinent. Si dicant isti (mohliani), qui minutatim omnia observant, haec quoque inferre dissensiones, sibilo equidem a prudentibus expellentur »(1). Haec eadem loquitur Nicolaus Comnenus Papadopulos: « Non defuere (nec desunt hodie apud gregem mohlianicum) qui haereticos graecos vocarent, quod barbam non tondeant: quasi fides catholica iamdudum pilis bellum indixerit, aut orthodoxum dedeceat, quod Apostolos decuit »(2).

Ex latinis theologis, qui theologiae polemicae navarunt operam, eminent M. Nau S. I., et Petrus Gazzaniga, O. P. Prior, cuius nomen plus vice simplice citandum occurret, pulcherrimis verbis demonstrat rituum discrepantiam non officere unitati doctrinae: « Diversae consuetudines bene est: hinc ornatur Ecclesia, non scinditur. Nam in corpore non eadem est membris omnibus figura, non idem usus. Satis est si una mente per fidem, et voluntate una per charitatem animetur. Et in familia aliqua una, ubi liberi multi sunt, non omnes simili utuntur veste, aut simili cibo gaudent. Et si varia sint ista, non continuo desinit familia esse una, cum unum dominum omnes audiant. Sic quamquam varii in Ecclesia populi varios ritus usurpant, una tamen Ecclesia

(1) *Concordia nationum christianarum*, p. 212.
(2) *Praenotiones mystagogicae*, pp. 3, 212.

est, quia capiti uno adhaerent, fidemque ubique unam, et eadem sacramenta amplectuntur »(1). Hoc idem sentit Gazzaniga, cum regulas statuit servandas in Graecis refellendis: « Cum Graecis schismaticis disputanti necessarium erit iis ostendere maximum inter nos discrimen esse in ritibus, in disciplina, in politia ecclesiastica, at vero licitum semper fuisse diversis uti ritibus, salva fidei unitate: Ecclesiam latinam nunquam eos propter hanc diversitatem condemnasse: solum ab iis merito eandem tolerantiam exegisse et ipsos moderatiores inter eos fateri, nullam inde posse repeti causam schismati »(2).

Haec satis habeantur ad thesim nostram fulciendam, de necessitate illud tuendi quod praecipuum habetur in theologia, nimirum dogma catholicum, ritualibus discrepantiis neglectis. Nostra aetate non desunt scriptores orthodoxi, qui vehementissimis verbis Latinos reos schismatis praedicant, propterea quod ieiunandum statuerint sabbato, vel ingressum mulierum in chorum prope altare permiserint, vel marmorea simulacra in Ecclesiis ponant etc. (3). Ineptias ineptissimas eos effutire nemo sane non dicet. Haud aliter a veritate aberrant, qui tanquam gorgoneum caput detestantur ritus orientales, tantoque adversus eos imbibuntur odio, ut Ruthenos unitos, qui ad ritum transeunt latinum, fidem *catholicam* amplecti declarent, perinde ac si non forent antea catholicae Ecclesiae membra.

β') Vitandum est, ne, controversiis tantum navantes operam, obliviscamur meminisse praecipuis in dogmatis fidei orientalem atque occidentalem Ecclesias convenire. Quod heic asserimus, sua firmant auctoritate perillustres theologi catholici saeculi XVII, qui ditissimam segetem ad vindicandam praesentiam realem Iesu Christi in sacramento Eucharistiae in arvis graecorum messuerunt. Si theologia pole-

(1) Michael Nau S. I., *Ecclesiae romanae graecaeque vera effigies ex variis tum recentibus, tum antiquis monumentis singulari fide expressa, romanis graecisque exhibita, quo intelligant admirabilem utriusque consensionem, et in tanta matrum concordia nefas esse pugnare et odisse inter sese ingenti damno liberos*, Parisiis, 1689, p. 10.

(2) Op. cit., t. II, p. 579.

(3) En quot discrepantias inter Graecos et Latinos recenset historicus graecus, qui suo in opere nullis parcit dicteriis et calumniis in catholicam Ecclesiam: *Περὶ ἀζύμων, προπατορικοῦ ἁμαρτήματος, ἀναμαρτήτου τοῦ Πάπα, βαπτίσματος, γάμου τῶν ἱερέων, γενείων, ἀλύτου γάμου, γυναικῶν εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἀγαλμάτων ἢ εἰκόνων, ζέου, ἰωβιλαίου, καὶ καλενδαρίου, καταστάσεως τῶν ψυχῶν, λειτουργίας ἐν τεσσαρακοστῇ, μεταβολῆς τῶν ἁγίων δώρων, μεταλήψεως, μυστηρίων, νηστείας ἐν σάββασι, νέων ἁγίων, καθαριηρίου πυρός, ἁγίου Πνεύματος, πνικτῶν, χρίσματος καὶ ψαλτῶν εὐνούχων.* — Kremos, *Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῶν δύο Ἐκκλησιῶν ἑλληνικῆς καὶ ῥωμαικῆς*, t. I, Athenis, 1905, p. 42.

mica in illud tendit, ut viam communiat ad renovandam unitatem orbis christiani, ad sedandas discordias, ad pacem fovendam, sua sponte fluit facilius eam suum propositum assequuturam, si, recensitis atque explosis discrepantiis dogmaticis, perbelle meminerit in plurimis fidei catholicae dogmatis orientales Ecclesias cum catholica Ecclesia consentire.

Ne videar rara in terris avis haec exprompsisse, iucundius erit mihi doctrinae, quam tueor, dignissimos inter catholicae theologiae testes ad meam sententiam fulciendam vocare.

« Quantum spectat ad fidem, oportet ostendere *in omnibus gravioribus punctis Graecos nobiscum consentire*, in Trinitatis et Incarnationis mysterio, contra omnes haereses, in peccato originali, necessitate gratiae, septem sacramentis, praesentia reali et transsubstantiatione, cultu Sanctorum et reliquiarum, ac veneratione imaginum: in potestate item legislativa Ecclesiae, eiusque infallibili auctoritate, in ieiuniis, abstinentiis, votis monasticis, operibus bonis eorumque merito, *ita ut tandem redigatur discrimen ad processionem Spiritu Sancti a Filio*. In qua tam longa et acri disputatione, si Graeci fateantur Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, quaestio videri poterit potius de verbis quam de re, ut pluribus visa est: neque enim alia probabilis afferri poterit ratio huius processionis per Filium, nisi quia procedit a virtute spirativa Patris, quae Filio simul cum essentia communicatur » (1).

Horret quidem Mohlianismus quae hucusque exposuimus. Haec tamen tuitus est Petrus Maria Gazzaniga, « professor tantae famae, ait Hurter, ut eius praelectiones in athenaeo vindebonensi sua praesentia honoraverit Pius VI » (2).

Iuvat etiam praeclara verba Ziegleri in medium afferre: « Profitetur nobiscum Ecclesia graeca Sanctissimam Trinitatem, unam in Christo personam et distinctionem duplicis naturae: aversatur nobiscum veterum aeque ac recentiorum arianorum blasphemias. Profitetur nobiscum quae catholica fides docet de peccato originali, de redemptione per Iesum Christum, de necessario ad omnes et singulos pietatis actus gratiae divino adiutorio. Profitetur nobiscum instituta in Ecclesia septem sacramenta a Christo, incruentum altaris sacrificium, realem praesentiam in Eucharistia, adorationem eiusdem. Colit nobiscum et invocat beatissimam Virginem Deiparam, sanctosque una cum

(1) Gazzaniga, t. II, pp. 579-580.

(2) *Nomenclator litterarius theologiae catholicae*, t. IV, Oeniponte, 1895, col. 287.

Christo regnantes in coelis; nobiscum sanctorum reliquias veneratur sacrasque imagines eo prosequitur honore, qui ad eorum prototypa referatur. Impendit nobiscum praecationes, eleemosynas, sacrificia pro fidelibus in pace et communione Ecclesiae vita functis, certa fide tenens iis suffragiis illorum animas posse sublevari. Agnoscit nobiscum Ecclesiae a Christo concessam esse potestatem condendi leges, quibus ex officio parere debent fideles universi. Nobiscum suscipiunt Graeci ac venerantur Scripturas divinitus inspiratas sanctamque Ecclesiae traditionem, ut fidei certissimas regulas; nobiscum agnoscunt Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam; visibilem, supremum, atque infallibilem in decidendis fidei controversiis vindicem... Schisma igitur tenuem divortii parietem effingit » (1). Haec eadem tuetur A. Malvy S. I., cuius scriptiunculae ad nostram spectantes provinciam, suavem spirant charitatis christianae odorem, qua sublata, theologia polemica potius officeret, quam faveret profectui disciplinarum theologicarum (2).

γ') Alter tamen scopulus vitandus est iis qui teologiae polemicae navant operam, nimirum sedulo cavendum « ne desiderio convertendi errantes nimis laxi aut condescendentes sint in mysteriis et dogmatibus nostrae religionis, quasi dimidiata eorum fide contenti » (3). Semel atque iterum, quotiescumque de hac re nobis pertractanda data est copia, huncce scopulum vitandum admonuimus (4).

(1) *Institutiones seu prolegomena theologiae catholicae*, p. 488. Audiatur etiam Schmitt: « Beyde katholische Kirchen haben nicht nur, wie alle christliche Gemeinden, welche noch wirklich Christen sind, eine Taufe, und einen dreyenigen Gott, mit einander gemein, sondern auch einen kirchlichen Glauben der Väter, und ein gemeinsames Erbe der alten Ueberlieferung: einen Altar ferner, und ein heiliges Opfer und Geheimniss des Altars: ja auch ganz Ein und dasselbe Priesterthum, und einen Geist der Heiligung und christlichen Lebensweihe in sieben katholischen Sakramenten ». — *Harmonie der morgenländischen und abendländischen Kirche: ein Entwurf zur Vereinigung beider Kirchen*, Vindobonae, 1824, p. 11.

(2) « C'est un fait que les Églises d'Orient et d'Occident professent à peu de choses près les mêmes dogmes, administrent les mêmes sacrements, sauf de divergences de langue et de rite, qui admises dans le sein même de l'Église romaine, ne font des difficultés pour aucun esprit sérieux ». — *L'union des Églises chrétiennes*, Tornaci, 1906, p. 12.

(3) Gazzaniga, Op. cit., t. II, p. 541.

(4) Satis habeo memorasse quae scripsi in commentario periodico *Bessarione*: « L'unione delle Chiese esclude le ipocrisie convenzionali, le tacite e pericolose concessioni, gli ambigui silenzii. Egli è d'uopo anzitutto che sia appianato il conflitto dommatico, il quale è la pietra angolare dello scisma ». — An. XIII (1908), series III, t. V, p. 131.

Haud raro theologi lutherani fraudis ac doli insimulant theologiam catholicam, perinde ac si *plenam* in doctrina dogmatica consensionem inter utramque Ecclesiam decantet (1). Si quidam reperiuntur scriptores, qui minus accurate, immo perperam hancce sententiam exprompserint, mihi dubium non est, quin eam cordatiores theologi catholici respuant.

Ut fusius in posterum tempus ostendemus, schisma fundamentis dogmaticis nititur, quapropter, inhoneste ageremus, immo causam fidei proderemus, si zelo imprudenti obtemperantes, capita illa controversa, quae utramque scindunt Ecclesiam, intempestivo silentio tegeremus, ansam suppeditantes obganniendi, pro fovenda unione scriptores catholicos flocci facere catholicae fidei dogmata. Heic recolere iuvat verba S. Gregorii Nysseni: « Turpe et generoso animo prorsus indignum arbitrati sumus, cum hostes suam absurditatem non occultent, nos veritatem liberrime non profiteri » (2). Atque hostes appello theologos illos Ecclesiarum orthodoxarum, qui dogmata fidei catholicae per magisterium Romanae Ecclesiae definita, acerrimis potius verbis quam solidis impugnant argumentis. Si catholicae Ecclesiae magisterio innixi latissimam tolerantiam in provincia rituum ac coeremoniarum liturgicarum mordicus tuemur, disertissime etiam decernimus in provincia dogmatum nullam fieri vel factum iri concessionem.

Etenim, ut verbis utamur Allatii, « Dogma semper unum est firmum, ratum, invariabile, aeternum; non versatur in sententia hominum, cum illud homines neque ad arbitrium suum fabricent, neque architectentur: sed Deus ipse qui illud instituit, revelavit, indixit: eo animis iunguntur etiam disiunctissimae moribus et institutis nationes, eo in una communione Ecclesiae coalescunt, eoque veluti tessera et signo sub uno coelesti duce, in una fide militant, una spe concitantur, et eadem charitate mutuo nexu adstringuntur, et sic longe ad virtutem procedentes futuram vitam anhelant, et qui sub eo vitam in terris transigunt, una Ecclesia sunt, unitate dogmatis uni sunt » (3).

(1) « Hic hodie est romanae Ecclesiae agendi cum Graecis mos, ut eos blanditiis verbisque ad fallendos incautos compositis, ad partes suas pertrahere conetur ». — Buddeus, *Ecclesia romana cum ruthenica irreconciliabilis, seu scriptum aliquod doctorum quorumdam sorbonnicorum augustissimo Russorum imperatori ad utriusque Ecclesiae unionem ei suadendam exhibiturum, Miscellanea sacra*, t. II, p. 166.

(2) *Αἰσχρὸν γὰρ εἶναι καὶ παντάπασιν ἀγεννὲς ὑπελάβομεν, τῶν ἐχθρῶν οὐχ ἐπικρυπτομένων τὴν ἀτοπίαν, ἡμᾶς μὴ ἐμπαρρησιάζεσθαι τῇ ἀληθείᾳ.* — *Ep. ad Petrum ep. Sebastenum, P. G.*, t. XLV, col. 240.

(3) *Concordia nationum christianarum*, p. 123.

Si dogmata hisce characteribus exornantur, sua sponte fluit catholicae Ecclesiae pro fovenda unione suas dogmaticas doctrinas nulla aetate abalienandas.

δ') Vitandum est, ne praeiudicatis indulgentes opinionibus ac falsa ducti spe fore ut faciliorem victoriam de schismate consequamur, sententias theologorum, quibus obnitimur, eorumque argumenta, obducto quodammodo velo, perperam exponamus. Victoria, quae mendacio innititur vel ignorantia, potius clades, quam victoria dicenda est. Non secus ac super arena extructum foret, totum citissime rueret aedificium argumentorum, quibus falso putavimus adversarios theologiae catholicae ad incitas redactum iri, si sententias eis affingeremus, quas perquam alienas a suis sententiis ipsi dictitent. Rem acu tetigit Gazzaniga, cuius verba placet heic nostra facere: « Candor animi, atque sinceritas requiruntur, ut errores, prout sunt, afferamus, et confutemus, eosdem minime exaggerantes, multoque minus adversariis eas sententias affigentes, a quibus se alienos profitentur. Hoc contingit, sive quod eorum mentem intime perspectam non habeamus, sive ex negligentia in eorum libris pervolvendis, sive etiam in disputationis fervore, quo aliqui abrepti, rem, ut est, perspicue videre non possunt, sive quod omnibus alicuius sectae asseclis illud tribuitur, quod in unius vel alterius, aut etiam plurium libris legitur, cum tamen opiniones privatorum sint, non communia omnium dogmata; quod consectaria quaedam, quae ex adversariorum principiis fluere creduntur, iisdem quasi certa dogmata ab iis admissa tribuuntur » (1). Multo magis cavendum est vitium eorum, qui, ut occasionem opprimendi adversarios nanciscantur, vel in pravum sensum eorum verba detorquent, vel sinistre absconditam eorum mentem interpretantur, vel etiam apertis calumniis ad denigrandam scriptorum famam utuntur (2). Hunc agendi modum non solum a *christiana charitate*, sed etiam ab *hominis honestate* omnino alienum a theologia polemica, procul arcendum esse, res per se loquitur (3).

(1) Op. cit., t. I, pp. 11-12.

(2) Primas in hac methodo usurpanda sibi vindicat Mohlianismus, neque huncce primatum ei invidemus. Ad rem Erasmus: « Quidam dum impotenter vociferantur; haeresis, haeresis, ad ignem, ad ignem, in peiorem partem interpretantes, quae dicta sunt ambigue; per calumniam depravantes, et quae pie dicta sunt, plurimum favoris conciliarunt iis quos exitio dignos iudicabant ». -- *De sarcienda Ecclesiae concordia deque sedandis opinionum dissidiis*, Lugduni Batavorum, 1642, p. 125. Diceres sane de Mohlianis locutum fuisse Erasmum.

(3) Gazzaniga, t. I, p. 13.

Haec eadem proponunt theologi lutherani, qui laude eruditionis maxime inclaruerunt: proponunt, aio, sed raro observant. Audiatur Buddeus: « Oportet inquirere mentem inimicorum. Hoc ni feceris, errores imputaveris illis, quorum sunt immunes, aerem verberabis, immo calumniae et obtrectationis in te derivabis suspicionem » (1).

Huncce finem accurate pravas adversariorum sententias exponendi facilius assequeris, si libros symbolicos summa diligentia perlegeris, ac meditatus fueris (2), atque opera scriptorum, quos maximi faciunt adversarii, diu noctuque versaveris. Ad rem Grunerus: « Legenda sunt scripta, non solum quae publico sectarum nomine prodierunt, sed etiam quae a privatis, auctoritate inter suos claris, edita sunt. Nam libri quos communi sectae alicuius nomine vulgatos habemus, neque accurate satis, exquisiteque perscripti omnes sunt, neque eodem semper ab omnibus, qui sectam illam sequuntur, loco poni solent » (3).

ε') Vitandum est ne nimio abrepti ardore in tuendis sententiis nostris, ea doctrinae capita, quae laudem merent apud nostros adversarios, temere contemnamus, superbe aspernemur, inique taceamus. Si plena nobis adest veritatis possessio, quam duce atque auspice catholica Ecclesia consecuti sumus, non datur tamen nobis ius praedicandi quidquid apud nostros adversarios reperitur, ut corruptum adulteratumque rejiciendum (4). Videtur mihi theologis catholicis semper abhorrenda placita eorum qui effutiunt nullos inter Russos dari viros honestos, quidquid adest Ecclesiis orthodoxis saniem exhibere religionis christianae, in haeresim nefariam incidere, qui pietatis fontes apud eas penitus exhaustas non esse statuant. Politicis odiis non

(1) *Isagoge*, p. 509.

(2) « Die eigenthümlichen Unterscheidungslehren einer einzelnen Kirchenpartei auf eine sichere und zuverlässige Weise nur aus solchen Schriften erkennen lassen, die im Namen der Kirchen, so zu einer Lehre und Religion sich bekennen, gestellt, approbirt, und angenommen, aber nicht aus Privatschriften Einzelner, welches Ansehnen sie immerhin auch sonst haben mögen ». — Bodemann, *Vergleichende Darstellung der Unterscheidungslehren der vier christlichen Hauptconfessionen*, Gottingae, 1842, pp. 5-6.

(3) *Institutiones theologiae symbolicae*, Halae, 1628, p. 4.

(4) Ad rem Chowanetz: « Man musst das Gute auch bei der Sache nicht verkennen; nämlich die grosse Pietät der Griechen füs das Alterthum, ihre Scheu vor dem Rütteln an dem Bestehenden, welche Scheu freilich darin mit sich selbst in Widerspruch geräth, dass sie das Klein oft mit mütterlicher Aengstlichkeit hegt und pflegt, das Grosse (den Primat) vernachlässigt von sich weisst. — *Das griechisch-russische Schisma, seine Geschichte und Verfassung, seine Lehre und sein Gottesdienst, nebst einem Anhange über die Frage, ob eine dauernde Wiedervereinigung mit der katholischen Kirche möglich, wann und wie sie zu bewerkstelligen sei.* — Linnich, 1854, pp. 143-44.

favet catholica theologia, immo detestatur odia, quae religionis velo obducuntur. Quo plenius ac perfectius veritatem fidei possidet catholica theologia, eo pronior est ad laudandum probandumque quidquid boni et veri apud suos adversarios deprehendit. Sapienter hortatur S. Cyprianus, « ne pertinaciter nostra amenus; sed quod aliquando a fratribus nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ut ipsa potius nostra ducamus » (1).

ς') Vitandum est ne studio theologiae polemicae vacemus cupidine tantum abrepti quibuscumque armis nostros adversarios confodiendi, non autem sincero ac supernaturali veritatis amore. « Luctuosum schisma, ait Holstenius, quod Orientis et Occidentis dudum disiunxit Ecclesias, illis potissimum imputandum est, qui christiana charitate posthabita, disputandi pruritu omnia in quaestionem et controversiam adduxerunt, quae diverso ritu apud partem adversam aguntur. His nulla vel exigua veritatis cura, sed unum vincendi studium, ut ex sua consuetudine vel opinione aliis legem praescribant » (2). Solo veritatis amore, scribit Gazzaniga, ad disputandum adducamur. Haec regula cum in omnis generis disputationibus prae oculis habenda sit, nullibi tamen est magis necessaria, quam in disputationibus de religione, in quibus agitur causa Dei, et ubi error, non solum turpis, sed perniciosissimus est... Necesse est seponantur studia partium ac praeiudicia quibus aliqui, tanquam polypi saxo, praeconceptis opinionibus indivulsi adhaerent, unde fit, ut tantummodo modos quaerant, quibus eas confirment, et contrarias refellent, non autem ut veritatem inveniant » (3). Ad rem S. Basilius: « Repellunt saepe vel utiles sententias contentiosae indoles, idque praeclarum et utile iudicant, non quod aliis omnibus videtur, etiamsi profuturum sit, sed quod ipsis solis placet, etiamsi damnosum (4).

(1) Ep. LXXI, n. 3, P. L., t. IV, ccl. 424. Haec verba nostra facimus ad respondendum catholicis obtrectatoribus scriptorum catholicorum, qui, ut meus praesagit animus, in me acriter invehentur, eo quod, pro re nata, vel ex panopliis protestantium arma mutuati sumus ad catholicam doctrinam tuendam. Mea quidem est sententia hoc laudi verti scriptoribus catholicis, quod adversariorum armis, ad eos debellandos suamque doctrinam tutandam, uti valeant.

(2) *Dissertatio duplex de sacramento confirmationis apud Graecos*, Romae, 1666, p. 4.

(3) Op. cit., t. I, pp. 3, 10.

(4) *Διωθοῦνται πολλάκις καὶ τὰς χρηστὰς διανοίας αἱ φιλόνεικοι φύσεις, καὶ κρίνουσι καλὸν καὶ χρήσιμον οὐ τὸ πᾶσι τοῖς ἄλλοις δοκοῦν, κἂν ᾖ λυσιτελές, ἀλλὰ τὸ μόνοις αὐτοῖς ἀρέσκον, κἂν ἐπιζήμιον ᾖ.* — Ep. CCCVII, *P. G.*, T. XXXII, col. 1056.

Veritatis amore si adigamur, ceteras affectiones, quae humanam consequuntur imbecillitatem, facilius depellemus ex animo, faciliusque abstinebimus a livore, iurgiis, ira. Pravas in theologia polemica confodimus sententias: errantibus autem parcimus. Nostra non tuemur negotia, sed scientiam, quam Deus revelavit hominibus; nostrum non quaerimus bonum, sed lucem supernaturalem animis infundere studemus. Humanis odiis innutriti, ad bellum gerendum non progredimur, sed mansuetudine, qua pulcherrima nobis victoria comparatur. Quam tuemur rationem agendi theologi catholici (mohlianistis tantummodo exceptis) etiam atque etiam commendant. « Tanquam principium, ait cl. Gatti, non modo morale, sed et civile, et optimo controversiae exitui ceu medium utilissimum id habendum est, nempe erga omnes non solum catholicos, sed et haereticos ac schismaticos et incredulos, et quoscumque homines agendum esse moderate (immoderate contendunt mohlianistae), et cum charitate: ac propterea veritatis amor salutisque animarum zelus, divina gloria alte in animo impressa et veluti sculpta debet esse » (1).

« Error, ait Gazzaniga, nobis odio habendus est: errans autem ut proximus detegendus; nec eius confusio, sed tantum correctio quaerenda, ut non nos de adversario, sed tantum, ut veritas de errore triumphet » (2).

Addo, quod de hac re praeclara consilia a theologis lutheranis expromuntur, qui tamen, eis cito posthabitis, cenviciis impetunt catholicam veritatem. Prae ceteris audiamus Buddeum et Breithaupt. « Non ita satis, scribit prior, instructus praeparatusque erit, qui pro veritate descendere in arenam cupit, nisi purgata prius a pravis affectibus atque emendata voluntate, tantum opus adgrediatur. Sibi ipsi necesse est dominetur, qui alios vincere cupit. Nisi enim affectum iniurium teneat, et adversariorum tela, iniurias, opprobria, forti et patienti animo excipere didicerit, maximo profecto seipsum et veritatem, quam defendendam suscepit, exponet periculo. Seipsum quidem si irritatus, et par pari redditurus, convicia conviciis pensaturus, maximis gravissimisque se obstringat criminibus. Ita haud raro in praecipitia ipse ruit, qui monstrare aliis viam eluctandi, in errorum abysso annitebatur. Veritatem autem ipsam in discrimen adducit, dum per affectuum motus vehementiores ad eam defendendam ineptus redditur, qui ceteroquin erat aptissimus. Intellectus offundere tenebras affectus

(1) *Institutiones apologetico-polemicae de veritate ac divinitate religionis et Ecclesiae catholicae,* vol. III, Romae, 1867, p. 690.

(2) Gazzaniga, p. 9.

lucisque aciem hebetare, nec quicquam fere recte aut moderate agere aut dicere hominem iis praepeditum, adeo notum est, ut vulgi etiam sermonibus celebretur. Solentque in bellico duce hoc requirere, cum primis viri prudentes, ut sine affectuum motu versetur in acie, si victoriam referre ab hostibus velit. Quanti vero viri, affectibus abrepti, et hinc nimio contradicendi studio, impulsi, in contrarios iis, quos oppugnaverunt, errores prolapsi sint, et hinc subinde turpissimarum extiterint haereseon auctores, ecclesiasticarum rerum annales satis superque comprobant » (1).

Nec minus concinne Breithaupt: « Ipsam disputandi consuetudinem si intueamur, videntur primum omnia in honorem Dei proximique amorem institui, videtur ex bona conversatione et mansuetudine, quae forte simulatur, opus sapientiae verum tractari. Sed nonne mox zelus amarus et irritatio in corde ut plurimum se prodit?... iudicio satis manifesto, quod qui nihilominus de veritatis studio gloriari velit, adversus eam mentiatur, nec sapientia superne adveniens illa sit, verum terrena, animalis, daemoniaca. Ubi enim carnali aemulatione animus commovetur, ibi turgescit, nihil amplius vere sciens; quoniam in febrim quasi et paroxysmum incidit, *νωσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας*, aegrotantis more, delirans circa quaestiones et pugnas verborum, ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentia, suspiciones, malae exercitationes, iam factae *παραδιατριβαί*, praeposterae ac perversae, hominum mente corruptorum, et veritate dudum privatorum » (2).

ζ') Vitandum est, ne gioriolae humanae captandae causa certamen ineant scriptores theologiae polemicae catholicae. Iniuriae, dicteria, suspiciones, calumniae eos manent, qui ingratam hanc provinciam ligonibus tangere aggrediuntur. Politicis enim simultatibus implexum est gravissimum inter Orientem atque Occidentem schisma, et simultates politicae, ut fere semper assolet, inhonesta non dedignantur media, ad veteres plagas exacerbandas. Simultates politicae lutulentae fluunt. Statim atque incipies de iuribus loqui Romanorum Pontificum in Ecclesias orientales, agmine facto, scriptores orthodoxi infimi sub-

(1) Op. cit., pp. 507-509.

(2) Op. cit., pp. 69-70. Iure meritoque S. Basilius eos redarguit, qui proferunt in medium quaestiones, non ut his aliquid capiant utilitatis, sed ut, si minus accommodatas suae cupiditati responsiones inveniant, hanc belli causam habere iustam videantur: *Προβάλλουσι λόγους, οὐχ ἵνα τι χρήσιμον λάβωσιν ἐξ αὐτῶν, ἀλλ' ὅπως ἐὰν μὴ συμβαινούσας τῇ ἑαυτῶν ἐπιθυμίᾳ τὰς ἀποκρίσεις εὕρωσι, ταύτην ἀφορμὴν δικαίαν ἔχειν δόξωσι τοῦ πολέμου.* — *Liber de Spiritu Sancto*, *P. G.*, t. XXXII, col. 70.

sellii, maledictis te onerabunt. Si veterem percunctatus historiam schismatis in hanc veneris sententiam, ut Latini ac Graeci suam contulerint operam ad lugendam totius orbis christiani scissionem parandam ac fovendam (1), pseudo-theologi mohlianismi, quibus mos est pro veritate se odisse simulandi, magno clamore praedicabunt nefariae haereseos te vindicem statoremque. Si partium studio nullimode addictus dolebis in historia ruthenicae Ecclesia, quae romanae Sedis primatum agnovit, quaedam nobis observari, quae dolendum est accidisse, Mohliani rursum prorsumque cursari incipient, coelum terris miscere et mare coelo, ut te omni crimine maculent, lepidis utor verbis P. Tondini, *con intrighi diplomatici, dinastici, gentilizî, prelatizî, democratici, nazionali, maschili, femminili, devoti, indevoti, pagani, chiesastici, laici e che so io* (2); ut te excorient, atque in rogum infelicibus ustulandum lignis immittent. Infandum enim crimen patrasti! Veritatem historicam, abiecta ambage, ausus es libere loqui!

A tuo proposito hisce obstaculis ne deterrearis. In provverbio est: *veritatem urere; obsequium amicos, veritatem odium parere.* At scriptores catholicos non decet obsequio grassari, obductoque quodammodo velo, obtegere veritatem; silentio praetervehere quae nostris propositis contraria videntur; pusillo sese gerere animo in tolerandis conviciis et persecutionibus pro causa veritatis. Semen veritatis, quod primo oculo sterile videtur, germinabit, paulatim tuis irrigatum sudoribus excrescet, cunctis aspicienda pulcherrima efficietur arbor. Quid tua refert, si tuae sinceritatis in terris potius luas poenas, quam praemium accipias?... Paratus semper sis veritatis semen tuo etiam sanguine madefacere. Pro veritate tuenda et mendacio explodendo, Deo promisisti commissurum pugnam, clamores vulgi humanarumque affectionum contempturum; cum iacula te feriunt, quae vera tibi cognita sunt ac perspecta, cuique maiore nisu praedicaturum. Scriptoris catholici in animo haec sedet sententia, ex veritate maius semper emolumentum in catholicam Ecclesiam redundaturum.

Ecclesia catholica nullis maculis, nullis in fronte sulcatur rugis: *μὴ ἔχουσα σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων*, Eph., V, 27. At maculae et rugae apud omnes reperies populos, ne iis quidem exceptis, qui mi-

(1) Wir müssen zugestehen, dass sich *beide Theile* vielfach versündigt, beide, wenn auch nicht in gleichem Masse, die Wiederherstellung der gestörten Union zwar nicht unmöglich gemacht, aber doch unendlich erschwert haben. — Hergenröther, *Neue Studien über die Trennung der morgenländischen Kirche*, Herbipoli, 1864, p. 4.

(2) *La Russia e l'unione delle Chiese*, Romae, 1895, p. 46.

rifice iactant *la supériorité de leur civilisation.* Purpurissam amoris patriae, vel vecordis obsequii procul a nobis arceamus, cum historiam schismatis pertractare aggredimur. Si persuasissimum tibi erit nihil intentatum reliquisse, ut pleniorem veritatis cognitionem haurires, sedulo ac sine partium studio testimonia historiae perpenderes, nihil falsi scite vel leviter venditares, bellum quod tibi indicitur in tuum redundabit decus ac gloriam. Et si, ut evenit interdum, affectiones humanae ad tempus lucem veritatis nebulis involvent, te non lateat, spe supernaturali suffultum, Deum aequum remuneratorem quandoque te habiturum. Decertantes enim pro veritate Deus peramat, ac pro veritate non decertant qui simultatibus politicis, fucato religionis zelo, favent. Gratum tibi sit, ad te quod spectat, tua facere verba S. Gregori Nazianzeni: *Ex eorum numero sum, qui pro veritate decertant, atque in offensionem et odium incurrunt, immo etiam et in hoc numero esse gloriabor. Melius est enim laudabile bellum pace a Deo disiungente* » (1).

4. Teologus quidam italus, qui saeculo XVII diu adlaboravit in regionibus Orientis, eo sane consilio ut catholicae fidei veritatem propagaret suique ingenii monumenta reliquit complura de theologia polemica scripta, perpulchre rationes exposuit, quibus incitemur oportet ad schisma debellandum: « Cum graecis consuetudo ineunda est, ut valeamus eorum praeiudicia dispellere: tum quia cum haeretici et schismatici nobiscum conveniant in principiis fidei, in Scripturis Sacris, quas absolute non negant, faciliter convincuntur, et maior speratur fructus, quam inter infideles simpliciter; tum quia ex charitatis praecepto, et ex divinae dilectionis ordine, maiorem curam et dilectionem in eorum salute procuranda, impendere debemus eis qui proximiores et coniunctiores sunt nobiscum. Ita sunt haeretici et schismatici. Ergo maioris diligentiae et laboris cura impendenda in eis est. Tum quia gratitudinis lege magis tenemur eis, qui nobis in opportunitatibus fuerunt auxilio, quam eis, quos nunquam novimus: ut si quis cum ceciderit, ab aliquo sublevetur, si postmodum ille labatur, tenetur ille suum auxilium vicissim praebere. Sed olim Graecia Ecclesiae catholicae maximo fuit auxilio, adversus praesertim haereses. In ea enim clarissima concilia celebrata sunt, doctores celebres, ac maximi viri sanctitate conspicui floruerunt. Ergo maximo conatu la-

(1) *Καὶ τούτων εἰς εἴην τῶν ὑπὲρ ἀληθείας ἀγωνιζομένων καὶ τῶν ἀπεχθανομένων· μᾶλλον δὲ καὶ εἶναι καυχήσομαι. Κρείττων γὰρ ἔπαινετὸς πόλεμος εἰρήνης χωριζούσης Θεοῦ. Or. II Apol,* n. LXXXII, t. XXXV, col. 488.

borare debemus pro ista parte resarcienda, cum nobis in nonnullis haeresis, miserabiliter perseveret » (1).

Mihi dubium non est quin haec, quum obiter perlegerint pseudotheologi mohlianismi, rugas in fronte contrahant, nimisque uncis naribus haeresim odorati, qua assolent, urbanitate, italum scriptorem omni contumelia inquinent, improbo dente eum appetentes ut schismatis fautorem.

Quidquid tamen sentiendum sit de methodo mohlianica in theologia polemica pertractanda, videtur mihi a semitis abscedendum non esse, quas nobis explanarunt clarissimi scriptores catholici, quamvis hi scriptores praedulce nectar *d'une civilisation supérieure* primoribus labiis non degustaverint. Inprimis pulcherrima heic recitabimus verba Michaelis Nau S. I., cuius opus, ad catholicae veritatis defensionem contra Graecos conscriptum, tum eruditionis laude, tum urbanitate styli maxume commendandum. Mea quidem sententia, ad nostrum propositum quod attinet, nihil accommodatius scribi potuisset: « Si quem vincere in animum induxisti, et contendis praedari Christo, non aliis quam amandi armis illum lacesse. Adhibe urbanitatis officia omnia, serenitatem vultus, suavitatem sermonis, benevolentiae significationes varias, minime fucatas, non accersitas remotius, sed obvias, simplices, et e re ipsa petitas, et quasi natas. Nihil objice quo exacerbetur animus, alioque abscedat. Qui maxime hostis est, eo sic utere, ut amicum haberi se existimet; fac amantem veri, qui procul a vero distat, eius sic dicta interpretando verte, ut proxime videatur ab fide abesse, ipseque cogitet negotio prope nullo pacem inire posse, et dogmatum consensionem. Facies hoc quidem non vitiorum reverentia, sed mediante arte. Sinuntur crescere zizania, ut in messe felicius exstirpentur. Pastor ille bonus accipit in humeros errantem ovem, quam ovili reddit, non in caulam pedo, vel minaci gesto ac voce compellit. Omnia vincit amor, et fructum magistri afferunt in patentia. Non enim contra Graecos scribo, sed pro Graecis: non descendo ad pugnam, non Graecos ferio, Graecis faveo et opitulor. Consensionem Ecclesiae graecae aperio quidem Graecis. Nihil rixarum moveo, amice colloquor cum amicis, et qui adversari ac discrepare ad oculum vi-

(1) Aegidius a Cesaro, *Controversia marcephesistarum haereticorum cum orthodoxa Ecclesia, ac nonnullorum domesticorum cum apostolica missione, opus nedum missionariis, et orthodoxis in Oriente perutile, sed apprime necessarium, in quo haereses, errores, ac novitates omnes a Marcephesistis, et Photianis olim et noviter inventae contra latinos refelluntur, ad modum universalis apologiae,* Messanae, 1664, pp. 39-40.

dentur, facio ut ipse per se vel suorum ductu in consensionem veniant » (1).

Haec si teneantur praecepta, sua sponte fluit iniuriis parcendum, « unde magnopere illi improbandi sunt, qui loco honestae aggressionis, aut necessariae defensionis, scommata, dicteria, satyras virulentissimas, omnisque generis iurgia in adversarios evomunt » (2). Hasce reprehensiones praesertim merent, « qui, cum res graecorum ne summis quidem digitis tetigerint, audent ad trutinam revocare, notare censoria virgula, immo et palam damnare » (3).

Nil magis absonum dignitati theologiae, veritatis christianae indoli, proximi amori, quam nefaria illa theologiae polemicae methodus, quae scommata et probra, ad tegendam inscitiam, loco argumentorum iacit.

Graecus auctor Confutationis Marci Ephesini vehementer conquerebatur, Graecos et Latinos vicissim se aspergere opprobrio, licet sub eodem Servatore et Domino constitutos: verum et pace composita etiam iterum disiungi, et innumerarum haereseon reos ad invicem semet ostendere (4). Neminem arbitror latere in hac palaestra iurgia conserendi semper primas tenuisse Graecos, ac longe superasse Latinos qui eorum vestigiis institere. Hocce iam factum fuisse in concilio florentino testatur praecitatus scriptor *Confutationis Marci Ephesini*, qui narrat, dum Latini in disputando quiete se egissent, Graecos non destitisse a projiciendis in eos blasphemiis, ab evomendis in eos dicteriis, quae fando referri nequeunt (5).

(1) Op. cit., p. 13.

(2) Gazzaniga, pp. 15-16.

(3) Papadopulo-Comnenus, *Praenotiones mystagogicae*, p. 385. Ad rem S. Augustinus: « Quemadmodum, si lucem istam amares, coecis non irascereris, sed eos doleres; quale enim bonum tu caperes, nosses, et ideo quanto bono illi fraudarentur conspiciens, misericordia tibi digni viderentur, et si opes haberes, si artem, si medicamentum potius ad eos sanandos curreres, quam damnandos; ita si pacis amator es, quisquis es, miserere eum qui non amat quod amas, qui non habet quod habes. — *Sermo* CCCLVII, P. L., t. XXXIX, col. 1582.

(4) *Οὐ γὰρ μόνον ἀσεβείας ἐγκαλοῦσιν ἀλλήλους, καίτοι ὑπὸ τὸν αὐτὸν τελοῦντες Σωτῆρά τε καὶ Δεσπότην, ἀλλὰ καὶ πολλάκις αὐτοῖς διαλύσεων γινομένων, δόξαντες συμβῆναι, αὖθις ἀλλήλων διέστησαν, καὶ τὸ χεῖρον, μετὰ πλείονος, τῆς μανίας κατ' ἀλλήλων ἐχώρεσάν τε καὶ χωροῦσιν· ἀσεβείας, ἀθεΐας, πλάνης ... καὶ μυρίων αἱρέσεων ἐνόχους ἀλλήλους δεικνύναι πειρώμενοι.* — *P. G.*, t. CLXI, col. 140.

(5) *Λατῖνοι μὲν καὶ Λατίνων οἱ παλαιότεροι ἅπαξ περὶ τούτων εἰπόντες ἐπαύσαντο· καὶ τότε τῷ δόγματι καθ' αὐτὸ μᾶλλον συνηγοροῦντες ἢ κατὰ τῶν αντιδοξούντων φερόμενοι. Γραικοὶ δὲ καὶ τούτων οἱ δόξαν θηρώμενοι, ἐπεὶ μὴ ἄλλοθεν δύνανται, τὴν τοῦ πλήθους κολακεύοντες ἀλογίαν, δημαγωγοῦσί τε αὐτοὺς καὶ τὴν ἐξ αὐτῶν εὐφημίαν καρποῦνται, οὐ παύονταί τι βλάσφημον ἀπορρίπτοντες κατὰ Λατίνων, ἀεί, καὶ ῥητὰ καὶ ἄρρητα κατ' αὐτῶν ἐμοῦντες.* — Ib., col. 140.

Neque cessit in praesens apud scriptores orthodoxos mos iste catholicos theologos mordendi, quasi *pharisaeos religionis christianae, obtrectatores ceterarum Ecclesiarum, sanniones scientiae* (1). Tot prae manibus habeo scripta polemicae orthodoxae, in iisque, ut rite animadvertit Schlosser, tertio quoque verbo, odium inspergitur adversus Latinos, et catholica Ecclesia omnium purgamentorum haereseon receptaculum asseritur (2).

Fateamur tamen oportet perpaucos scriptores catholicos eadem interdum conviciorum oberrasse chorda, ut Comnenus Papadopulos doluit: « In nos gentemque nostram Latinorum quorumdam sinisteritas, concordiae pacisque, quam optamus, semper obfuit, et contra stabiliendo confirmandoque schismati prodest. Nam si vel ista convicia, saepe etiam necessaria, in iurgium abeunt, animosque mutua olim charitate coniunctos dissociant, quis putet calumniis, ineptisque quorumpiam contumeliis iratos animos leniri posse, aut optandum christianis omnibus iniri gentium capitalissimarum foedus, unde certissimarum est causa rixarum, perennisque dissidii praesens occasio » (3).

Pulcherrimis verbis laudatus iam Nau scriptores catholicos admonet, conviciis parcere in controversiis theologicis cum Graecis exagitandis: « Amor si percellit suaviter, nunquam non vincit: odium cum feriat semper acerbe, nihil expugnat. Imoque si vehementius infigit in hostem telum, hoc hostem corroborat magis in proelio animorum, et minus iam in illum valet. Provocatus enim iniuria vel convicio animus sese affirmat pervicacius, et odium odio vehementiore impetit. Inde est quod in profligando schismate haeresique debellanda tam infeliciter versamur. Odio certamus, non amore: ulciscendi studio, non parcendi; vincendi cupiditate, non iuvandi; quae nostra sunt quaerimus, non Jesu Christi; et quoniam in verbo eius non laxatur rete, per totam noctem laborantes nihil capimus. Scio equidem catholicarum partium viros divini impulsu amoris plerosque ad certamen accedere: at plerosque non nescio arma quibus bellum ineant, ab amore non accipere, sed ab odio mutuari. Videre est apud illos convitiorum congeriem: probrorum, si fas est ita loqui, quasi plaustra; veritatem exibent non sua in luce, sed in igne. Splendit illa quidem, sed offendit et parit incendia. Rem alii aggrediuntur ab ira certe pla-

(1) *Τῆς ἐπιστήμης ἐμπαικταί, τοῦ Χριστιανισμοῦ φαρισαῖοι, ἀμείλικτοι συκοφάνται καὶ ὑβρισταὶ τῶν ἄλλων Ἐκκλησιῶν.* — Damalas, op. cit., pp. 11-12.

(2) *Die morgenländische orthodoxe Kirche Russlands, und das europäische Abendland.* Heidelbergae, 1845, p. 25.

(3) Op. cit., p. 211.

catiores, sed elatiores ingenio. Despiciunt suos, quasi nihili sint, adversarios, et exprobratione erroris atque ignorantiae adeo gravi illos pudore obruunt, ut demittere oculos cogantur, vultumque avertere, nec intueri in veritatem valeant, qua veritate prope est, ut ab aemulis proculcentur » (1).

Praeclarus etiam theologus S. I. scripsit Pharaonis spiritum referre, qui iniuriis in controversiis theologicis cum Graecis indulgent: « amicis disceptationibus ad cognitionem suorum errorum illi adducendi. Cum amice proponitur veritas, is cui proponenda est vel consuetudine, vel beneficio, vel honore benevolus, et amicus efficitur » (2).

Eo magis iniuriis parcendum, quo minus, si rem attentius perpendas, gravissimae schismatis culpae sese conscios produnt qui schismati adhaerent. A teneris enim unguiculis lac schismatis ebiberunt. Suam de fide christiana doctrinam adulta iam aetate ex libris deprompserunt ubi fuco illinitur, et mendaciis inspergitur schismatis historia, ac tot falsae leguntur in Latinos insimulationes. Minime igitur mirum est inunctis oculis eos intueri, quae nobis luce meridiana clariora censentur, eosque vehementibus verbis ad veritatem te adducturum si ducas, te fallet opinio. « Scommata, verbis utar scriptoris in provincia historiae schismatis versatissimi, non ad instruendum, sed ad exacerbandum apta sunt. Quanquam enim nos de veritate nostrae, illorum autem religionis falsitate convictos seu potius firmiter persuasos, nos esse confitemur: non hoc ipso consequitur illos etiam aeque convictos persuasosve esse vel fuisse » (3). Haud satis animo volvimus, in ea, quam tuemur, unione Ecclesiarum, permultas traditiones a maioribus acceptas eis oblitterandas, doctrinas saepe saepius apud suos clarissimos scriptores summis laudibus elatas reprobandas, longa temporis intercapedine pravis de fide sententiis adhaesisse fatendum. Officium est igitur charitatis christianae ut hocce vulnus in eorum animis hians, mitiori contrectemus manu, ne gravius doleat (4).

(1) Op. cit., pp. 1-3.

(2) Comnenus Papadopulos, *Adversus haereticam epistolam Johannis Hockstoni*, pp. 110-111.

(3) Laminecius, *De graecis ritus non unitis Helvetiae ac augustanae confessioni addictis in inclyta regna Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, suscipiendis ac tolerandis*. Vindobonae 1785, p. 69.

(4) Perpulchra heic verba Salviani Massiliensis recolenda: « Eis (haereticis) traditis magistrorum suorum et doctrina inveterata quasi lex est, quia hoc sciunt tantummodo, quo docentur. Haeretici ergo sunt, sed non scientes. Denique apud nos sunt haeretici, apud se non sunt. Nam in tantum se catholicos esse judicant,

In re tam clara ac testata, quam tamen adversus Mohlianos enucleare necesse fuit, diutius immorandum non est. In theologia polemica iniuriis parcendum. « Hanc rationem tene, ait S. Gregorius Nazianzenus, ut corrigas quidem errantes, idque leniter et humane, non ut hostis, nec ut durus et rigidus medicus, nec ut sectionibus tantum et cauteriis adversus morbos grassari sciens: teipsum autem ac tuam infirmitatem agnoscas »(1). At, nostras contemnent reprehensiones errantes. Num eos relinquas oportet inferisque devoveas?... Iterum audi perillustris Doctoris consilia: « Si primum obluctetur, leniter expecta: si secundo, ne spem abjicias. Nondum enim curationis tempus effluxit: si tertio, benignum illum et humanitate praeditum agricolam, imitare, cum Domino adhuc age, ne inutilem et infructuosam ficum exscindat, atque odio habeat, verum emendet et curet » (2). « Iniurias ne inferamus, sed coarguamus: minis ne utamur, sed exprobremus; ne feriamus, sed medicinam afferamus »(3). Officia charitatis in deerrantes absolvere tenetur quem Deus clariore suae veritatis lumine illustravit. Dicteria et scurrilia verba haud quidem efficient, ut sol veritatis catholicae plenius affulgeat, sed potius coecutientes oculos obcoecatos reddent.

5. Gradum facimus ad inquirendum an liceat in controversiis theologicis cum scriptoribus orthodoxis, uti vocabulo *schismaticorum* ad

---

ut nos ipsos titulo haereticae appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis... Veritas apud nos est, sed illi hoc arbitremur honorem divinitatis esse quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est commune religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei aestimant charitatem... Idicirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non recte credere, affectu tamen piae opinionis errare; maxime cum sciat eos ea facere quae nesciunt, nostros autem negligere quod credunt: ac per hoc illos magistrorum peccare vitio, nostros scientes; illos id facere quod putent rectum, nostros quod sciant esse perversum ». — *De gubernatione Dei.* l. V, n, 11. P. L., t. LIII, coll. 95-96.

(1) *Ἐκεῖνος διόρθωσαι, καὶ τοῦτο πρᾶως καὶ φιλανθρώπως, μὴ ὡς ἐχθρός, μηδὲ ὡς ἀπότομος ἰατρός, μηδὲ ὡς ἐν τοῦτο μόνον εἰδὼς τὴν καῦσιν, καὶ τὴν τομήν· τὸ δὲ, σεαυτοῦ κατάγνωθι, καὶ τῆς ἀσθενείας τῆς σῆς.* — Or. XXXII, n. 29, *P. G.*, t. XXXVI, col. 208.

(2) *Κἂν τὸ πρῶτον ἀντιβῇ, μακροθύμησον· κἂν τὸ δεύτερον, μὴ ἀπελπίσῃς, ἔτι καιρὸς θεραπείας· κἂν τὸ τρίτον, γενοῦ φιλάνθρωπος γεωργός· ἔτι τοῦ Δεσπότου δεήθητι, μὴ ἐκκόψαι, μηδὲ μισῆσαι τὴν ἄκαρπον συκῆς καὶ ἀνόητον, ἀλλ' ἐπιστρέψαι, καὶ θεραπεῦσαι.* — Ib., n. 30, col. 209.

(3) *Οὐχ ὑβρίσωμεν, ἀλλ' ἐλέγξωμεν· οὐκ ἀπειλήσωμεν, ἀλλ' ὀνειδήσωμεν· οὐ πλήξωμεν, ἀλλ' ἰατρεύσωμεν.* — Or. XXXIII, n. 1, Ib., col. 216.

eos coarguendos, ac pudore afficiendos. Hoc in doctrinae capite iuvat adnotare, complures scriptores catholicos, nimis officiis benevolentiae indulgentes, in eam declinasse sententiam, ut edocerent Ecclesias orthodoxas *schismaticas* veri nominis habendas non esse, quippe quae decreto unionis in concilio florentino subscripsere, ac deinceps, nullo habito concilio plenario, id non abrogarunt. Hancce sententiam alias fusius discutiemus. In praesens pauca de ea iuvabit delibare.

Laudatus iam Egistus a Cesaro scribit: « Graecia in synodis congregata semper visa est de catholica fide bene sentire: unde licet adhuc haeresibus sit inspersa, arbitror non esse absolute promendum, graecos haereticos esse, seu schismaticos, sicut nec vere dici potest, quod inter graecos nullae sint haereses »(1). Suam thesim probat auctor potissimum, ex eo quod catholica Ecclesia praesumat in meliori parte, ac nullum concilium apud eam graecos explicite damnarit (2). De Russia idem sentiunt scriptores quidam russi, qui catholicam fidem amplexati sunt, ut Galitzin et Gagarin. Russi, aiebat P. Laordaire, catholici mansere, nescientes (3).

Exinde factum est ut Gagarin (4), Tondini (5), von Caloen (6) ab orthodoxis schismaticis appellitandis, abstinendum putarunt.

Ad nostram quod attinet sententiam, sedulo distinguamus oportet inter officia benevolentiae, quae semper prae oculis habenda, ac doctrinam catholicae Ecclesiae, quam tueri nobis est animus. Si catho-

(1) *Controversiae Marcephesistarum*, p. 16.

(2) Ibid., pp. 17-28.

(3) « La Russie est catholique à son insu: elle n'est pas et n'a jamais été schismatique de son gré, comme il en a été de l'Église d'Orient. — *Revue des Églises d'Orient*, t. III, Parisiis, 1887, p. 462.

(4) Man wirft mir vor, nicht das Wort schismatisch gebraucht zu haben: ich gestehe, dass ich nicht den Muth besessen, mich dieses Ausdruckes in einer Schrift zu bedienen, welche meinen nächsten Verwandten, meinen Iugendfreunden, und demjenigen (den Gott mir zum Souverain gegeben, zu Händen kommen kann. *Wird Russlands Kirche das Papstthum anerkennen*, Monasterii, 1857, p. 181.

(5) Ho sempre evitato in tutti i miei scritti, e per buone ragioni, l'appellativo di scismatico. — *La Russia e l'unione delle Chiese*, Romae, 1895, p. 28.

(6) *La question religieuse chez les Grecs, Revue bénédectine*, t. VIII, 1891, p. 124. Mordicus tuitus est Solovev a tabe graeci schismatis patriam suam immunem esse: « *La Russie* n'est pas formellement et régulièrement séparée de l'Église catholique: elle se trouve, sous ce rapport, dans un état indecis et anormal éminemment favorable à l'œuvre de la réunion... Les doctrines fausses et anticatholiques, enseignées chez nous dans nos séminaires et les académies théologiques, n'ont aucun caractère obligatoire pour le corps de l'Église russe, et n'atteignent pas du tout la foi du peuple ». -- *Univers*, 18 septembre 1888. Cfr. D'Herbigny, *Un Newman russe: Vladimir Solovev*, Parisiis, 1909, p. 6.

licam spectes doctrinam fatendum est, ut ritę animadvertit Lequien, christianos orthodoxos in numero filiorum catholicae Ecclesiae redigi non posse, ac per consequentiam reos schismatis, vel ingratiis, habendos (1). Concinne rationes quae christianos orthodoxos ab unitate romana seiunctos, reos schismatis probant, Scholliner exposuit: « Schisma ex nomine suo est scissura seu divisio ab unitate Ecclesiae. Haec unitas triplex est: *unitas fidei*, qua membra eadem fide Christo tanquam capiti suo adhaerent; *unitas charitatis*, qua membra inter se per mutuam pacem, sacramentorum communionem, publicas preces, et actus religionis colligantur; *unitas obedientiae*, qua membra eisdem legitimis pastoribus, episcopo et romano Pontifici, ut supremo capiti visibili subiacent. Hinc schisma datur duplex, *purum* unum et aliud *mixtum*. *Purum* dicitur, dum sola scinditur unitas charitatis et obedientiae, absque ullo in fide dissensu. Schisma *mixtum* est, quod praeter unionem charitatis et obedientiae unitatem quoque fidei tollit. Hoc modo sunt Graeci » (2).

Hancce communem esse puto scriptorum catholicorum sententiam, neque mirari eam debent theologi orthodoxi, vel moleste ferre, cum de catholica Ecclesia effutiant, eam a vera Christi Ecclesia discessisse, nimirum in crimen schismatis incidisse (3).

Num igitur reprobanda omnino sententia scriptorum, quos supra memoravimus?... Ut mea fert opinio, si ponatur eam non referri ad doctrinam, id est, si diserte teneatur, placita illa quae in theologia orthodoxa contra fidei catholicae doctrinam edisseruntur, ut fidei catholicae dissona rejicienda, charitati, qua par est instruamur, in controversiis fidei indulgere fas erit, atque hoc verbum expungere. Theologia enim polemica falsas aggreditur sententias, ut supra significavimus, *fine irenico*: sterilem sibi non parat victoriam, sed animas attingere conatur, eaeque ut vera fide illustrentur studet. Non secus igitur ac gravissimis criminibus obrutos peccatores vehementissimis verbis non compellamus, quum eos ad meliorem frugem adducere conamur, eisque coenosam suam vitam in memoriam non revocamus, scelestos eos non praedicamus, quamvis permultis sordibus deturpentur; ita in praeiudicatis sententiis dispellendis, quas schisma in christia-

(1) *Panoplia contra schisma Graecorum*, Parisiis, 1718, pp. 290-291.

(2) *Ecclesiae orientalis et occidentalis Concordia in transsubstantiatione*, pp. 216-217.

(3) *Ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία ἀπὸ τοῦ δεκάτου αἰῶνος καὶ ἐντεῦθεν ποικίλας, καὶ ξένας, καὶ αἱρετικὰς διδασκαλίας καὶ καινοτομίας παρεισήγαγεν ἐν ἑαυτῇ διὰ τοῦ παπισμοῦ, καὶ οὕτως ἀπεσχίσθη καὶ ἀπεμακρύνθη ἀπὸ τῆς ἀληθινῆς καὶ ὀρθοδόξου τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας.* — Anthimi VII *Encyclica*, n. 24, p. 19.

norum orthodoxorum animis configit, nihil prohibet quominus epitheton *schismatici* missum faciamus. At epitheton illud praetermittere, quod aegre ferrent adversarii, quibus refragamur, sibi non vult eorum pravas nos amplecti sententias vel probare, eadem sane ratione qua peccatoris alicuius crimina non negamus, propterea quod, ut ad ovile redeat, eum fratrem amicumque salutamus.

Me quidem non latet sententiam quam tuemur, theologis mohlianis haeresim redolere. Sed, ad modum quod attinet catholicam veritatem tuendi, maximam suis filiis largitur libertatem catholica Ecclesia; ac plus aequo suis praeiudicatis opinionibus indulgerent mohliani, si vindicarent sibi ius notam haereseos inurendi sententiis, quae ut libere agitentur apud theologos ceterarum nationum, tolerat catholica Ecclesia. In theologia catholica (mohliani quidem nobis faveant opus est), *Roma tantum docet* (1).

(1) De methodo polemica mohlianismi, quae tota scatet injuriis atque ineptiis, ne sciolorum ridicularia in hocce volumen invehamus, fuse disseremus in opella, cui titulus: *Mohlianismus.*

CAPUT X.

De scientiis necessariis ad studium theologiae polemicae rite ineundum.

1. Demonstratur, studiosis theologiae polemicae apprime addiscenda; α′ Theologiam dogmaticam; β′ Philosophiam; γ′ Linguas orientales. — 2. De Patrum scriptis assidue pervolutandis scriptoribus catholicis theologiae polemicae: α′-θ′ De regulis servandis in eorum testimoniis utendo ad confutationem scriptorum orthodoxorum; ι′ De scriptis Patrum apostolicorum; ια′ De scriptis Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum II et III saeculi; ιβ′ De scriptis Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum IV et V saeculi; ιγ′ De scriptis Patrum serioris oevi; ιδ′ De auctoritate Photii et Marci Ephesini juxta scriptores orthodoxos. — 3. De argumentis historicis in theologia polemica pertractanda: α′ De historia Ecclesiae byzantinae; β′ De historia schismatis; γ′ De historia catholicae Ecclesia in eis quae ad orientales spectant Ecclesias; δ′ De historia ac statu hodierno Ecclesiarum Orientalium orthodoxarum; ε′ De rebus gestis Sanctorum Cyrilli et Methodii sedulo pervestigandis; ϛ′ De historia tentaminum pro schismate extinguendo, ac praesertim de historia unionis brestensis. — 4. Studium juris canonici Ecclesiarum orthodoxarum declaratur perutile studiosis theologiae polemicae.

1. Inter varias, quae feruntur, theologiae species, difficillimam omnium theologiam polemicam sese exhibere, non vereor dicere. Illud in primis animadvertendum, provinciam dogmatum theologiam polemicam explorare, veritates nimirum, quae in scientia de Deo ceteris altiores habentur, atque, verbis utar S. Gregorii Nazianzeni, « disputatio, quae de Deo suscipitur, quo perfectior, eo quoque difficilior est, pluribusque obiectationibus patet, in iisque diluendis ac dissolvendis plus negotii facessit » (1). In hac enim mortali vita, quidquid ad nos usque pertingit, aliud nihil est, quam exiguus quidam rivulus, ac velut parvus magnae lucis radius (2).

Insuper theologia polemica hoc postulat, ut absolutissimam sibi comparet scientiam errorum, quibus refellendis nititur operam navare: puritatem animi in eo requirit, qui ipsius provinciam explorat, ne in

(1) *Ὁ δὲ περὶ Θεοῦ λόγος, ὅσῳ τελεώτερος, τοσούτῳ δυσεφικτότερος, καὶ πλείους τὰς ἀντιλήψεις ἔχων, καὶ τὰς λύσεις ἐργωδεστέρας.* — Or. theol. II, n. XXI, *P. G.*, t. XXXVI, col. 53.

(2) *Τὸ δὲ νῦν εἶναι βραχεῖά τις ἀπορροὴ πᾶν τὸ εἰς ἡμᾶς φθάνον, καὶ οἷον μεγάλου φωτὸς μικρὸν ἀπαύγασμα.* — Ib., or. XXVIII, n. 17, col. 48.

opere tam salebroso voluptatum illecebris acies ingenii retundatur. « Impuro enim, ait laudatus Doctor, rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse caret, quemadmodum nec aegris oculis solis radios intueri » (1). Denique invictissima constantia praeditus sit oportet qui ad studium theologiae polemicae animum adiungit, ne animos despondeat, permultis licet ab hostibus impetitus; etiamsi fractus illabatur orbis, veritatis causa ei deserenda non est. Eruditissima igitur scientia ac praeclaris exornentur virtutibus necesse est, qui theologiam polemicam pertractandam aggrediuntur, ac

> Non ideo debet pelago se credere, si qua
> Audeat exiguo ludere cymba lacu.

Ad rem Gazzaniga: « Nihil peius theologiae polemicae accidere solet, quam cum homines imperiti, opportunisque armis minime instructi in huiusmodi certamina descendunt » (2).

Antequam theologiae polemicae periculosum plenum alea opus aggrediamur, scientias apprime calleamus oportet, quarum auxilium maxume necessarium aestimatur. Imprimis sedulo incumbendum est in studium: *α′ Theologiae dogmaticae*; *β′ Philosophiae*; *γ′ Orientalium linguarum.*

α′ Ad studium theologiae dogmaticae quod attinet, recolenda quae rite admonet Scheidel: « Falluntur iuniores theologi dum existimant, se perlecto, vel etiam perpenso, quodam theologiae compendio, ut ut eximio, iam satis accinctos esse, ut cum versatissimis quibusque fidei hostibus congrediantur. Falso sibi persuadent inexperti eadem se facilitate, qua in scholis propositum sibi nodum dissolverunt, aut in exercitatione litteraria opponentis cuiusdam argumentis satisfecerunt, eadem se e praeliis cum religionis adversariis fore expediendos. Ignorant profecto, qui tanta sui fiducia pleni sunt, quam aliam longe faciem eadem forte vel similes difficultates, quas siccis verbis proposita in theologicis compendiis legunt atque despiciunt, in scriptis adversariorum referant, aut dum ore viri alicuius eloquentis et in seducendi magistro proferuntur » (3).

Scriptor catholicus, qui theologiae polemicae vacat, suo munere rite defungi non potest, nisi provinciam theologiae catholicae in antecessum accuratissime exploraverit. Etenim, si plane perspectam cogni-

(1) *Μὴ καθαρῷ γὰρ ἅπτεσθαι καθαροῦ τυχὸν οὐδὲ ἀσφαλές, ὥσπερ οὐδὲ ὄψει σαθρᾷ ἡλιακῆς ἀκτῖνος.* — Or. XXVII, Ib., coll. 13-16.

(2) P. 9.

(3) Op. cit., pp. 28-29.

tamque non habeat doctrinam illam, quam summa nititur ope ab assultibus adversariorum tueri, bello gerendo proculdubio imparem sese habebit. Ut leges chemiae practice nequimus applicare, nisi pateant nobis primum corporum proprietates ac vires, quas periclitamur, ita theologorum nobis refragantium castra invadere nefas erit, nisi primum vires quibus fruimur, argumenta, quae nobis usurpanda, arma, quae nobis praesto sunt, optime cognoscamus. Satis enim claret pravas adversariorum sententias refellere non posse, qui ob defectum scientiae, veras catholicae fidei doctrinas cum falsis commiscet, easque accurate non refert, vel perperam exponit. Compendia theologiae dogmaticae lectitare parum conducit: praestantissimi adeundi sunt scriptores, qui penitius catholicam doctrinam pervestigarunt, ac tantam in ea exploranda laudem consequuti fuere, ut vel ingratiis cogantur adversarii eos permagni facere, eisque summam in controversiis theologicis auctoritatem agnoscere. Satis habeo memorasse S. Thomam, Bellarminum, Petavium.

Oppido tamen falleretur, qui falso sibi in animum induceret, studium theologiae catholicae omnia praebere subsidia ad pravas theologiae orthodoxae sententias, quae catholicae refragantur doctrinae, convellendas. Eo enim facilius errorum versutias ac technas detegemus, quo clariore nobis perfundentur luce fontes illi, ex quibus manarunt errores. Convenit autem inter omnes, haud parva munimenta ad suas sententias tuendas ex Lutheranorum castris theologiam orthodoxam deprompsisse. Itaque, vel theologiae pseudo-reformatae comparanda nobis est scientia, placita perpendenda, ac sententiae discutiendae, ut primo oculo fontes aspiciamus, ex quibus scriptores orthodoxi suas hauserint aquas. Animadvertere iuvat, in eis quae ad historiam Romanae sedis spectant, panoplias protestantium scriptores quosdam orthodoxos compilasse, ideoque veneno haec arma illita fuisse ante demonstrandum, quam venenum ipsum eradamus.

Denique permulta tam magni quam minoris momenti theologorum orthodoxorum scripta nobis perlegenda, ut, quid ipsi sentiant, et cur ita sentiant, liquidissimum evadat. Haud raro conqueruntur scriptores orthodoxi perpaucos recenseri scriptores occidentales, qui satis perspectas habeant conditiones Ecclesiarum orthodoxarum orthodoxaeque theologiae (1). Dolet etiam Damalas scriptores occidentales ex fontibus authenticis suas non depromere de dogmatis fidei orthodoxae senten-

(1) *Ἐλάχιστοι εἶναι οἱ θεολόγοι ἐκεῖνοι ἐν Ἑσπερίᾳ, οἱ ὁποῖοι καὶ γενικὰς κἂν νὰ ἔχωσι γνώσεις περὶ τῆς νῦν καταστάσεως τῆς ἑλληνικῆς Ἐκκλησίας, εἰς δάκτυλα δὲ μετροῦνται ὅσοι περὶ αὐτήν, ὡς ἴδιον τῆς ἐπιστήμης θέμα ἠσχολήθησαν.* — Balanos, *Εἶναι ἡ ὀρθόδοξος ἑλληνικὴ Ἐκκλησία μόνον κοινωνία λατρείας*, p. 3.

tias, quo fit ut plus aequo indulgeant praeiudicatis opinionibus in dogmaticis discrepantiis perpendendis, quae schismati fulcrum dedere (1).

Si praecipua scriptorum orthodoxorum scripta pervolutemus, quam citius persuasum nobis erit permultas implexasque obiectiones theologicas apud eos occurrere, quae a viris doctissimis tantum, rerumque theologicarum peritissimis dilui queunt. Etenim, si revera quidquid a theologis orthodoxis catholicae opponitur doctrinae, absurdis scateret, vel statim ut falsum evinceretur, schisma theologice iamdiu debellatum fuisset. Haec autem quum ita non sint, iure meritoque affirmamus non omnia superciliose contemnenda in theologia orthodoxa. Vera cum falsis in ea miscentur, atque interdum tam subtili artificio, arctissimaque coniunctione, ut nisi experientia simul ac peritia instruaris in erroribus detegendis, reprugnantia inter se secernere non posses.

Me quidem iudice, satis non est in hac vel illa discrepantia theologica pervestiganda operam impendere. Quae monemus, non eo sane consilio dicimus, ut debitas minuamus laudes tot praeclaris theologis catholicis, qui, percensitis pravis orthodoxae theologiae sententiis, eas singillatim evertere conati sunt, perinde ac si totum in illis consisteret schisma. Perutile enim censeo in latissima theologiae polemicae provincia cordatos viros, quemque pro iure suo, agellum sibi circumscribere, in eoque adsidue subarando curam impendere. Hisce ditetur scriptis theologia catholica peroptandum est. Mea tamen sententia, haec satis non sunt ad certamen theologicum cum orthodoxis ineundum. Parum confert, ex vetusto aedificio hunc vel illum labascentem parietem te complanasse: fundamenta enim si perstent immota, aedificium ipsum haud ruet. Itidem parum utilitatis capies, si omni eruditionis apparatu scriptoribus orthodoxis luculenter demonstraveris, dogma Immaculatae Conceptionis veterum Patrum traditione inniti. Praefracte tibi semper respondebunt adversarii: « Repugnat nobis illud admittere dogma, quod praeclari apud vos doctores, ut S. Thomas, ob rationes theologicas diserte reiecerunt ». Nil igitur reliquum est tibi, nisi ut cum illis de fundamentis disceptes, quibus totum nititur aedificium christianum, nempe, nisi in provinciam propaedeuticae theolo-

(1) *Ἐν ταῖς ἄλλαις Ἐκκλησίαις ἡ ἐπιστήμη ἐδείχθη δυστυχῶς, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον προκατειλημένη, καὶ ἄδικος, εἰς τὴν περὶ της ἡμετέρας Ἐκκλησίας, καὶ τῶν δογμάτων αὐτῆς κρίσιν, καὶ αἱ διαφοραί, καὶ ἡ κατάστασις ἐν γένει τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας ἐξετέθησαν μέχρι τοῦ δὲ παρὰ τῶν ἑτεροδόξων θεολόγων, οὐχὶ ἐκ τῶν ἐπισήμων πηγῶν καὶ μετὰ σχειικῆς ἀμεροληψίας, οἵαν τις δικαιοῦται παρ' ἐπιστημόνων νὰ ἀπαιτήσῃ, ἀλλ' ὅπως ἕκαστος τῶν θεολόγων αὐτῶν ἕνεκα τοῦ ἰδίου δόγματος ἢ προκαταλήψεως πρὸς τὴν ἡμετέραν Ἐκκλησίαν διέκειτο καὶ ἐκ πηγῶν πολλάκις λίαν ἀμφιβόλου χαρακτῆρος. — Περὶ ἀρχῶν*, p. 4.

giae catholicae eum adducas. Falsa tenereris spe, fore ut scriptores orthodoxi, quibus refragaris, tibi hastas cedant, propterea quod tuis commentariis in quinque vel sex discrepantiis theologicis catholicae doctrinae veritatem vindicaveris. Si plenam tibi in animo est consequi victoriam, altius tibi res repetenda est, ad fontes opus est regrediaris, quae per schisma inquinati fuere. Si rivulos exsiccares, fonte perenniter scaturiente, tuam operam abutereris.

Ad meam igitur sententiam, ut secundo exitu bellum geramus ad schisma debellandum, analysin instituamus oportet theologiae orthodoxae in cunctis, quae ad eam pertinent, doctrinis. Indoles theologiae orientalis haud parum differt ab indole theologiae occidentalis (1). Quod si animadvertissent veteres theologiae polemicae scriptores, multa quidem supervacanea, ad verba potius quam ad doctrinas pertinentia, missa fecissent. Opus est nobis apprime pateat sincera vocabulorum notionumque significatio, quae ab antiquis Patribus theologi orthodoxi acceperunt, ac sedulo in eis discernamus, quod a nostris vocabulis notionibusque alienum est: haec enim *verbalis* differentia secum non affert differentiam dogmatum. Quum agimus de controversia illius *Filioque*, maximi facienda est haec vocum explanatio, quae apud graecos occurrunt Patres.

Sed in illud praecipue incumbere debemus, ut qua maxima fieri possit accuratione placita theologiae orthodoxae de criteriis dignoscendae doctrinae revelatae ac traditionis ecclesiasticae, de natura ac praerogativis magisterii ecclesiastici, de notis Ecclesiae, de necessitate supremae auctoritatis in Ecclesia, quae perenne gerat officium Ecclesiae regendae, veraeque doctrinae christianae explicandae ac tuendae, discutiamus. In hisce enim doctrinis latet fundamentum schismatis. Diu atque incassum de discrepantiis dogmaticis inter catholicam atque orthodoxas Ecclesias disceptabimus, nisi prius nebulas dispellamus, quibus doctrinae illae fundamentales theologiae christianae obnubilantur apud scriptores orthodoxos. Theologice convelletur schisma, simul ac ponetur clarissima in luce: *a* Unam tantum haberi Christi Ecclesiam, non autem Ecclesias nationales; *b* magisterium agnoscendum esse, divinitus institutum, quod perenniter doceat fideles in Ecclesia. Haec duo si probentur, atque in catholica Ecclesia reperiri ostendantur, corruent fundamenta theologica schismatis, unaque corruent omnes, quae inter Orientem atque Occidentem enumerantur discrepantiae dogmaticae.

(1) Fuse de hac re disseruimus in dissertatione: *I caratteri generali della teologia bizantina. Studii religiosi*, Florentiae, 1902, t. II, pp. 115-36; 333-52.

β′ Philosophiam necessariam esse scriptoribus, qui theologiae polemicae vacant, supervacaneum arbitror demonstrare. Ut convellas errores, potissimum in difficillimis controversiis, haud communis requiritur perspicacia, quae studio philosophiae acuitur. Fallacias enim argumentorum, et cavillationum in eis quae ad speculationem theologicam spectant primo oculo necesse est detegas, si configere studes errores. Compertum quidem est, ob philosophiae scholasticae studium, scriptores catholicos, firmioribus armis instructos, certamen ingredi. Non negaverim profecto, complures inter theologos orthodoxos percenseri, qui studium theologiae cum philosophiae studio amice coniunxerint. At generatim iis deest cultura philosophica, ex quo manca profluit argumentandi methodus, ac tumultuaria veritatis christianae pervestigatio. Viri orthodoxi, qui theologiae simul ac philosophiae laude inclaruerint, vix ac ne vix dantur, quamvis philosophi christiani optimae notae in Ecclesiis orthodoxis extiterint, exstentque, ut Kudriavtzev-Platonov, Solovev, Scalzunis, Nesmielov. Philosophia scholastica, quidquid in eam oblatrent scioli, maxime confert ad communiendam theologiam polemicam. In controversiis potissimum, quae speculativam exhibent indolem, haud exiguum ex ea capitur emolumentum, ut subtiles veteris theologiae graecae cavillationes diluere valeamus.

γ′ Linguas etiam calleas oportet, si munus tibi sumpseris catholicam veritatem ab orthodoxis obiectationibus tuendi. Iam praeteriit aetas illa, qua Chytraeus aiebat: « Multos ad peregrinam aliquam et barbaricam linguam in Russia discendam, lubrica et fallacissima spes exigui lucri impellit » (1). Fatendum est quidem, primatum in theologia orthodoxa saeculo XIX Russos adeptos fuisse (2). Theologi russi praesertim adeundi, qui litteraturam christianam haud raro praeclaris scriptis ditarunt. Studium russicae linguae in perillustribus invalet Europae atque Americae athenaeis, ac nostra memoria scriptores catholici, qui theologiae polemicae navant operam, eam non fastidiunt. Paucissima enim scriptorum ecclesiasticorum russorum opera in exultas Europae linguas vertuntur, ac, vel si multa verterentur, obtineret semper adagium illud poetae:

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae,
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de celata sumere lance iuvat.

(1) *De studio theologiae recte inchoando*, Vitembergae, 1562, p. 14.

(2) Значеніе Россіи для православнаго Востока, преимущественно по отношенію къ богословскому образованію (*Momentum Russiae pro Oriente orthodoxo, potissimum habita ratione culturae teologicae*), Воскресное Чтеніе, 1869, t. XXXIII, pp. 696-702.

Diu moremur opus non est in graecae linguae studio commendando. Graece enim, anteacta aetate, conscripta fuere praecipua theologiae polemicae adversus Latinos opera, quae saepe saepius scriptori catholico theologiae polemicae manibus terenda. Adde, quod ex Russorum Graecorumque scriptis haud raro firmissima fas est haurire argumenta ad catholicam veritatem tuendam, praesertim in iis quae ad illud *Filioque*, ac primatum Romanorum Pontificum spectant. Nihil magis iucundius quam adversariorum armis, adversariorum castra convellere. « Hanc methodum saepe saepius usurpavit S. Augustinus. Haereticorum libros delibaverat Augustinus, non tantum ut perversa eorum deliramenta notaret, et quum se daret occasio, labefactaret: sed etiam ut ex iis legeret, et Ecclesiae restitueret, et in suos usus sepositum haberet, quidquid illi ex Ecclesiae doctrina olim hausta purum illibatumque retinuissent. Quid enim pulchrius, quam ab ipsis adversariis Ecclesiae antiquis accipere tela, quibus novellae haereses confodiantur » ([1])?...

Insuper, quum theologia polemica in historiam schismatis excurrat, praeter graecam ac russicam linguam, quae omnino necessariae mihi videntur, haud abs re videris tibi facturus, si ceteris idiomatis Ecclesiarum orthodoxarum addiscendis operam naves, potissimum romenico, bulgarico, et serbico. In eis autem quae ad primatum romanum, quod caput est schismatis, tuendum pertinent, si linguas orientales calleas, firmum subsidium tuis investigationibus tibi comparabis. Satis enim non est vocem graecae Ecclesiae tantummodo audire, ab incunabilis religionis christianae romanum Primatum suo testimonio confirmantis. Iuvabit et alios testes, tam doctrina quam sanctitate claros, inter antiquos patres et scriptores ecclesiasticos, praesertim syriacos atque armenos, compellare.

Nostra potissimum aetate, scientia nequit intra limites unius nationis sese concludere: ac cetera, quae ab aliis nationibus in provincia scientiarum efferuntur, temere aspernari. Vel in regionibus *civili byzantinorum cultui* addictis, vel *oltralpe*, ut clamitant ardeliones quidam itali, fas erit interdum quidpiam invenire, quod conferat ad progressum disciplinarum theologicarum. Theologia catholica unius non aestimat assis, si veritati consona deprehendantur, quae docti viri protestantes exarant: atque eadem sane ratione superciliose non contemnit theologorum orthodoxorum scripta. Ex hisce nobis haurienda argumenta, quae refellere statuimus, eaque fideliter recitanda. Eruditio in theologia polemica, *μανία* quidem non est, ut segnes effutiunt

([1]) Thomassinus, *Dogmata theologica*, t. V, Parisiis, 1868, p. 157.

scioli: sed honestatis litterariae atque accurationis indicium. Ex ea enim pronum erit adversariis ostendere, eorum rationes atque argumenta nos non latere. Maior inde vis additur demonstrationibus, quibus ea configere studemus (1).

2. Recensitae hucusque scientiae satis non habentur ad provinciam theologiae polemicae pervestigandam. Opus est scriptor catholicus sedulam navet operam veterum Patrum doctrinis explanandis. Theologia orthodoxa Patrum scientia potissimum innititur, vix ac ne vix rationibus theologicis indulget, fideique dogmata ad normas testium antiquioris Ecclesiae exigenda declarat. Ad Patrum scientiam quod spectat in theologia polemicà usurpandam, haec admonere mihi videtur.

α' Apud theologos russos saeculi XVIII, duce atque auspice Theophane Procopovicio, contemptus Patrum deprehenditur, quem praecitati theologi acceptum referunt theologiae lutheranae. Notum est enim neminemque latet, ab aetate Lutheri, theologi pseudo-reformationis in id potissimum vires ingenii contulisse, ut traditiones ecclesiasticas convellerent, ac Patrum testimonia omni pondere destituerent. « Constat, ait quidam theologus lutheranus, plerosque Patres, quorum scripta aetatem tulerunt, iam a medio saeculo II a simplicitate apostolica recessisse, prava abreptos libidine disputasse de rebus divinis more veterum philosophorum, non ex ipso sacrarum litterarum fonte hausisse religionis dogmata, sed prima elementa doctrinarum palmariarum didicisse ex traditione ecclesiastica, ex ipsa autem Scriptura Sacra petiisse tantum formulas modosque loquendi, eamque eatenus adhibuisse in auxilium, ut alias opiniones, quas vel ex ingenio vel philosophiae suae decretis supplevissent, testimoniis sacri codicis misere plerumque detortis, confirmarent » (2).

Huncce Patrum contemptum ex eo derivarunt Lutherani quod statuissent Sacram Scripturam unicum esse fontem veritatum fidei christianae. Quum Theophanes Procopovicius lutheranae theologiae principium, suum fecisset (3), Patrum auctoritas valde minuta est ab eis, qui in pertractanda doctrina orthodoxa Theophanis vestigiis institere.

Iuxta Falkovskium, « testimonia Patrum non sunt eloquiis Dei aequiparanda, sed generant tantum humanam fidem: quia Scriptura

(1) De scientia Sacrarum Scripturarum rite comparanda atque adhibenda in theologia polemica, alias discutiemus.

(2) Rosenmüller, *De christianae theologiae origine*, Lipsiae, 1786, pp. 12-13.

(3) Quo solo pro norma veritatis uti nos iubet Deus, illud est solum Theologiae principium. Sed sola Sacra Scriptura pro norma veritatis uti nos iubet Deus. Ergo. — Op. cit., t. I, p. 14.

est principium unicum et sufficiens; quia non sunt scripta canonica; quia Patres errarunt; quia ipsi testantur se posse aliter sapere quam veritas postulat; quia multi Patres unum locum varie interpretantur » (1). Sylvester opinatur, « testimonia Patrum non esse eloquiis Dei comparanda, adeoque nec principium theologiae primarium, apodyctum ingenerans fidem divinam, sed tantum secundarium et probabile humanam fidem generans, potius illustrationis gratia usurpandum, quam ad confirmandum » (2). Iuxta Iuvenalem episcopum fundamentum primarium theologiae est tantummodo Sacra Scriptura (3). Tam opera sanctorum Patrum, quam et ecclesiasticae traditiones, consona verbo Dei in Sacris Scripturis contento, ac litteris consignato per vetustissimos Scriptores Ecclesiae, quamvis ea teneamur accipere, nullo tamen modo miscenda sunt vel comparanda cum verbo Dei (4) »: Scripta Patrum nobis utilia sunt ad veritates fidei explanandas (для объясненія), non autem ad probandum eas revelatas fuisse (5).

β′ Contemptus Patrum omnino repugnat praxi veteris Ecclesiae, quae eos semper permagni aestimavit in veritatibus fidei agnoscendis. Recentiores aevo Patres ad vetustiores provocarunt, haud quidem ut fidei doctrinam explanarent, sed ut eam firmarent ac probarent. « Sancti Patres, ait Cyrillus Alexandrinus, ab omnibus de certitudine et rectitudine dogmatum celebrantur: ipsi apostolica et evangelica traditione suam mentem cum implevissent, et ex Sacris Scripturis sermonem fidei rectae et citra reprehensionem tractassent, mundi fuerunt luminaria, sermonem vitae continentes » (6). Concilium chalcedonense testatur se cooptare suam Confessionem Patrum interpretationibus, satisfaciens quod in nullo discordem eorum intelligentiae deferret animum, sed his uteretur ad suae fidei firmitatem. De hoc tamen argumento plura, quum sermonem instituemus de Patrum auctoritate.

(1) *Christiana orthodoxa Theologia*, Mosquae, 1802, t. I, p. 34.

(2) Op. cit., Mosquae, 1805, p. 69.

(3) Христіанское богословіе, t. I, Mosquae, 1826, p. 104.

(4) Какъ святыхъ отцевъ писанія, такъ и церковныя преданія слову божію въ Св. Писаніи находящемуся, согласныя и у древнѣйшихъ церковныхъ писателей въ свои сочиненія внесенныя, хотя принимать должно, однако смѣшивать или сравнивать съ словомъ Божіимъ никакъ не надобно. — Ib., p. 107.

(5) Ib., p. 104; Macarius, Православное Ученіе, Petropoli, 1783, p. 126.

(6) *Οἱ ἅγιοι Πατέρες καὶ ἐπ' ὀρθότητί τε καὶ ἀκριβείᾳ δογμάτων διαβόητον ἔχουσι παρὰ πάντων τὴν εὐφημίαν ... αὐτοὶ τῆς τε ἀποστολικῆς, καὶ εὐαγγελικῆς παραδόσεως τὸν οἰκεῖον ἐμπλήσαντες νοῦν, καὶ τῶν ἐπὶ τῇ πίστει λόγων ὀρθῶς τε καὶ ἀμωμήτως ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων εὖ μάλα κατωρθωκότες, φωστῆρες ἦσαν ἐν κόσμῳ, λόγον ζωῆς ἐπέχοντες.* — Defensio anathematis VIII, Mansi, t. V, col. 49.

γ′ Mihi volupe est testari, ad Patrum auctoritatem quod attinet, saltem in *principiis*, doctrinam theologiae orthodoxae in praesentiarum plane convenire cum doctrina theologiae catholicae. Sacra Scriptura et sacra traditio, apud scriptores orthodoxos, fontes fidei feruntur, qui ad invicem sese complent (1). Dogmata fidei ex penu Sacrarum Scripturarum eruuntur, recta locorum ab eis excerptorum interpretatione. Hanc autem interpretationem exhibet nobis Patrum traditio christiana (2). Patres Ecclesiae, Scripturam Sacram interpretati, suis in scriptis traditionem ecclesiasticam complexi sunt, eamque posteris commendarunt, quapropter authentici habentur testes fidei christianae. Exinde factum est, ut eorum testimoniis, tanquam fundamentis, usae fuerint synodi ad suas dogmaticas definitiones condendas, ideoque mirum in modum hodie conferant ad systema theologiae dogmaticae elaborandum (3). Patres Ecclesiae, ait Macarius, ditissimos exhibent traditionis thesauros: eorum consensus in doctrina revelationis aut fidei christianae, certissimum est veritatis signum (4).

Patres Ecclesiae venale non habuerunt verbum Dei, ait Philevsky: idipsum non alterarunt, non corruperunt, non subiecerunt falsis interpretationibus. Inerrantes stellae sunt Patres in coelis Ecclesiae. Doctrinam ab Apostolis acceptam, nullis perlitam fucis, suis discipulis tradidere. Ecclesia orthodoxa tenet Sacram Scripturam Patrumque opera unum efficere corpus doctrinae, perapte coagmentatum, individuum,

(1) *Ἡ τε ἱερὰ παράδοσις καὶ ἡ ἁγία Γραφὴ εἶναι αἱ δύο πηγαὶ τῶν δογμάτων τῆς χριστιανικῆς θρησκείας, αἵτινες ἔχουσι στενὴν σχέσιν, καὶ συμπληροῦσιν ἀλλήλας.* — Rhosi, p. 57.

(2) *Τὰ θεωρητικῶς ἐξεταζόμενα ἐν τῇ δογματικῇ δόγματα πρέπει ν' ἀποδειχθῶσι δι' ὀρθῆς ἑρμηνείας τῶν ἁγίων Γραφῶν ὡς περιεχόμενα συνεπτυγμένως ἢ κατ οὐσίαν ἐν αὐταῖς. Ἐπειδὴ δὲ ἡ ἀληθὴς ἔννοια τῶν διαφόρων χωρίων τῆς ἁγίας Γραφῆς δὲν δύναται νὰ εὑρεθῇ, ἐὰν μὴ ληφθῇ ὑπ' ὄψει ἡ ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ Ἐκκλησίᾳ διαφυλαττομένη γνησία παράδοσις, ἡ συμπληροῦσα καὶ ἑρμηνεύουσα τὴν Γραφήν, πρέπει νὰ ἀποδειχθῇ ἅμα ὅτι ἡ ἑρμηνεία τῶν δογματικῶν χωρίων αὐτῆς ἐπικυροῦται καὶ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς παραδόσεως.* — Ib., pp. 29-30.

(3) *Οἱ μὲν ἱεροὶ Πατέρες, διαπτύσσοντες, καὶ διευκρινίζοντες τὸ περιεχόμενον τῆς πίστεως κατὰ τῶν πολυειδῶν ἐπιθέσεων, περιέβαλον ἐν τοῖς ἔργοις αὐτῶν τὴν ὅλην τῆς Ἐκκλησίας παράδοσιν, ἧς εἶναι αὐθεντικοὶ μάρτυρες. Ὅθεν καὶ αἱ μαρτυρίαι αὐθῶν ἔνθεν μὲν ἐχρησίμευσαν ὡς βάσις ἐν ταῖς συνόδοις ὑποτυπώσεσιν, ἔνθεν δὲ ἀποτελοῦσιν ἀείποτε πλουσίαν ὕλην πρὸς ἀνοικοδόμησιν πλήρους δογματικοῦ συστήματος.* — Andrutsos, p. 28.

(4) Единодушное согласіе всѣхъ Отцевъ и учителей Церкви въ ученіи о предметахъ Божественнаго откровенія или христіанской вѣры есть несомнѣнный признакъ истины. — Введеніе etc., Petropoli, 1897, p. 382.

semperque integrum mansurum (1). Unica est radix, ex qua doctrina Ecclesiae et Patrum excrevit, traditio nempe Christi atque Apostolorum. Veritas revelationis, quae in Sacris Scripturis comprehenditur, nobis in traditione patescit: fides autem Ecclesiae confirmatur per testimonia Patrum. Per Patres enim aperitur nobis genuinus Sacrarum Scripturarum sensus. Sine Patrum explanationibus saepe saepius impervia nobis foret authentica Ecclesiae doctrina, nec daretur nobis copia eam rite interpretandi. Maximam attulit perniciem theologiae christianae Lutheranorum audacia, qui toti in eo sunt, ut Patrum auctoritatem deleant convellantque. Ecclesia orthodoxa in rebus dogmaticis testimoniis Patrum ac Doctorum Ecclesiae valorem dogmaticum vindicat (2). Inter Sacras Scripturas et Patrum traditiones unitas datur organica, ac mutua et plenissima convenientia (3).

δ' Supervacaneum arbitror admonere locos Patrum, summa, qua decet, sedulitate, colligendos atque investigandos. Si quid apud eos occurrat, quod nostris non faveat sententiis, ratio non adest ulla, qua id praetermissum faciamus, vel contortis interpretationibus infuscemus. Testium vocem, qui nobis refragantur, audiamus oportet, quia, ut supra significavimus, singulis Patribus charisma infallibilitatis, neque theologia catholica, neque theologia orthodoxa vindicat. Summopere vero cavendum est, ne fraudatorum illorum excusemus auda-

(1) Православная церковь смотритъ на библейскую истину и на ученіе церкви и ея отцовъ, такъ на единое, органически цѣлое и цѣлостное религіозное міросозерцаніе, недѣлимое, неразрывное. — Op. cit., pp. 580-581.

(2) Православная церковь придаетъ единогласному свидѣтельству отцовъ и значеніе обязательной догматической нормы. — Ib., p. 581.

(3) Ib., p. 581. Cf. О преданіяхъ, какъ источникѣ религіи (*De traditione, ut fonte religionis*), Хр. Чтеніе, 1829, t. XXXIV, pp. 314-322; Uspensky, Объ авторитетѣ св. отцевъ церкви и важности ихъ писаніи (*De auctoritate Sanctorum Patrum ac momento operum ab eis exaratorum*), Приб. operibus Patrum russice versis, t. XLI, 1863, pp. 1-94; Philaretus, Историческое ученіе объ отцахъ Церкви, t. I, Petropoli, 1882, p. xviii. Ut satis abunde patet ex allatis scriptorum orthodoxorum locis, compertum est *in principiis* theologos orthodoxos unum idemque sentire cum theologis catholicis. Fatendum tamen est, leges quibus subditur christiana traditio ut suo munere rite defungi possit, non easdem esse in utraque theologia. Scriptores orthodoxi nobis objiciunt infallibilitatem pontificiam supervacaneam effecisse traditionem christianam: definitiones enim Romanorum Pontificum satis habentur ad falsitatem aut veritatem alicuius doctrinae decernendam, etiamsi traditio nihil de ea testetur: *Cu proclamarea infalibităţiĭ papale, cestiunea s'a simplificat de tot. Nu maĭ este trebuinţă de criteriĭ pentru a deosebi o Tradiţiune adevĕrată de alta falşă: este destul dacă ea a fost învĕţată saŭ este aprobată de Papă.* — Michalcescu, p. 139. De hoc rerum argumento fusius in posterum.

ciam, sive imitemur, qui aetate artis criticae experte, ad Graecos debellandos spurios Sanctorum Patrum locos sua in scripta dolose invexere. Hosce perpaucos fraudis artifices gravissimis verbis obiurgat Lequien: « Nulli pro catholicae et romanae Ecclesiae causa peiorem operam navavere quam mendacissimi illi, imperitissimique e Latinis homines, qui XIII saeculo medio textus varios praeclaris gravissimorum Patrum graecorum nominibus insignitos, omni posito pudore, cuderant, Cyrilli praesertim Alexandrini, Iohanni Chrysostomi, Theodoreti, immo concilii chalcedonensis, quorum quidem nonnullos S. Thomas in prioribus libris suis, cum nempe contra impugnantes religionem, sub Alexandro Papa IV et contra errores Graecorum sub Urbano IV scriberet, adlegavit, suaeque rursum Catenae in evangelio inseruit: utpote quos nullo ipsius aetate criticae artis apud nos studio vigente pro genuinis et sinceris haberet: post vero, fraudem utique tandem subodoratus, illos in toto dimisit, cum theologicam suam summam conderet » (1).

Animadvertisse tamen iuvabit hocce vitium corrumpendi Patrum scripta, quod rarissimis nebulonibus catholicis mediae, quam vocant, aetatis, crimini vertimus, apud Graecos praesertim altas egisse radices, ut aperte prodidit Marcus Ephesinus suis conatibus abradendi in concilio florentino testimonia Patrum sibi repugnantia (2). Addo, vel in praesentiarum illud vitium penitus non cessisse. Ceterum animadvertas velim huiusmodi dolos litterarios, quos faciliores *media* aetate efficiebat librorum inopia, ac nondum inventa typographica ars, nunc temporis, quum tot recenseantur Patrum editiones, in desuetudinem abiisse. Dolus enim absque negotio detegeretur cordatioribus viris.

ε′ In sententiis theologorum orthodoxorum, quae absonae sunt catholicae doctrinae, redarguendis, auctoritas Graecorum Patrum potissimum invocanda est. Hocce sibi non vult flocci nos facere Latinos Patres. Tam graeci enim quam latini Patres, varia licet indole variaque scribendi ratione, iisdem tamen virtutibus exornati nobis agnoscuntur, eadem pollent auctoritate, eandem tradunt doctrinam, easdem fidei veritates suo testimonio confirmant. Scriptoribus tamen orthodoxis graeci Patres magis probantur, ut domestici testes, quam latini, eorumque testimoniis maior additur calculus. Theologia vero catholica

(1) Stephahus de Altimura, *Panoplia contra schisma Graecorum*, pp. xiv-xv; Bovosius, *Disputationes catholicae in quibus praecipuae Graecorum quorundam opiniones orthodoxae fidei adversae rejiciuntur*, Bononiae, 1607, p. 21; Prokopovitch, t. I, pp. 1080-1083; 1136-1147.

(2) Lequien, Op cit. pp. 409-410.

nihil inter utrosque distinguit, quapropter, latinis Patribus nullimode procul ablegatis, in theologia polemica, quae schisma debellat, non abhorret a graecorum Patrum testimoniis magis quam latinorum usurpandis. Parum enim refert, utrum hisce an illis testibus, dummodo authentica potiantur utrique auctoritate, eadem catholica veritas confirmetur.

Quidquid tamen de graecis vel latinis Patribus sentiendum sit, maxume optandum est, ut scriptor catholicus theologiam orthodoxam aggressurus, apprime calleat Patrum scientiam, eorumque opera diu noctuque pervolutet. Apte ad rem Lequien: « Argutationes de trivio acceptae non satis firmae sunt ad Graecorum schisma revincendum: neque qui Patrum graecorum libros sibi ullos legerat, ex quibus subtiles adversariorum suorum interpretationes convelleret, quique nullo delectu, aut spuriis auctoritatibus adsertiones suas munierat, aut aliis etiam quae nihil apud schismaticos valerent, utpote scriptorum latinorum, erga quos illi pessime adfecti sunt » (1).

ς′ Haud satis censeo Patrum scripta perlegere, ex eisque argumenta firmissima eruere ad catholicam doctrinam tutandam. Necesse est etiam regulas hermeneuticas scriptorum orthodoxorum, sive genenerales, sive peculiares, cognoscamus. Patrum enim doctrina saepe saepius praecisione terminorum caret, quo fit ut eorum textus ab osoribus catholicae doctrinae suas in partes potius detorqueantur quam adducantur. Non possumus igitur quin interpretationes Patrum orthodoxas, trutina, ut ita dicam, catholica, perpendamus, ac data opera, emendemus.

ζ′ Superciliose crepandum non est disciplinas theologicas apud orthodoxos per humum repere; graecam vel russicam Ecclesias, sordidos tantum *popas*, atque ad marsupium spectantes alere. Semel atque iterum scriptores orthodoxi doluerunt hancce accusationem (quae tamen firmamento non caret), in clerum orthodoxum iactam fuisse (2). Scriptores adsunt optimae notae inter theologos orthodoxos, eorumque praeiudicatis opinionibus pravisque doctrinis obstamus, quin eos inscitiae insimulemus. Ceterum, abhinc pluribus annis graeca vel russica litteratura scriptores catholicos non amplius latet, ex eaque emolumentum saepe saepius capitur ad catholicam veritatem tuendam. Ad Pa-

(1) Op. cit., pp. XX-XXI.

(2) Taxer le clergé russe d'ignorance, c'est avoir soi-même une ignorance complète, au moins dans tout ce qui concerne l'histoire de la Russie. — Chrvirev, apud von Baader, *Der morgenländische und abendländische Katholicismus mehr in seinem äussern Verhältnisse dargestellt*, Stuttgardiae, 1840, p. 96.

tres quod attinet, meminisse iuvat, vertente saeculo XIX, opera tam graecorum quam latinorum Patrum (ex eis plurima versa fuere in russicam linguam ab initio praedicationis fidei christianae in Russia) russice versa, late vulgata fuisse. Russicae habentur editiones omnium operum Athanasii, Augustini, Cyrilli Alexandrini, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Iohannis Chrysostomi, Hieronymi, etc., qua in provincia maxuma cum laude adlaborarunt academiae ecclesiasticae petropolitana, mosquensis et kioviensis (1).

η′ *Patres Ecclesiae* apud scriptores orthodoxos non secus atque apud nos feruntur auctores ecclesiastici, qui sanctitate vitae, puritate doctrinae, ac sapientiae gloria maxime inclaruere. Sanctitas (святость), veritas (истина), et antiquitas (древность), en illae notae, quae necessariae ducuntur, ut vetus scriptor Ecclesiae inter Patres recenseatur (2). *Doctores Ecclesiae* ii appellitantur Patres qui fastigia coelestis sapientiae ceteris altius attigere. *Scriptorum ecclesiasticorum* in censum veniunt, quotquot hac vel illa ex tribus superius allatis notis carent: sanctitatis scilicet gloria non inclaruere, vel erroribus illaqueati sunt, vel propiores aetate nobis fuere, vel vinculum, quod eos cum Ecclesia coniungebat, misere fregerunt (3). Inter scriptores ecclesiasticos, qui primum tenent locum post Patres, memorat Philaretus viros, quorum nomina haud clara quidem facinora pro unitate Ecclesia dirumpenda nobis in memoriam revocant, ut Photius et Marcus Ephesinus (4).

(1) Arkhangelsky, Шворенія отцовъ церкви въ древне-русской письменности (*Opera Patrum Ecclesiae in vetusta litteratura russica*), Журналъ М. Н. П., t. CCLVIII, 1888, sectio II, pp. 1-49; 203-295; Korsunsky, Къ исторіи изученія греческаго языка и его словесности въ московской духовной Академіи (*Disquisitiones in historiam traditionis graecae linguae ac litteraturae alumnis academiae ecclesiasticae mosquensis*), Serghievo, 1894 (*Opus maximi momenti pro studiosis historiae litteraturae Patrum apud Russos*); Dmitrievsky, Опытъ изданія греческихъ церковныхъ писателей древнѣйшаго времени въ русской патрологической литературѣ (*Tentamen editionis scriptorum ecclesiasticorum graecorum remotissimae aetatis in litteratura russica, quae ad Patres attinet*), Petropoli, 1905; Sagarda, Шруды Св. Петербургской духовной Академіи по переводу твореній святыхъ отцовъ Церкви и древнецерковныхъ писателей (*Labores quos impendit academia ecclesiastica petropolitana in vertenda Sanctorum Patrum veterumque scriptorum ecclesiasticorum opera*), Церковный Вѣстникъ, 1909, coll. 1596-1600.

(2) Philaretus, Истор. Ученіе, pp. III-VI.

(3) Philevsky, pp. 569-570.

(4) Praecipua heic recensemus Patrologiae compendia, graece et russice exarata: Contogonis, *Φιλολογικὴ καὶ κριτικὴ ἱστορία τῶν ἁγίων Πατέρων κατὰ τὰς τρεῖς πρώτας ἑκατονταετηρίδας ἀκμασάντων καὶ τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν*, Athenis,

θ' Adnotare iuvat perpauca compendia Patrologiae apud Russos et Graecos haberi, eaque si Dervos excipias, theologis catholicis nullum allatura emolumentum. Quae in eis traduntur ex scriptoribus catholicis aut protestantibus hausta fuere, ac nihil fere comprehendunt,

---

1846; 1852. De auctore egimus in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. III, col. 1649; *Ἐκκλ. Ἀλ.*, 1883, IV, pp. 89-90; 148-52; 161-63; 179-81; Чтенія о св. Отцахъ или патрологія (*Praelectiones in Patres Ecclesiae, vel Patrologia*), Воскресное Чтеніе, 1849, XIII, pp. 21-28; 45-52; 83-88; 90-96; 340-343; Philaretus cernigoviensis, Историческое ученіе объ отцахъ церкви (*Doctrina historica de Patribus Ecclesiae*), Petropoli, 1859. De hac priore editione disseruit M. Arkhangelsky, Странникъ, 1860, t. I, sectio 3, pp. 7-13. De altera editione (Petropoli, 1882), Popov, Труды К. Д. А., 1883, t. I, pp. 148-170; Chafleev, Общій обзоръ отеческой письменности въ IV и V в. по Рождествѣ Христовомъ (*Conspectus generalis litteraturae patristicae saeculis IV et V post nativitatem Christi*), Хр. Чтеніе, 1860, t. I, pp. 360-393; 415-455; Apostolos (Christodulos), *Πατρολογία ἢ ἐκκλησιαστικὴ φιλολογία*, Constantinopoli, 1894; Gusev, Введеніе въ Патрологію и вѣкъ мужей апостольскихъ (*Introductio in patrologiam et saeculum virorum apostolicorum*), Kazan, 1896; Id., Періодъ христіанской письменности съ половины II и до начала IV вѣка (*Periodus litteraturae christianae a dimidio saeculi II usque ad initium saeculi IV*), Kazan, 1898. Haec duo opera maioris momenti sunt quam compilatio Philareti. De auctore († 1894). Cf. Пр. Бог. Энц., t. IV, coll. 855-56; Прав. Соб., 1894, pp. 404-439; Kyriakos. *Ἐγχειρίδιον πατρολογίας, ἢ τῆς ἱστορίας τῶν Πατέρων καὶ ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων τῶν ἐννέα πρώτων τοῦ Χριστιανισμοῦ αἰώνων*, Athenis, 1898; Dervos, *Χριστιανικὴ γραμματολογία*, t. I, Athenis, 1903; t. II, 1904 (Complectitur Patres graecos tantum; t. III, qui Patres Latinos complectetur, in lucem prodibit anno 1910); Farrar, Жизнь и труды Св. Отцевъ и учителей Церкви (*Vita atque opera sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae*), vertit Lopukhin, Petropoli, 1891; II ed., 1902-3; Spassky, Исторія догматическихъ соборовъ (*Historia certaminum dogmaticorum aetate conciliorum oecumenicorum*), Serghievo, 1906 (opus maximi momenti); Ponomarev, Священное преданіе какъ источникъ христіанскаго вѣдѣнія: ученіе о св. Преданіи въ древней, преимущественно восточной Церкви (*Traditio christiana, ut fons doctrinae christianae: doctrina de sacra Traditione in antiqua Ecclesia, ac praesertim in orientali*), Kazan, 1908 (opus maximi momenti ob accuratam analysin doctrinae Patrum). Doctrinam Patrum in russica litteratura ecclesiastica generaliter pervestigant haec, quorum mentionem injicimus, opera: Lobovikov, Взглядъ на патристику, какъ науку (*Considerationes circa patristicam, quatenus scientia est*), Хр. Чт., 1846, t. II, pp. 394-446; Imchenetzky, Ученіе св. отцевъ подвижниковъ о благодати божіей спасающей человѣка (*Doctrina sanctorum Patrum qui vitam asceticam duxerunt circa gratiam Dei, hominem ad salutem aeternam perducentem*), Kioviae, 1853; Мысли Св. Отцевъ, и древнихъ учителей Св. Церкви о воспитаніи дѣтей (*Sententiae Sanctorum Patrum et veterum doctorum sanctae Ecclesiae circa institutionem puerorum*), Духовная Бесѣда, 1858, t. I, pp. 268-292; Troitzky, Сужденія св. отцовъ и учителей II и III вѣка объ отношеніи греческаго образованія къ христіанству (*Iudicium sanctorum Patrum et Doctorum II et III saeculi circa relationes culturae graecae ad christianismum*), Труды

quod maius lumen studiosis afferat. Compendia igitur theologiae orthodoxae potius adeunda, quam compendia patrologiae, ut canones depromamus, quos scriptores orthodoxi tuentur in Patrum vita ac doctrina pervestigandis.

К. Д. А., 1860, t. II, pp. 74-130; III, pp. 73-111; Gruchevsky, Іерархія церкви христовой по ученію отцевъ первыхъ трехъ вѣковъ (*Hierarchia Ecclesiae christianae iuxta doctrinam trium priorum saeculorum*), Руков. для с. паст., 1861, t. I, pp. 86-100; 165-183; Pievnitzky, Философія у христіанъ въ вѣкъ паденія римской имперіи (*Philosophia apud christianos aetate, illa qua romanum decidit imperium*), Шруды К. Д. А., 1864, t. II, pp. 367-400; Tzvietkov, Обзоръ апологетическихъ трудовъ восточныхъ отцевъ и учителей церкви въ IV и V вѣкахъ (*Conspectus operum apologeticorum, IV et V saeculo a Patribus Ecclesiae Doctoribusque conscriptorum*), Приб., 1872, t. XXV, pp. 314-371; 637-735; Взглядъ отцовъ и учителей церкви на смертъ (*Quid de morte cogitarunt Patres ac Doctores Ecclesiae*), Воск. Чтеніе, 1874, t. II, pp. 285-290; 1875, I, 40-45; 67 69; 116-122; 133-140; 211-218; 227-231; Mychkin, Ученіе св. отцевъ о коренныхъ истинахъ общечеловѣческой вѣры и знанія, принятыхъ и раскрытыхъ въ христіанствѣ (*Doctrina Sanctorum Patrum circa veritates fundamentales communis hominum fidei et scientiae, a religione christiana agnitis ac detectis*), Viatkae, 1875; Katansky, Догматическое ученіе о семи церковныхъ таинствахъ въ твореніяхъ древнѣйшихъ отцовъ и учителей церкви до Оригена включительно (*Doctrina dogmatica circa septem sacramenta vetustissimorum Patrum et doctorum Ecclesiae usque ad Origenem inclusive*), Petropoli, 1877 (opus maximi momenti: de eo disseruit Tolmacev, Странникъ, 1878, t. II, pp. 146-151; Id., Ученіе о благодати божіей въ твореніяхъ древнихъ св. отцовъ и укителей церкви до блаж. Августина (*Doctrina de gratia Dei contenta in scriptis veterum sanctorum Patrum et doctorum Ecclesiae usque ad aetatem beati Augustini*), Petropoli, 1902 (opus maximi momenti: de vita auctoris. Cf. Пр. бог. энц., t. IX, coll. 153-160; Kupletsky, Неоплатонизмъ и христіанство (*Neoplatonismus et christianismus*), Kasan, 1881; Smirnov, Шерминологія отцевъ церкви въ ученіи о Богѣ (*Terminologia Patrum Ecclesiae in doctrina de Deo*), Приб., 1885, t. XXXV, pp. 537-574; Drozdov, О языкѣ западныхъ отцовъ и учителей церкви (*De stylo Patrum et doctorum Ecclesiae occidentalium*), Шруды К. Д. А., 1885, t. I, pp. 256-276; Barsov, Изъ исторіи христіанской проповѣди въ IV вѣкѣ: представители догматико-полемическаго типа проповѣди въ IV вѣкѣ на Востокѣ (*Excerpta ex historia praedicationis christianae saeculo IV: clarissimi inter scriptores orientales, qui saeculo IV sermones dogmaticos et polemicos exararunt*), Petropoli, 1886; Id., Исторія первобытной христіанской проповѣди (*Historia primitivae praedicationis christianae*), Petropoli, 1886; Zaozersky, Церковно-правообразующая дѣятельность святыхъ отцевъ (*Curae et labores Sanctorum Patrum ad perficiendum ius canonicum ecclesiasticum*), Приб., 1891, t. II, pp. 374-416; Borisovsky, Путешествія отцевъ и учителей церкви II и IV вѣковъ для самообразованія (*Itinera Patrum et doctorum Ecclesiae II et IV saeculi ad scientiam sibi comparandam*), Вѣра и Разумъ, 1894, t. I, pp. 273-300; 377-388; Педагогика древнихъ отцевъ и учителей церкви (*Paedagogica veterum Patrum et doctorum Ecclesiae*), Руков., 1897, II, 25-33; 57-63; 126-135; 184-191; 325-332; 345-356; III, 228-232; 247-254; Losev

ι' Omne studium in id impendere debemus ut plane comperiatur nobis mens vetustissimorum scriptorum, qui ad aetatem spectant apostolicam, quique viri apostolici dicuntur: Clemens romanus, Ignatius antiochenus, Polycarpus smyrnensis, Hermas, Barnabas (1). Apud

---

Ученіе свв. отцевъ церкви о познаваемости Бога въ опроверженіе аріанскихъ заблужденій (*Doctrina Sanctorum Patrum Ecclesiae de cognoscibilitate Dei ad refellendos arianos errores*), Вѣра и Разумъ, 1898, t. I, pp. 339-416; Vinogradov, Мысли церковныхъ писателей первыхъ вѣковъ о государствѣ (*Considerationes scriptorum ecclesiasticorum qui primis saeculis floruere, circa regimen civile*) Ib., 1899, t. I, pp. 685-717; Апологеты древне-христіанской Церкви (*Apologistae antiquae Ecclesiae christianae*), Вѣра и Церковь, 1899, t. I, pp. 59-88; 161-192; II, 11-35; 152-183; Miroliubov, Педагогическія воззрѣнія свв. отцовъ и учителей церкви (*Doctrina paedagogica sanctorum Patrum et doctorum Ecclesiae*), Вѣра и Разумъ, 1899, t. I, pp. 103-112; 349-364; Ponomarev, Догматическія основы христіанскаго аскетизма по твореніямъ восточныхъ писателей аскетовъ IV вѣка (*Principia fundamentalia dogmatica ascetismi christiani exposita in operibus scriptorum orientalium, qui saeculo IV vitam asceticam duxere*), Kasan, 1899; Kalacinsky, Богословско-философскія воззрѣнія свв. отцовъ и учителей церкви первыхъ вѣковъ христіанства (*Placita theologica et philosophica Sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae, qui primis saeculis religionis christianae floruere*), Kharkoviae, 1900; Pisarьv, Христіанское дѣвство по воззрѣніямъ древнихъ христіанскихъ писателей (*Virginitas christiana iuxta sententias antiquorum scriptorum christianorum*), Kasan, 1903; Id., Бракъ и дѣвство при свѣтѣ древне-христіанской святоотеч. письменности (*Coniugium et virginitas ad lucem veteris litteraturae christianae sanctorum Patrum*), Kasan, 1904; Davydenko, Святоотеческое ученіе о единствѣ души (*Doctrina sanctorum Patrum de unitate animae*), Вѣра и Разумъ, 1904, t. II, pp. 153-166; 397-410; II, 1-19. De scriptis recentioribus. Cf. Palmieri, *Das litterarische Leben in Russland, Litterarische Rundschau*, 1908, coll. 506-512; 1910, coll. 105-112; 153-155.

(1) Generatim de Patribus apostolicis scripsere: Preobrajensky, Писанія мужей апостольскихъ (*Scripta virorum apostolicorum*), Mosquae, 1862; Gorsky, Состояніе ученія въ церкви апостольской (*Status doctrinae in Ecclesia apostolica*), Приб., 1882, t. II, pp. 345-395; О церковной іерархіи, по ученію мужей апостольскихъ (*De hierarchia ecclesiastica iuxta doctrinam Patrum apostolicorum*), Воск. Чтеніе, 1887, pp. 758-764; 827-832; De S. Clemente romano: P. S. Климентъ, епископъ римскій: патрологическій очеркъ (*Clemens, episcopus romanus: disquisitio patrologica*), Petropoli, 1852; Pobiedinsky-Platonov, Клементины, Прав. Обозрѣніе, 1860, t. I, pp. 151-172; 397-437; II, 339-384; Augustinus (hierom.), Два окружныя посланія св. Климента римскаго о дѣвствѣ, или о дѣвственницахъ (*Duae epistolae encyclicae Clementis romani de Virginitate aut de Virginibus*, Шриды К. Д. А., 1869, t. II, pp. 193-227; Skvortzov, О первомъ посланіи Климента римскаго къ Коринѳянамъ (*Prima epistola Clementis Romani ad Corinthios*), Ib., 1874, t. II, pp. 48-67; Id., Когда написано второе посланіе Климента къ коринѳянамъ (*Quandonam scripta est altera epistola Clementis ad Corinthios*), Ib., 1874, t. I, pp. 2-23; Priselkov, Обозрѣніе посланій св. Климента, еп. Римскаго, къ Коринѳянамъ (*Conspectus epistolarum S. Clementis, epi-*

eos enim, suffragantibus theologis orthodoxis, purissimi traditionis christianae rivuli ex apostolicis fontibus diffluunt. Fatendum tamen est, perpaucos tantum manipulos ex segete Patrum apostolicorum, ad theologiam polemicam quod spectat, studiosis colligendos esse.

---

scopi romani, ad Corinthios), Petropoli, 1888; De S. Ignatio Antiocheno: Св. Игнатій Богоносецъ (*θεοφώρος*), епископъ антіохійскій, Духовная Бесѣда, 1860, t. IX, pp. 97-114; Skvortzov, О посланіи св. Ігнатія Богоносца, Trudy K. D. A., 1872, t. II, pp. 545-558; A. D., Подлинность посланій св. Игнатія Бобоносца и ученіе его о лицѣ Іисуса Христа, и церковной іерархіи (*Authenticitas epistolarum S. Ignatii Antiocheni, eiusque doctrina de persona Iesu Christi, ac de hierarchia ecclesiastica*), Чтенія Soc. am. progressus spiritualis, 1873, t. I, pp. 753-775; О подлинности посланіи Св. Игнатія Богоносца, Духовная Бесѣда, 1876, t. II, pp. 271-274; 297-307; 322-327; 346-354; 369-378; Св. Игнатій Богоносецъ, епископъ Антіохійскій и семъ его посланіи (*S. Ignatius, episcopus antiochenus, septemque ipsius epistolae*), Прав. Об., 1881, t. I, pp. 289-307; 489-513; Popov, Церковная іерархія, по ученію св. Игнатія Богоносца (*Hierarchia ecclesiastica, iuxta doctrinam S. Ignatii antiocheni*), Briansk, 1897. De S. Polycarpo smyrnensi: Savaitov, Св. священно-мученикъ Поликарпъ (*S. episcopus martyr Polycarpus*), Духовная Бесѣда, 1858, t. I, pp. 336-348; Skvortzov, О посланіи св. Поликарпа смирнскаго (*De epistola S. Policarpi martyris*), Trudy K. D. A., 1872, t. II, pp. 452-462; Martynov, Св. Поликарпъ Смирнскій, и его посланіе Вѣра и Разумъ, 1894, t. I, pp. 129-156; De Herma; P. G., Ермій философъ, Kazan, 1861; Skvortzov, Когда написана книга Пастырь (*De tempore quo scriptus est Pastor Hermae*), Trudy K. D. A., 1872, t. III, pp. 205-241; Gusev, Св. Ермій и его книга Пастырь (*Sanctus Hermas eiusque liber Pastor*), Прав. Соб., 1896, t. I, pp. 76-142; Skvortzov, Когда написано посланіе Варнавы (*De aetate qua scripta est epistola Barnabae*), Trudy K. D. A., 1873, t. III, pp. 93-113. De epistola ad Diognetem: Skvortzov, О посланіи къ Діогнету, Trudy K. D. A., 1873, t. III, pp. 45-68. De *Doctrina duodecim Apostolorum:* Popov, Ученіе двѣнадцати апостоловъ: новооткрытый памятникъ древней христіанской письменности (*Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων: monumentum nuperrime inventum ad veterem christianam litteraturam pertinens*), Trudy K. D. A., 1884, t. III, pp. 344-384; V. Solovev, Введеніе къ русскому изданію *Διδαχή* (*Introductio ad russicam editionem Διδαχῆς*), Opera, t. IV, pp. 196-213; Popov, Замѣтка по поводу введенія Вл. Соловѣва къ русскому изданію *Διδ.*, Trudy, K. D. A., 1886, t. III, pp. 725-731; Solovev, *Διδαχὴ τῶν δώδ. Ἀπ.*; греческій текстъ этого новооткрытаго памятника древне-христіанской письменности, съ русскимъ переводомъ его, введеніемъ и объяснительными примѣчаніями (*Doctrina duodecim Apostolorum: textus graecus huiusce monumenti veteris litteraturae christianae nuperrime detecti, adiecta russica versione, prooemio, notisque declarativis*), Mosquae, 1886. Variae versiones russicae heic recensentur, p. 41. Quaedam minoris momenti citant *Slavorum Litterae theologicae, Tentamen bibliographiae patristicae*, t. II, 1906, pp. 117-120. De vita et scriptis Skvortzovii, qui sedulo pervestigavit doctrinam veterum Patrum, disseruit N. Petrov, Trudy K. D. A., 1876, t. III, pp. 537-42; Id., Обзоръ учено-литературной дѣятельности проф. К. И. Скворцова, Ib, 1877, t. III, pp. 199-217; 374-434.

ια' Uberiorem quidem segetem exhibent nobis Patres scriptoresque ecclesiastici II et III saeculi, quos inter ex graecis meminisse iuvabit Iustinum Philosophum, Theophilum Antiochenum, Melitonem Sardensem, Irenaeum Lugdunensem, Hyppolitum Romanum, Dionysium Alexandrinum, Methodium Tyrum, Petrum Alexandrinum, Clementem Alexandrinum, Originem: ex latinis vero, Tertullianum et Cyprianum (1).

(1) De recensitis Patribus haec praecipue habentur in litteratura orthodoxa graeco-russica. De S. Iustino: Св. Іустинъ, мученикъ и философъ (*S. Iustinus, martyr et philosophus*), Прав., t. VIII, 1849, pp. 404-429; Св. мученикъ Іустинъ философъ: жизнь и творенія (*Sanctus martyr Iustinus: vita et scripta*), Воскр. Чтеніе, t. XIII, 1849, pp. 347-352; 356-364; 366-374; 378-384; Св. Іустинъ, какъ толкователь слова божія (*S. Iustinus, tanquam commentator verbi divini*), Ib., t. XXIV, 1861, pp. 549-552; 557 565; Skvortzov, Св. Іустинъ философъ, Trudy K. D. A., 1866, t. I, pp. 15-43; Knitrov, Св. Іустинъ философъ-мученикъ и его время (*S. Iustinus philosophus martyr eiusque aetas*), Petropoli, 1878; N. L., О св. Іустинѣ мученикѣ: очеркъ существующихъ въ Церковно-исторической литературѣ сужденіи о богословскихъ воззрѣніяхъ св. Іустина мученика (*S. Iustinus martyr: specimen iudiciorum, quae in litteratura historico-ecclesiastica de placitis theologicis Iustini feruntur*), Ученія об. л., 1881, t. II, pp. 495-528; Spassky. Св. Іустинъ и синоптическія Евангелія, Пр. об., 1889, t. II, pp. 273-379; S. B., Философія и христіанство, по ученію св. Іустина мученика (*Philosophia et religio crhistiana, iuxta doctrinam S. Iustini martyris*), Чтенія об. л., t. II, 1890, pp. 201-215; Gusev, Св. Іустинъ, мученикъ, и философъ, Kazan, 1898. Quaedam minoris momenti recenset Pisarev, *Encycl. Theol. Orthodoxa*, t. VII, coll. 589-590. De Theophilo Antiocheno: Skvortzov, Философское ученіе Ѳеофила Антіохійскаго (*Doctrina philosophica Theophili Antiocheni*), Trudy, K. D. A., 1867, t. III, pp. 193-214; Gusev, Св. Ѳеофилъ Антіохійскій, Kasan, 1898. De Melitone Sardensi: Апологія христіанства: сочиненіе Мелитона Сардійскаго, писателя втораго вѣка (*Apologia religionis christianae: opus Melitonis Sardensis, scriptoris secundi saeculi*), Духовная бесѣда, t. XVIII, 1863, pp. 467-87. De S. Irenaeo: Св. Иринеи, епископъ Ліонскій, Прав., t. I, 1843, pp. 385-413; Св. Иринеи, епископъ ліонскій, Воск. Чт., 1850, t. XIII, pp. 428-431; 441-458; 463-466; 471-472; Skvortzov, Философское ученіе Иринея Ліонскаго (*Doctrina philosophica Irenaei Lugdunensis*), Trudy K. D. A., 1867, t. IV, pp. 185-209; D. Gusev, Догматическая система св. Иринея Ліонскаго въ связи съ гностическими ученіями II вѣка (*Systema dogmaticum S. Irenaei Lugdunensi et placita gnosticorum II saeculi*), Пр. Соб., 1874, t. II, pp. 181-235; III, 3-55; M. K., Ученіе св. Иринея Ліонскаго объ источникахъ христіанскаго вѣроученія (*Doctrina S. Irenaei Lugdunensis circa fontes doctrinae fidei christianae*), Рук., 1877, t. III, pp. 191-205; 240-249; Nikolsky, Св. Иринеи Ліонскій въ борьбѣ съ гностицизмомъ (*S. Irenaeus Lugdunensis in certamine cum gnosticismo*), Хр. Чт., 1880, t. I, pp. 254-310; 1881, t. I, 53-101; 232-253; 509-538; Kurganov, Свидѣтельствовалъ ли Св. Иринеи, епископъ Ліонскій, о приматствѣ и нѣпрогрѣшимомъ учительствѣ римской церкви, въ частности ея первосвященника (*An S. Irenaeus, episcopus Lugdunensis, testatus sit primatum, atque infallibilitatem Romanae Ecclesiae in docendo, ac potissimum Romanorum Pontificum*), Kasan, 1893 (Opus maximi mo-

Etenim Patres, quos memoravimus, enixis viribus in id incubuerunt ut sapientiam ethnicam, potissimum philosophiam platonicam ad profectum scientificum veritatis christianae usurpare non abhorruerint, quo

---

menti); Sagarda, Ново-открытое произведеніе св. Иринея Ліонскаго (*Opus quoddam S. Irenaei nuperrime inventum*), Petropoli, 1907. De S. Hippolyto: Св. Ипполитъ, епископъ и мученикъ, Приб., 1846, t. IV, pp. 309-337; Sreznevsky, Сказанія объ антихристѣ въ славянскихъ переводахъ твореній св. Ипполита (*Narratio de Antichristo in versionibus slavicis operum S. Hippolyti*), Petropoli, 1874; Pievnitzky, Св. Ипполитъ епископъ римскій, и дошедшіе до насъ памятники его проповѣдничества (*S. Hippolytus, episcopus romanus, ac monumenta ipsius praedicationis quae ad nos usque pervenere*), Trudy K. D. A., 1885, t. I, pp. 50-83; 179-221; Pisarev, Св. Ипполитъ, еп. Римскій: очеркъ его жизни и литературной дѣятельности (*S. Hippolytus, episcopus romanus: specimen ipsius vitae atque operum*), Kasan, 1898; Marr, Ипполитъ: толкованіе пѣсни Пѣсней: грузинскій текстъ по рукописи X вѣка (*Hippolytus: Commentarius in Canticum Canticorum: textus georgianus iuxta codicem manu exaratum saeculo X*), Petropoli, 1891. De S. Dionysio Alexandrino: Черты изъ жизни Діонисія Александрійскаго (*Lineamenta vitae S. Dionysii Alexandrini*), Приб., 1846, t. IV, pp. 353-415; Vinogradov, Богословская дѣятельность св. Діонисія Александрійскаго (*Scripta theologica S. Dionysii Alexandrini*), Хр. Чт., 1884, t. I, pp. 8-54; Muretov. Древнѣйшій образецъ христіанской полемики противъ атомизма: твореніе св. Діонисія Ал. о природѣ (*Antiquissimum specimen polemicae christianae adversus atomismum: opus S. Dionysii Alexandrini De natura*), Пр. об., 1891, t. II, pp. 3-46; Drujinin, Жизнь и труды св. Діонисія Великаго, епископа Александрійскаго, Kasan, 1900 (Opus valde commendandum). De S. Methodio Tyro: Св. Меѳодій, еп. патарскій (*S. Methodius, episcopus Patarorum*), Приб., 1857, t. XVI, pp. 158-209, Loviaghin, Св. Меѳодій, епископъ и мученикъ, отецъ церкви III вѣка (*S. Methodius, episcopus et martyr, Pater Ecclesiae III saeculo*), Petropoli 1877. De S. Petro Alexandrino: Св. Петръ, арх. Александрійскій, Приб. t. XV, 1856, pp. 696-609. De Clemente Alexandrino: Педагогъ: твореніе Климента Александрійскаго (*Paedagogus: opus Clementis Alexandrini*). Воск. Чт., t. XIV, 1850, pp. 136-142; 171-176; 179-184; 204-210; Skvortzov, Философія Климента Александрійскаго (*Philosophia Clementis Alexandrini*), Trudy K. D. A., 1866, t. III, pp. 52-93; Khitrov, Климентъ и Оригенъ, учители Александрійскіе и ихъ вѣкъ (*Clemens atque Origines, doctores alexandrini, eorumque aetas*), Petropoli, 1878 (eruditum opus ac prolixum); Popov, Грѣхъ по ученію Климента Александрійскаго (*Peccatum iuxta doctrinam Clementis Alexandrini*), Воск. Чт., 1883, pp. 277-288; Климентъ, Александрійскій пресвитеръ, Рук., 1888, t. III, pp. 425-435; 461-473; Martinov, Нравственное ученіе Климента Алексаидрійскаго по сравненію съ стоическимъ (*Doctrina moralis Clementis Alexandrini comparata cum doctrina stoica*), Приб., 1889, t. I, pp. 92-137; 1890, t. I, pp. 142-177; Mirtov, Нравственное ученіе Климента Александрійскаго (*Doctrina moralis Clementis Alexandrini*), Petropoli, 1900 (opus laude dignum); Eustratiades, *Κλήμεντος τοῦ Ἀλεξανδρείας πρὸς τὴν ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν*, Ἐκκλ. Ἀλ., XXV, 1905, pp. 493-496; 516; 529-530; 548-549. De Origene: О трудахъ Оригена въ изъясненіи новозавѣтныхъ книгъ Св. Писанія (*De scriptis Origenis pro expla-*

factum est ut suo exemplo pravam explodant sententiam theologorum orthodoxorum aientium philosophicas disciplinas procul ablegandas a provincia theologiae, ac theologiam scholasticam, ut fidei corruptricem,

---

nandis libris Novi Testamenti), Приб., 1861, t. XX, pp. 100-163; Skvortzov, Оригенъ, какъ проповѣдникъ (*Origenes, tanquam orator sacer*), Trudy K. D. A., 1869, t. I, pp. 195-210; Malevansky, Догматическая система Оригена (*Systema dogmaticum Origenis*), Kioviae, 1870 (opus valde commendandum); Lebedev, Сочиненія Оригена противъ Цельса: опытъ изслѣдованія по исторіи литературной борьбы съ язычествомъ (*Opera Origenis contra Celsum: specimen disquisitionis in historiam certaminis litterarii cum paganismo*), Mosquae, 1878 (analysis accurata); Eleonsky, Ученія Оригена о божествѣ Сына Божія и Духа св. и объ отношеніи ихъ къ Богу Отцу (*Doctrina Origenis de divinitate Filii Dei ac Spiritus Sancti, eorumque relationibus ad Deum Patrem*), Petropoli, 1879 (opus maximi momenti pro theologia polemica); Khitrov, Оригенъ: біографическій очеркъ, Petropoli, 1879; Bolotov, Ученіе Оригена о Св. Троицѣ (*Doctrina Origenis de Ssma Trinitate*), Petropoli, 1880 (opus maximi momenti); Pievnitzky, Оригенъ и его проповѣди (*Origenes eiusque sermones sacri*), Trudy K. D. A., 1879, t. I, pp. 161-203; III, 295-340; 1880, I, pp. 395-439; 523-563; Id., Главнѣйшіе сотрудники Оригена въ дѣлѣ церковной проповѣди (*Cooperatores Origenis, ei maxime propinqui, in agenda praedicatione ecclesiastica*), Ib., 1883, t. I, pp. 411-441; Цельсъ и Оригенъ, Чт. об. л., 1879, t. I, pp. 112-121; Gusev, Апологія Лица Іисуса Христа и его земной жизни и дѣятельности въ сочиненіи Оригена противъ Цельса (*Apologia personae Iesu Christi, eiusque vitae ac laborum in terris dum vitam duceret, ab Origene suis in scriptis concinnata*), Прав. соб., 1886, t. III, pp. 262 et ssq.; P. R., Оригенъ, и его заслуги какъ апологета христіанской церкви (*Origenes, eiusque merita tanquam apologista fidei christianae*), Пр. об., 1888, t. II, pp. 547-574; 619-692; Оригенъ Адамантовый, учитель и пресвитеръ, Рук., 1889, t. II, pp. 1-14; 84-91; 235-244; 312-318; 369-378; Petrov, Сочиненіе Оригена о началахъ (*Opus Origenis De Principiis*), Прав. соб., 1899, t. II, pp. 90-105; Id., Можно-ли считать аллегоризмъ причиною догматическихъ заблужденій Оригена (*An allegorismus considerari queat tanquam causa errorum dogmaticorum Origenis*), Ib., 1900, t. II, pp. 173-187; Philevsky, Цельсъ и Оригенъ (*Celsus atque Origenes*), Вѣра и Разумъ, 1910, t. I, pp. 1-25; 145-180; 318-341. De Tertulliano: Шертулліанъ и его сочиненія (*Tertullianus eiusque opera*), Хр. чт., 1842, t. II, pp. 371-420; Savelev-Rostislavitch, Шертулліанъ и его вѣкъ (*Tertullianus eiusque aetas*), Petropoli, 1848; Skvortzov, Шрактатъ Шертулліана о молитвѣ господней (*Tractatus Tertulliani de Oratione Dominica*), Trudy, K. D. A., 1865, t. I, pp. 419-438; Id., Философія Шертулліана (*Philosophia Tertulliani*), Ib., 1866, t. II, pp. 33-76; Varejanin, Нравственное ученіе Шертулліана (*Doctrina moralis Tertulliani*), Ib., 1866, t. II, pp. 261-84; Chtcheglov, Шертулліанъ и его двѣ книги *ad nationes*, Ib., 1876, t. III, pp. 1-66; 277-308; Popov, Шертулліанъ, его теорія христіанскаго знанія, и основныя начала его богословія (*Tertullianus, eiusque theoria cognitionis christianae, et principia fundamentalia eiusque theologiae*), Kioviae, 1880 (opus commendatione dignum); Balanovsky, Шертулліанъ, защитникъ христіанства (*Tertullianus, defensor christianismi*), Пр. об., 1884, t. II, pp. 585-604; Chtcheglov, Апологетикъ

detestandam. Adde, quod strenue cum haereticis suae aetatis decertantes, ac coelesti scientia referti, clarius enodatiusque quam Patres Apostolici praecipua capita dogmaticae christianae explanarunt. Ex eis

---

Шертулліана: біографическое изслѣдованіе (*Apologeticus Tertulliani: specimen biographicum*), Kioviae, 1888; Chternov, Шертулліанъ, пресвитеръ Карѳагенскій: очеркъ учено-литературной дѣятельности его (*Tertullianus, presbyter carthaginiensis: specimen indolis eius litterariae*), Бог. Вѣстникъ, 1893, IV, pp. 197-220; 432-446; Martynov, Содержаніе Шертулліанова сочиненія и его достоинство въ апологетическомъ отношеніи (*Res contentae in opere Tertulliani De Testimonio animae earumque momentum pro theologia apologetica*), Вѣра и Разумъ, 1893, t. II, pp. 363-378; 441-454; Gusev, Шертулліанъ пресвитеръ Карѳагенскій: очеркъ его литературной дѣятельности, Kasan, 1898. De S. Cypriano carthaginensi: Innocentius (Chers.), Жизнь св. Кипріана, епископа карѳагенскаго, Хр. Чт., 1825, t. XVII, pp. 237-329; Ученіе св. Кипріана о церкви (*Doctrina S. Cypriani de Ecclesia*), Воск. чт., 1847, XI, pp. 240-246; Porphyrius (archim.), Св. Кипріанъ, какъ поборникъ единства церкви (*S. Cyprianus, ut strenuus vindex unitatis Ecclesiae*), Хр. Чт., 1858, t. I, pp. 28-70; Skvortzov, Жизнь и творенія св. Кипріана, еп. карѳ., Trudy K. D. A., 1860, t. I, pp. I-XCII; Zigavinos. *Φιρμιλιανὸς καὶ ἡ ἐπιστολὴ αὐτοῦ πρὸς τὸν ἅγιον Κυπριανόν, Εναγγελικὸς Κῆρυξ*, 1862, t. VI pp. 385-406; Skvortzov, Св. Кипріанъ во время моровой язвы (*S. Cyprianus ea tempestate qua pestis grassabatur*), Trudy K. D. A., 1866, t. II, pp. 441-460; Knitrov, Св. Кипріанъ, и его паства (*S. Cyprianus eiusque grex*), Странникъ, 1879, t. I, pp. 457-467; Uspensky, Ученіе св. Кипріана о церкви (*Doctrina S. Cypriani de Ecclesia*), Чт. об. л., 1884, t. I, pp. 66-181; Izviekov, Св. Кипріанъ, епископъ карѳ., Душеполезное чт., 1885, t. II, pp. 437-472; Balanovsky, Взглядъ св. Кипріана на церковь и епископскую власть въ его отношеніи въ вопросу о власти римскаго папы (*Sententia S. Cypriani circa Ecclesiam et potestatem episcopalem habita ratione ad controversiam de potestate Romani Pontificis*), Прав. об., 1886, t. III, pp. 596-614; Molcianov, Св. Кипріанъ и его ученіе о церкви (*S. Cyprianus eiusque doctrina de Ecclesia*), Kasan, 1888 (opus maximi momenti); Chtcheglov, Сѣверо-западные африканскіе христіанскіе писатели и ихъ значеніе въ исторіи христіанской церкви (*Scriptores christiani africani, eorumque momentum in historia Ecclesiae christianae*). Рук., 1889, t. III, pp. 95-104; 142-150; 226-235; N. L., Къ вопросу о падшихъ въ римской и сѣверо-африканской церквахъ въ III вѣкѣ (*Controversia de lapsis in romana Ecclesia, atque in Ecclesiis Africae septentrionalis*), Вѣра и Разумъ, 1893, t. I, pp. 559-591; 691-710. De apologistis II saeculi: Mikonositzky, Аѳинагоръ, христіанскій апологетъ II вѣка, Kasan, 1894; Pavlovitch, Римскій сенаторъ апологетъ: по поводу недавно открытой апологіи мученика Аполлонія (*Senator romanus apologista: nova nuper inventa apologia Apollonii*), Хр. чт., 1896, t. II, pp. 495-516; Pokrovsky, Философъ Аристидъ и его недавно открытая апологія (*Philosophus Aristides eiusque nuper inventa apologia*). Бог. Вѣстникъ, 1898, t. II, pp. 1-25; 270-297; Krestnikov, Христіанскій апологетъ II-го вѣка, аѳинскій философъ Аристидъ и его ново-открытыя сокиненія: опытъ историко-критическаго изслѣдованія (*Christianus apologista II saeculi, Aristides, philosophus atheniensis, eiusque opera nuper inventa: specimen disquisitionis historico-criticae*), Kasan, 1904 (Opus commendatione dignum).

igitur firmissima depromes argumenta, ad primatum vindicandum romanae sedi, verbigratia ex Irenaeo ac Tertulliano, ad rite enucleandam doctrinam de traditione christiana, ad constitutionem ac regimen veteris Ecclesiae clara in luce ponenda. Ex vita rebusque gestis Cypriani permultas eruunt obiectiones theologi orthodoxi, ad primatum romanum denegandum: quapropter scripta huiusce Patris sedulo pervestiganda, ut demonstrari queat Cyprianum *theorice* catholicam doctrinam in illo rerum capite tuitum fuisse, quamvis *practice* Romanae Sedis decretis ex motivis theologicis suffragatus non sit. Ex hoc tamen errore nihil consequitur adversus catholicum dogma de primatu. Practice enim universalis Ecclesia oblitteravit sententiam Cypriani, decretis Romanorum Pontificum plane adstipulata.

ιβ' Theologiae polemicae provinciam nemo sane ingrediatur, qui graecorum Patrum scripta, saeculis IV et V exarata, diu ac sedulo meditatus non fuerit. Hosce inter Patres praesertim adeundi Athanasius Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Ephraem Syrus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Macarius Aegyptius, Iohannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus Cyrensis (1). Patres, qui floruerunt saeculo IV, theologicae doctrinae

(1) De S. Athanasio egerunt: Св. Аѳанасій Великій въ санѣ діакона Александрійской церкви (*S. Athanasius Magnus, ut diaconus Ecclesiae alexandrinae*), Рук., 1890, t. I, pp. 353-362; II, 73-79; 255-263; Spassky, О новомъ изданіи твореній св. Аѳанасія Александрійскаго въ русскомъ переводѣ (*De nova editione operum S. Athanasii in versione russica*), Бог. вѣстникъ, 1901, t. III, pp. 567-581; maioris momenti opera ad S. Athanasium spectantia, recensuimus p. 322. De S. Cyrillo Hierosolymitano: M. P., Св. Кириллъ, арх. іерусалимскій, какъ проповѣдникъ (*S. Cyrillus, archiepiscopus hierosolymitanus, ut orator*), Рук., 1877, t. I, pp. 277-293; Kirillov, Догматическое ученіе о таинствѣ евхаристіи въ твореніяхъ двухъ катихизаторовъ IV вѣка: Св. Кирилла Іерус., и Григорія Нисскаго (*Doctrina dogmatica de sacramento eucharistiae contenta in operibus duorum κατηχήσεων scriptorum, S. Cyrilli Hier., et Gregorii Nysseni*), Novocerkassk, 1898; Golosov, Ученіе Св. Кирилла Іерус. о таинствахъ (*Doctrina S. Cyrilli Hier. de sacramentis*), Samarcandae, 1901. De S. Ephraemo Syro: Sokolov, Жизнь Св. Ефрема и характеръ его сочиненій (*Vita S. Ephraemi, et character ipsius operum*), Приб., 1848, t. VII, pp. 24-106; Id., Нѣкоторыя черты изъ ученія св. Ефрема Сирина (*Quaedam lineamenta doctrinae S. Ephraemi Syri*), Ib., 1849, t. VIII, pp. 67-141; Zabielin, Прен. Ефремъ Сиринъ и его проповѣди (*Beatus Ephraem Syrus, eiusque orationes sacrae*), Рук., 1874, t. II, pp. 397-407; 426-435; 513-524; III, pp. 61-69; 128-137; Св. Ефремъ Сиринъ, какъ проповѣдникъ, Духовная бесѣда, 1875, t. I, pp. 62-64; 69-78; 95-96; 103-112; Alexandrov, О преподобномъ Ефремѣ Сиринѣ и его твореніяхъ: патрологическій опытъ (*Beatus Ephraem Syrus, eiusque scripta: specimen disquisitionum patristicarum*), Viatkae, 1878; Ternovsky, Св. Ефремъ Сиринъ (*specimen biographicum*), Прав. соб., 1884, t. III, pp. 220-242; Barsov, Ефремъ какъ проповѣдникъ, Христ. чт.,

fastigium, tam feliciter attigerunt, ut eorum imitatores tantum facti sint posteri, eosque in fidei veritatibus explanandis nunquam superarint. Felix sane aetas, quae tot protulit viros ad paganismum iam disiectum funditus evertendum, ac sapientiam doctrinae christianae omni eloquentiae ornatu magis conspicuam efficiendam! Felix aetas, qua

---

1886, t. I, pp. 732-770; Ždanov, О толкованіяхъ преп. Ефрема Сирина на Св. Писаніе Ветхаго Завѣта (*De commentariis Veteris Testamenti ab Ephraemo Syro exaratis*), Приб., 1888, t. II, pp. 467-488; Palladius (hierom.), Св. Ефремъ Сиринъ, какъ церковный дѣятель (*De S. Ephraemo Syro, eiusque rebus gestis pro Ecclesia*), Чт. об. л., 1893, t. I, pp. 285-315; 321-367; Smirnov, Проповѣды св. Ефрема Сирина (*Orationes sacrae Ephraemi Syri*), Kioviae, 1895; Kokhomsky, Преп. Ефремъ Сиринъ и его молитва (*Beatus Ephraem Syrus eiusque oratio*), Рук., 1899, t. I, pp. 193-201; Marr, Ефремъ Сиринъ (*textus inediti*), Petropoli, 1900. De S. Basilio: Жизнь св. Василія Великаго (*Vita S. Basilii Magni*), Хр. чт., 1823, t. IX, pp. 3-75; 121-181; 233-267; Gorsky, Жизнь св. Василія Великаго, Приб., 1845, t. III, pp. 1-110; Сужденія свв. отцевъ, Аѳанасія великаго, Василія велик., и Григорія Богослова объ отношеніи греческаго образованія къ христіанству (*Placita sanctorum Patrum Athanasii Magni, Basilii Magni, et Gregorii theologi de cultura graeca suis in relationibus ad religionem christianam*), Воск. чт., 1859, t. XXIII, pp. 436-441; 452-456; 464-468; 536-542; P. Popov, Жизнь св. Василія Великаго, Mosquae, 1864; Письма св. Василія вел. (*Epistolae S. Basilii Magni*), Хр. чт., 1866, t. I, pp. 3-38; 289-316; A. (Vadkovsky), Св. Василій Великій, его жизнь и проповѣдническіе труды (*S. Basilius Magnus, eiusque vita, et sermones*), Прав. соб., 1872, t. II, pp. 3-37; III, 121-141; 1873, I, pp. 390-430; Agapitus (arch.), Жизнь св. Василія Великаго и его пастырская дѣятельность (*Vita S. Basilii eiusque labores apostolici*), Petropoli, 1873; Dimitrachkov, Св. Василій вел., какъ пастырь, Рук., 1875, t. II, pp. 157-166; 217-228; 245-253; III, 1-13; 533-553; Св. Василій вел., какъ проповѣдникъ, Ib., 1876, t. III, pp. 443-461; Kyriakos, *Οἱ τρεῖς ἱεράρχαι, Παρνασσός*, 1879, t. III, pp. 95-109; Derevitzky, Плутархъ Херонейскій и св. Василій Великій: опытъ православныхъ отношеній христіанства къ философіи (*Plutarchus Chaeronensis et S. Basilius Magnus: specimen relationum orthodoxarum christianismi ad philosophiam*), Вѣра и разумъ, 1885, t. II, pp. 1-27; Ученіе св. Василія вел. о постѣ (*Doctrina S. Basilii M. de ieiunio*), Воск. чт., 1888, pp. 177-190; Blagorazumov, Св. Василій вел. какъ богословъ-естество-учитель (*S. Basilius, ut theologus in scientiis naturalibus versatus*), Чт. об. л., 1891, t. II, pp. 635-692 (nescio an bene verti titulum huiusce dissertationis); Nicanor (archiep.), Св. Василій вел., архіеп. Кесаріи Каппадокійской, Petropoli, 1894; Georgevsky, Св. Василій вел., какъ пастырь и учитель церкви (*S. Basilius Magnus, tanquam pastor et doctor Ecclesiae*), Стр., 1896, t. I, pp. 1-21; 185-204; II, 185-208; Nalimov, Причины раздѣленій въ Церкви по воззрѣнію Василія вел. (*Causae discidiorum in Ecclesia iuxta sententias Basilii Magni*), Хр. чт., 1898, t. I, pp. 344-364; Spassky, Кому принадлежать четвертая и пятая книги св. Василія вел. противъ Евномія (*Cuinam tribuendi libri quartus et quintus operis S. Basilii contra Eunomium*), Бог. вѣст., 1900, t. III, pp. 79-106; Borisovsky, Св. Василій вел., какъ пастырь Церкви, Вѣра и разумъ, 1901, t. I, pp. 23-41; 82-106; II, 470-505; Lebedev, Св. Василій

non solum ad comparandam sibi doctrinam adlaborarunt praeclari illi viri, quos epitheto Doctorum occumenicorum insignivit posteritas, sed et sanctitatis laude merito inclaruerunt, praeceptaque doctrinae christianae practice coluere, nobilissimis tam animi quam mentis dotibus instructi. Saeculis IV et V pars illa Theologiae, quae ad Spiritum

---

вел.; очеркъ жизни и трудовъ его (*S. Basilius M.: specimen eius vitae operumque*), Petropoli, 1902; Basilius (Georgiades), *Ἡ ἐκκλησιαστικὴ νομοθεσία δύο ἁγίων ἀδελφῶν, Νέα Σιών*, 1906, t. IV, pp. 197-213; 273-288; Smirnov, Сущность зла по ученію св. Василія Великаго (*Essentia mali iuxta doctrinam S. Basilii M.*), Хр. чт., 1907, t. II, pp. 238-250; Элементъ современности въ словахъ и бесѣдахъ Василія вел., Григорія бог., и Іоанна Златоуста (*Quaedam ad vitam hodiernae societatis spectantia, contenta in sermonibus atque homiliis sanctorum Basilii M., Gregorii Theologi, atque Iohannis Chrysostomi*), Христіянинъ, 1907, t. II, pp. 298-341. De S. Gregorio Nazianzeno: Pavsky, Григорія Богослова догматическое ученіе (*Doctrina dogmatica S. Gregorii Nazianzeni*), Хр. чтеніе, 1828, t. XXXI, pp. 134-174; 254-343; t. XXXII, 60-84; 160-250; 268-317; Жизнь св. Григорія Богослова, Приб., 1843, t. I, pp. 5-91; Св. Григорій Богословъ, Духовная бесѣда, 1858, t. I, pp. 138-159; Chalpeev, Св. Григорій бог., какъ учитель вѣры (*S. Gregorius Naz., ut Doctor fidei*), Хр. чтеніе, 1861, t. I, pp. 265-321; P. Popov, О стихотвореніяхъ св. Григорія Богослова (*De carminibus S. Gregorii Nazianzeni*), Trudy K. D. A., 1863, t. I, pp. 400-430; Agapitus, Жизнь св. Григорія Богослова, и его пастырская дѣятельность, Petropoli, 1870; Kalogeras, *Γρηγόριος ὁ Ναζιανζηνὸς ὡς ποιμαντορικὸς θεολόγος, Ἐὐ. Κῆρυξ*, 1870, t. II, pp. 97-110; 289-299; Govorov, Св. Григорій бог., какъ христіанскій поетъ (*Gregorius Theologus, ut poeta christianus*), Kasan, 1886; Vinogradov, Догматическое ученіе св. Григорія Богослова (*Doctrina dogmatica S. Gregorii Theologi*), Kazan, 1877 (opus magni momenti); Borisovsky, Догматическія основы христіанской морали по твореніямъ св. Григорія Богослова (*Fundamenta dogmatica doctrinae moralis christianae, ex scriptis S. Gregorii Naz. excerpta*), Вѣра и разумъ, 1894, t. I, pp. 443-454; 509-525; Id., Мысли св. Григорія бог. о христіанской жизни (*Placita S. Gregorii Naz. circa vitam christianam*), Ib., 1898, t. I, pp. 434-474; 491-520. De S. Gregorio Nysseno: Porphyrius (archim.), Св. Григорій, епископъ нисскій, Приб., 1861, t. XX, pp. 1-99; Skvortzov, Ученіе св. Григорія Нисскаго о достоинствѣ природы человѣческой (*Doctrina S. Gregorii Nysseni de dignitate naturae humanae*), Trudy K. D. A., 1865, t. III, pp. 159-184; Martynov, Эсхатологія св. Григорія Нисскаго (*Eschatologia S. Gregorii Nysseni*), Приб., 1883, t. II, pp. 86-197; Id., Антропологія св. Григорія Нисскаго (*Anthropologia S. Gregorii Nysseni*), Ib., 1886, pp. 3-154; 505-629; Tikhomirov, Св. Григорій Нисскій, какъ моралистъ: этико-историческое изслѣдованіе (*S. Gregorius Nyssenus, ut scriptor ethicus: disquisitio moralis atque historica*), Mohiloviae ad Tanain, 1886; Nesmielov, Догматическая система св. Григорія Нисскаго (*Systema dogmaticum S. Gregorii Nysseni*), Kasan, 1887 (opus maximi momenti); Melioransky, Бесѣда на обрѣтеніе нерукотвореннаго *Καμυλιανῶν* образа (*Quae homilia tribuitur S. Gregorio Nysseno*), *Commentationes Nikitianae*, Petropoli, 1901, pp. 317-327. De Macario Aegyptio: Св. Макарій египетскій, Приб., 1845, t. III, pp. 105-146; Bronzov, Нѣсколько данныхъ для характеристики

Sanctum attinet, mirum in modum elaborata est, ad refellendos Eunomianos et Macedonianos: qua de re, uberrimos apud Patres huius oevi colliges locos ad controversiam de processione Spiritus Sancti instituendam. De primatu romano testantur laudati Patres, ac potissimum Athanasius Alexandrinus, Iohannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, eum a condita per Christum Ecclesia extitisse, sedemque romanam a nemine iudicari, ceterasque sedes orbis christiani eius submitti sententiis.

Non negaverim profecto capita illa controversa, quae orthodoxos a catholica scindunt Ecclesia, eos data opera non pertractasse. Exploratum tamen est, disertissimis verbis suam eos exprompsisse sententiam de capitibus illis, quae sequioris oevi theologi graeci cum latinis decertantes in dubitationem vocarunt. Subtilitates scholasticas, vel argumenta speculativa detestantur theologi orthodoxi in catholico illius *Filioque* dogmate rejiciendo, et rationibus potius historicis quam theologicis primatum Romanorum Pontificum aggredi nituntur. Conficitur inde, laudatorum Patrum auctoritatem maximi faciendam in absonis catholicae doctrinae sententiis refellendis, praesertim si animadvertatur, *theorice* ac *practice* Patres illos theologiae catholicae praesidium afferre.

нравственнаго міровоззрѣнія преп. Макарія Египетскаго (*Pauca pro determinando charactere doctrinae moralis Macarii Aegyptii*), Хр. чт., 1900, t. II, pp. 501-518; Popov, Мистическое оправданіе аскетизма въ твореніяхъ преп. Макарія Египетскаго (*Apologia mystica ascetismi ex operibus beati Macarii Aegyptii excerpta*), Serghievo, 1905. De S. Iohanne Chrysostomo, quae russice scripta sunt recensuimus in dissertatiunculis: *S. Giovanni Crisostomo nella letteratura russa, Χρυσοστομικά*, Romae, 1908, I, pp. 189-213; *S. Giovanni Crisostomo nell'antica letteratura russa*, Bessarione, XII, 1907, pp. 104-128. De S. Cyrillo Alexandrino: Porphyrius (hier.), Св. Кириллъ, арх. Алехандрійскій, Прпб., 1854, XIII, pp. 250-322; Св. Кириллъ Ал., и Целестинъ папа въ борьбѣ ст несторіанами (*S. Cyrillus al. et Coelestinus papa in certamine cum nestorianis*), Духовная бесѣда, 1872, t. I, pp. 445-454; 458-462; Miroliubov, Проповѣди св. Кирилла Александрійскаго, Kioviae, 1889; Ponomarev, Ученіе св. Кирилла патр. Александрійскаго, объ евхаристіи (*Doctrina S. Cyrilli, patr. alexandrini, de Eucharistia*), Kasan, 1903. De Theodoreto Cyrensi: Краткія черты жизни бл. Ѳеодорита, епископа Кирскаго, и обзоръ его сочиненій (*Delineamenta vitae Theodoreti Cyrensis, et conspectus eius operum*), Хр. чт., 1845, t. III, pp. 85-113; IV, 424-453; Tzvietkov, Апологетическій трудъ Ѳеодорита Кирскаго (*Opus apologeticum Theodoreti Cyrensis*), Чт. об. л., 1875, t. I, pp. 317-349; Glubokovsky, Блаженный Ѳеодоритъ, епископъ Кирскій: его жизнь и литературная дѣятельность (*Theodoretus Cyrensis: vita et scripta*), Mosquae, 1890. Mirabili eruditione scatens opus, quo nil melius habetur in tota litteratura patristica russica. Quaedam ei supplementa adiunxit Bolotov, Хр. чт., 1892, t. II, pp. 58-124; 125-164.

Nec sane negligendi serioris oevi Patres, qui saeculis VI-VIII floruere, inter quos dignissimi ut memorentur Sophronius Hieros., Maximus Confessor, Germanus Const., Iohannes Damascenus, Tarasius Const., Theodorus Studita (1). Graecos inter Patres, nemo fortasse disertius ac vehementius quam Theodorus Studita, iura primatumque romanae sedis vindicavit. Permagni habetur doctrina S. Maximi Confessoris et S. Iohannis Damasceni ad controversiam illius *Filioque* solvendam. Ex graecis scriptoribus, verbigratia ex sanctis Germano et

(1) De S. Sophronio egerunt: Galin, Св. Софроній, патріархъ Іерусалимскій, Kioviae, 1853; Popovitch, Патріархъ іерус. Софроній, какъ богословъ, проповѣдникъ и пѣснописецъ (*S. Sophronius Hieros., tanquam theologus, praedicator et hymnographus*), Kioviae, 1890. De S. Maximo: Жизнь преп. Максима Исповѣдника, Прав. соб., 1857, t. II, pp. 352-375; III, 591-628; IV, 892-944; Максимъ исповѣдникъ, и его труды по раскрытію догматовъ (*Maximus Confessor, eiusque scripta pro clariore dogmatum explanatione*), Странникъ, 1888, t. III, pp. 589-604; C. A., Преп. Максимъ Исповѣдникъ, какъ представитель древне-христіанской мистики (*Maximus Confessor, ut doctor* (qui repraesentat) *veteris mysticae christianae*), Вѣра и Разумъ, 1905, t. I, pp. 124-139. De S. Germano: Andreev, Св. Германъ, патріархъ К., Serghievo, 1897. De S. Iohanne Damasceno: Жизнь св. Іоанна Дамаскина, Приб., 1857, t. XVI, pp. 54-91; Michael (metr.), *Διατριβὴ περὶ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκινοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων*. *Ἐκ. Κῆρυξ*, 1862, VI, pp. 337-369; Stratuli, *Ὁ ἅγιος Ἰωάννης Δαμασκηνός, ὡς φιλόσοφος καὶ θεολόγος ἐξεταζόμενος*, Ib., pp. 406-418; Bogorodsky, Ученіе св. Іоанна Дамаскина объ исхожденіи св. Духа, изложенное въ связи съ тезисами боннской конференціи (*Doctrina S. Iohannis Damasceni de Processione Spiritus Sancti*, exposita et comparata cum praecipuis capitibus conventus Veterum Catholicorum Bonnae habiti anno 1875), Petropoli, 1879 (opus maximi momenti pro doctrina catholica); Tzarevsky, Св. Іоаннъ Дамаскинъ, какъ православный богословъ, и церковный христіанскій пѣснопѣвецъ (*S. Iohannes Damascenus, ut theologus orthodoxus, atque hymnorum liturgicorum christianorum scriptor*), Kasan 1901; Kholmogorov, Ученіе св. Іоанна Дамаскина объ иконопочитаніи (*Doctrina S. Iohannis Damasceni de cultu imaginum*), Пр. соб., 1902, t. I, pp. 1-18. De S. Tharasio Const.: Andreev, Св. Тарасій, патріархъ Конст., Serghievo, 1899. De S. Theodoro Studita: Св. Ѳеодоръ Студитъ, Дух. бесѣда, 1861, t. XII, pp. 297-304; 305-327; Св. Ѳеодоръ, исповѣдникъ Христова, игуменъ студійской обители, Воск. чт., 1864, t. XXVIII, pp. 513-523; 536-542; 560-572; Preobrajensky, Преп. Ѳеодоръ Студитъ и его время (*S. Theodorus Studita eiusque aetas*), Mosquae, 1896; Gross, Преп. Ѳеодоръ Студитъ: его время, жизнь и творенія (*S. Theodoris Studita: eiusque aetas, vita et scripta*), Kioviae, 1907 (opus maximi momenti). Commendatione digna aestimant etiam scriptores russi opera pseudo-Areopagitae, de quo haec habentur: О св. Діонисѣ Ареопагитѣ, и его твореніяхъ, Хр. чт., 1848, t. II, pp. 147-179; Skvortzov, О твореніяхъ приписываемыхъ св. Діонисію Ареопагиту (*De scriptis, quae tribuuntur S. Dionysio Areopagitae*), Trudy K. D. A., 1863, t. II, pp. 385-425; 401-439; Kiev, 1871; Uspensky, Св. Діонисій Ареопагитъ и творенія его, Чт. об. л., 1878, t. II, pp. 176-214; 321-370; 715-757; Bezobrazov, Шворенія св. Діонисія Ареопагита, Бог. вѣстникъ, 1898, t. I, pp. 195-205.

Tharasio pulcherrima excerpta romana Ecclesia in officium Immaculatae Conceptionis invexit. Mea quidem sententia, tot exhibent argumenta Patres graeci pro confirmanda veritate catholica in capitibus illis, quae theologi orthodoxi respuunt, ut haec plane satis habeantur ad omnes cavillationes, in *latinas*, ut aiunt, *novitates* diluendas.

ιγ' Praeclaros inter Patres latinos, qui doctores etiam universalis Ecclesiae a graecis habentur, interrogare perutile censeo in theologiae orthodoxae placitis dijudicandis. Inprimis opera S. Patris Augustini versanda. Ad ipsius enim auctoritatem quod attinet, maxima quidem est in Oriente, quamvis dolendum sit in russica Ecclesia epitheto *Sancti* eum non exornari, sed tantum *Beati* (блаженный), perinde ac si eius cultus in occidentali tantum Ecclesia obtineret (1). Immo non desunt scioli, qui perperam denegent, ei tribuendum epitheton Patris Ecclesiae, ac Doctoris (2). Huiusce tamen in perillustrem Doctorem aversio facili explicatur negotio. Infensissimus catholico illius *Filioque* dogmati A. Gusev, quum disertis verbis id apud S. Augustinum expressum comperuisset, nil sibi reliquum sensit, nisi ut seipsum ore suo creparet Doctorem universalem Ecclesiae, ac S. Augustinum inter homunciones heterodoxos ablegaret!

Miramur sane tantam audaciam in rabiosulo infimi subsellii scriptore, quem latere non debuisset concilia oecumenica, quorum auctoritas maxima est in Ecclesiis orthodoxis, non modo vel nubecula sanctitatem perillustris Doctoris non infuscasse, verum etiam ut magistrum in rebus fidei eum agnovisse. Patres V concilii oecumenici eum recensent inter Doctores Ecclesiae una cum sanctis Athanasio, Hilario, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Ambrosio, Theophilo, Iohanne Chrysostomo, Cyrillo, Leone (3). In actis VI concilii oecumenici, Augustinus inter Patres Ecclesiae refertur, tanquam vir omni clarus sapientia (4), tanquam ἐξοχώτατος διδάσκαλος (5). In

(1) Pisarev, Авторитетъ Августина, епископа иппонскаго въ области христіанскаго богословія по суду древнихъ христіанскихъ писателей (*Auctoritas Augustini, episcopi Hipponensis, in provincia theologiae christianae iuxta veteres scriptores christianos*), Kasan, 1903, p. 4. Animadvertas tamen velim doctissimum Sergium, archiepiscopum, suo in Menologio epitheton sancti, iuxta morem graecorum Menologiorum, S. Augustino restituisse: Полный мѣсяцесловъ Востока, t. II, Vladimiri, 1901, p. 182.

(2) Gusev, Старокатолическій отвѣтъ на наши тезисы по вопросу о *Filioque* и пресуществленіи (*Responsio Veterum Chatholicorum ad nostras theses circa illud Filioque, et transsubstantiationem*), Kasan, 1903, pp. 111.

(3) Mansi, t. IX, coll. 201-2.

(4) Ib., t. XI, col. 206.

(5) Ib., t. XI, col. 248.

litteris Hadriani I Constantino et Irenae Augustis, quae insertae sunt in actis VII synodi oecumenicae, *Beatus Augustinus* extollitur ut *praecipuus* pater et optimus doctor (1). *Διδάσκαλον καὶ Πατέρα* una cum praeclarissimis Orientis Patribus eum vocat Leontius Byzantinus (2).

Photius, cuius auctoritas hoc in rerum capite nemini suspecta videbitur, ait recte facere qui S. Augustinum inter Patres Ecclesiae recenset (3), ac fatetur quidem dogma illius *Filioque* in scriptis ipsius tradi, haec tamen fortasse depravata fuisse (4). Augustinum *sanctum* vocat (5), eumque laudat ut pelagianae haereseos debellatorem (6).

Nefarium igitur odium in catholicam Ecclesiam Gusevum adegit, ut quem concilia oecumenica aeque ac Photius Patrem Doctoremque Ecclesiae appellitarunt ac venerati fuere, suo titulo gloriae exueret. Huc accedit quod celeberrimi theologi orthodoxi, Latinos toto pectore fastidientes, ut Maximus Graecus ac Theophanes Procopovicius, summis laudibus, ut Patrem Doctoremque Ecclesiae, Augustinum cumularunt (7). Ceterum animadvertas velim, tot que in lucem exararunt scriptores orthodoxi de vita scriptisque S. Augustini (8), satis abunde demonstrare

(1) Ib., t. XII, col. 1065. Cf. Andruzzi, *Consensus tum graecorum, tum latinorum Patrum de processione Spiritus Sancti ex Filio contra Dositheum patriarcham hierosolymitanum*, Romae, 1716, p. 145.

(2) *De Sectis*, Actio III, n. 4; *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1216.

(3) *Σὺ Πατέρας ὀνομάζεις Αὐγουστῖνον καὶ Ἱερώνυμον, καὶ τοιοῦτους ἄλλους· καλῶς γε ποιεῖς.* — *Mystagogia*, n. 8, *P. G.*, t. CII, col. 365.

(4) *Εἶπεν Αυγουστῖνος καὶ Ἱερώνυμος τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Καὶ πόθεν ἔστι λαβεῖν ἢ δοῦναι πίστιν, τοσούτου ῥεύσαντος χρόνου, ὅτι μὴ αὐτῶν κεκακούργηται τὰ συντάγματα.* — Ib., col. 352.

(5) *Bibliotheca*, cod. LIII, *P. G.*, t. CIII, col. 96.

(6) *Ἡ πελαγιανὴ ἤτοι κελεστιανὴ αἵρεσις ἤκμασεν ἐν τῇ Ἀνατολῇ . . . , διελέχθη καὶ ἐφωράθη ὑπό τε Αὐρηλίου καὶ Αὐγουστίνου.* — Ib., cod. LIV, col. 96.

(7) Horum testimonia collegit Pisarev, pp. 13-14.

(8) De S. Augustino, praesertim egerunt: А., Жизнь блаж. Августина, епископа иппонійскаго, Хр. чт., 1845, t. IV, pp. 3-65; 214-277; Ученіе блаж. Августина о благодати божіей (*Doctrina S. Augustini de gratia Dei*), Воск. чт., 1850, t. VIII, pp. 498-499; 512-520; 534-538; XIV, 29-34; Жизнь и творенія блаж. Августина, Kioviae, 1855; Stratuli, *Ὁ ἱερὸς Αὐγουστῖνος ὡς φιλόσοφος, Εὐ. Κῆρυξ*, 1860, t. IV, pp. 337-354; 385-401; 433-445; 481-495; Skvortzov, Августинъ Иппонійскій, какъ психологъ (*S. Augustinus, ut psychologus*), Kioviae, 1870; Krasin, Швореніе блаж. Августина *De civitate Dei* какъ апологія христіанства въ его борьбѣ съ римскимъ язычествомъ (*Opus S. Augustini De civitate Dei, tanquam apologia fidei christianae adversus romanum paganismum*), Kasan, 1873 (opus commendatione dignum); Gusev, Антропологическія воззрѣнія блаж. Августина въ связи съ ученіемъ пелагіанства (*Placita anthropologica beati Augustini ac doctrina pelagianismi*), Прав. соб., 1876, t. II, pp. 271-374; Kyriakos, *Μελέτη*

maximi apud eos haberi ipsius auctoritatem, atque hancce auctoritatem firmant steriles theologorum orthodoxorum conatus, ut absonam illi *Filioque* sententiam eruant ex scriptis S. Augustini.

Inter Doctores Ecclesiae Latinae, quorum auctoritatem maximi faciunt scriptores orthodoxi, meminisse iuvabit, praeter S. Augustinum, Hilarium Pictaviensem, Ambrosium Mediolanensem, Hieronymum, *omni luce conspicuum* (1). Leonem Magnum, quem Photius appellat columnam quartae synodi oecumenicae (*ὁ τῆς τεσάρτης στῦλος συνόδου*), virum divinum et sapientissimum (*θεσπέσιος ἀνὴρ καὶ πάνσοφος*) (2), et Gregorium Magnum, qui « virtute claruit, divinae sapientiae

---

περὶ τοῦ Αὐγουστίνου, Παρνασσός, 1879, t. III, pp. 425-545; Minervin, Епископское служеніе блаж. Августина (*S. Augustinus, ut episcopus*), Душеполезное Чтеніе, 1884, t. II, pp. 377-414; Sergius (arch.), Ученіе блаженнаго Августина о предопредѣленіи въ связи съ обстоятельствами его жизни и дѣятельности (*Doctrina beati Augustini de praedestinatione, quatenus relationes habet ad ipsius vitae adiuncta ac res gestas*), Чт. об. л., 1887, t. II, pp. 431-492; Gregorius (hier.), Сочиненіе блаж. Августина о градѣ Божіемъ какъ опытъ христіанской философіи (*Opus beati Augustini De Civitate Dei, ut specimen philosophiae christianae*), Вѣра и Разумъ, 1891, t. II, pp. 134-168; 295-320; E. Trubetzkoi, Міросозерцаніе блаж. Августина о богодухновенности св. Писанія (*Doctrina S. Augustini de Inspiratione Sacrarum Scripturarum*), Чт. об. л., 1893, t. II, pp. 68-92; Pisarev, Ученіе блаж. Августина, еп. Иппонскаго, о человѣкѣ въ его отношеніи къ Богу (*Doctrina beati Augustini Hipponensis de homine suis in relationibus ad Deum*), Kasan, 1894 (opus maximi momenti); Iakhontov, Сочиненіе блаж. Августина *De visitatione infirmorum*, и его рѣчь *De pastoribus*, Trudy K. D. A., 1895, t. IV, pp. 277-308; Шрактатъ бл. Августина De catechizandis rudibus, ut руководство для пастырей церкви (*Tractatus B. Augustini De catechizandis rudibus, ut Directorium pastorum Ecclesiae*), Рук., 1896, t. II, pp. 81-89; 169-175; 193-199; Rodnikov, Ученіе бл. Августина объ отношеніи между церковью и государствомъ сравнительно съ ученіемъ отцевъ, учителей и писателей первыхъ четырекъ вѣковъ и средневѣковыхъ (*Doctrina S. Augustini de relationibus inter Ecclesiam et civile regimen, comparata cum doctrina Patrum, Doctorum et scriptorum qui primis quatuor saeculis, et media floruerunt aetate*), Kasan, 1897; Lopukhin, Пути Промысла божія въ исторіи человѣчества: опытъ философско-историческаго обоснованія воззрѣній бл. Августина и Боссюэта (*Semitae divinae Providentiae in historia generis humani: specimen confirmationis historicae et philosophicae sententiarum S. Augustini ac Bossueti*), Petropoli, 1898; Kremlevsky, Первородный грѣхъ, по ученію бл. Августина Иппонскаго (*Peccatum originale, iuxta doctrinam S. Augustini Hipponensis*), Petropoli, 1902; Ostroumov, Аналогіи и ихъ значеніе при выясненіи ученія о св. Шроицѣ по суду бл. Августина (*Analogia eiusque momentum, iuxta sententiam S. Augustini, ad clariore luce perfundendum dogma Ssmae Trinitatis*), Kasan, 1904.

(1) Mansi, t. XI, col. 206.

(2) *Mystagogia*, n. 80, coll. 361, 364.

doctrinis suum gregem auxit, et miraculorum donis effulsit » (1). Qua potiuntur auctoritatem sua communierunt sanctione concilia oecumenica, quapropter dubium non est quin omnes scriptores orthodoxi emunctae naris eam agnoscant.

(1) *Πῶς δ' ἂν παρέλθοιμι σιγῇ τοὺς ἀρχιερέας Ῥώμης, Γρηγόριόν τε καὶ Ζαχαρίαν, ἄνδρας ἀρετῇ διαπρέψαντας καὶ διδασκαλίαις θεοσόφοις τὸ ποίμνιον συναυξήσαντας, καὶ δὴ καὶ θαυμάτων χαρίσμασι διαλάμψαντας.* — Ib., n. 84, col. 368; Andruzzi, Op. cit., pp. 151, 156. De S. Hilario Pictaviensi habentur: Св. Иларій Пуатьевскій, Пр. соб., 1863, t. II, pp. 465-486; A. Orlov, Шринитарныя воззрѣнія Иларія Пиктавійскаго (*Doctrina de Trinitate S. Hilarii Pictaviensis*), Serghievo, 1908 (opus maximi momenti). De S. Ambbrosio: Alexinsky, Св. Амвросій, епископъ медіоланскій, Прав. об., 1861, IV, pp. 465-502; V, 19-49; Св. Амвросій мед., какъ проповѣдникъ (*S. Ambrosius mediolanensis, ut orator sacer*), Дух. бесѣда, 1873, t. II, pp. 381-384; 391-397; 414-416; Pospielov, Пастырская жизнь и дѣятельность св. Амвросія мед. (*Vita apostolica et rest gestae S. Ambrosii mediolanensis*), Рук., 1874, t. III, pp. 69-81; 200-209; 226-234; Sergius (ep.), Св. Амвросій, архіепископъ Мед., Душеполезное чт. 1890, t. III, pp. 94-112; Tzvietkov, Гимны св. Амвросія мед. (*Hymni S. Ambrosii mediolanensis*), Приб., 1891, t. II, pp. 417-461; Losev, Св. Амвросій Медіоланскій, какъ толкователь св. писанія (*S. Ambrosius med., ut interpres sacrarum Scripturarum*), Kioviae, 1896; Bulgakov, Ученіе св. Амвросія Медіоланскаго о таинствахъ (*Doctrina S. Ambrosii mediolanensis de sacramentis*), Kursk, 1903. De S. Hieronymo: Жизнь блаж. Іеронима Стридонскаго (*Vita S. Hieronymi strid.*), Хр. чт., 1847, t. I, pp. 62-139; 303-324; 463-484; II, 119-159; 281-311; Ioseph (hier.), Шруды блаж. Іеронима въ дѣлѣ перевода св. Писанія (*Opera S. Hieronymi in vertendis Sacris Scripturis*), Прав. об., 1860, t. II, pp. 293-307; Chtchegolev, Жизнь бл. Іеронима стрид., Trudy K. D. A., 1863, t. I, pp. I-CLXXIX; Smirnov, Іеронимъ стр. какъ историкъ и полемистъ (*S. Hieronymus str., ut historicus et polemista*), Прав. об., 1871, t. I, pp. 753-793; II, 22-44; Seraphimov (ep.), Изъ переписки бл. Августина съ Іеронимомъ о словахъ ап. Павла (*Commercium epistolare inter Augustinum atque Hieronymum ob explicationem verborum Apostoli ad Gal. II, 11-14*), Чт. об. л., 1875, t. II, pp. 185-225; Ostroumov, Разборъ свѣдѣній Евсевія кесарійскаго и бл. Іеронима стридонскаго о греческихъ апологетахъ (*Examen notitiarum quas nobis circa graecos apologistas tradiderunt Eusebius Caesariensis, atque Hieronymus Strid.*), Mosquae, 1886; Cyrillus (Lopatin), Противники монашескихъ обѣтовъ Іовиніанъ и Вигиляцій и обличеніе ихъ бл. Іеронимомъ (*Adversarii votorum monasticorum Iovinianus ac Vigilantius eorumque confutatio per beatum Hieronymum*), Petropoli, 1894; Davydenko, Образованіе и воспитаніе женщины по твореніямъ бл. Іеронима (*Educatio atque institutio mulierum iuxta placita beati Hieronymi*), Вѣра и Разумъ, 1899, t. II, pp. 60-74; 123-140; Poliansky, Шворенія бл. Іеронима какъ источникъ для библейской археологіи (*Opera beati Hieronymi tanquam fons archaeologiae biblicae*), Kasan, 1907; Id., Мнѣнія бл. Іеронима о паломничествѣ въ Палестину (*Sententia beati Hieronymi circa peregrinationem ad loca sancta*), Kasan, 1907; Id., Библіологическія занятія бл. Іеронима (*Studia bibliographica beati Hieronymi*), Kasan, 1908. De S. Leone Magno: Delitzyn, Св. Левъ, папа римскій, Mosquae, 1849; 1849; Pievnitzky, Св. Левъ великій, и его проповѣди (*S. Leo Magnus eiusque*

ιδ′ Inter perillustres Doctores Ecclesiae, quorum nomina merent ut primum teneant locum post Patrum aetatem meminit Philaretus Photium constant. et Marcum ephesinum (1). Scriptores orthodoxi, qui

---

orationes sacrae), Kioviae, 1871; Drozdov, Св. Левъ великій, его жизнь и творенія, Kharkoviae, 1898. De S. Gregorio Magno: Arbenev, Пастырское служеніе по изученію св. Григорія Двоеслова (*Ministerium pastorale iuxta doctrinam S. Gregorii Magni*), Рук., 1867, t. I, pp. 609-620; 658-671; 695-700; 723-736; Pievnitzky, Св. Григорій Двословъ, его проповѣди и гомилетическія правила (*S. Gregorius Magnus, eiusque sermones atque homiliae*), Kioviae, 1871; Podgursky, Правило пастырское св. Григорія Двоеслова (*Regula pastoralis S. Gregorii Magni*), Kioviae, 1873; Ponomarev, Собесѣдованія св. Григорія Великаго о загробной жизни въ ихъ церковномъ и историко-литературномъ значеніи (*Dialogi S. Gregorii Magni de vita futura, eorumque momentum ecclesiasticum, historicum ac litterarium*), Petropoli, 1886; Sadov, Пастырскія наставленія св. Григорія Двоеслова (*Exhortationes pastorales S. Gregorii Magni*), Вѣра и Разумъ, 1888, t. I, pp. 674-703; A. L., Споръ о титулѣ вселенскій патріархъ между папою Григоріемъ и Конст. патріархомъ Іоанномъ Постникѣ (*Certamen ob titulum « patriarchae oecumenici » inter Papam Gregorium Magnum, et Iohannem Ieiunatorem, patriarcham Const.*) Чт. об. л., 1889, t. I, pp. 67-93; Uspensky, Церковно-политическая дѣятельность папы Григорія I Двоеслова (*Acta ecclesiastica et politica S. Gregorii Magni*), Kasan, 1901.

(1) De Photio apud orthodoxos egerunt: Muravev, Правда вселенской церкви о римской и прочихъ патріаршихъ каѳедрахъ (*Veritas Ecclesiae universalis circa sedem romanam et ceteras sedes patriarchales*), Petropoli, 1849, pp. 118-181; Фотій до вступленія на патріаршескій престолъ въ К. (*Photius usque ad eius elevationem ad sedem patriarchalem*) Прав., 1854, t. 1854, t. XIII, pp. 464-483; Zernin, Очеркъ жизны конст. патр. Фотія, Mosquae, 1858; Οἰκονομος, *Φωτίου Ἀμφιλόχια*, Athenis, 1858; Фотій, св. патріархъ конст., Дух. бесѣда, 1859, V-VII; Ζανος, *Φώτιος ὁ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης*, Const., 1864; Uspensky, Четыре бесѣды Фотія, св. арх. Конст., и разсужденіе о нихъ (*Quatuor homiliae Photii patr. const., ac iudicium de eis ferendum*), Petropoli, 1864. Cf. Дух. Бесѣда, 1864, t. XXII, pp. 345-358; Valetta, *Φωτίου τοῦ σοφωτάτου καὶ ἁγιωτάτου Πατρ. Κ. ἐπιστολαί*, Londini, 1864, pp. 1-122; Photius (archim.), Значеніе въ церкви христовой св. патр. Фотія (*Momentum in Ecclesia Christi sanctissimi Patr. Photii*), Дух. бесѣда, 1866, t. I, pp. 369-77; Номоканонъ патр. Фотія (*Nomocanon patr. Photii*), Рук., 1871, t. III, pp. 119-128; 134-140; 264-270; A. Lebedev, Молодые годы Фотія (*Iuventus Photii*), Чт. об. л., 1873, t. I, pp. 90-108; Gerasimus (Iared), Отзывы о св. Фотіѣ, пат. конст. его современниковъ, въ связи съ исторіею политическихъ партій въ византійской имперіи (*Traditiones de Photio ab ipsius aequalibus nobis transmissae earumque relationes ad historiam factionum politicarum in imperio byzantino*), Petropoli, 1874 (Opus maximi momenti, excerptum ex Хр. Чт., 1872-73): de eo disseruit A. Lebedev, Новый методъ въ изслѣдованіи церковно-историческихъ вопросовъ (*Nova methodus in disquirendis quaestionibus ecclesiasticis historicis*), Чт. об. л., 1873, t. I, pp. 29 54; Kyriakos, *Περὶ Φωτίου, Ἀθήναιον*, 1873, t. III, pp. 135-163; Basilius (Georgiades), *Τερατώδεις συκοφαντίαι κατὰ τοῦ ἱεροῦ Φωτίου*, *Ἡμερολόγιον Ἀνατολῆς*, Const., 1887, pp. 104-115; Istomin,

vitam Photii enarrarunt, tot in eum congesserunt epitheta sumptuosa, tot laudum praeconia, ut fere dixeris toto in orbe christiano clariorem sanctioremque eo virum usque nunc non extitisse, « Photius, ait scri-

---

Патріархъ Фотій, Вѣра и Разумъ, 1888, t. II, pp. 835-868; 1889, t. I, pp. 210-238; 389-415; 622-650 (excerptum ex opere Guettée: *Histoire de l'Église*); Palmov, Патріархъ Фотій, и его отношеніе къ современнымъ ему славянъ (*Photius Patriarcha, eiusque relatio ad Slavos suae aetatis*), Странникъ, 1890, t. III, pp. 586-617; Stoianov, Шисячелѣтняя годовщина со времени блаж. кончины к. патр. Фотія до окончательнаго раздѣленія церквей (*Status Ecclesiae orientalis post mortem Photii usque ad plenam Ecclesiarum scissionem*), Ib., 1891, t. I, pp. 686-716; Platonov, Патріархъ Фотій, Mosquae, 1891 (*Prolixior compilatio*); Stukov, Ко дню тысячелѣтія памяти Фотія (*Dies anniversarius funeris Photii post mille annorum spatium*), Прав. соб., 1891, t. I, pp. 60-80; 360-386; 397-421; M. N., Много-ли мы знаемъ о патріархѣ Фотіи и его эпохѣ (*An multa de Patriarcha Photio eiusque aetate nobis comperta sint*), Пр. об. 1891, t. I, pp. 71-90; Ivantzov-Platonov, Къ изслѣдованіямъ о Фотіѣ патріархѣ К., по поводу совершившагося тысячелѣтія со времени кончины его (*Disquisitiones in Photium patr. const., arrepta occasione ex millesimo anniversario die mortis ipsius*), Petropoli, 1892. Hocce opus permagni aestimatur in Russia. Paleas tamen exhibet, si comparetur cum opere Card. Hergenrötheri. Magnifice id laudavit Kireev: *Le Patriarche Photius d'après le professeur Ivantzoff-Platonoff*, *Revue Internationale de Théologie*, t. 1893, pp. 654-669; II (1894), 80-107; 253-257: ipsius tamen lacunas et sphalmata detexit A. Lebedev. Исторія раздѣленія церквей, Mosquae, 1900, pp. 371-413; Preobrajensky, Фотій, патр. К.: тысячелѣтіе со дня кончины (*Photius, patr. const.: millesimus dies anniversarius eius funeris*), Petropoli, 1892. De hoc opere Cf. Чт. об. л., 1892, t. II, pp. 389-397; Kerameus, *Φωτίου τοῦ Κ. τὸ περὶ τοῦ τάφου τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἄλλα τινὰ πονήματα*, Petropoli, 1892; Kontos, *Παρατηρήσεις εἰς Φώτιον*, *Ἀθήναιον*, 1895, VII, pp. 3-64; 289-384; Kerameus, Св. патріарха Фотія, арх. Конст. XLI неизданныхъ писемъ (*S. Patriarchae Photii, 45 litterae ineditae*), Petropoli, 1896; Id. *Ὁ Πατριάρχης Φώτιος ὡς πατὴρ ἅγιος τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας*, *Byz. Zeitschrift*, VIII, pp. 647-671; Narbekov, Номоканонъ конст. патр. Фотія съ толкованіемъ Вальсамона (*Nomocanon Patriarchae Photii, adiecto commentario Balsamonis*), Kasan, 1899 (due volumina); Callixtus (hierom.), Номоканонъ св. Фотія, патр. конст.: изслѣдованіе, 1899. Exstat graece: *Φώτιος* (*Καλλίστου*), *Μελέτη περὶ τοῦ νομοκάνονος τοῦ ἁγιωτάτου πατρ. Κ. Φωτίου*, Hierosolymae, 1901; Kerameus, *Ἡ ψευδωνυμία καὶ ἡ νοθεία τοῦ φερομένου ἐπ' ὀνόματι Νικήτα Παφλαγόνος βίου τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου*, Tergesti, 1899; Id., *Ψευδονικήτας ὁ Παφλαγὼν καὶ ὁ νόθος βίος τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου*, Виз. Временникъ, 1899, t. VI, 13-38; Vasilevsky, Въ защиту подлинности житія патріарха Ігнатія (*Defensio authenticitatis vitae Patriarchae Ignatii*), Ib., VI, pp. 39-56; Kerameus, *Εἰς ὕμνος τοῦ Πατριάρχου Φωτίου*, Odessae, 1900; Aristarchus, *Φωτίου*, *Λόγοι καὶ ὁμιλίαι*, Const., 1900-1901 (duo volumina); Papageorgios, *Φωτίου πατρ. Ἀνέκδοτος ὁμιλία καὶ ἐκδεδομέναι ἐπιστολαί*, Tergesti, 1900; Id., *Ὑπόμνημα εἰς Φωτίου πατριάρχου ὁμιλίας κριτικόν*, Lipsiae, 1901; Kerameus, *Monumenta graeca et latina ad historiam Photii patriarchae pertinentia*, 1901; Kerameus, *Ὁ ἀκάθιστος ὕμνος*,

ptor quidam russus, Plato christianus est, qui suarum sententiarum splendore in coelum nos abstrahit: Cicero alter, qui tam latum expandit eloquentiae flumen, ut totam irriget terram: ditissimus in sermone: exquisitissimus in sententiarum sono rotundo: Homerus, suis ex cineribus ortus, quem non ethnica, sed christiana religio sua imbuit sapientia: novus Polyhistor, cui scientiam comparavit supernaturalem Spiritus Sancti lumen ».

Ex eo tot promanarunt in orbem christianum beneficia. Ei acceptum referunt regiones orthodoxae, si fidem suam intaminatam servarint, eamque non corruperint dogmata spuria de illo *Filioque*, de Primatu, de Potestate temporali Romanorum Pontificum, de Indulgentiis, de missis susurratis, de non legenda fidelibus Scriptura Sacra, de pueris vel in extremo periculo mortis communione non reficiendis, de igne purgatorio terque quaterque maledictis onerando, de Inquisitione (1). Huc accedit, quod suo nomine Photius primam exornavit paginam historiae conversionis Russiae ad fidem christianam (2), populis slavis viam ad Christum communivit (3) stirpemque graecam ab ultimo fato liberavit (4).

οἱ Ῥῶς καὶ ὁ πατριάρχης Φώτιος, Виз. Временникъ, 1903, t. X, pp. 357-401; Evstratiades, *Περὶ τῆς σημασίας τοῦ ἱεροῦ Φωτίου ἐν τῇ ἱστορίᾳ τοῦ σχίσματος*, *Ἐκκλ. Ἀλ.*, 1894, XXIV, pp. 276-279; 310-313; 336-337; 360-364; 369-370; 384-387; 394-396; 425-428; 440-442; 454-456; 463-464; Tsakuri, *Ἡ πνευματικὴ δρᾶσις τοῦ ἁγίου Φωτίου πατριάρχου Κ.*, *Ἐπετηρὶς τοῦ ἐν Σμύρνῃ Ἑλλήνο-γερμανικοῦ λυκείου Γιαννίκη*, III, Smyrnae, 1909, pp. 88-95; Rosseikin, Первое правленіе Фотія, патріарха конст. (*Primus patriarchatus Photii const.*), Бог. Вѣстникъ, 1908, t. II, pp. 194-228; 395-423; III, 94-122; 448-479; 647-673; 1910, 142-165 (Opus mira scatens eruditione, quod tanti erit fortasse orthodoxis, quanti opus Hergerötheri scriptoribus catholicis. De Marco Ephesino: Исповѣданіе вѣры Марка Ефесскаго, письменно изложенное во Флоренціи (*Confessio fidei Marci Ephesini, litteris consignata Florentiae*), Воск. Чтеніе, 1842, t. V, pp. 411-416; Маркъ Ефесскій, поборникъ православія (*Marcus Ephesinus, defensor orthodoxiae*), Ib., 1858, t. XXI, pp. 439-445; Маркъ Ефесскій, Дух. бесѣда, 1861, XV, pp. 334-53; 365-392; 429-448; Vasiliev, *Notice biographique sur Marc, métropolite d'Éphèse, défenseur de l'orthodoxie*, *Union chrétienne*, 1863, V, 20-22; 37-38; Kalogeras, *Μάρκος ὁ Εὐγενικὸς καὶ Βησσαρίων ὁ Καρδινάλις, εὐθύνας, ὡς πολιτικοὶ τοῦ ἑλληνικοῦ ἔθνους ἡγέται, τῇ ἱστορίᾳ διδόντες*, Athenis, 1893; Diamantopulos, *Μάρκος ὁ Εὐγενικὸς καὶ ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος*, Athenis, 1899; Kerameus, *Προσόμοια καὶ κανὼν εἰς τὸν ἁγιώταιον μητροπολίτην Ἐφέσου κὶρ Μάρκον τὸν Εὐγενικὸν*, *Παρνασσός*, *Ἐπετηρίς*,, 1902, t. VI, pp. 90-102.

(1) Platonov, p. 90.

(2) Zabielin, Исторія русской жизни (*Historia vitae russicae*), Mosquae, 1879, t. II, p. 1.

(3) Дух. Бесѣда, 1864, II, p. 51.

(4) Valetta, *Φωτίου Ἐπιστολαί*, Londini, 1864, p. 112.

Haec quae iactantur rhetoricam byzantinam potius sapiunt, quam veritatem historicam. Tot laudes assequutus est Photius, propterea quod, fatentibus scriptoribus orthodoxis, principium exprimit capitale τῆς ὀρθοδοξίας, bellum in Romanorum Pontificum primatum (1). Perquam alienum est mihi famae litterariae Photii quidpiam derogare. Scriptores catholici laudem, et quidem insignem, Photio, tanquam erudito, semper decrevere (2): immo meminisse iuvabit Cardinalem Hergenrötherum viginti annos contentis nervis adlaborasse, ut opus absolutissimum de Photio conscriberet, cui suppar eruditione, accuratione atque amplitudine non habetur usque nunc in litteratura orthodoxa. Eruditissimus sane agnoscitur Photius. Ex scriptis tamen ipsius nihil eruitur, quo nobis vindicetur ius in numerum Doctorum Ecclesiae eum referendi. Sanctitas in eo non relucet, ut aequales testantur, ut conciliorum acta apertissime produnt, ut certiores nos faciunt perantiqui scriptores, quorum documenta, ut suppositicia, conantur aetate nostra viri orthodoxi omni destituere pondere. In eius tamen scriptis nihil fas est reperire quod christianam foveat pietatem, quod igniculos amoris Dei in animis accendat, quod reconditos in Sacris Scripturis divinae sapientiae thesauros ad normas Sanctorum Patrum explanet. Dum Patres ac Doctores uberrimam praebent doctrinae segetem theologiae dogmaticae, morali ac mysticae, fere nihil ex operibus Photii depromitur, quod rectam christianae doctrinae promoveat interpretationem. Me quidem non latet praecipuam Photii gloriam in eo consistere, ut aiunt scriptores orthodoxi quod vinculum disruperit unitatis Ecclesiae, Romanorum Pontificum primatum *theorice* et *practice* contempserit, ac byzantinam Ecclesiam a communione Sedis Romanae abstraxerit. Haec tamen facinora, quae tot congesserunt mala in orbem christianum, cuilibet cordato viro detestanda nemo inficias iverit.

Debitam igitur eruditionis laudem Photio non invidemus. Vehementer tamen refragamur scriptoribus illis, qui postquam coelestes honores ei decreverunt, inter Patres Ecclesiae dolose percensent.

Ex hucusque dictis consequitur sinceras Photium mereri laudes in provincia eruditionis, eiusque vitam scriptaque studiose pervestiganda, sive ut ipsius obiectiones in catholicam doctrinam impugnemus, sive ut

(1) Nous acceptons volontiers le surnom de Photiens, non que Photius soit l'inventeur des principes orthodoxes, mais parce qu'il les a très énergiquement affirmés aux débuts mêmes de notre lutte contre les Latins, contre les innovations de Rome. — Kiréev, *Revue Int. de Théologie*, 1894, p. 257.

(2) Als Gelehrter, und Schriftsteller, als Literator, Philosoph, und Teolog, erscheint Photius in einem glänzenden Lichte, und diesen seinen Ruhm haben Alle von jeher einstimmig anerkannt. Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 1; 3-7.

causae nobis pateant, ex quibus lugendum illud schisma suum ortum habuerit. At, quas Photio tribuimus laudes, merito denegamus Marco Ephesino. Nihil enim huiusce catholicae unitatis hostis scripta ad profectum christianae veritatis conferunt. Perpauca edidit Marcus Ephesinus, eaque tot cavillationibus intexta, totque sophismatis in fidei catholicae veritates referta, ut theologum imperitum dixeris ea exarasse, nullo veritatis amore adactum, sed vana cupidine suas praeiudicatas opiniones tuendi. Adde, quod media, quibus usus est ad suos errores fulciendos, ut supra significavimus, quemque virum honestum pudore afficerent. Itaque Marcus Ephesinus gloriam, quae potius dedecus affert, adeptus est in historia schismatis, eiusque scripta theologis, qui cum orthodoxis decertant, volutanda: in numerum tamen Doctorum Ecclesiae eum adscribere, apertissimum est nefas, quod nullis argumentis excusatur.

3. Ut iam innuimus, theologia orthodoxa nullius aestimat praetii methodum scholasticam pertractandi veritates fidei, ac maxime auctoritate nititur. Inprimis ad Patrum sententias ac testimonia provocat, ut eorum subsidio conetur ostendere in provincia fidei se nihil innovasse. Haec tamen testimonia ad sua placita theoretice confirmanda, satis eis non habentur, ideoque in illud etiam tendit ut praxim veteris Ecclesiae suis etiam doctrinis favere declaret. Hac de causa provinciam historiae ecclesiasticae totam pererrat, ut sibi viam communiat ad *latinas*, quas vocat, *novitates*, explodendas. Consequitur inde, theologiam orthodoxam, quae catholicam fidem aggreditur, non modo patristicam esse, sed et historicam. Haec theologia historica, ait Sylvester episcopus, « historiam primitivae Ecclesiae enarrat, et quomodo in ea doctrina Evangelii propagata sit ab orthodoxis, impugnata ab haereticis, defensa cum a conciliis, tum a doctoribus, voce et scriptis, exponit (1).

Neminem latet, quam maximi momenti habeatur historia pro studio theologiae rite instituendo. Apte ad rem Gotti: « Tanta est viro theologo historiae percurrendae utilitas, immo dixerim, necessitas, ut rudes omnino theologos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est, omnes vero docti consentiant; et insuper neminem in quacumque materia vere eruditum fore, cui res olim gestae notae non sint. Multa enim nobis thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, et in theologia, et in qualibet alia ferme facultate, inopes saepenumero, et in-

(1) Op. cit., Mosque, 1805, p. 5.

docti reperiemur: quod sane indicant hi, qui ex eius ignoratione, in turpes errores lapsi fuerunt » (1).

Argumentorum historicorum praestantia in theologia polemica palam fit praesertim, quum bellum geritur adversus fidei catholicae hostes. Fides enim catholica, quae vere hoc nomine gaudeat, cunctis non proponitur fidelibus immediate a Deo, sed a praeceptoribus, quibus mandavit Iesus Christus, ut munus eam docendi rite persolvant. Hosce autem praeceptores divinitus institutos omni aetate munus suum rite obiisse, demonstrandum relinquitur historiae, quae apertissime prodit huiusmodi praeceptores Romanos Pontifices fuisse. Ex fontibus igitur historicis praeclara nobis haurienda sunt argumenta, ut verae Ecclesiae notas catholicae vindicemus Ecclesiae.

Ut saepe innuimus, certamen cum orthodoxis non ingredimur ad praecipua fidei christianae dogmata contra eorum assultus vindicanda. Constat enim in hisce, *perpetuam dari consensionem orientalis atque occidentalis Ecclesiae.* In eo versamur, ut clarissima in luce ponamus, varios inter coetus christianos, qui nomen verae Ecclesiae Christi sibi usurpant, *de facto* ac *de iure* illud nomen ad catholicam Ecclesiam tantum pertinere. Haec autem demonstratio, quae Sacris Scripturis ac Patrum testimoniis innititur, maiorem mutuatur vim ex documentis historicis, quae nobis pandunt catholicam Ecclesiam ita semper sese gessisse, ut sua in ratione agendi indolem unicae ac verae Christi Ecclesiae referat (2).

(1) *Theologia scholastica dogmatica*, t. I, Venetiis, 1781, p. 77; Foertsch, *De praestantia argumentorum historicorum in probanda christianae religionis veritate*, Gottingae, 1751.

(2) Arrepta occasione, animadvertimus quaedam argumenta historica, antiquioribus theologis catholicis maxime accepta, in praesentiarum, ut odiosa, relinquenda, verbigratia argumentum Alphonsi de Castro: « Graecia tota, quae bona est Europae pars non solum populorum frequentia, et agrorum fertilitate, sed ingeniorum foecunditate laudatissima, eo quod a vera christiana religione defecerit, in manus Turcarum, Deo ita disponente, tradita est ». — *Opera omnia*, t. II, Parisiis, 1578, col. 1023. Cavendum est etiam, ne, pro eo ut factis historicis innitamur, argumenta in theologiam polemicam invehamus e penu theologiae mysticae deprompta, quae derisionibus potius quam pietate scriptores orthodoxi prosequuntur. Laudatus iam Aegidius a Caesaro plus vice simplici revelationes S. Brigittae adducit, ut Graecorum sententias explodat, potissimum in opere: *Katalatinon Nathanaelis Khichae Atheniensis*: 53 *propositiones haereticales vel erroneae ad hominem confuntantur*, Venetiis 1678. Hasce enim revelationes cachinnis lacessunt scriptores orthodoxi, aiente Procopovicio: « Revelationes Brigittarum, Catharinarum, Theresiarum, aliarumque et aliorum papisticorum nugatorum omnes unius aestimamus assis. Op. cit., t. I, p. 24. « Facilius latini ineptissimis neniis et ridiculis hypocritarum fabellis, quam clarissimis sacrarum litterarum documentis, illis inquam, divinis effatis, illis inconcussis aeterna veritatis oraculis, aures praebent, et fidem habent ». — Ib. t. I, p. 74.

α' Nil verbis opus est ad demonstrandum ante omnia peculiari studio et summa diligentia schismatis historiam explorandam. Qua in re praemonitum volumus, rite non posse hocce studium iniri nisi vetus historia ecclesiastica et civilis imperii byzantini nobis apprime cognoscatur. Etenim, lugendum illud schisma, quod aetate Photii ac Cerularii erupit, ut morbus iamdiu latens in compagine Ecclesiae, hancce aetatem praecessit. Quae diu invaluerant principia circa methodum concipiendi apud Byzantinos mutuum inter potestatem ecclesiasticam, ac potestatem civilem commercium, latam explanarunt schismati viam. Ex historia imperii byzantini luculenter eruitur, antistites Ecclesiarum civili regimini semper obsequutos fuisse, eique dignitatem suae Ecclesiae vendidisse; in Oriente semina haereseon saepe saepius solo immissa, cito germinasse, ac late suas radices expandisse; superbia nec non arrogantia factum fuisse, ut patriarchae const., feliciter prosperante byzantina urbe, Romanis Pontificibus obsequium detrectare coeperint, eorumque iura usurpare; odium politicum inter Graecos et Latinos, ob lacrymabilem negotiorum ecclesiasticorum civiliumque confusionem, in odium religiosum abiisse.

Byzantina historia explorata, facilius tibi erit in causas inquirere, ex quibus erupit schisma. Meminisse iuvabit hancce provinciam byzantinae historiae scriptores catholicos ita pervestigasse, ut velint nolint scriptores orthodoxi cogantur ex eorum penu multa depromere. Ex sedulis eorum disquisitionibus perspectum tibi erit apertissimum mendacium scriptores illos effutisse, qui Romanos Pontifices reos schismatis praedicarunt. In certamine enim cum praesulibus byzantinis iura et constitutiones catholicae Ecclesiae tuiti sunt Romani Pontifices: pro ea fortiter dimicarunt: prae viribus conati sunt ipsius libertatem, atque independentiam a civili regimine sarta tectaque servare; strenue obstitere, quominus, repudiata unitate regiminis, compago Ecclesiae in membra disjiceretur, quae tanquam abscissa a corporis compagine prolixitatem potius mortis, quam vitae igniculos exhiberent.

Theologicis sane fundamentis nititur schisma illud, quod Graecos ab unitate catholicae Ecclesiae seiunxit: politicae tamen simultates, praesulumque byzantinorum ambitio, arrogantia, animique imbecillitas in ecclesiasticae potestatis iuribus tuendis, maxume contulerunt ad ipsius ortum et progressum. Ex historia igitur schismatis praesto tibi erunt invicta argumenta, quae cordatis viris facili negotio persuadere queant haud quidem ex purissimae veritatis christianae studio, quo adactos fuisse Photium et Cerularium Graeci contendunt, lugendum schisma promanasse, sed ex humanis affectionibus pravisque cupidinibus.

Permulta in lucem ediderunt opera scriptores russi quae Ecclesiae byzantinae historiam mirum in modum illustrant, quo fit ut cl. vir Krumbacher iure meritoque studium russici idiomatis perquam necessarium dijudicarit studiosis Ecclesiarum orientalium (¹). Mihi dubium non est, quin ex lectione huiusmodi operum, haud parum emolumenti catholici theologi sint capturi.

(¹) Wer immer sich mit der Geschichte der griechisch-orthodoxen Kirche und ihrer Litteratur, mit dem orientalischen Kirchesrecht, mit irgend einem Zweige, der byzantinischen Philologie und Geschichte, mit den politischen, kirchlichen, und nationalen Fragen der im letzten Iahrhundert von der Türkei abgebröckelten und der noch unter ihrer Hoheit stehenden Völker zu besckäftigen hat, der stösst auf Schritt und Tritt auf russische Publikationen. — *Der Kulturwert des slavischen Phil., Populäre Aufsätze*, Lipsiae, 1909, p. 354. Longum quidem esset, si elenchum heic conficerem omnium operum, quae scriptores graeci vel russi, rebus byzantinis vacantes, typis vulgarunt. Ex eis permulta citata reperies apud Ternovsky, Русская и иностранная библіографія по исторіи византійской Церкви IV-IX вв. (*Bibliographia russica atque extera circa historiam Ecclesiae byzantinae a saeculo IV usque ad IX*), Kioviae, 1885. Recentiora vero accurate afferuntur, vel ad trutinam revocantur in commentario periodico Византійскій Временникъ qui ab anno 1894 editur Petropoli. Cf. etiam dissertantiunculam nostram: *Gli studi bizantini in Russia*, Bessarione, t. VIII, 1901, pp. 336-365; t. IX, pp. 87-99; 246-255. Studiosis theologiae polemicae inprimis commendanda volumina, quae critico acumine, ac saepe saepius sine partium studio typis mandavit cl. vir A. Lebedev: Очерки исторіи византійско-восточной церкви отъ конца XI-го до половины XV-го вѣка (*Specimina historiae Ecclesiae byzantinae orientalis a fine saeculi XI usque ad dimidium saeculi XV*), Mosquae, 1892; 1902; Очерки внутренней исторіи византійско-восточной церкви въ IX, X и XI вѣкахъ (*Specimina intimae historiae Ecclesiae byzantinae orientalis saeculis IX, X et XI*), Mosquae, 1902; Церковная исторіографія въ главныхъ ея представителяхъ съ IV вѣка до XX (*Ecclesiastica historiographia eiusque praecipui cultores a saeculo IV usque ad XX*), Petropoli, 1903. Ex ceterorum scriptorum operibus satis erit meminisse: Popov, Императоръ Юстиніанъ I и его заслуги въ отношеніи къ Церкви Христовой (*Imperator Iustinianus, eiusque merita in Christi Ecclesiam*), Kioviae, 1856; Zernin, Жизнь и литературные труды имп. Константина Багрянороднаго (*Vita et scripta imperatoris Constantini Porphyrogeniti*), Kharkoviae, 1858; Какъ выражались отношенія К. Церкви къ окрестнымъ народамъ, и преимущественно къ болгарамъ въ началѣ XI столѣтія (*Quomodo sese manifestarunt relationes Ecclesiae Const. ad ceteros populos huic urbi finitimos*), Odessae, 1866; Troitzky, Арсеній, патріархъ никейскій и конст., и арсениты: къ исторіи восточной Церкви въ XIII вѣкѣ (*Arsenius, patriarcha nicaenus et const., atque arseniani: specimen ad historiam pertinens Ecclesiae orientalis saeculo XIII*), Petropoli, 1873; Kurganov, Византійскій идеалъ царя и царства и вытекающіе отсюда по сравненію его съ идеаломъ церкви отношенія между церковною и гражданскою властію (*Quomodo byzantini sibi animo effinxerunt regem et regimen, et quaenam exinde promanant, ad eorum mentem, relationes inter potestates ecclesiasticam ac civilem*), Kasan, 1881; Kurganov, Отношенія между церковною

β′ Explorata byzantinae historiae provincia, studiosis theologiae polemicae penitior acquirenda est scientia historiae schismatis inter Orientem atque Occidentem. Qua in re volupe mihi est asserere catholicos scriptores tanto studio animique contentione munus sibi usurpasse enarrandi pervestigandique schismatis causas et discrimina, ut fere nihil reliquerint scriptoribus orthodoxis colligendum. Satis habeo memorasse Maimburgium, Tosti, Hergenrötherum, Pargoire. Quae autem habentur in graeca vel russica litteratura, si unum excipias Lebedevum,

---

и гражданскою властью византійской имперіи (*Relationes inter Ecclesiam et potestatem civilem in imperio byzantino*), Kasan, 1881 (opus maximi momenti); Skabalanovitch, Византійское государство и церковь въ XI вѣкѣ, отъ смерти Василія II Болгаробойцы до воцаренія Алексѣя I Комнина (*Imperium byzantinum atque Ecclesia saeculo XI, a tempore mortis Basilii II qui Bulgaros stravit, usque ad Alexium I Comnenum*), Petropoli, 1884 (opus maximi momenti pro historia schismatis); Kornieenko, Участіе имп. Юстиніана въ дѣлахъ церковнаго устройства, управленія и суда (*De opera quam contulit Iustinianus imp. ad componenda regimen, constitutionem, ac tribunalia Ecclesiae*), Странникъ, 1890, t. II, pp. 242-267; 478-492; III, 407-427; 618-639; Popov, Имп. Левъ VI мудрый и его царствованіе въ церковно-историческомъ отношеніи (*Leo VI sapiens, imperator, eiusque regnum quatenus rationem habet ad historiam ecclesiasticam*), Mosquae, 1892 (opus commendatione dignum); Uspensky, Очерки по исторіи византійской образованности (*Specimina ad historiam byzantinae culturae spectantia*), Petropoli, 1892; Sokolov, Состояніе монашества въ византійской церкви съ половины IX-го до начала XIII вѣка (*Status monachismi in Ecclesia byzantina a dimidio saeculi IX usque ad initium saeculi XIII*) Kasan, 1894; Andreev, К. патріархи отъ времени Халкидонскаго собора до Фотія: хронологія этихъ патріарховъ и дѣятельности важнѣйшихъ изъ нихъ (*Const. patriarchae ab aetate concilii chalcedonensis usque ad Photium: chronologia horum patriarcharum, ac res gestae clarissimorum ex eis*), Serghievo, 1895 (opus maximi momenti); Gribovsky, Народъ и власть въ византійскомъ государствѣ: опытъ историко-догматическаго изслѣдованія (*Populus in imperio byzantino: specimen disquisitionis historico-dogmaticae*), Petropoli, 1897; Ternovsky, Очерки изъ церковно-исторической географіи: области восточныхъ патріарховъ православной церкви до IX вѣка (*Specimina geographiae historicae ecclesiasticae: provinciae patriarcarum orientalium Ecclesiae orthodoxae ante IX saeculum*), Kasan, 1899; Leporsky, Исторія Оессалоникскаго экзархата до времени присоединенія его къ конст. патріархату (*Historia Thessalonicensis exarchatus usque ad suam unionem cum patriarchatu const.*), Petropoli, 1901. Mitto opera graecorum scriptorum, quos inter clarissimam famam sibi compararunt in provincia byzantinae historiae Emmanuel Gedeon, Athanasius Papadopulo-Kerameus, et Spiridion Lambros. Omnes fere calumnias, quas scriptores orthodoxi byzantinam historiam pervestigantes adversum catholicam Ecclesiam iaciunt, S. Zampelios congessit in opere: *Βυζαντιναὶ μελέται: περὶ πηγῶν νεοελληνικῆς ἐθνικότητος ἀπὸ η′ αχρι ι′ ἑκατονταετηρίδος μ. Χ.*, Athenis, 1858.

tot scatent contumeliosis verbis in romanam Ecclesiam, ut potius libellos famosos ea diceres, quam historicas disquisitiones (1).

γ' Absoluto inter Orientem atque Occidentem discidio, qui prius amice sese gerebant in tuenda doctrina iuribusque unius Ecclesiae, adversas in partes transierunt, torvisque oculis sese adspicere aggressi sunt. Mirum est quot mala ex hac mutua profluxerint inimicitia inter christianos orientales atque occidentales, quam late apertum sit illud schismatis vulnus, quod fere insanabile videtur. Perutile igitur censeo

(1) Haec praecipue habentur de historia schismatis in litteratura orthodoxa: Историческій взглядъ на постепенное отдѣленіе западной церкви отъ православной восточной (*Conspectus historicus successivae disiunctionis Ecclesiae occidentalis ab ecclesia orthodoxa orientali*), Христіанское Чтеніе, 1854, t. II, pp. 14-64; 209-256; *Συνοπτικὴ ἱστορία τοῦ σχίσματος τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς, Εὐαγγελικὸς Κῆρυξ*, 1860, t. IV, pp. 261-267; 368-374; 410-416; VI, 289-299; Lebedev, Отпаденіе западной Церкви отъ союза съ восточной (*Defectio Ecclesiae occidentalis ab unione cum orientali*), Душеполезное Чтеніе, 1864, t. I, pp. 337-382; Demetracopulos, *Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῆς λατινικῆς Ἐκκλησίας ἀπὸ τῆς ὀρθοδόξου ἑλληνικῆς*, Lipsiae, 1867; Dobrotvorsky, Борьба и раздѣленіе Церквей въ половинѣ XI вѣка (*Certamina et scissio Ecclesiarum dimidio saeculi XI*), Христ Чтеніе, 1868, t. II, pp. 698-732; 871-899; Georgiades, *Συμβολαὶ εἰς τὴν ἱστορίαν τοῦ σχίσματος, Ἐκκλ. Ἀλήθεια*, t. III, 1886, pp. 321-334, 369-384; 417-427; 465-481; 513-530; IV, 1-13; 49-63; 97-113; 193-206; Preobrajensky, Раздѣленіе Церкви на двѣ половины: восточную и западную, православную и латинскую (*Scissio Ecclesiae in duas partes: orientalem atque occidentalem, orthodoxam et latinam*), Mosquae, 1891; Iohannes (episcopus), Отпаденіе западной Церкви отъ восточной (*Defectio occidentalis Ecclesiae ab orientali*), Novocerkask, 1899; Lebedev, Исторія раздѣленія Церквей въ IX-мъ, X и XI вѣкахъ (*Historia scissionis Ecclesiarum saeculis IX, X et XI peractae*), Mosquae, 1900 (opus maximi momenti); Kremos, *Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῶν δύο Ἐκκλησιῶν ἑλληνικῆς καὶ ῥωμαϊκῆς, βραβευθεῖσα ἐν θεολογικῷ διαγωνισμῷ ὑπὸ τῆς θεολογικῆς σχολῆς τοῦ Ἀθήνησιν ἐθνικοῦ πανεπιστημίου*, t. I, Athenis, 1905; t. II, 1906. Perridicula congerit auctor in sua farragine historica, ac tanto exardet odio, ut statuat schisma initium habuisse statim ac *Romanorum aquilae suis rostris Graecorum corda dilaniarunt*, t. I, p. 8. Arabice prolixam et calumniosam historiam schismatis exaravit archimandrita Gerasimus Marrat, laodicenus, rector ecclesiae syriacae Alexandrinae in Aegypto, nunc temporis metropolita Berytensis. Opus inscribitur: تاريخ الانشقاق. كتاب يشتمل على تاريخ المعلقات بين الكنيستين الشرقية و الغربية من الاول الى عهد البطريرك فوتيوس. تاليف الارشمندريت جراسيموس مسرة اللذ قى رئس كنيسة السورية الاورثوذ كسية فى اسكندرية عفى عنه. (*Historia schismatis: liber complectens historiam discrepantiarum inter Ecclesias orientalem atque occidentalem ab initio usque ad aetatem patriarchae Photii*), t. I, Alexandriae, 1891, t. II, 1894. Non secus atque historia *Κρέμου* totum opus contumeliis farcitur in catholicam Ecclesiam.

studiosis theologiae polemicae investigare quonam modo sese ad invicem habuerint, post schisma peractum, Ecclesia catholica, ac disiunctae ab ea Ecclesiae orientales (1). Qua in re juvat animadvertere romanae Sedi imputanda non esse nefarios ausus, aut intolerantiam huius vel illius regiminis catholici, aut praelati. Compertum enim est etiam atque etiam acerbas leges a catholicis regiminibus in orthodoxos pro-

(1) Pauca tantum heic afferimus opera, quae de mutuis relationibus inter catholicam Ecclesiam atque Ecclesias orthodoxas agunt: Состояніе православной Церкви въ имперіи греческой во время владычества латинянъ въ К. (*Status Ecclesiae orthodoxae in imperio graeco tempore dominationis latinae Constantinopoli*. Прибавленія operibus Sanctorum Patrum russice versis, 1857, t. XVI, pp. 527-569; Vostokov, Объ отношеніи римской Церкви къ другимъ христіанскимъ Церквамъ и ко всему человѣческому роду (*De relationibus romanae Ecclesiae ad ceteras ecclesias christianas atque ad totum genus humanum*), Petropoli, 1857; 1864. Cf. de eo Пр. собес., 1858, t. III, pp. 413-439. Hocce opus maximi momenti pro theologia polemica, pseudonymo A. Vostokovii conscripsit Anatolius Martynovsky, archiepiscopus Mohilensis; Западъ на Востокѣ или историко-критическое обозрѣніе дѣйствій западныхъ миссіонеровъ на Востокѣ (*Occidens in Oriente, sive conspectus historico-criticus facinorum missionariorum occidentalium in Oriente*), Духовная Бесѣда, 1858, t. III, pp. 138-194; О греческой Церкви въ Италіи до подавленія ея латинствомъ (*De graeca Ecclesia in Italia usque ad eius extinctionem per latinismum*), Прib., 1860, t. XIX, pp. 386-496; Malychevsky, Отношеніе Руси къ Церкви римской при св. князѣ Владимірѣ (*Commercium inter Russiam et sedem romanam aetate S. Vladimiri principis*), Trudy K. D. A., 1863, t. I, pp. 89-164; Tolstoi, *Le catholicisme romain en Russie*, Parisiis, 1864; Іезуиты въ Польшѣ (*Iesuitae in Polonia*), Дух. Бесѣда, 1864, t. XXII, pp. 177-195; 215-225; 254-268; 305-322; 449-467; 497-509; 608-619; Царь Іоаннъ Васильевичъ Грозный и іезуитъ Поссевинъ (*Tzarus Iohannes Vasilevitch Terribilis atque iesuita Possevinus*), Trudy K. D. A., 1865, t. I, pp. 103-138; 229-276; 373-418; 506-555 Troitzky, Объ употребленіи греческаго языка при богослуженіи въ западной церкви (*De usu graeci idiomatis in liturgia occidentalis Ecclesiae*), Христ. Чтеніе, 1866, t. I, pp. 39-71; О внѣшнемъ состояніи восточной православной Церкви во время владычества латинянъ въ византійской имперіи (*De exteriore conditione Ecclesiae orthodoxae orientalis tempore dominationis latinae in imperio byzantino*), Прав. Собес., 1866, t. I, pp. 121-174; 175-230; Troiansky, Прежныя отношенія римскихъ папъ къ сербской и хорватской Церкви (*De primis relationibus romanorum Pontificum ad Ecclesias serbicam et croaticam*), Ib., 1866, t. II, pp. 19-70; 287-334; Stamatiades, *Ἱστορία τῆς ἁλώσεως τοῦ Βυζαντίου ὑπὸ τῶν φράγκων, καὶ τῆς αὐτόθι ἐξουσίας αὐτῶν*, Athenis, 1866; Arsenius (hig.), Объ отношеніяхъ церквей латинской и греческой въ періодъ крестовыхъ походовъ (*De relationibus Ecclesiarum latinae et graecae tempore expeditionum crucesignatorum*), Журналъ м. н. п., 1867, CXXXIII, pp. 499-534; Malychevsky, Доминиканецъ Яцекъ Одробонжъ, мнимый апостолъ земли русской (*S. Hiacynthus O. P., quem falso iactant apostolum Russorum*), Trudy K. D. A., 1867, t. II, pp. 25-80; 421-481; III, 215-292; Popov, Греки и Латиняне (*Graeci et Latini*), Дух. Бесѣда, 1867, t. I, pp. 457-469; 483-488; II, 1-14; Аѳонъ XIII вѣка въ борьбѣ съ папистами

latas fuisse, vel nimio zelo instaurandae catholicae unitatis quosdam antistites vel clericos inique in eos egisse. Quae afferuntur huiusce intolerantiae exempla, silentio praetervehere non decet. Etenim ex documentis historicis luculenter eruitur principiis charitatis christianae in conatibus schismatis extinguendi Romanos Pontifices semper obsequutos fuisse: si autem ab hisce principiis viri privati defecerunt, crimini vertendum non est toti catholicae Ecclesiae, quod huic vel illi ex eius membris imputatur.

Quum vero ex hisce incommodis, vel persecutionibus quae sub dominatu principum catholicorum perpessi fuere orthodoxi, praesertim in Polonia, in insulis graecis sub ditione Venetorum ac Genuensium positis, in urbe constant. a Latinis capta, scriptores orthodoxi plurima depromant argumenta ad fovendum odium in catholicam Ecclesiam, opus est nobis apprime cognoscantur relationes inter sedem romanam ac regiones orthodoxas, nec non conditiones illius aetatis, qua huiusmodi relationes initae fuere. Complures enim, quae in praesentiarum inhumanae videntur praescriptiones, media, quam vocant, aetate, communis legis vim sibi vindicabant, easque apud catholicos non secus atque apud orthodoxos viguisse reperies.

δ' Semel atque iterum declaravimus ex recentiore historia et conditionibus Ecclesiarum orientalium, in eis praesertim quae ad earum spectant constitutionem, theologis catholicis haud exigui ponderis erui

---

(*Athos saeculo XIII in certamine cum pontificiis*), Воск. Чтеніе, 1868, XXXII, pp. 973-976; Izviekov, Отношенія русскаго правительства къ католической пропагандѣ въ первой половинѣ XVIII в., Журн. М. Н. П., 1870, CLI, pp. 61-74; Demianovich, Іезуиты въ западной Россіи, Ib., 1871, CLVI-VIII, pp. 181-263; 1-46; 250-279; 40-86; 181-231; Kacianovsky, Отношеніе Церкви болгарской къ Церквамъ греческой и латинской съ IX-го до XIII в. (*Relatio Ecclesiae bulgaricae ad Ecclesias graecam et latinam a saeculo IX usque ad XIII saeculum*), Странникъ, 1885, t. II, pp. 25-48; Arkhangelsky Борьба съ католичествомъ и умственное пробужденіе южной Руси въ концѣ XVI в. (*Certamen cum catholicismo et resurrectio intellectualis Russiae meridionalis ad finem vergente saeculo XVI*), Kioviae, 1886; Malinovsky, Пропаганда папства въ наши дни среди славянъ (*Propagatio fidei pontificiae inter slavos hodiernos*), Ч. О. Л., 1885, t. I, pp. 504-532; 1886, I, 418-459; Rojdestvin, Латиняне въ іерусалимскомъ патріархатѣ въ XII вѣкѣ (*Latini in patriarchatu hierosolymitano vertente saeculo XII*), Вѣра и Разумъ, 1888, t. I, pp. 791-817; II, 129-157; Sokolov, Католическая пропаганда въ Россіи въ царствованіе имп. Павла I (*Propagatio fidei catholicae in Russia sub dominatu imp. Pauli I*), Прав., обозр., 1891, t. III, pp. 61-93; 224-266; 384-466; Cicelis, *Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν ταῖς ἰονίοις νήσοις ἐπὶ ἑνετοκρατίας, Παρνασσός, Ἐπετηρίς, η'*, 1904, pp. 168-182; Kuritis, *Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν Κύπρῳ ἐπὶ φραγκοκρατίας*, Leucosiae, 1907.

argumenta pro catholica doctrina tuenda. Exploratum enim est gravissimis eas morbis afflictari, quae restingui non possunt, nisi suprema in toto orbe christiano adsit auctoritas; complura in earum constitutione deprehendi, quae refragantur firmissimis traditionibus ecclesiasticis, imo notioni Ecclesiae Christi, prout in Scripturis sacris enucleatur; vices ac discrimina regiminis politici ac societatis civilis eas subire, et continenter mutationibus obnoxias haberi; nutare saepe coram civili potestate in principiis illis vindicandis, quibus reiectis, Ecclesia [suae libertatis maximam pateretur iacturam, ac semet in laqueis servitutis irretiret. Ex historia igitur recentiore Ecclesiarum orthodoxarum, validissima in promptu erit tibi colligere argumenta, quibus schisma confodias (1).

(1) De russis historicis Ecclesiae russicae egimus in opere: *La Chiesa russa*, pp. 652-656. Missa facimus opera graecorum scriptorum, quae graecae Ecclesiae historiam pertractant: eorum elenchum accurate pertexuit S. Vailhé in praeclara dissertatione, *L'Église de Constantinople, Dictionnaire de Théologie catholique*, t. III, coll. 1307-1519. Cf. etiam dissertationem nostram: *L'Église de Chypre*, Ib., t. II, coll. 2424-2472. In praesens pauca tantum ad hanc provinciam pertinentia opera afferimus: Berezin, Православная и другія христіанскія Церкви въ Шурціи (*Ecclesia orthodoxa ceteraeque Ecclesiae christianae in imperio turcico*), Petropoli, 1855; Сужденіе о живой вѣрѣ греческой Церкви (*Iudicium de fide viva Ecclesiae graecae*), Дух. Бесѣда, 1858, t. II, pp. 73-104; Судьбы греческой церкви на іоническихъ островахъ (*Fata Ecclesiae graecae in insulis ionicis*), Воскр. Чтеніе, 1864, XXVII, pp. 801-802; 828-836; О внѣшнемъ состояніи на востокѣ православной церкви во владѣніяхъ мусульманъ отъ Магомета до крестовыхъ походовъ (*De conditionibus exterioribus Ecclesiae orientalis orthodoxae in regionibus Mahumetanorum ab aetate Mahumeti usque ad expeditiones crucesignatorum*), Прав. Соб., 1865, t. II, pp. 40-80; 81-127; I. P., Краткій очеркъ исторіи сербской церкви до паденія царства сербскаго (*Breve specimen historiae Ecclesiae serbicae post dissolutionem regni serbici*), Trudy K. D. A., 1866, t. III, pp. 94-123; Kostitch, Православная сербская церковь въ Австріи при патріархѣ Арсеніѣ III (*Ecclesia orthodoxa serbica in imperio austriaco sub Patriarcha Arsenio III*), Ib., 1869, t. II, pp. 268-388; Очеркъ исторіи православія въ Чехіи до конца X вѣка (*Specimen historiae τῆς ὀρθοδοξίας in Bohemia usque ad finem saeculi X*), Дух. Вес., 1871, t. II, pp. 305-321; 342-352; 359-368; 376-379; Golubinsky, Краткій очеркъ исторіи православныхъ Церквей болгарской, сербской и румынской (*Breve specimen historiae Ecclesiarum orthodoxarum bulgaricae serbicae, et romenicae*), Mosquae, 1871 (opus maximi momenti); Voronov, Синайское дѣло (*Res sinaiticae*), Trudy K. D. A., 1871, t. II, pp. 330-401; 1872, t. I, pp. 273-315; II, 594-668; Dobronravin, Очеркъ исторіи славянскихъ Церквей (*Specimen historiae Ecclesiarum slavicarum*), Petropoli, 1873; Mordvinov, Православная церковь въ Буковинѣ (*Ecclesia orthodoxa Bucovetiae*), Petropoli, 1874 Восточная церковь со времени завоеванія Византійской имперіи Шурками (*Ecclesia orientalis ab irruptione Turcarum in imperium byzantinum*), Руков., 1877, t. II pp. 102-108; 206-213; 235-240; 293-297; 389-393; 474-483; Kurganov, Устройство

Nec praetereundum puto scriptoribus catholicis onus incumbere prae viribus illud argumentum enervandi, quod scriptores orthodoxi ex historia suarum Ecclesiarum depromunt: nempe fidem orthodoxam fulcrum extitisse ac propugnaculum stirpis graecae ac slavicae, perinde ac si catholica Ecclesia populos graecum et slavicos coegisset vel coactura sit, ad suas traditiones, idioma, civilem cultum abjicienda, quod apertissimum est mendacium, ac documentis historicis maxume repugnans (1).

управленія въ церкви королевства греческаго (*Constitutio administrativa Ecclesiae orientalis a capta per Turcas urbe Const., usque ad praesens tempus*), Странникъ, 1878, t. I, pp. 23-44; 185-197; II, 26-39; IV, 30-46; 161-174; 289-299; Rozov, Очерки исторіи восточной церкви со времени взятія К. Шурками до настоящаго времени, Душеполезное Чтеніе, 1879, t. I, pp. 166-202; III, 67-85; 191-212; 314-328; 442-455; 1881, II, 289-314; 446-459; Arkhangelsky, Очеркъ исторіи греческой Церкви со времени паденія К. до нашихъ дней, Mosquae, 1885; Gorsky, О церкви греческой съ 1453 г. до начала XVIII столѣтія (*De Ecclesia graeca ab anno 1453 usque ad initium saeculi XVIII*), Прибавленія, 1883, t. II, pp. 391-427; Dmitrievsky, Внѣшнее состояніе К. церкви подъ игомъ турецкимъ въ XIX столѣтѣ (*Exterior conditio Ecclesiae const. sub iugo Turcarum saeculo XIX*), Прав. Об., 1891, t. I, pp. 586-614; 720-742; II, 84-163; Korsunsky, Церковь Іерусалимская (*Ecclesia hierosolymitana*), Бог. Вѣстникъ, 1894, t. II, pp. 476-488; III, 267-289; Kapterev, Господство Грековъ въ іерусалимскомъ патріархатѣ съ первой половины XVI до половины XVIII вѣка (*Dominatio Graecorum in patriarchatu hierosolymitano a primo dimidio saeculi XVI usque ad dimidium saeculi XVIII*), Ib., 1897, t. II, pp. 198-215; III, 27-43; Kolokoltzev, Устройство управленія румынской православной церкви со времени ея автокефальности (*Constitutio administrativa Ecclesiae orthodoxae romenicae a tempore quo αὐτονομίαν accepit*), Kasan, 1897; Celzov, Церковь королевства сербскаго со времени пріобрѣтенія его автокефальности (*Ecclesia regni serbici ab eo tempore quo donata est autonomia*), Petropoli. 1899 (opus commendatione dignum); Kurganov, Наброски и очерки изъ новѣйшей исторіи румынской церкви (*Delineamenta et specimina recentissimae historiae Ecclesiae romenicae*), Kasan, 1899 (opus valde eruditum); Hermogenes (episcopus), Очеркъ исторіи славянскихъ церквей (*Specimen historiae Ecclesiarum slavicarum*), Petropoli, 1899; Arsenius (archim.), Лѣтопись церковныхъ событій и гражданскихъ, поясняющихъ церковныя (*Chronicon eventuum ecclesiasticorum et civilium, illustrantium res ecclesiasticas*), Petropoli, 1900; Arsenius (ep.), Изслѣдованія и монографіи по исторіи молдавской церкви (*Disquisitiones ac dissertationes in historiam Ecclesiae moldavicae*), Petropoli, 1904; Sokolov, Константинопол. церковь въ XIX вѣкѣ (*Ecclesia const. saeculo XIX*), Petropoli, 1904 (opus maximi momenti).

(1) Вліяніе православія на тысячелѣтнюю жизнь Россіи (*Influxus τῆς ὀρθοδοξίας in mille annos vitae populi russi*), Руков., 1862, t. III, pp. 1-21; 46-64; Pokrovsky, Значеніе православной церкви въ Россіи (*Momentum Ecclesiae orthodoxae in Russia*), Дух. Бесѣда, 1863, XIX, pp. 682-695; Союзъ русской народности съ православіемъ непонятный иностранцами (*Coniunctio nationalitatis*

ε' Insuper, qua par est deligentia, incumbere necesse est in studium rerum gestarum Sanctorum Cyrilli et Methodii (1). Neminem arbitror latere, quanta, et quidem debita, veneratione Slavi tam catholici, quam orthodoxi memoriam Apostolorum suae gentis prosequantur.

---

russicae cum fide orthodoxa, alienigenarum captum superans), Дух. Бес., 1867, t. I, pp. 497-504; Hertzberg, *Einige Bemerkungen über die Erhaltung der griechischen Nationalität durch die griechische Kirche, Zeitschrift für Kirchengeschichte*, Gothae, 1878, t. II, pp. 276-287; Православіе какъ опора самодержавія (*Ὀρθοδοξία, ut fulcimen regiminis absoluti in Russia*), Руков., 1895, t. I, pp. 33-40; 100-105.

(1) Innumera fere habentur scripta in russica litteratura de Sanctis Cyrillo et Methodio. Permulta citata reperies apud: N. L., Библіографическій указатель книгъ и статей о славянскихъ первоучителяхъ св. Кириллѣ и Меѳодіи (*Elenchus bibliographicus librorum ac dissertationum quae de primis apostolis Slavorum Cyrillo et Methodio agunt*), Petropoli, 1885; Токмаков, Литература о св. Кириллѣ и Меѳодіи, просвѣтителяхъ славянсвихъ (*Litteratura de sanctis Cyrillo et Methodio, apostolis Slavorum*), Mosquae, 1885; Poprujenko, Матеріалы для библіографіи по Кирилло-Меѳодіевскому вопросу (*Documenta bibliographica quae ad quaestionem sanctorum Cyrilli et Methodii spectant*), Журналъ М. Н. П., 1902, mense maio, pp. 87-125; Прав. бог. Энц., t. X, Petropoli, 1909, coll. 323-25. Cf. etiam Petrov, Пятидесятилѣтіе научной разработки славянскихъ источниковъ для біографіи Кирилла и Меѳодія (*Disquisitiones scientificae quinquaginta annos productae circa fontes slavos biographiae Sanctorum Cyrilli et Methodii*), Mosquae, 1894. Heic mentionem tantum faciemus operum, quae utilitatem praebent studiosis theologiae polemicae: Philaretus (archiep.), Кириллъ и Меѳодій, славянскіе просвѣтители (*Cyrillus et Methodius, apostoli Slavorum*), Mosquae, 1846; Св. Константинъ равно-апостольный предъ судомъ римской церкви (*S. Cyrillus, apostolis suppar, ante tribunat romanae Ecclesiae*), Дух. Бес., 1861, t. XV, pp. 540-550; Lavrovsky, Кириллъ и Меѳодій, какъ православные проповѣдники у западныхъ славянъ въ связи съ современною имъ исторіею церковныхъ несогласій между востокомъ и западомъ (*Cyrillus et Methodius, tanquam orthodoxi praedicatores apud slavos occidentales, habita ratione dissidii ecclesiastici illius aetatis inter Orientem atque Occidentem*), Kharkoviae, 1863; Память святыхъ и равноапостольныхъ Кирилла и Меѳодія въ предѣлахъ югозападнаго края Россіи (*Memoria sanctorum apostolorum Cyrilli et Methodii intra limites Russiae meridionalis-occidentalis*), Рук., 1871, t. II, pp. 10-20; 90-98; Славянскіе проповѣдники св. Кириллъ и Меѳодій (*Apostoli Slavorum sancti Cyrillus et Methodius*), Дух. Бес., 1872, t. I, pp. 217-225; 256-264; 278-280; 286-295; 317-310; Voronov, Главнѣйшіе источники для исторіи свв. Кирилла и Меѳодія (*Praecipui fontes pro historia sanctorum Cyrilli et Methodii*) Trudy K. D. A., 1876, t. III, pp. 118-225; 1877, I, 76-149; II, 143-202; 435-478; 666-731; 783-790; 1878, I, 220-245 (opus maximi momenti); Жизнь и подвиги св. Кирилла и Меѳодія, просвѣтителей славянъ (*Vita et res gestae sanctorum Cyrilli et Methodii, apostolorum slavicarum gentium*), Душеп. Чт., 1885, t. I, pp. 441-472; Korsunsky, Значеніе свв. Кирилла и Меѳодія какъ учителей народа русскаго (*Momentum sanctorum Cyrilli et Methodii tanquam apostolorum populi russici*), Чт. О. Л.,

Exploratum est etiam scriptores orthodoxos pro viribus in id tendere ut Romanos Pontifices exhibeant tanquam osores liturgiae slavicae, a beatis Cyrillo et Methodio suis neophytis comparatae; ut Methodium ipsum catholicam illius Filioque doctrinam explosisse perperam tueantur; ut sedem romanam conatibus perillustrium fratrum in Slavis ad

---

1885, t. II, pp. 417-466; Smirnov, Жизнь и дѣятельность свв. Кирилла и Меѳодія, просвѣтителей славянъ, Ib., 1885, t. I, pp. 367-398; Serebrennikov, Отношеніе свв. Кирилла и Меѳодія къ западной Церкви (*Relationes sanctorum Cyrilli et Methodii ad Ecclesiam occidentalem*), Ib., t. I, pp. 287-330; 467-503; II, 309-347; 470-526; Golubinsky, Святые Константинъ и Меѳодій, первоучители славянскіе, Приб., 1885, t. II, pp. 160-228; Voskresensky, Шысячелѣтіе памяти св. Меѳодія, арх. Моравскаго (*Millesimus anniversarius mortis S. Methodii, archiepiscopi Moravorum*), Ib., pp. 229-252; Tzarevsky, Значеніе просвѣтительныхъ трудовъ свв. Кирилла и Меѳодія въ славянской жизни и исторіи (*Momentum laborum apostolicorum sanctorum Cyrilli et Methodii in vita et historia Slavorum*), Пр. Соб., 1885, t. I, pp. 405-452; Popov, Свв. Меѳодій и Кириллъ, равноапостольные первоучители славянъ, Ib., 1885, t. I, pp. 453-460; Жизнь и подвиги свв. Кирилла и Меѳодія, просвѣтителей Славянъ, Душ. Чтеніе, 1885, t. I, pp. 441-472; Malychevsky, Свв. Кириллъ и Меѳодій, Trudy K. D. A., 1885, t. II, pp. 84-121; 149-208; 380-419; 536-581; III, 49-105; 275-310; 424-469; 1886, III, 549-586; Id., Судьба славянской церкви въ Моравіи и Панноніи при ученикахъ свв. Кирилла и Меѳодія (*Fata Ecclesiae slavicae in Moravia et Pannonia, tempore quo ei praeerant discipuli Sanctorum Cyrilli et Methodii*), Ib., 1886, t I, pp. 417-456; II, 73-110; 198-230; Markov, Жизнь и апостольски-подвижническіе труды свв. Кирилла и Меѳодія, Странникъ, 1885, t. I, pp. 563-579; N. P., Просвѣтители славянъ и славянское богослуженіе (*Apostoli Slavorum, et liturgia slavica*), Ib., pp. 601-613; A. N., Отношеніе папства къ дѣлу славянскихъ первоучителей во время блаженной кончины св. Меѳодія (*Quomodo se habuerit sedes romana ad negotia apostolorum Slavorum tempore beatae mortis S. Methodii*), Ib., pp. 614-633; Кирилло-Меѳодіевская идея въ современномъ западномъ славянствѣ (*Idea Sanctorum Cyrilli et Methodii in hodierno slavismo occidentali*), Ib., pp. 634-649; Budilovitch, Свѣточи восточнаго православія (*Luminaria Orientis orthodoxi*), Ib., t. II, pp. 195-208; Budilovitch, Меѳодіевскій юбилейный сборникъ, Varsoviae, 1885; Baratza, Кирилло-Меѳодіевскіе вопросы, Trudy D. K. A., 1891, t. II, pp. 283-333; 606-680; Poprujenko, Замѣтки по кирилло-меѳодіевскому вопросу (*Adnotationes in quaestionem cyrillo-methodianam*), Лѣтопись Societatis historicae philologicae universitatis Odessae, sectio byz., t. I, 1892, pp. 43-64; Iatzkovsky, Хазарская миссія Свв. Кирилла и Меѳодія (*Missio chazarica sanctorum Cyrilli et Methodii*), Вѣра и Разумъ, 1893, t. II, pp. 49-66; Petrov, Спорные вопросы миссіонерской дѣятельности св. Кирилла Философа на Востокѣ (*Quaestiones controversae circa labores apostolicos S. Cyrilli philosophi in Oriente*), Odessae, 1894; Nedielsky, Хозарская миссія свв. Кирилла и Меѳодія (*Missio chazarica Sanctorum Cyrilli et Methodii*), Русская бесѣда, 1895, mense aug., pp. 1-22. Missa fecimus opera quae referuntur ad studia litteraria Sanctorum Cyrilli et Methodii, versionem slavicam Sacrarum Scripturarum ab eis concinnatam, et liturgiam slavicam.

fidem christianam adducendis semel atque iterum obicem posuisse eosque persequutam fuisse fabulentur (1). Pro tempore eorum obiecta diluemus. In praesens satis habeo memorasse slavos catholicos, verbigratia Bohemos, Croatas, Slovenos, romana sede favente, politioris humanitatis fastigium quam Slavos orthodoxos attigisse, fidemque romanam professos, nullum in ea nactos fuisse obstaculum, ut suae stirpis traditiones, mores, aspirationes servarent atque evolverent.

ς′ Denique inquiramus oportet in tentaminum historiam quae labentibus saeculis renovata fuere, ut schisma tolleretur (2). Ex huiusmodi enim disquisitionibus palam tibi fiet Romanos Pontifices sedulo adlaborasse ut scissa Ecclesiae unitas instauraretur, lubenter quidquid vel doctrinae a Deo revelatae, vel inconcussis fundamentis constitutionis catholicae Ecclesiae non refragaretur, orientalibus Ecclesiis unionem cum sede romana appetentibus concessisse, summaque charitate et benignitate in eos sese gessisse.

Praeterea liquidissimum evadet plus vice simplici christianos orthodoxos foedus unionis cum Romana sede pepigisse, quin ullum suae vitae nationali detrimentum intulissent. Immo dicendum est, maxima in eos beneficia hancce unionem comparasse, ut Ecclesiarum unitarum armenicae ac romenicae historia satis abunde testatur. Equidem verum est unitos interdum dira passos fuisse, praesertim Ruthenos sub dominatione polonica, quo fit ut lamentationibus acerbissimis a scriptoribus tam lutheranis quam orthodoxis complorentur fata unionis brestensis, quae, ut aiunt, politicis tantum inserviit fraudibus Polonorum, Ruthenica Ecclesia ut suae dominationis politicae instrumento abutentium. Audiatur Hokstonus: « Iesuitae irruerunt in orientalis Ecclesiae Ruthenos furore ferino, ut subscriberent unioni detestabili, et amplecte-

(1) Audiatur metropolita Bryennius: *Οἱ σλαῦοι ὀφείλουσιν ἀληθῶς τῇ ῥωμαϊκῇ Ἐκκλησίᾳ πολλά, ἀλλὰ ταῦτά εἰσι τὰ ἐναντίον αὐτῶν τε καὶ τῶν ἱερῶν αὐτῶν διδασκάλων Κωρίλλου τε καὶ Μεθοδίου ἀναθέματα τῶν Παπῶν* (!), *καὶ τῶν συνόδων αὐτῶν, πρὸς διασιροφὴν καὶ ἐξαφάνησιν τῶν ἱερωτάτων αὐτῶν πραγμάτων, εἰσὶν οἱ ἀμείλικτοι διωγμοὶ κατὰ τῆς πρώτης αὐτῶν πίστεως καὶ λατρείας, οἱ ἀμείλικτοι διωγμοὶ κατὰ τῆς γλώσσης αὐτῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, οἱ ἀμείλικτοι διωγμοὶ κατὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς αὐτῶν ἐλειθερίας καθόλου. — Πάπα Λέοντος ΙΓ′ ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς ἔλεγχος. Ἐκκλ. Ἀλ.*, 1881, t. II, p. 345.

(2) Horum tentaminum historiam conscripsit A. Katansky: Исторія попытокъ къ соединенію Церквей греческой и латинской въ первые четыре вѣка по ихъ раздѣленіи, Petropoli, 1868. Cf. etiam Gedeon, *Συμβολαὶ εἰς τὴν ἱστορίαν τῶν μεταξὺ τῶν Ἐκκλησιῶν σχέσεων*, Ἐκκλ. Ἀλ., t. VIII, 1887, pp. 330-332; 338-340; 345-348; 352-356; 369-371; 376-378; 484-386; IX, 1888, 117-118; 139-140; 148-152; 175-176; 236-240.

rentur latinitatem. Vide ibi oppressos omnibus modis omnes, deceptas mulieres, trucidatos sacerdotes, rebaptizatos infantes, ut expungerent ipsam graecitatem. Plena fuere ergastula, consumptae catenae a saevientibus more frementium bestiarum iesuitis contra fideles Christi famulos, orientalis Ecclesiae subditos, cuius odio irritati illi diabolici homines etiam cadavera rebaptizarunt. Nota est historia ex Nectario rebaptizati a quodam iesuita cadaveris Cnesi Basilii, ut filiam eius, quam ad papisticam idolomaniam pertraxerat consolaretur » (1).

Dira quae tulerunt Rutheni uniti sub dominatione polonica graphice describunt recentiores polemistae graeci, ut suos lectores orthodoxos odio afficiant adversus catholicam Ecclesiam, eisque suadeant romanam Ecclesiam promissa unitis data non persolvisse (2).

Quae vera in hoc rerum capite comperiuntur fateri necesse est, idque iam praestarunt clarissimi scriptores catholici, quos inter memi-

(1) Comnenus Papadopulos, *Adversus haereticam epistolam Iohannis Hokstoni responsio*, Venetiis, 1703, p. 162.

(2) Satis habeo duo excerpta ex graecis fontibus afferre: *Ἰησουῖται, μεθ'ὅλας τὰς συμφωνίας τῶν ἀντιπροσώπων τῆς ἐκκλησιαστικῆς καὶ πολιτικῆς ἀρχῆς ἐπὶ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ συνόδου, οἱ τῆς Ἐκκλησίας ὅμως ἀρχηγοί, ἰησουῖται, μετὰ τῶν ἀρχηγῶν τῆς πολιτείας Πολωνῶν, ἐπίσης καθολικῶν, συνεφώνησαν πρὸς ὄφελος ἀμφοτέρων τῶν μερίδων νὰ φέρωσιν εἰς πέρας τὸ ἀρξάμενον καὶ ἤδη ἐν τῷ μέσῳ εὑρισκόμενον ἔργον αὐτῶν, τὴν ἐκλατίνησιν τῶν ἐν τῇ Πολωνίᾳ ῥώσσων οὐνιτῶν· καθολικὸς καὶ πολωνὸς τοσοῦτον στενῶς συνδέονται, ὥστε τὸ ὄνομα πολωνὸς συμπίπτει θρησκευτικῶς μετὰ τοῦ ὀνόματος καθολικός, ἡ δ'ἐκλατίνησις τῶν ἐν τῇ Πολωνίᾳ Ῥώσσων οὐνιτῶν ἤθελε συνεπαγάγῃ καὶ τὴν ἐκπολώνισιν αὐτῶν. — Ἔκκλησις πρὸς τὸν πάπαν Λέοντα ΙΓ', Ἐκκλ. Ἀλ.* t. V, 1884, p. 69. — *Ὁποῖαι δέ εἰσιν διὰ τοὺς ὀρθοδόξους αἱ παπικαὶ εὐλογίαι καὶ ὑποσχέσεις ἐν τῇ πρακτικῇ αὐτῶν ἐφαρμογῇ, περὶ τούτου εὐγλώττως μαρτυροῦσιν οἱ χρόνοι τῆς διαρκείας τῆς ἑνώσεως. Διὰ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν δὲν εὑρίσκετο ἱκανῶς ἐπονείδιστος ἐπίκλησις· ὠνόμαζον αὐτὴν οὐ μόνον σχισματικὴν καὶ δουλικὴν πίστιν, ἀλλὰ μάλιστα ἀρειανικὴν καὶ κυνικήν. Ἡ Οὐκραΐνα καὶ Μπελορώσια ἐκαλοῦντο χῶραι ἀπίστων. Αἱ Ἐκκλησίαι, τὰ μοναστήρια μετὰ τῶν κτημάτων καὶ γαιῶν αὐτῶν, ἔτι δὲ ὁλόκληροι ἐπαρχίαι ἁφηροῦντο ἀπὸ τῶν ὀρθοδόξων, οἱ δὲ ἀνθιστάμενοι συνελαμβάνοντο, ἐρρίπτοντο εἰς τὰς φυλακάς, καθυπεβάλλοντο εἰς βασάνους καὶ δὴ καὶ ἐφονεύοντο. Τὰς ἐρθοδόξους Ἐκκλησίας συχνάκις ἐμίσθουν τοῖς Ἰουδαίοις, οἵτινες ἐλάμβανον παρὰ τῶν ὀρθοδόξων παρανόμους μισθούς δι'ἑκάστην λειτουργίαν, καὶ τελετήν. Ἐνίοτε αἱ ὀρθόδοξοι ἐκκλησίαι μετεβάλλοντο εἰς πανδοκεῖα, καπηλεῖα, βουστάσια, ἢ ἐπυρπολοῦντο. Ἐξαιρέτως ὑπεβάλλετο εἰς κακώσεις καὶ τυραννίας τὸ ὀρθόδοξον ἱερατεῖον. Δὲν ἀπετέλουν τούτου ἐξαίρεσιν καὶ οἱ ἐπίσκοποι. — Νεωτάτη ἀπάντησις εἰς τὰς παλαιὰς καὶ νέας πλάνας τῆς Ῥώμης. Ἐκκλ. Ἀλ.*, t. XVI, 1896, pp. 53-54. Cf. etiam Schirmer, *Der Anteil der Iesuiten und der katholischen polnischen Hierarchie an die Leidensgeschichte der Ruthenen und besonders der Uniaten in Galizien*, *Revue Internationale de Théologie*, 1904, t. XII, pp. 84-93; 281-304.

nisse iuvabit Tondini (1). At sua sponte fluit in hisce luctuosis humanae politicae facinoribus romanam Sedem in iudicium arcessendam non esse, quippe quae, ut luculenter testantur documenta pontificia in Ruthenorum unitorum defensionem saepe saepius promulgata, omnibus nervis contendit ut catholici ritus slavici suppares haberentur catholicis ritus latini (2).

(1) *La Russia e l'unione delle Chiese*, Romae, 1895. In historia unionis Brestensis enarranda veritatem historicam sine ambagibus tuiti sunt: Malinovsky, *Die Kirchen-und Staats-Satzungen bezüglich des griechisch-katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Leopoli, 1861; Likowsky, *Union de l'Église grecque-ruthène en Pologne avec l'Église romaine, conclue à Brest, en Lithuanie, en 1596*, Parisiis; *Geschichte des allmäligen Verfalls des unirten ruthenischen Kirche im XVIII Iahrhundert unter polnischem und russischem Scepter*, Cracoviae, 1903.

(2) Quum praecipuae obiectiones historicae adversus unionem Ecclesiarum ex luctuosis conditionibus Ruthenorum unitorum sub dominatu polonico depromantur, plurima heic recensemus orthodoxorum scripta, quae ad hanc provinciam pertinent: Nicephorus Theotokis, *Ἀπόκρισις ὀρθοδόξου τινὸς πρός τινα ἀδελφὸν ὀρθόδοξον περὶ τῆς τῶν κατολίκων δυναστείας, καὶ περὶ τοῦ τινες οἱ σχῖσται καὶ οἱ σχισματικοὶ καὶ οἱ ἐσχισμένοι, καὶ περὶ τῆς βαρβαρικῶς λεγομένης Οὐνίας καὶ τῶν Οὐνίτων, καὶ περὶ τοῦ πῶς δεῖ τοὺς ὀρθοδόξους ἅπαντᾶν τῇ τῶν κατολίκων τυρανίᾳ*, Halae, 1775; Corcyrae, 1851; Athenis, 1853; Kamensky, Извѣстіе возникшей въ Польшѣ уніи, съ показаніемъ начала и важнѣйшихъ въ продолженіи оной чрезъ два вѣка приключеній, также о бывшемъ отъ римлянъ и уніатовъ на благочестивыхъ тамошнихъ жителей гоненіи (*Notitia historica de unione quae in Polonia exorta est, de eius origine, ac fatis duorum saeculorum intervallo, nec non de persecutionibus quas fideles orthodoxi passi sunt a latinis atque unitis*), Mosquae, 1805 (opus, quod suum momentum non amisit); О возсоединеніи уніатовъ съ православною церковію въ россійской имперіи (*De renovata unitorum cum Ecclesia orthodoxa unione in imperio russico*), Petropoli, 1839; Flerov, О православныхъ церковныхъ братствахъ, противоборствовавшихъ уніи въ югозападной Россіи въ XVI, XVII и XVIII вв. (*De sodalitatibus ecclesiasticis orthodoxis, quae cum unitis decertarunt in Russia meridionali atque occidentali saeculis XVI, XVII et XVIII*), Petropoli, 1857; Ivanichev, Свѣдѣнія о началѣ уніи (*Notitiae circa initium unionis*), Mosquae, 1858; Koialovitch, Литовская церковная унія (*Unio ecclesiastica lithuana*), Petropoli, 1861 (opus maximi momenti); Взглядъ на состояніе уніатской церкви со времени возвращенія въ Россіи Бѣлоруссіи (*Conspectus conditionum Ecclesiae unitae tempore quo Russiae restituta est alba Russia*), Дух. Бесѣда, 1861, t. XV, pp. 204-216; Ambrosius (arch.), Взглядъ православнаго на Замосцьскій соборъ, бывшій въ 1720 году (*Considerationes scriptoris orthodoxi circa synodum habitam in civitate Zamosciae, anno 1720*), Trudy K. D. A., 1862, t. III, pp. 396-427; Объ употребленіи уніатскихъ богослужебныхъ книгъ въ православныхъ церквахъ западнаго края (*De usu librorum liturgicorum unitorum in Ecclesiis orthodoxis Russiae occidentalis*), Воск. Чтеніе, 1803, t. XXVI, pp. 1268-1278; Malychevsky, Правда объ уніи (*Veritas circa unionem*), Ib., 1864, t. XXVII, pp. 522-539; 556-564; 568-585; Ambrosius (archim.), Нѣчто объ унитскомъ духовенствѣ въ царствѣ польскомъ

Denique ex historia tentaminum unionis, ditissima colligitur ma-materiarum sylva ad capita controversa theologiae atque orthodoxae discutienda. Acta enim conciliorum vel conventuum, in quibus disceptatum est de capitibus illis controversis doctissimas interdum exhibent

---

(*Quaedam de clero unito in regno Poloniae*), Рук., 1864, t. III, pp. 27-36; Кіево-печерская лавра и унія въ исторіи юго-западнаго края въ Россіи (*Λαύρα kioviensis, pecerskaia dicta, et unio in historia Russiae meridionalis atque occidentalis*), Воск. Чт., 1864, XXVII, pp. 740-749; 768-780; 790-801; 819-828; 843-850; 864-878; 887-893; Документа объясняющіе исторію западно-русскаго края и его отношенія къ Россіи и къ Польшѣ (*Documenta illustrantia historiam Russiae occidentalis in relationibus ipsius ad Russiam atque ad Poloniam*), Petropoli, 1865 (Sylloges maximi momenti); Govorsky, Іосафатъ Кунцевичъ, полоцкій уніатскій архіепископъ (*Iosaphat Kuntzevitch, archiepiscopus unitus polocensis*), Vilnae, 1865; Khoinatzky, Поврежденіе богослужебныхъ книгъ у уніатовъ (*Corruptio librorum liturgicorum apud unitos*), Рук., 1865, t. I, pp. 222-230; 252-262; Обозрѣніе уніатскихъ богослужебныхъ книгъ (*Conspectus librorum liturgicorum unitorum*), Хр. чт., 1866, t. I, pp. 364-395; Popov, Нѣсколько документовъ, относящихся къ началу возсоединенія уніатовъ (*Quaedam documenta spectantia originem reditus unitorum ad Ecclesiam orthodoxam*), Жур. м. н. пр., 1869, CXLIII, pp. 265-288; Tolstoi, Іосифъ, митр. Литовскій, и возсоединеніе уніатовъ съ православною церковію въ 1839 (*Ioseph, metropolita Lithuanorum, et reditus unitorum ad Ecclesiam orthodoxam anno 1839*), Petropoli, 1869; Petrov, Объ учрежденіи Ипатіемъ Поцѣемъ уніатской капитулы во Владимирѣ Волынскомъ и первоначальныхъ ея дѣйствіяхъ (*De institutione per Hypatium Potiei primi capituli unitorum Vladimiriae in Volhynia, ac de primis rebus gestis ipsius*), Trudy K. D. A., 1869, t. II, pp. 498-539; Petrov, Очеркъ исторіи базиліанскаго ордена въ бывшей Польшѣ (*Specimen historiae ordinis basiliani in vetusta Polonia*), Ib., 1870, 1871, 1872; Khoinatzky, Западно-русская церковная унія въ ея богоустроеніи и обрядахъ (*Unio ecclesiastica Russiae occidentalis in ipsius liturgia et ritibus*), Kioviae, 1871; Kotalovitch, Исторія возсоединенія западно-русскихъ уніатовъ старыхъ временъ (*Historia reditus ad Ecclesiam orthodoxam veterum unitorum Russiae occidentalis*), Petropoli, 1874 (opus maximi momenti); Popov, Судьбы уніи въ русской Холмской епархіи (*Fata unionis in eparchia Chelminensi*), Mosquae, 1874; Kulin, Два отступника (*Duo apostatae: Iosaphat Kuntzevitch et Meletius Smotriscius*), Чт. о. л., 1877, t. I, pp. 342-411; Levitzky, Аѳанасій Филиповичъ, игуменъ Брестъ-Литовскій, и его дѣятельность въ защиту православія противъ уніи (*Athanasius Philippovitch. ἡγούμενος brestensis, eiusque res gestae pro tuenda ὀρθοδοξίᾳ contra unitos*), Kioviae, 1878; S. B., Попытки къ соединенію уніатовъ съ православными, бывшія въ первой половинѣ XVII столѣтія (*Tentamina pro revocandis unitis ad Ecclesiam orthodoxam, habitis primo dimidio saeculi XVII*), Рук., 1878, t. I, pp. 56-65; 153-165; 171-178; 471-483; Князъ Черкасскій и Холмскіе греко-уніаты (*Priaceps Tcherkassky, et graeco-uniti provinciae Chelminensis*), Mosquae, 1879; Popov, Матеріалы для исторіи церковной уніи въ юго-западной Руси (*Documenta spectantia ad historiam unionis ecclesiasticae in Russia meridionali atque occidentalis*), Mosquae, 1879; Malychevsky, Правда объ уніи православныхъ христіанамъ (*Veritas circa unionem*

disquisitiones studiosis theologiae polemicae maxume profutura. Imprimis acta concilii florentini pervolutanda, quae subtilissimas argumentationes congerunt ad controversiam illius Filioque enodandam, Graecorumque obiecta diluenda. Concilium florentinum maximum sibi

---

christianorum orthodoxorum), Varsoviae, 1880; Macarius (metr.), Первое двадцатипятилѣтіе церковной уніи въ западно-русскомъ краѣ (*Vigesimus quintus anniversarius dies unionis ecclesiasticae in Russia occidentali*), Приб., 1880, t. XLVII, pp. 1-63; 203-308; 521-607; Khoinatzky, Православіе и унія въ лицѣ двухъ своихъ защитниковъ, преп. Іова Почаевскаго и Іосафата Кунцевича (*Ὀρθοδοξία et unio; illius atque huius defensores beatus Iob ex Pociaevo, et Iosaphat Kuntzevitch*), Trudy K. D. A., 1882, t. II, pp. 409-426; III, 52-72; Gedeon, *Οἱ σύνδεται, Ἐκκλ. Ἁλ.*, 1882, t. III, pp. 676-677; 689-690; 693-696; Cistovitch, Уніатская церковь въ Россіи при имп. Николаѣ (*Ecclesia unita in Russia sub imperatore Nicolao I*), Пр. Обозр., 1881, t. I, pp. 79-101; 724-761; Nedielsky, Уніатскій митр. Левъ Кишка и его значеніе въ исторіи уніи (*Metrop. unitus Leo Kichka, eiusque momentum in historia unionis*), Vilnae, 1883; Dachkevitch, Первая унія юго-западной Руси съ католичествомъ (*Prima unio Russiae meridionalis atque occidentalis cum catholicismo*), Kioviae, 1884; Levitzky, Ипатій Потѣй, кіевскій уніатскій митр., Petropoli, 1885; Kedrov, Литовскій митр. Іосифъ Сѣмашко по возсоединенію уніатовъ (*Ioseph Siemachko, metr. Lithuaniae et reditus unitorum ad Ecclesiam orthodoxam*), Пр. об., 1887, t. III, pp. 546-610; Korsunsky, Возсоединеніе уніатовъ и Филаретъ митр. Московскій (*Reditus unitorum ad Ecclesiam orthodoxam ac Philaretus metropolita mosquensis*), Приб., 1889, t. II, pp. 112-199; Bobrovsky, Русская греко-уніатская церковь въ царствованіе имп. Алекс. I (*Graeco-unita Ecclesia russica, imperante Alexandro I*, Журн. м. н. п., 1889, CCLXIII-V, pp. 282-338; 20-56; 259-304; 85-123; 214-266; 66-134; 305-379; Tolstoi, Преп. Аѳанасій Бретскій (*Beatus Athanasius Brestensis*), Дух. Чт., 1889, t. III, pp. 458-473; Какъ защищали свою вѣру и народность православные юго-западной Россіи въ періодъ введенія и распространенія среди нихъ уніи во 2-го половину XVI и въ XVII столѣт. (*Quomodo tuiti sunt suam fidem et patriam orthodoxi Russiae meridionalis atque occidentalis ea aetate qua introducta est et propagata inter eos unio, altero dimidio saeculi XVI et saeculo XVII*), Рук., 1892, t. II, pp. 469-479; III, 166-177; 1893, III, 221-226; 1894, I, 226-232; Golubev, Матеріалы для исторіи западно-русской церкви (*Documenta illustrantia historiam Ecclesiae Russiae occidentalis*), Kioviae, 1893, Runkevitch, Исторія минской архіепископіи съ подробнымъ описаніемъ хода возсоединенія западно-русскихъ уніатовъ съ православною церковью (*Historia archiepiscopatus miscensis, adiecta descriptione reditus unitorum ad Ecclesiam orthodoxam*), Petropoli, 1893; Sargin, Шрехстолѣтный юбилей бретской уніи (*Tertius centenarius unionis brestensis*), Душ. чт., 1896, t. III, pp. 227-240; Bielaiev, Принесла ли кому нйбудь какую-нйбудь пользу Бретская унія (*Attulitne cuiquam emolumentum quoddam unio brestensis*) Вѣра и раз., 1896, t. II, pp. 366-374; Titov, Западная Русь въ борьбѣ за вѣру и народность (*Russia occidentalis in certamine pro fide et nationalitate*), Petropoli, 1897; Id., Русская православная церковь въ Польско-литовскомъ государствѣ въ XVII-XVIII вв. (*Ecclesia russica orthodoxa in regno polonico-lithuanico saeculis XVII et XVIII*),

vindicat momentum in historia tentaminum unionis, quapropter theologis catholicis onus incumbit extra omnem dubitationis aleam ponendi legitime idipsum convocatum fuisse, nullam violentiam in Graecos exercitam, ut inviti sese subjicerent placitis romanae sedis, nec non graecos episcopos sua sponte subscripsisse decreto unionis in eo concinnato (1). Haec pertractanda nobis videntur ut refellere valeamus scriptores orthodoxos, qui, Sylvestro Syropulo praeeunte, concilium florentinum omni genere maledictorum lacessivere, tanquam fraudum insidiarumque conventum, ad Ecclesiam ac genus Graecorum funditus evertendum (2).

Kioviae, 1905-1897 (opus maximi momenti); Papkov, Положеніе православія и русской народности въ Литвѣ до XVII вѣка *(Conditiones τῆς ὀρθοδοξίας et russicae nationalitatis in Lithuania usque ad saeculum XVII)*, Bог. вѣст., 1899, t. I, 1899, pp. 191-220; 320-358; Kharlampovitch, Іосифъ Кунцевичъ, архіепископъ суздальскій *(Iosephus Kuntzevitch, archiepiscopus susdaliensis)*, Pociaev, 1900; Goriutcho, Изъ исторіи возсоединенія уніатовъ въ Бѣлоруссіи *(Quaedam excerpta ex historia reditus unitorum Albae Russiae ad Ecclesiam orthodoxam)*, Trudy K. D. A., 1902, t. II, pp. 159-234; 514-522; Iukovitch, Сеймовая борьба православнаго западно-русскаго дворянства съ церковніей уніи *(Certamen virorum nobilium orthodoxorum Russiae occidentalis in senatu adversus unionem)*, Petropoli, 1901, 1903, 1906, 1908 (opus maximi momenti).

(1) Scriptores orthodoxi generatim asserunt concilium florentinum legitimum non esse: *Ἡ ἕνωσις τῶν Ἐκκλησιῶν, ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ γενομένης, ἐγένετο οὐχὶ κατὰ πεποίθησιν, παρανόμως ἐκυρώθη, καὶ νομίμως ἀπεκηρύχθη.* — *Εὐ. Κῆρυξ*, 1860, t. IV, p. 552; Христ. Чтеніе, 1896, t. I, p. 201.

(2) Opus Syropuli in lucem edidit Robertus Creyghton hocce titulo insignitum: *Vera historia unionis non verae inter Graecos et latinos, sive concilii florentini exactissima narratio*, Hagae Comitis, 1660. Allatius mendacia auctoris refellit in opere: *In Roberti Creyghtoni apparatum, versionem et notas ad historiam concilii florentini scriptam a Sylvestro Syropulo de unione inter graecos et latinos exercitationes*, Romae, 1665. De opere Syropuli hocce iudicium tulit cl. Lequien: Multa Syropulos in narratione sua comminiscet, quae cum sincerissimis, quae tam graece quam latine prae manibus habemus actis, maxime pugnant. — *Panoplia adversus schisma Graecorum*, p. 395. De fontibus eiusdem operis. Cf. Frommann, *Kritische Beiträge zur Geschichte der florentiner Kirchenvereinigung*, Halae, 1872. pp. 52-86; Warschauer, *Ueber die Quellen zur Geschichte des florentiner Concils*, Vratislaviae, 1881, pp. 17-22. — De concilio florentino haec potissimum habentur in litteratura orthodoxa: Smirnov, Исторія о достопамятномъ флорентійскомъ соборѣ по части уніи *(Historia de concilio florentino, memoria dignissimo, pro unione Ecclesiarum)*, Petropoli, 1805; Gorsky, Исторія Флорентійскаго собора *(Historia concilii florentini)*, Mosquae, 1847 Prilejov, *Études sur le concile de Florence*, Union chrétienne, Parisiis, 1863, t. III, p. 123 et ssq.; *Ἱστορία τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ συνόδου, Εὐ. Κῆρυξ*, t. III, 1860, pp. 129-140; 504-522; IV, 175-186; 304-315; 363-368; 540-552; Calligas, *Ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος, Μελέται καὶ λόγοι*, Athenis, 1882, pp. 3-180. Sadov, Виссаріонъ

5. Ius canonicum scientiam perquam necessariam studiosis theologiae polemicae aestimandam, facile agnoscent quotquot plane hospites non fuerint in provincia theologiae orthodoxae, ac metodo disceptandi, quae apud scriptores orthodoxos obtinuit (1). Ex canonibus enim legibusque veteris Ecclesiae, veluti ex reposito thesauro, scriptores orthodoxi hauriunt argumenta, quibus indoctis persuadere annitantur Romanos Pontifices ab imis radicibus extirpasse constitutionem Ecclesiae

---

Никейскій, его дѣятельность на Ферраро-Флорентійскомъ соборѣ, богословскія сочиненія и значеніе въ исторіи гуманизма (*Bessarion ex Nicaea, eius res gestae in concilio florentino, scripta theologica et momentum in historia humanismi*), Petropoli, 1883 (opus maximi momenti); Delektorsky, Флорентійская унія и вопросъ соединеніи церквей въ древней Руси (*Unio florentina, et quaestio de unione Ecclesiarum in antiqua Russia*), Странникъ, 1893, t. III, pp. 56-85; 236-259; 442-458; Id., Критико-библіографическій обзоръ древне-русскихъ сказаній о флорентійской уніи (*Conspectus atque examen critico-bibliographicum veterum narrationum russicarum de unione florentina*), Журн. м. н. п., 1885, CCC, pp. 131-184; Popescu, *Conciliul de la Florența, Biserica ort. română*, 1898, t. XXII, pp. 13-22; 153-166; 391-307; 647-662; 753-761; 902-910; Id., *Biserica rusă după unirea de la Florența*, Ib., 1899, XXIII, pp. 284-294; 410-415.

(1) Haec habentur praecipua compendia iuris canonici apud orthodoxos: Ioannovitch, Начатки церковнаго права древныя восточныя церкве по книзѣ кормчей (*Principia iuris ecclesiastici veteris orthodoxae orientalis Ecclesiae secundum commune directorium*), Neoplantae ad Petrovaradinum (Novi Sad), t. I, 1841; II, 1847; Skvortzov, Записки по церковному законовѣдѣнію (*Compendium scientiae legislationis ecclesiasticae*), Kioviae, 1848; 4ª editio, 1871; Iohannes (arch.; deinceps ep. Smolensk), Опытъ курса церковнаго законовѣдѣнія, t. Γ. Petropoli, 1851; t. II, 1852. De eo. Cf. Prokochev, Каноническіе труды Іоанна епископа смоленскаго, Kasan, 1895, pp. 37-105; Neokles, *Τὸ κανονικὸν δίκαιον τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου τῶν Ἱεροσολύμων ἐπὶ τῆς ἀρχιεπισκοπῆς Σινᾶ, ἐπιμαρτυρούμενον ὑπὸ ἐπισήμων ἐκκλησιαστικῶν ἐγγράφων*, Constantinopoli, 1868; Sokolov, Введеніе въ церковное право (*Introductio in ius ecclesiasticum*), Mosquae, 1874; Id., Лекціи по церковному праву (*Praelectiones iuris canonici*), Ib., 1875; Siaguna, *Compendiu de Dreptul canonic*, Sibiu, 1868, 1885. (Extat etiam germanice, russice et serbice); Albov, Краткій курсъ лекцій по церковному праву (*Brevis cursus praelectionum iuris canonici*), Petropoli, 1882; Bogoslovsky, Курсъ общаго церковнаго права (*Cursus iuris canonici generalis*), Mosquae, 1885; Berdnikov, Краткій курсъ церковнаго права православной греко-россійской церкви съ указаніемъ главнѣйшихъ особенностей каноническаго и протестантскаго права (*Brevis cursus iuris canonici Ecclesiae orthodoxae graeco-russicae, adiecta mentione eorum quae propria sunt iuris canonici tam catholicorum quam protestantium*), Kasan, 1888; De hocce compendio fuse disseruit Suvorov, Юридическій Вѣстникъ, 1888, n. 8, pp. 520-550. Exstat etiam romenice, et permagni habetur; Id., Дополненіе къ краткому церковнаго права (*Complementum brevi cursui iuris canonici*), Kasan, 1889; Lachkarev, Право церковное въ его основахъ, видахъ и источникахъ (*Jus ecclesiasticum in eius fundamentis, formis et fontibus*),

a Christo Apostolisque acceptam, eamque ad instar ethnicae compaginis imperii romanii deformasse. Studium iuris canonici maxime conferre ad rectam rationem theologiae polemicae provehndam, hisce ostenditur rationibus:

Kioviae, 1886; Suvorov, Курсъ Церковнаго права (*Cursus iuris canonici*), t. I, Iaroslaviae, 1889; t. II, 1890 (Opus eruditissimum et maximi momenti, quod Berdnikov insimulat protestantismi, Ostroumov vero catholicismi. De eo disseruere Zaozersky, Нѣмецкій духъ въ русской наукѣ церковнаго права (*Spiritus germanicus scientiam iuris canonici russici informans*), Прав. Обозрѣніе, 1889, t. II, pp. 625-657; Berdnikov, Новые опыты курса православнаго церковнаго права (*Nova specimina iuris canonici orthodoxi*), Kasan, 1890; Pievtzov, Церковное право, Petropoli, 1892; Milach, Православно-црквено право по опчимъ црквено правнимъ изборима и посебним законским наредбана које важе у појединим автокефалним црквама (*Ius ecclesiasticum orthodoxum, depromptum ex communibus fontibus iuridicis Ecclesiae, nec non ex legibus particularibus, quae vim habent in Ecclesiis autocephalis*), Mostar, 1890; 1902. Extat etiam germanice, russice, graece. Opus maximi momenti, quod acriter adortus est scriptor graecus infimi subsellii, archimandrita Ezechiel Velanidiotes: *Ἔλεγχος τῆς συγγραφῆς καὶ μεταφράσεως τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου τοῦ* Milasch, Athenis 1907; Pocitan, *Compendiu de drept bisericesc al bisericeĭ orthodoxe, comparativ cu bisericile latina*, Bucharestii, 1892; Ostroumov, Введеніе въ православное церковное право (*Introductio in ius canonicum orthodoxum*), Kharkoviae, 1893. Opus maximi momenti, valde eruditum, catholicae tamen Ecclesiae infensissimum. De eo disseruit Gromoglasov, Новый трудъ по наукѣ православнаго права, Чтенія об. л. 1894, t. I, pp. 212-46; Apostolos Christodulos, *Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου*, Constantinopoli, 1896; Sakellaropulos, *Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας μετὰ τοῦ ἰσχύοντος νῦν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Πατριαρχείου καὶ ἐν Ἑλλάδι*, Athenis, 1898; Suvorov, Учебникъ церковнаго права (*Manuale iuris canonici*), Iaroslaviae, 1898; Mosquae, 1902; Krasnojen, Краткій очеркъ церковнаго права (*Parvum specimen iuris canonici*), Dorpati, 1900; 1907; Berdnikov, Основныя начала церковнаго права православной Церкви (*Principia fundamentalia iuris canonici Ecclesiae orthodoxae*), Kasan, 1902; Pavlov, Курсъ церковнаго права (*Cursus iuris canonici*), Serghievo, 1902. Opus maximae auctoritatis. De eo disseruit Suvorov, Журналъ м. н. п., 1903, ian., pp. 145-179. De vita et scriptis auctoris disseruit Krasnojen, Визант. Временникъ, t. XV, 1908, pp. 204-226. Cf. etiam Бог. Вѣстникъ, 1898, t. III, pp. 331-355; Theodorian, *Dreptul canonic oriental cu adnotaţiuni şi comentarii*, Bucharestii, t. I, 1905; t. II, 1906; t. III, 1907 (opus parvi momenti); Mirles, Краткій курсъ церковнаго права, составленъ примѣнительно къ университетской программѣ по учебнику П. Суворова, и позднѣйшимъ узаконеніямъ (*Brevis cursus iuris canonici, excerptus potissimum ex compendio Suvorovi, novisque decretis auctus*), Kioviae, 1908. — Ad ius canonicum generatim vel historice, vel in suis fontibus spectatum haec praesertim opera pertinent: Rosenkampf, Обозрѣніе Кормчей книги въ историческомъ видѣ (*Conspectus russici πηδαλίου in sua forma historica*), Mosquae, 1829; Gabriel, Понятіе о церковномъ правѣ и его исторія (*Notio juris ecclesiastici eiusque historia*), Kasan, 1844; Объ основаніяхъ русскаго церковнаго права (*De fundamentis iuris eccle-*

α′ Ius canonicum orthodoxum, non secus atque catholicum totum, innititur notione ac doctrina de Ecclesia Christi. Iuxta scriptores orthodoxos ius canonicum consectarium est verborum Domini: *Ἐὰν δὲ*

---

siastici russici), Хр. Чтеніе, 1846, t. IV, pp. 302-344; 416-440; Kacialov, О значеніи Кормчей книги въ системѣ древняго русскаго права (*De momento πηδαλίου russici in systemate antiqui iuris russici*), Mosquae, 1850; О первоначальномъ составѣ славянской Кормчей (*De primitiva redactione πηδαλίου slavici*), Хр. Чтеніе, 1851, t. I, pp. 535-560; Значеніе восточнаго церковнаго законоположенія въ исторіо русской Церкви (*Momentum iuris ecclesiastici orientalis in historia Ecclesiae russicae*), Ib., 1852, t. I, pp. 65 et sqq.; Объ основныхъ началахъ русскаго церковнаго права (*De principiis fundamentalibus iuris ecclesiastici russici*), Прав. Соб., 1860, t. I, pp. 3-33; 121-144; Древнее русское церковное право въ связи съ правомъ византійскимъ (*Vetus ius ecclesiasticum russicum sua in relatione ad ius byzantinum*), Ib., 1862, t. I, pp. 177-212; II, II, 139-172; 260-301; III, 3-31; 125-148; 1863, II, 41-75; III, 78-94; 262-295; 329-347; О церковномъ законодательствѣ (*De legislatione ecclesiastica*), Хр. чтеніе, 1865, t. I, pp. 368 et sqq.; Pavlov, Первоначальный славяно-русской Номоканонъ (*Primitivus nomocanon slavicus*), Odessae, 1874 (opus maximi momenti); Suvorov, О церковныхъ наказаніяхъ (*De poenis ecclesiasticis*), Petropoli, 1876; Barsov, О преподаваніи церковнаго права въ нашихъ университетахъ (*De institutione iuris canonici in nostris universitatibus*), Хр. чтеніе, 1876, t. I, pp. 529-540; 730-754; Tiajelov, Законы греческихъ императоровъ въ отношеніи къ Церкви послѣ Юстиніана (*Leges graecorum imperatorum, quae ad Ecclesiam referuntur, post aetatem Iustiniani*), Mosquae, 1876; Agarevitch, Исторія византійскаго права (*Historia iuris byzantini*), t. I, Iaroslaviae, 1876; t. II, 1877; Zaozersky, Церковный судъ въ первые три вѣка христіанства (*Ius ecclesiasticum primis tribus saeculis religionis christianae*), Kostromae, 1878; Kurganov, Отношенія между церковною и гражданскою властію (*Relationes inter potestatem ecclesiasticam ac civilem*), Kasan, 1881; Zaozersky, Очерки изъ исторіи кодификаціи каноническаго права восточной Церкви (*Specimina illustrantia historiam codificationis iuris canonici in Ecclesia orientali*), Чте нія об. л., 1881, t. II, pp. 529-561; Barsov, О каноническомъ элементѣ въ церковномъ управленіи (*De elemento canonico in administratione et constitutione Ecclesiae*), Пр. об., 1881, pp. 471-492; II, 494-539; III, 55-96; Zaozersky, Происхожденіе и образованіе византійскаго номоканона (*Origo atque elaboratio nomocanonis byzantini*), Чт. об. л., 1882, t. II, pp. 105-155; Id., Состояніе каноническаго права въ доникейской церкви (*Status iuris canonici in Ecclesia antenicaena*), Ib., 1882, t. I, pp. 141-196; 585-624; Id., Синтагма въ XIV титуловъ, Ib., 1883, t. I, pp. 328-361; Suvorov, Объемъ дисциплинарнаго суда и юрисдиціи церкви въ періодъ вселенскихъ соборовъ (*Ambitus iudicii disciplinaris atque iurisdictionis Ecclesiae aetate conciliorum oecumenicorum*), Iaroslaviae, 1884; Berdnikov, Церковное право, какъ особая, самостоятельная правовая область и его отношеніе къ общей системѣ права (*Ius ecclesiasticum, ut provincia iuridica independens, eiusque relatio ad commune systema iuris*), Kasan, 1885; Zaozersky, Къ исторіи номоканона въ Византіи и древней Руси (*Quaedam ad historiam pertinentia nomocanonis Byzantii, atque in antiqua Russia*), Приб., 1886, t. I, pp. 412-427; Ostroumov, Принципы

παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὸν τῇ Ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ τῆς Ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, Matth. XVIII, 17. Ex hisce verbis liquidissime patet, ait Milach, ad praeceptum Iesu

---

государственнаго и церковнаго права (*Principia iuris civilis atque ecclesiastici*), Вѣра и разумъ, 1887, t. II, pp. 415-443; Sreznevsky, Обозрѣніе древнихъ русскихъ списковъ Кормчей книги (*Conspectus veterum codicum manuscriptorum russici πηδαλίου*), Petropoli, 1887; Zaozersky, Право греко-восточной православной русской церкви, какъ предметъ спеціальной юридической науки (*Ius Ecclesiae graeco-orientalis russicae, tanquam obiectum peculiaris scientiae iuridicae*), Приб., 1888, t. I, pp. 318-415; Demidov, Характеръ и значеніе толкованій на каноническій кодексъ греческой церкви Аристина, Зонары, и Вальсамона (*Character, et momentum commentariorum Aristeni, Zonarae et Balsamonis in codicem canonicum Ecclesiae graecae*), Mosquae, 1888; Suvorov, Слѣды западно-католическаго церковнаго русскаго права (*Vestigia iuris ecclesiastici catholici occidentalis in monumentis antiquioris iuris russici*), Iaroslaviae, 1888 (opus maximi momenti). Cf. Pavlov, Мнимые слѣды католическаго вліянія въ древнѣйшихъ памятникахъ югославянскаго и русскаго церковнаго права (*Ementita vestigia influxus catholici in vetustissima monumenta iuris catholici Slavorum meridionalium et Russorum*), Mosquae, 1892; Suvorov, Къ вопросу о западномъ вліяніи на древнерусское право (*Quaestio de influxu occidentali in vetus ius canonicum russicum*), Iaroslaviae, 1893; Zaozersky, Формы устройства восточной православной церкви (*Formae constitutionis Ecclesiae orientalis*), Прав. Об., 1890, t. I, pp. 391-444; III, 291-330; 1891, I, 123-158; 743-768; III, 267-297; Id., Историческое обозрѣніе источниковъ права православной церкви (*Conspectus historicus fontium iuris canonici orthodoxi*), Mosquae, 1891; Id., О священной и правительственной власти и о формахъ устройства православной церкви (*De potestate ordinis et regiminis ac de formis constitutionis Ecclesiae orthodoxae*), Mosquae, 1891; Krasnojen, Толкователи каноническаго кодекса восточной церкви, Аристинъ, Зонара и Вальсамонъ (*Commentatores codicis canonici Ecclesiae orientalis, Aristenus, Zonaras, et Balsamon*), Mosquae, 1892 (Opus laude dignum) Ilinsky, Синтагма Матѳея Властаря, Mosquae, 1892; Naumov, Митр. Филаретъ какъ канонистъ (*Metr. Philaretus, tanquam canonista*), Mosquae, 1893; Zaorzesky, О церковной власти (*De potestate ecclesiastica*), Serghievo, 1894; Elnitzky, Основы законовѣдѣнія (*Principia scientiae legislationis*), Mosquae, 1894; Nesmielov, О церковныхъ наказаніяхъ по сочиненіямъ Филарета, митр. моск. (*De poenis ecclesiasticis in scriptis Philareti, metropolitae mosquensis*), Tomsk, 1895; Sokolov, Церковно-имущественное право въ греко-римской имперіи (*Ius possidendi bona ecclesiastica in imperio graeco-romano*), Novogardiae, 1896; Pavlov, Къ вопросу о хронологическомъ отношеніи между Аристиномъ и Зонарою, какъ писателями толкованій на церковныя правила (*De relationibus chronologicis inter Aristenum et Zonaram, tamquam scriptores commentariorum in canones ecclesiasticos*), Журн. м. н. п., 1896, ian., pp. 172-199; Berdnikov, Архаическое направленіе въ церковномъ правѣ (*Ἀρχαισμὸς in methodo pertractandi ius canonicum*), Kasan, 1896; Pavlov, Номоканонъ при большомъ Требникѣ, его исторія и тексты греческій и славянскій съ объяснительными и критическими примѣчаніями (*Nomocanon qui adjicitur magno euchologio: eius historia, textus graecus*

Christi, institutionis iuridicae muneribus in orbe terrarum Ecclesiam defungi, supremum efficere tribunal, a quo non liceat Christifidelibus

---

et slavicus cum adnotationibus declarativis et criticis), Mosquae, 1897 (Opus maximi momenti). De eo disseruere: Suvorov, Вопросъ о номоканонѣ Іоанна Постника въ новой постановкѣ (*Quaestio de nomocanone Iohannis Ieiunatoris, novaque ipsius solutio*), Iaroslaviae, 1898; Almazov, Законоправильникъ при русскомъ Требникѣ (*Nomocanon russico Euchologio adiectus*), Petropoli, 1902; Barsov, О собраніи духовныхъ законовъ (*De collectionibus legum ecclesiasticarum*), Хр. Чтеніе, 1897, t. II, pp. 581-619; 655-684; Kiparissov, О церковной дисциплинѣ (*De disciplina ecclesiastica*), Serghievo, 1897 (opus commendatione dignum); Michael (Semenov), Законодательство римско-византійскихъ императоровъ о внѣшнихъ правахъ и преимуществахъ церкви (*Legislatio imperatorum romano-byzantinorum circa exteriora iura et privilegia Ecclesiae*), Kasan, 1901; Id., О задачахъ церковнаго права (*De quaestionibus atque officiis iuris canonici*), Хр. чт., 1902, t. II, pp. 753-777; Benechevitch, Свѣдѣнія о греческихъ рукописяхъ каноническаго содержанія въ библіотекахъ монастырей Ватопеда, и лавры Св. Аѳанасія на Аѳонѣ (*Notitiae circa codices manuscriptos graecos ad ius canonicum spectantes, qui in bibliothecis monasteriorum Vatopedini, et τῆς λαύρας S. Athanasii in monte Atho asservantur*), Petropoli, 1904; Id., Канонический сборникъ XIV титуловъ со второй четверти VII вѣка до 883 года (*Sylloges canonica XIV Titulorum a postremis viginti quinque annis saeculi VII usque ad annum 883*), Petropoli, 1905; Id., Древнеславянская кормчая XIV титуловъ безъ толкованій (*Vetus πηδάλιον slavicum XIV titulorum sine commentariis*), Petropoli, 1906 (Haec opera permagni habentur); Benemansky, *Ὁ πρόχειρος νόμος* имп. Василія Македонянина, его происхожденіе, характеристика, и значеніе въ церковномъ правѣ (*Ὁ πρ. νόμος imp. Basilii Macedonis, ipsius origo, character ac momentum in iure ecclesiastico*), t. I, Serghievo, 1906; Rhalli, *Τὸ ποινικὸν δίκαιον τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας*, Athenis, 1907; Zaorzersky, О сущности церковнаго права (*De essentia iuris canonici*), Бог. Вѣстникъ, 1909, t. III, pp. 312-338. — De collectionibus documentorum ad ius canonicum orthodoxum spectantium, Cf. Pitra, *Des canons et des collections canoniques de l'Église grecque, d'après l'édition de Rhalli*, Parisiis, 1858; *Αἱ παρ'ἡμῖν συλλογαὶ τῶν ἱερῶν κανόνων κατὰ τοὺς τελευταίους χρόνους*, Ἐ. Ἀλ., 1887, pp. 15-16; 25-28; 41-44; Berdnikov, Каноническое право въ русской Церкви (*Ius canonicum apud russicam Ecclesiam*), Прав. Соб., 1897, t. II, pp. 14-33. Prae manibus imprimis habenda: Rhalli et Potli, *Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων τῶν τε ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ τῶν ἱερῶν οἰκουμενικῶν καὶ τοπικῶν συνόδων, καὶ τῶν κατὰ μέρος ἁγίων Πατέρων, ἐκδοθὲν σὺν πλείσταις ἄλλαις τὴν ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν διεπούσαις διατάξεσι, μετὰ τῶν ἀρχαίων ἐξηγητῶν καὶ διαφόρων ἀναγνωσμάτων*, t. I-II, Athenis, 1852; III, 1853; IV, 1854; V, 1855; VI, 1859; Pavlov, Памятники древне-русскаго каноническаго права (*Monumenta veteris iuris canonici russici*), Petropoli, 1880; II ed. curante Benechevitch; Ib., 1908; Gedeon, *Κανονικαὶ διατάξεις, ἐπιστολαί, λύσεις, θεσπίσματα, τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν Κ. ἀπὸ Γρηγορίου τοῦ θεολόγου μέχρι Διονυσίου τοῦ ἀπὸ Ἀδριανουπόλεως*, t. I, Const., 1888; t. II, 1889; Theotokas, *Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου, ἤτοι τῆς ἱερᾶς συνόδου καὶ τοῦ Δ. Ε. Μ. συμβουλίου*

ad maius adhuc tribunal provocare (1). Si autem ex divina institutione characterem iuridicum praesefert Ecclesia Christi, sua sponte fluit codicem legum necessario admittendum, quibus in suis muniis obeundis regatur.

Qua in re animadvertunt scriptores orthodoxi Ecclesiam efficere societatem divinam simul atque humanam: quatenus divina est, rationem dicit ad gratiam Dei, qua perfunditur quamque perfundit: quatenus humana, relationem ad homines, qui libere suos actus eliciunt. Duplex igitur influxus in Ecclesia deprehenditur: invisibilis influxus Spiritus Sancti, ac visibilis influxus hominis, qui arctissimo coniunguntur vinculo, ac speciem referunt vinculi animam cum corpore in homine coniungentis. Sicut anima, in compagine hominis, sensibus externis indiget ad suos actus eliciendos, ita gratia Dei invisibilis, mediis visibilibus utitur, verbigratia ritibus atque hierarchia (2). Quatenus autem Ecclesia est societas visibilis, membris visibilibus, qui eius ductu, ad finem ipsius proprium consequendum adlaborant, constat.

Conficitur inde relationes dari inter Ecclesiam eiusque membra, atque huiusmodi relationes, quae ab Ecclesia determinantur, ius canonicum efficiunt, videlicet, *collectionem normarum ac legum, quae determinant externas atque internas relationes Ecclesiae, ut societatis visibilis, ad sua membra, quatenus huiusmodi relationes ad consecutionem finis ipsius Ecclesiae viam communiunt* (3).

Ius igitur canonicum existit, propterea quod Ecclesia est societas, et quidem societas visibilis, independens, quae proprio instruitur fine,

---

ἐπὶ τοῦ ἀστικοῦ, κανονικοῦ καὶ δικονομικοῦ δικαίου ἀπὸ τοῦ ἔτους 1880 *μέχρι τοῦ* 1896 *μετὰ σημειώσεων*, Const., 1897; Ghiannopulos, *Συλλογὴ τῶν ἐγκυκλίων τῆς ἱερᾶς συνόδου τῆς Ἐκκλησίας τῆς Ἑλλάδος μετὰ τῶν οἰκείων νόμων, β. διαταγμάτων, ὑπουργικῶν ἐγγράφων, ὁδηγιῶν κτλ., ἀπὸ τοῦ* 1883 *μέχρι σήμερον, ἐκδιδομένη ἐντολῇ τῆς ἱερᾶς συνόδου*, Athenis, 1901; Delikanis, *Περιγραφικὸς κατάλογος τῶν ἐν τοῖς κώδιξι τοῦ πατριαρχικοῦ ἀρχειοφυλακείου σωζομένων ἐπισήμων ἐγγράφων περὶ τῶν ἐν Ἄθῳ μονῶν*, Const., 1902; Id., *Τὰ ἐν τοῖς κώδιξι τοῦ πατριαρχικοῦ ἀρχαιοφυλακείου σωζόμενα ἐπίσημα ἐκκλησιαστικὰ ἔγγραφα τὰ ἀφορῶντα εἰς τὰς σχέσεις τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου πρὸς τὰς Ἐκκλησίας Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων καὶ Κύπρου* (1575-1863), Const., 1904; Id., *Τὰ ἐν τοῖς κώδιξι τοῦ πατρ. ἀρχαιοφυλακίου σωζόμενα ἐπίσημα ἐκκλησιαστικὰ ἔγγραφα τὰ ἀφορῶντα εἰς τὰς σχέσεις τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου πρὸς τὰς Ἐκκλησίας Ῥωσσίας, Βλαχίας καὶ Μολδαβίας, Σερβίας, Ἀχριδῶν καὶ Πεκίου*, Const., 1905. Meminisse iuvabit in voluminibus adiunctis Collectioni Conciliorum Mansi, L. Petit publici iuris fecisse innumera documenta, quae permagnae erunt utilitatis studiosis iuris canonici orthodoxi.

(1) Op. cit., p. 4.

(2) Ostroumov, pp. 18-19.

(3) Ib., p. 20.

peculiarem exhibet indolem, in suaque agendi ratione nulli subjicitur potestati humanae; societas perfecta, quae proinde carere nequit normis ac legibus ad suum opus absolvendum.

Ex hucusque dictis eruitur rectam Ecclesiae notionem, prooemium iuris canonici efficere. Et revera scriptores orthodoxi suis compendiis iuris canonici generatim praefigunt brevem tractatum de divina institutione, natura ac notis verae Christi Ecclesiae. Ad nostram autem sententiam praecipuus scopulus, ad quem illiduntur conatus instaurandae unionis Ecclesiarum latet in perversa Ecclesiae notione, quae concinnatur ac propugnatur a scriptoribus orthodoxis.

Exinde patet quam maximi momenti studiosis theologiae polemicae ius canonicum habendum sit, quippe quod lacunas pandit theologiae orthodoxae in doctrina de vera Ecclesia enucleanda, ac statuendo quanam regatur potestate Ecclesia, quodnam visibile caput ei Christus dederit, quodnam sit vinculum, ac centrum unitatis in hierarchia ecclesiastica. Nullum latet cordatum virum huiusmodi quaestiones permagni aestimandas in theologia polemica, earumque momentum augetur, si perspectum habeatur saepe saepius in iisdem scriptores orthodoxos provinciam theologiae polemicae invadere, et catholicam Ecclesiam, ut societatem a veritate legibusque christianis abhorrentem maledictis appetere (1).

β' Ius canonicum necessarium ducimus studiosis theologiae polemicae, propterea quod, vel ad mentem scriptorum orthodoxorum, arctissima sociatur coniunctione cum disciplinis theologicis. Praemonendum censeo, scriptores quosdam orthodoxos in eam declinasse sententiam ut putarent characterem iuridicum legibus tantum potestatis civilis vindicandum esse: quosdam vero, contrariam ineuntes rationem, decrevisse ius canonicum, propter suum obiectum, disciplinarum theologicarum in censum venire, nihilque commune cum iure generatim sumpto praeseferre (2).

In praesentiarum, hasce sententias ab se invicem discrepantes, omne fere scriptores orthodoxi oblitterandas tenent. Ius canonicum, aiunt, disciplina theologica non est; sed vinculum illud cognationis, quo cum theologicis disciplinis consociatur, non abrumpit (3). Etenim,

(1) Sakellaropulos, pp. 7-12.

(2) Prokochev, pp. 64-70.

(3) *Ὅτι τὸ κανονικὸν δίκαιον δὲν ἀνήκει εἰς τὴν θεολογίαν, ἐξάγεται ἐκ τοῦ ὅτι πάσας τὰς ἐκκλησιαστικὰς σχέσεις, ἃς ἐξετάζει τὸ ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, ἐξετάζει καὶ ἡ θεολογία μετὰ τῆς διαφορᾶς, ὅτι ἡ μὲν θεολογία πραγματεύεται ταύτας ὑπὸ ἐσωτερικὴν θρησκευτικὴν ἔποψιν, τὸ δὲ ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον ὑπὸ ἐξωτερικὴν νομικὴν ἔποψιν. Ὡς τοιοῦτον λοιπὸν τὸ ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον πρέπει νὰ εἴπωμεν,*

ex theologia dogmatica principia fundamentalia suarum disquisitionum, quae *ἀξιώματα* vocant, haurit, quin de eis disceptet, vel sua lance perpendat. Haec tamen principia sua facit, ac sua methodo evolvit. Unde iam illud manat in iisdem obiectis materialibus saepe saepius theologiam dogmaticam alia ab eis quae attingit ius canonicum, delibare. Ut rem exemplis firmem, theologia dogmatica Ecclesiam considerat ut societatem divinitus institutam, quae Christifideles ad consecutionem finis supernaturalis adducit, mediisque supernaturalibus utitur: ius canonicum autem de Ecclesia agit, quatenus est societas visibilis degens in terris, quae propriam habet compaginem exteriorem, ac disciplinam, nec non relationes ad ceteras societates atque institutiones humanas. Theologia dogmatica hierarchiam considerat, ut institutionem divinam, quae membra Ecclesiae ad finem supernaturalem conducit, mediis supernaturalibus adhibitis: ius canonicum autem, ut senatum praesulum, quibus fidelium regimen concreditur. In theologia dogmatica sacramenta, ut media divinitus instituta accipiuntur pro vita supernaturali instauranda, aut fovenda, aut communienda; in iure canonico autem de eis habetur sermo, quatenus inter fideles qui eis donantur atque Ecclesiam, peculiares statuunt relationes. De baptismate, verbigratia. disserit theologus, quatenus purgat animam labe originali; ius canonicum autem, quatenus homines in coetum membrorum Ecclesiae cooptat. Ubi vero non datur haec relatio exterior, ius canonicum nil sibi tractandum usurpat, ut contingit de sacramento Extremae Unctionis (*εὐχέλαιον*) (1).

Tuentur igitur scriptores orthodoxi ius canonicum arctissime coniungi cum theologia dogmatica; immo sunt qui id vocent *theologiam rectricem*: богословіе правительственное (2). Hocce tamen non impedit quominus peculiarem scientiam iuridicam efficiat, quia sua principia ex theologia dogmatica depromit, nimirum, quatenus rationem dicunt ad Ecclesiam, ut societatem visibilem in terris degentem. Quum autem, ad sua principia quod spectat, ius canonicum immediate pendeat ex theologia dogmatica, singulare praesidium ab eo mutuari scriptores theologiae polemicae planum est atque obvium. Quae enim theorice in theologia rejiciuntur vel accipiuntur, practice in iure canonico explicantur. Verbigratia, perperam denegata validitate baptismatis latini, in theologia orthodoxa deduceretur labe originali lotos non esse

---

ὅτι δὲν ἀνήκει εἰς τὴν θεολογίαν, ἀλλ' εἰς τὴν νομικὴν. — Sakellaropulos; p. 30; Christodulos, pp. 18-20; Pavlov, pp. 15-17.

(1) Ostroumov, p. 52; Berdnikov, Краткій курсъ, pp. VIII-IX.

(2) Naumov, p. 6.

Latinos; in iure autem canonico, inter membra Ecclesiae eos reddendos non esse. Primatu romano abiecto, consequeretur in theologia dogmatica Iesum Christum suam Ecclesiam in terris sine capite reliquisse; in iure autem canonico, episcopos, clericos, fideles lege non obstringi obediendi romanis Pontificibus. Ut plenior igitur evadat tractatio theologiae polemicae in capitibus controversis, quae schisma pertingunt, tuemur scientiam iuris canonici perquam necessariam haberi.

γ' Ius canonicum Ecclesiarum orthodoxarum nobis lacunas ante oculos ponit, quae in earum constitutione deprehenduntur. Ut rite Pavlov animadvertit, Ecclesia Christi abstrahere non potest a societate civili atque a regiminibus politicis: regnum quidem non est de hoc mundo, sed in hoc mundo vivit, dilatatur, operatur (1). Societas autem civilis ac regimen politicum apud varios populos iisdem legibus non parent, iisdem traditionibus sese non accommodant, iisdem non favent propositis. Quo fit, ut ius canonicum, quin principia illa essentialia rejiciat, a quibus ne latum quidem unguem discedere licet, interdum legibus vel consuetudinibus regiminum politicorum aliquantulum indulget. Atque hoc in rerum capite palam fit maxima quae intercedit discrepantia inter ius canonicum Ecclesiae catholicae, atque ius canonicum Ecclesiarum orthodoxarum.

Et revera, ad ius canonicum potissimum spectat mutuas determinare relationes inter Ecclesiam ac regimen politicum. Constat autem in hisce relationibus statuendis ius canonicum catholicum sartam semper tectamque servasse independentiam Ecclesiae; variae populorum indoli haud raro sese accommodasse, quin tamen cancellos illos frangeret, extra quos divino praecepto nunquam egredi tenetur. Plane contrarium nos edocet iuris canonici orthodoxi historia. Peracto enim schismate, mirum est quot invectae sunt leges constitutionesque apud Byzantinos ad *Βασιλέων* usurpationes confirmandas, ad vindicandas eis praerogativas, quae libertatem Ecclesiae funditus pessumdant, abalienantque civili regimini. Exploratum est semel atque iterum, veteribus traditionibus praeceptisque posthabitis, ut postulatis civilis regiminis morem gererent, Ecclesias orthodoxas leges novasse, quae ad christianum pertinent coniugium, atque adhuc nostra aetate in Russia regimen ecclesiasticum propensum esse ad novas ac perniciosas divortii causas, quae a civilibus legislatoribus excogitantur, sua sanctione communiendas.

Huc accedit quod scriptores orthodoxi in obsequium erga civile regimen plus aequo proni, inter fontes iuris canonici documenta per-

(1) Курсъ церк. права, pp. 16-17.

censeant, quae vel ab illegittima prodierunt auctoritate, vel fidei christianae legibus praeceptisque interdum apertissime refragantur. Satis habeo in memoriam revocare *beratia*, quae vocant, ceterasque ordinationes regiminis Turcarum, fontibus adnumerari iuris canonici *magnae* Ecclesiae, ad eaque saepe saepius provocare supremos antistites const., ut sua obsoleta iura in cunctas *αὐτοκεφάλους* Ecclesias Orientis vindicent, eaque commentariis instruere scriptores orthodoxos, quum suarum Ecclesiarum constitutionem describunt (1). Nonne mirum est praeter leges ab imperatoribus christianis Byzantii conditas, scriptoribus orthodoxis leges probari, quae faciem Ecclesiae immutant, eiusque constitutionem ad normas potius codicis islamici, quam traditionis christianae exigunt?...

Itidem, fontibus iuris canonicis Ecclesiae russicae adnumerat Macarius *Ordinationem Ecclesiasticam* Petri Magni. At, in appendice huius ordinationis, quae normas statuit presbyteris, diaconis ac monachis observandas, legitur confessarios, quibus in suis culpis detegendis poenitentes enarrarint se quidpiam adversus Tzarum eiusque familiam molitos fuisse, ad id obstringi, ut quam citius libellum indicem harum insidiarum civili porrigant potestati, coniuratoris nomine patefacto: долженъ духовнихъ... донести вскорѣ, гдѣ надлажитъ (2). Num documentum civilis regiminis, quo tota nititur hodierna constitutio russicae Ecclesiae, quodque sacramentum ipsum poenitentiae instrumentum facit politicae potestatis, meret, inquam, ut recenseatur inter fontes iuris canonici?...

Patet igitur, ius canonicum orthodoxum mala quae schisma genuit in Ecclesiarum orthodoxarum compagine, deducto quodammodo velo, cunctis aspicienda proponere.

δ' Quum scriptores orthodoxi permagni faciant veteres canones Ecclesiae, ac scientiam iuris canonici, pronum est colligere studiosis theologiae polemicae ius canonicum orthodoxum apprime addiscendum. Qua in re animadvertas velim ante saeculum XIX in Ecclesiis orthodoxis ius canonicum scientifice elaboratum non fuisse. Vetus tamen polemica graeca aeque ac russica, testimoniis canonum tota referta est, quae cum locis Sacrarum Scripturarum et Patrum perperam afferuntur explananturque. In praecipuis capitibus controversis scriptores theologiae polemicae, ex canonibus sua depromunt arma ad Romanorum Pontificum primatum evertendum, Ecclesiaeque romanae doctrinas

(1) Christodulos, pp. 333-334.

(2) Dolendum est *Appendices Ordinationis Ecclesiasticae* in Collectione Conciliorum una cum *Ord.* insertas non fuisse.

dogmaticas et consuetudines liturgicas. Sensus igitur atque auctoritas horum canonum sedulo determinanda sunt, ut obiecta in catholicam doctrinam refellamus.

Nova autem polemica Ecclesiae graeco-russicae saepe saepius iuris canonici provinciam invadit, quae scientia altero dimidio saeculi XIX apud Russos impense exculta est. Ante hancce aetatem, iuris canonici studium in scholis theologicis russicis intermissum iacuit, ac fere nihil aliud exhibuit quam syllogen canonum legumque ecclesiasticarum, aut nullis, aut levidensibus adnotatiunculis instructarum (1). Anno 1776 Plato, metropolita mosquensis, id invexit in academiam slavico-latinam (2). Haec tamen disciplina tunc temporis hocce tantum munus sibi vindicabat, ut res contentas in russica canonum sylloge, qua Кормчая книга audit, ac *Synodicon* Beveregii explanaret. Hancce periodum historiae iuris canonici in Russia, critico-exegeticam Ostroumov appellitat (3).

Altera periodus historiae iuris canonici in Russia theologica audit. Anno 1814 constitutum est parvum compendium systematicum iuris canonici redigere, quod praecipuas complecteretur leges ecclesiasticas, commentariis adiectis ex Sacris Scripturis, Constitutionibus canonibusque Apostolorum, Patrum traditionibus atque ordinationibus ecclesiasticis (4). Studium tamen iuris canonici tanti momenti visum non est, ut pro eo tradendo peculiaris cathedra in academiis ecclesiasticis institueretur. Usque ad annum 1842 professor theologiae dogmaticae munus persolvebat ius canonicum, ut disciplinarum theologicarum partem, suos alumnos edocendi. Philaretus metropolita cum illis non sentiebat qui tenebant in russicis athenaeis ius canonicum inter scientias iuridicas reddendum (5).

Tertiam periodum iuridicam appellitat Ostroumov. In academiis ecclesiasticis ius canonicum disiunctim a disciplinis theologicis traditur, quin tamen omnes alumni teneantur idipsum addiscere. At anno 1884, academiarum ecclesiasticarum statutis renovatis, ius canonicum ut scientia cunctis alumnis perdiscenda extollitur. Statuta vero quae anno 1910 promulgata sunt decernunt ut in singulis academiis ecclesiasticis quinque horarum spatio in hebdomada, ius canonicum peculiaris edoceat magister.

(1) Suvorov, Учебникъ, p. 15.
(2) Smirnov, Исторія Московской славяно-греко-латинской Академіи, p. 154.
(3) Op. cit, p. 85.
(4) Cistovitch, Исторія св.-пет. дух. Академіи, pp. 291-292.
(5) Prokochev, pp. 8-9.

In russicis vero athenaeis, non secus atque in academiis ecclesiasticis, ab anno 1835 ius canonicum una cum theologia tradebatur. At anno 1863 constitutum est ut scientiis adnumeraretur, quae in facultatibus iuridicis addiscuntur, atque hocce decretum anno 1884 confirmatum est.

Nostra aetate in provincia iuris canonici apud Russos praecipuis laudibus elati sunt vel efferuntur Barsov, Pavlov, Suvorov, Gorciakov, Zaozersky, Almazov, Benechevitch, quorum praeclara scripta saepe saepius studiosis theologiae polemicae pervolutanda.

CAPUT XI.

De Theologia polemica generali apud Graecos et Russos.

1. De praecipuis scriptoribus theologiae polemicae, qui post captam byzantinam urbem, inter Graecos recentiores floruerunt. — 2. De vetere et nova apud Russos theologia polemica adversus Latinos. — 3. De graeca canonum collectione, quae *Πηδάλιον* audit, quatenus ad theologiam polemicam refertur. — 4. De scriptis theologiae polemicae, quibus ansam dedit unio brestensis, eamque subsecuta sunt. — 5. Indoles theologiae polemicae quam suis in scriptis Khomiakovus et Solovevus pertractarunt.

1. Theologia polemica, quae ad orientale spectat schisma, in duas classes commode distribui potest: nimirum in *theologiam polemicam generalem*, ac *theologiam polemicam specialem*. Prior ea complectitur scripta, quae cunctas, vel saltem praecipuas discrepantias theologicas Orientem inter atque Occidentem pertractat; posterior, quae hancce tantum vel illam discrepantiam enucleatius et fusius exponit ac discutit. De theologia polemica generali heic breviter quaedam attingere nobis est animus, atque hocce capite finem imponimus primo volumini operis nostri, quod favente Deo, atque opitulante Beatissima Virgine de Bono Consilio, feliciter absolvimus.

Praecipua scripta theologiae polemicae generalis, quae Graeci recentioris oevi typis mandarunt, recensebo. Praenotandum ducimus me silentio praeterire, ne longius, qua par est excurram, polemicam proprie dictam byzantinam, quae ab aetate Photii usque ad finem dimidii saeculi XV sese extendit. Neminem enim latet hancce provinciam tanta dexteritate clarissimum Ehrardum explorasse, ut non facile reperire

possis de theologia byzantina quod ei fuerit incognitum. Hancce theologiam permagni faciendam in schismate debellando, multis opus non est ut aperiam. Pro comperto enim habetur, in capitibus illis controversis de processione Spiritus Sancti ac de primatu discutiendis, praeeunte Photio, scriptores byzantinos latinis infensos innumera coacervasse sophismata et obiecta, quae saepe saepius Patrum testimoniis, eruditionis copia, atque ingenii acumine diluerunt scriptores byzantini catholicae veritatis statores ac vindices, ut Iohannes Veccos, Demetrius Cydones, Manuel Calecas, Manuel Chrysoloras, Bessarion, Ioseph Methonensis, Gregorius Mammas. Quantum emolumenti ex hisce scriptis capiendum sit, palam fecit Card. Hergenröther, qui in sua editione *Mystagogiae* photianae praecipua in illud *Filioque* obiecta, invictis argumentis ex penu theologorum catholicorum byzantinorum haustis, convellit (1).

Theologi graeci recentiores, de quibus tantum nobis erit sermo, vestigia theologorum byzantinorum in methodo disceptandi persecuti sunt, ac theologiae polemicae nihil aliud addiderunt nisi contumelias atque aniles fabellas. « Graeci recentioris oevi, ait cl. Lebedev, pro eo ut perantiquos suae indolis defectus sanarent, mirum in modum eos auxere. Proposita illa, quibus ad altius efferimur fastigium, apud eos penitus oblivioni data sunt: conscientia religiosa Graecorum, qua cordatus quisque ad praeclara facinora incitatur, extabuit. Perillustres veteris Ecclesiae graecae scriptores in calendariis tantum superstites mansere, externum decus Graecis afferentes, at nullum in eos suis praeclaris gestis vel scriptis influxum exercentes. Scriptores graeci recentioris oevi, in id unice incubuerunt, ut cum latinis ac protestantibus decertarent: methodus tamen decertandi, quae apud eos invaluit, eiusmodi est, ut Graecos pudore afficiat » (2).

Cuidam fortasse haec sententia clarissimi viri nimis aspera videbitur: at, me iudice, ea veritati apprime consona est. Apud Graecos recentiores theologia byzantina, quae iam vitiata erat ac lacunosa, magis magisque defloruit. Eos latuit, si perpaucos excipias, ditissima illa pervestigationum theologicarum seges, quae catholicis in arvis excrevit. Decurtatis vel corruptis Patrum locis huiusmodi theologi sua farciebant volumina, atque ubi validis caruere argumentis ad suos errores tuendos, tot saevis maledictis Latinos onerarunt, totque in eos contumeliis ex trivio arreptis congesserunt, ut nullam fere paginam scripserint, quae eis non scateat. Et sane dolendum est hancce

(1) *Liber de Spiritus Sancti mystagogia*, Ratisbonae, 1857.
(2) Исторія греко-восточной Церкви, p. 20.

pravam consuetudinem ad nostros usque dies produci, maxumeque officere progressioni disciplinarum theologicarum apud Graecos (1).

Scriptorum, qui post captum Byzantium, theologiam polemicam generalem adversus Latinos pertractarunt, agmen ducit Meletius Pighas, patriarcha Alexandrinus, vir maximae apud suos aestimationis, quem ferunt e vivis cessisse anno 1601 (2). In lucem edita est Con-

(1) De vita et scriptis theologorum graecorum recentioris oevi, haec praecipue habentur opera in litteratura orthodoxa: *Wiederanfänge der theologischen Literatur im Griechenland, Theologische Studien und Kritiken*, 1841, t. I, pp. 7-53; Seraphim, Писатели греческой Церкви по паденіи К. (*Scriptores Ecclesiae graecae post captam urbem Constant.*), Petropoli, 1851; Papadopulo-Vretos, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, Athenis, 1854; Constantius I (patr.), *Περὶ τῶν μετὰ τὴν ἅλωσιν ἐκ τοῦ κλήρου ἀρετῇ καὶ παιδείᾳ διαπρεψάντων, Συγγραφαὶ ἐλάσσονες*, Const., 1866, pp. 144-163; Sathas, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, Athenis, 1868; Nerulos, *Ἱστορία τῶν γραμμάτων παρὰ τοῖς νεωτέροις Ἕλλησι*, Athenis, 1879; Demetracopulos, *Προσθῆκαι καὶ διορθώσεις εἰς τὴν νεοελληνικὴν φιλολογίαν Κωνσταντίνου Σάθα*, Lipsiae, 1871; Id., *Ἐπανορθώσεις σφαλμάτων παρατηρηθέντων ἐν τῇ νεοελληνικῇ φιλολογίᾳ τοῦ κ. Σάθα*, Tergesti, 1872; Id., *Ὀρθόδοξος Ἑλλάς*, Lipsiae, 1872; Dapontes (scriptor saeculi XVIII), *Κατάλογος ἱστορικὸς ἀξιόλογος τῶν καθ' ἡμᾶς χρηματισάντων ἐπισήμων Ῥωμαίων*, Sathas, *Μεσαιωνικὴ Βιβλιοθήκη*, t. III, pp. 73-200; Demetrius Procopii, *Ἐπιτετμημένη ἐπαρίθμησις τῶν κατὰ τὸν παρελθόντα αἰῶνα λογίων Γραικῶν, καὶ περί τινων ἐν τῷ νῦν αἰῶνι ἀνθούντων*, Ib., pp. 480-503; Zavira, *Νέα Ἑλλάς*, Athenis, 1872; Rangabé. *Histoire littéraire de la Grèce moderne*, Parisiis, 1877; Pekios, *Πνευματικὴ ἄποψις τῆς τουρκοκρατουμένης Ἑλλάδος*, Constantinopoli, 1888; Katrami, *Φιλολογικὰ ἀνάλεκτα Ζακύνθου*, Zacynthi, 1880; Gedeon, *Χρονικὰ τῆς πατριαρχικῆς Ἀκαδημίας*, Const., 1883; Paranikas, *Συμβολαὶ εἰς τὴν ἱστορίαν τῆς νεοελληνικῆς φιλολογίας, Περιοδικὸν syllogi graeci constantinopolitani*, t. XVII, 1886, pp. 53-60; Mystakides, *Ὁ ἱερὸς κλῆρος κατὰ τὸν ις' αἰῶνα· Μάξιμος ὁ Μαργούνιος*, Athenis, 1893; Kyriakides, *Βιογραφίαι τῶν ἐκ Τραπεζοῦντος καὶ τῆς περὶ αὐτὴν χώρας ἀπὸ τῆς ἁλώσεως μέχρι ἡμῶν ἀκμασάντων λογίων*, Athenis, 1897; Theodoros Athanasii, *Περὶ τῶν ἑλληνικῶν σχολῶν ἐν Ῥουμανίᾳ καὶ περὶ τῆς ἐπιρροῆς αὐτῶν ἐπὶ τοῦ τε θρησκευτικοῦ πολιτικοῦ ἑδάφους*, Athenis, 1898; Erbiceanu, *Bărbaţii culţi greci şi români şi profesorii din academiile de Iaşi şi Bucureşti, din epoca siza fanariotă*. Bucharestii, 1905; Hypsilantes, *Ἐκλογαί*, Papadopulo-Keramevs, *Texte grecești privitoare la istoria românească*, Bucharest, 1909, pp. 161-192. Omnes fere praecitati scriptores, si archim. Demetracopulum excipias, obiter propositam sibi provinciam explorarunt, eisque caute utendum est. Quanti momenti hac in provincia facienda sint opera Legrandii, et Bianu et Hodos, nemo est quem lateat.

(2) Vitam Meletii Pighae, duobus voluminibus contentam, Malychevskius exaravit, Kioviae, 1872. De eo etiam disseruerunt: Sathas, pp. 208-210; Demetracopulos, pp. 130-134; Zaviras, pp. 216-218; Katrami, pp. 111-115; Regel, *Analecta byzantino-russica*, Petropoli, 1891, pp. cx-cliv; 92-115; Foropulos, *Ἀκριβὴς καθορισμὸς τοῦ χρόνου τῆς ἐν τῷ οἰκουμενικῷ θρόνῳ τοποτηρητείας τοῦ πατριάρχου Ἀλεξανδρείας Μελετίου τοῦ Πηγᾶ*, *Ἐκκλ. Ἀλ.*, 1896, t. XVI, pp. 14-15; Uspensky, Алекс. патріархія t. I pp. lix-lxxii; Legrand, *Lettres de Meletius Pigas, antérieures à sa promotion au patriarcat, publiées d'après les minutes*

stantinopoli sine anni notatione, sylloges scriptionum polemicarum ab eo composita, atque hocce titulo insignita: *Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα ὡς ἐν εἴδει ἐπιστολῶν*. Hancce syllogen, quae praeter Meletium, alios complectitur theologos sive byzantinos, sive graecos recentiores, typis mandavit Nicodemus Metaxas, Cephallenita, qui anno 1627 tertio sedem patriarchalem Cyrillo Lucari obtinente (1623-30), typographicam officinam Constantinopoli instituit (1). Quamvis suo enchiridio, ut ex titulo colligitur, in romanum primatum invehatur Meletius Pighas, in eo tamen pro re nata de illo *Filioque*, de communione Latinorum, de purgatorio, de ieiunio sabbati disserit.

Inter varias, quae haec sylloges continet, scriptiones, digna est cuius mentio injiciatur opella Gabrielis Severi, metropolitae Philadelphiensis, quem permagni faciunt vel scriptores catholici saeculi XVII (2). Ea inscribitur: *Ἔκθεσις κατὰ τῶν ἀμαθῶς λεγόντων, καὶ παρανόμως διδασκόντων, ὅτι ἡμεῖς οἱ τῆς Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας γνήσιοι καὶ ὀρθόδοξοι παῖδες ἐσμὲν σχιμάτικοι παρὰ τῆς ἁγίας καὶ καθόλου Ἐκκλησίας*. In ea disceptat Severus de quinque praecipuis discrepantiis, quae obicem ponunt unioni Ecclesiarum (3).

Maximus Peloponnesiacus, archidiaconus Meletii Pighae, anno 1620 composuit: *Ἐγχειρίδιον κατὰ τοῦ σχίσματος τῶν παπιστῶν* (Bucharestii, 1690), ubi agit de Processione Spiritus Sancti, de azymis, de transsubstantiatione, de purgatorio, de iustificatione. Id typis vulgavit Dositheus Hierosolymitanus (4). Maximam etiam famam sibi compa-

---

autographes, 1902; Nicolaki, *Μελέτιος ὁ Πηγᾶς ὁ Κρῆς, πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, καὶ ἐπιτηρητὶς τοῦ οἰκουμενικοῦ θρόνου*, Cydone (Canea), 1903; Id., *Ἡ πρὸς τοὺς Κρῆτας ἀλληλογραφία Μελετίου τοῦ Πηγᾶ*, Ib., 1908; Papadopulo-Keramevs. *Texte grecești*, pp. *λ'-λα'*; 413-435.

(1) Paranikas, *Σχεδίασμα*, p. 209.

(2) De eo vide, Sathas, pp. 218-219; Zaviras, pp. 216-218; Demetracopulos, pp. 143-146; Katrami, pp. 390-391; Veludes, *Ἑλλήνων ὀρθοδόξων ἀποικία ἐν Βενετίᾳ*, Venetiis, 1893, pp. 68-75.

(3) *Πέντε εἰσὶν αἱ γενικαὶ διαφοραί, ἃς ἡ ἀνατολικὴ καὶ ἀποστολικὴ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας ἔχει μὲ τῇ ῥωμαϊκῇ. Πρώτη εἶναι ἡ περὶ τῆς τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως· δευτέρα ἡ περὶ τῆς μοναρχίας τοῦ Πάπα· τρίτη ἡ περὶ τῆς ὕλης τῆς θείας λειτουργίας· τετάρτη ἡ περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρός· πέμπτη, ἡ περὶ τῆς μακαριότητος τῶν ἁγίων. Παρὰ ταύτας δέ εἰσὶ καί τινες ἄλλαι διαφοραί, ὥσπερ ἡ περὶ τοῦ νέου καλενταρίου, ἢ περὶ τῆς τοῦ σαββάτου νηστείας, ἡ περὶ τῆς ἐν κυριακαῖς γονοκλησίας.* — P. 5.

(4) Palmieri, *Dositeo, patriarca di Gerusalemme*, pp. 84-86; Demetracopulos, 146; Legrand, op. cit. t. II, pp. 475-478; Hodos et Bianu, t. I, pp. 297-298. — Opus Maximi Peloponnesiaci in russicum vertit idioma Euthymius hieromonachus († 1705). Haec versio in bibliotheca synodali mosquensi inedita asservatur, Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы, p. 261.

rarunt apud scriptores orthodoxos indigesta incomptaque volumina Dosithei, quae inscribuntur: *Τόμος Ἀγάπης*, *Τόμος Χαρᾶς*, *Τόμος Καταλλαγῆς*, *Ιστορία περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις πατριαρχευσάντων*. Quodnam tamen de eis iudicium ferendum sit, alio exposuimus (1).

Sevastos Kymenites, qui praefuit academiae graecae Bucharestiensi, cessitque e vivis anno 1702 (2), composuit adversus Latinos opus maximi momenti, quod hocce titulo insignitur: *Δογματικὴ διδασκαλία τῆς ἁγιωτάτης ἀνατολικῆς καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας περιέχουσα κατ' ἐξαίρετον λόγον τρία τινά· πρῶτον, πότε μεταβάλλονται τὰ ἅγια εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ· δεύτερον, ὅτι ἡ Θεοτόκος ὑπέκειτο τῷ προπατορικῷ ἁμαρτήματι· καὶ τρίτον, ὅτι αἱ μερίδες οὐ μεταβάλλονται εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ* (3). Hocce opus prooemio instruxit Georgius Castriotes, qui vehementissimis verbis in Latinos invehitur. In historia theologiae graecae permagni ipsum faciendum, siquidem praecipua colligit argumenta quae in posterum scriptores orthodoxi ad Immaculatae Conceptionis Mariae Ssmae dogma evertendum evolverunt. Opus Kymenitae explanat primum doctrinam orthodoxam (pp. 3-31), arguit deinceps Calvinum, necessitatem sacratissimae communionis ostendit (pp. 42-61), dogma Immaculatae Conceptionis adoritur (pp. 61-82), ac transsubstantiationem (4). In eo reperiuntur etiam: *a*) Versio latina adnotationum Richardi Simonis ad opellam Gabrielis Severi: *Περὶ μυστηρίων*; *b*) *Ἐπίκρισις περὶ τὰ τοῦ Σίμωγος τοῦ Ῥιχάρδου* (pp. 262-267); *c*) *Πότερον ἡ Θεοτόκος ὑπέκειτο πρὸ τοῦ εὐαγγελισμοῦ τῇ προπατορικῇ ἁμαρτίᾳ, ἢ οὔ* (pp. 268-370); *d*) *Ἔκ τινος βιβλίου λατινικοῦ τυπωθέντος ἐν Πατανίῳ κατὰ τὸ ἀχκῃ ἔτος* (371-400). Postremae dissertationes argumentis ex Sacris Scripturis, traditione Patrum, ac ratione theologica depromptis dogma Immaculatae Conceptionis aggrediuntur.

Summis effertur laudibus, vel in praesentiarum opus polemicum

(1) *Dositeo*, pp. 47-80.

(2) Demetracopulos, pp. 166-167; Bianu et Hodos, t. I, pp. 450-451; Erbiceanu, *Bibliografia graeca*, Bucharestii, 1903, pp. 54-55. De Sebasto Kymenite perdoctam exaravit vitam Papadopulo-Keramevs, qui 107 titulos percenset operum ipsius ineditorum, *Texte grecești*, pp. *ιθ'-κζ'*.

(3) Bucharestii, 1703. Papadopulos Vretos duas recenset editiones huiusce operis, quorum prior dedicata est Petro Alexieevicio, altera vero Dositheo Hierosolymitano, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, pp. 50-52. Eadem tamen est editio quae utrique dedicatur.

(4) Perbelle etiam tuitus est Kymenites convenientiam termini transsubstantionis in scriptiuncula: *Περὶ μετουσιώσεως ἐν τῇ θείᾳ εὐχαριστίᾳ*, *Ἐκκλ. Ἀλ.*, t. I, 1880, pp. 242-246; 253-255.

Heliae Miniatae, ex Zacyntho, qui eloquentissimus Graecorum recentiorum habitus est, ac morti occubuit Patrae, anno 1714 (1). Liber ab eo conscriptus prodiit in lucem Lipsiae, anno 1718, hocce titulo insignitus: *Πέτρα Σκανδάλου, ἤτοι διασάφησις τῆς ἀρχῆς καὶ αἰτίας τοῦ σχίσματος τῶν δύο Ἐκκλησιῶν Ἀνατολικῆς καὶ Δυτικῆς μετὰ τῶν πέντε διαφωνουσῶν διαφορῶν, συντεθεῖσα ὑπὸ τοῦ θεοφιλεστάτου Κερνίκης καὶ Καλαβρύτων ἐν Πελοποννήσῳ Ἐπισκόπου Ἠλίου Μηνιάτη τοῦ Κεφαλληνέως, καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐκδοθεῖσα.* Recusum est hocce opus graece Lipsiae, anno 1743 (hancce editionem prae manibus habemus), graece et latine Vratislaviae. Titulus latinus sic se habet: *Lapis offendiculi sive expositio originis et causae discidii duarum orientalis scilicet et occidentalis Ecclesiarum, cum quinque controversiis.* Hancce postremam editionem typis mandandam curarunt Nicolaus Mothon et Gregorius Kositzkius, orthodoxi, qui hisce verbis merita auctoris extulerunt: « Nemo e nostris sacris addictus homo, luculentius, nemo brevius, nemo ab adfectibus magis libere, nemo in adversarios nostros modestius, nemo solidius, nemo ut uno omnia complectamur verbo, melius quam illustrissimus omnique nostra praedicatione maior antistes ille, vel in exponenda historia infelicis illius a pontificibus romanis sacra dominationis fame concitis perfecti discidii, vel in detegendis ex rebus antiquis ecclesiasticis falsis Ecclesiae latinae decretis eisque refutandis versatus esse videtur ». Tanti pretii hocce levidense opus fecerunt scriptores orthodoxi, ut id pluries graece ediderunt, arabice anno 1721 (2), germanice anno 1787 (Vindobonae), russice anno 1854 (Petropoli). In eo, quinque recenset Miniates discrepantias theologicas: *α' Primatum*; *β' Filioque*; *γ' Azyma*; *δ' Purgatorium*; *ε' Beatitudinem Sanctorum.* Harum vero discrepantiarum summa, caput et radix est primatus romanus (3).

(1) De auctoris vita et scriptis egit pater Miniatae in prooemio operis *Πέτρα σκανδάλου*, pp. 3-6; etiam Demetracopulos, pp. 167-168; Erbiceanu, *Viata și scrierile lui Ilie Miniat. Biserica ort. română*, 1892, t. XVI, pp. 711-715; Id., *Barbații culți*, pp. 12-13.

(2) Titulum arabicum referunt Schnurrer, *Bibliotheca arabica*, Halae, 1811, pp. 574-575, et Petit (minus accurate), apud Mansi, t. XXXVII, col. 125.

(3) *Πρώτην διαφορὰν ἐγὼ νομίζω τὴν περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα, διατὶ τοῦτο εἶναι κατὰ τοὺς παρόντας καιρούς, τὸ μέγα μεσότειχον, ὁποῦ χωρίζει τὰς Ἐκκλησίας, αὐτὴ εἶναι μία ὑπόθεσις ὁποῦ ἐγγίζει τὴν καθολικὴν κυβέρνησιν τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀπ' αὐτὴν κρέμανται ὅλα τ' ἄλλα, ἂν ὅλοι κοινῶς οἱ χριστιανοὶ ἐσυμφωνοῦσαν εἰς τὸ ἄχρον τοῦτο κεφάλαιον, ποῖος δηλαδὴ νὰ εἶναι ὁ τρόπος τῆς ἐκκλησιαστικῆς ταύτης κυβερνήσεως.* — P. 56.

Minoris momenti habentur: *Εὐαγγελικὴ Σάλπιγξ* Macarii, hierodiaconi ex Pathmo (1), quod opus 52 sermonibus contextum, ac pus et venenum destillans in catholicam Ecclesiam Graeculi extollunt mirificis verbis, *διότι τὴν κακοδοξίαν τῶν Παπιστῶν θρηνῳδοῦσα ἐλέγχει* (2); *Λατίνων θρησκείας Ἔλεγχοι 36 καὶ τίς ὁ ἑκάστου λόγος* Diamantae Rhysii, qui Smyrnae diem supremum obiit anno 1747 (3); *Βιβλιάριον κατὰ Λατίνων, ἢ στηλιτευτικὴ ἐπιστολή* Eugenii Bulgareos, in qua tamen, praeter acerbitatem styli, nihil refutatione dignum invenies (4).

Anno 1850 Helias Tantalides, clarissimus inter recentiores poetas graecos (1818-1876) (5), typis edidit duobus voluminibus contentos *Παπιστικοὺς ἐλέγχους*. Hancce tamen syllogen compilasse videtur Stephanus Karatheodoris (1789-1867) (6), de cuius vita accuratiores notitias usque nunc mihi comparare non potui. Primum volumen operis satis prolixum exhibet prooemium editoris, quod historiam schismatis enarrat, vel potius deformat. Subsequitur ingens tractatus de Azymis (7), adnotationibus instructus, quae omnes *latinas novitates* explodunt. Huic operi adnectitur *Ἐπισύνταξις τῷ ἀββᾶ Ἰαγήρῳ*, in qua iniqua pensatur lance opus Iageri: *Histoire de Photius* (Parisiis, 1845). In altero volumine ad trutinam revocantur, quae de protestantismo atque Ecclesia graeca tulit iudicia comes De Maistre: *Ἐπιστολιμαία ἐπίκρισις φυλλαδίου τινὸς ἐπιγραφομένου Le protestan-*

(1) Demetracopulos, pp. 179-180; Sathas, pp. 439-441; Alexander *ἐκ Τυρνάβου, Βίος Μακαρίου Πατμίου*, Sathas, *Μεσ. βιβλιοθήκη*, t. III, pp. 504-514.

(2) Opus lucem aspexit Venetiis, anno 1754; Lipsiae, annis 1758 et 1765; Athenis, 1869. Complures sermones in eo contentos, inseruit Constantius, monachus Chius, in sua editione operis Nicodemi Hagioritae: *Ἱερὰ βίβλος καλουμένη Χρηστοήθεια τῶν Χριστιανῶν*, Constantinopoli, 1898. Vide meam dissertatiunculam: *Le veglie di un calogero: l'ascetismo ortodosso e l'ἱερὰ βίβλος del monaco Costanzio*, Bessarione, t. VI, 1899, pp. 162-195.

(3) Hocce opus versibus conscriptum Iohannes Manolaki edidit Amstelodami anno 1748. Vitam auctoris exaravit Papadopulo-Kerameus, *Περὶ τοῦ ἐν Σμύρνῃ διδασκάλου Διαμαντῆ Ρυσίου, Παρνασσός*, 1880, t. IV, pp. 203-216.

(4) Varias editiones huiusce libelli recensuimus in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, coll. 1238-1239.

(5) Skilitzes, *Ἡλίου Ταντολίδου βίος καὶ ἔργα, Παρνασσός*, Athenis, t. I, 1877, pp. 81-95; Paranikas, *Βίος Ἡλία Ταντολίδου, Περιοδικὸν* Syllogi graeci constantinopolitani, t. XXIII, 1893, pp. 15-26.

(6) Paranikas, p. 24.

(7) Candide fateor me nescire cuinam tribuendum sit hocce opus: animadvertas tamen velim id unum idemque non esse cum opere Eustratii Argenti: *Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων*, Lipsiae, 1760.

tisme et l'Église grecque, pp. 9-60; exhibetur deinde specimen historicum controversiae illius Filioque, quod Theophanes Procopovicius in lucem edidit, atque Eugenius Bulgaris ex latino idiomate in graecum vertit: *Ἱστορία τῆς περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ Ἁγίου Πνεύματος διαφορᾶς*, pp. 63-172: atque huic dissertationi adnectitur *Ἐπίμετρον εἰς τὴν ἐπίκρισιν*, pp. 177-264, et praecitata *Σστηλιτευτικὴ ἐπιστολὴ* Eugenii Bulgareos. Totum opus tumultuaria farcitur eruditione ac maledictis contumeliisque in Latinos. Protosyncellus Chrysostomus, quem semel atque iterum memoravi, in suo opere *Περὶ Ἐκκλησίας* specimen theologiae polemicae contra Latinos concinnavit (1), ubi agit de Processione Spiritus Sancti, de Baptismate, de Azymis, de Transsubstantiatione, de Communione sub utraque specie, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Beatitudine Sanctorum, de Immaculata Deiparae Conceptione. Opus sane levidense crassoque filo contextum, quod eruditionis inopia, infirmitate argumentorum, crebris in Latinos obiurgationibus, scurrilibusque dicteriis specimen est vitiorum illorum, quae in theologia polemica magis vitare quam imitari cordatus quisque tenetur.

2. Theologia polemica in Russia superiore aetate parum exculta fuit. Nemini autem hocce mirum videbitur, qui perspectam habuerit lacrymabilem inscitiam cleri russici, quae ab incunabulis fidei christianae in Russia, ad nostra usque tempora producitur. Pauca quae ad theologiam polemicam adversus Latinos apud Russos habentur, chronologice, duas in periodos commode distribui queunt: *α'* Prior ab invecta in Russiam fide christiana ad Petri Magni aetatem extenditur; *β'* Altera vero, ab aetate Petri Magni usque ad praesens tempus (2).

(1) T. II, pp. 297-576.

(2) De vita et scriptis theologorum russorum potissimum egerunt: Sellius, *Schediasma litterarium de scriptoribus, qui historiam politico-ecclesiasticam Russiae scriptis illustrarunt*, Revaliae, 1736; Eugenius (Bolkhovitinov), Словарь историческій о бывшихъ въ Россіи писателяхъ духовнаго чина греко-россійской церкви (*Lexicon historicum scriptorum ecclesiasticorum Ecclesiae graeco-russicae*), Petropoli, 1818; 1827 (opus maximi momenti); Augustinus (hierom.), Полемическія сочиненія противъ Латинянъ, писанныя въ русской церкви XI и XII в. въ связи съ общимъ историческимъ изысканіемъ относительно разностей между восточною и западною церковью (*Opera polemica contra Latinos, scripta in Ecclesia russica saeculis XI et XII, adiuncta generali pervestigatione historica de discrepantiis inter Ecclesiam orientalem atque occidentalem*), Trudy K. D. A., 1867, t. II, pp. 352-420; III, 461-521; Popov, Историко-литературный обзоръ древне-русскихъ полемическихъ сочиненій противъ латинянъ XI-XV вв. (*Conspectus historicus et litterarius veterum operum polemicorum adversus Latinos saeculis XI-XV conscriptorum*), Mosquae, 1875 (opus maximi momenti); Pavlov, Критическіе опыты по исторіи древнѣйшей греко-русской полемики противъ Латинянъ (*Specimina critica in historiam perantiquae polemicae graeco-*

α' Scriptores theologiae polemicae, qui ad priorem periodum pertinent, quique suum nomen posteris commendarunt, graeci quidem sanguine sunt, non russi. Nil mirum igitur, si byzantinorum theologorum vestigia persequuti, in latinis, ut aiunt, *novitatibus* explodendis, formularum cultui nimis indulsere, dogmaticis discrepantiis cum discrepantiis ritualibus perperam commiscentes (1).

Theologiae polemicae adversus Latinos in Russia primus omnium operam navavit Leontius metropolita, qui sub initium saeculi XI diem supremum obiit. Graeco idiomate conscripsit epistolam *Πρὸς Ῥωμαίους ἤτοι Λατίνους Περὶ τῶν ἀζύμων*, in qua non modo tractatur de azymis, verum etiam de illo Filioque, de ieiunio die sabbati, de sacra liturgia tempore quadragesimae peracta, de coelibatu clericorum, de usu suffocatorum (2).

Georgius, metropolita, cuius nominis mentionem faciunt narratores rerum russicarum annis 1072 et 1073 auctor est perbrevis scriptionis polemicae, quae inscribitur: Стязаніе съ латиною (*Controversia cum latino*). Causas in ea exponit, quibus latini sese ab orthodoxis separarunt, eorumque *novitates* recenset (3).

---

russicae adversus Latinos), Petropoli, 1878; Popov, Обличительныя списанія противъ жидовъ и латинянъ по рукописи имп. публичной библіотеки 1580 г. (*Opera polemica adversus iudaeos et latinos, quae in codice manuscripto anni 1580, in bibliotheca imperiali pubblica asservato, continentur*), Mosquae, 1879; Celtzov, Полемика между греками и латинянами по вопросу объ опрѣснокахъ въ XI-XII вѣкахъ (*Polemica inter graecos et latinos circa controversiam de azymis, saeculis XI et XII agitatam*), Petropoli, 1879 (opus maximi momenti); Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы (*Conspectus litteraturae ecclesiasticae russicae*), Petropoli, 1884 (ed. III: opus utile; eo tamen, ob innumera quae continet sphalmata, caute utendum); Православная богословская Энциклопедія (*Encyclopaedia theologica orthodoxa*), Petropoli, 1900-1910 (usque nunc decem volumina: opus utile, parum tamen accuratum in eis quae ad vitas theologorum russorum spectant).

(1) Всѣ они поражаютъ однимъ присущимъ имъ характеромъ, именно: смѣщеніемъ основнымъ незыблемыхъ догматовъ христіанства съ обрядами, съ мѣстными обычаями. — Popov, op. cit. p. v.

(2) Epistolam edidit graece Pavlov, op. cit., pp. 115-132. Vide Popov, pp. 27-39; Celtzov, pp. 9-12; Macarium, Исторія русской церкви, t. I, Petropoli, 1889, pp. 135-145; Golubinsky, Исторія русской церкви, t. I, 1, pp. 853-854; Porphyriev, Исторія русской словесности (*Historia russicae litteraturae*), t. I, Kasan, 1897, pp. 371-372; Philaretus, Посланіе Льва, митр. россійскаго къ римлянамъ или Латинямъ объ опрѣснокахъ, съ свѣдѣніями о сочинителѣ посланія (*Epistola Leonis, metropolitae Rostoviensis ad Romanos seu Latinos De Azymis, parvis notitiis adiunctis de ipsius auctore*), Временникъ Societatis historiae et antiquitatum russicarum, 1850, t. V, 2, pp. 1-18.

(3) Reperitur apud Macarium, t. II, Petropoli, 1889, pp. 333-336; Pavlov,

Iohannes II metropolita, quem anno 1088 e vivis abscessisse tradit Golubinskius litteras de unione Ecclesiarum ineunda ad Clementem III misit (1080-1110). Complures in ea percenset, conaturque refellere Latinorum novitates (1).

Nicephorus I (1104-1121) binas adversus Latinos litteras conscripsit: 1 ad principem Vladimirum Vsievolodovicium Monomachum, in qua, breviter enucleata historia schismatis, 20 latinorum recenset *errores*; 2 ad principem Iaroslavium Sviatopolkovicium, quae easdem novitates Latinis affingunt, ac potissimum de azymis disceptant (2).

Inter documenta polemica saeculi XI recensetur etiam: Посланіе о вѣрѣ крестяньской і о латыньскоі (*Epistola de fide christiana et latina*), quae odium capitale in Latinos redolet (3). Hancce epistolam scriptores russi generatim tribuunt Theodosio Pecerskio. Firmissimis tamen innixus rationibus ostendit Golubinskius eam conscriptam fuisse a Theodosio, monacho graeco, qui vixit Kioviae saeculo XII, ac russicam linguam calluit (4).

Conficitur inde quinque monumenta pervetustae theologiae polemicae russicae contra Latinos, ex graecis fontibus derivasse. Ut ait Delektorsky, graecis labiis russi obiurgarunt latinos, pessimis haeresibus addictos: ex graecorum promptuariis mutuati sunt polemicam adversus latinos, quin tamen illud sibi sumerent odium a maioribus inditum, quo tanquam fulcro haec polemica innititur (5).

---

pp. 191-198. De ea quaedam disseruerunt Pavlov, О сочиненіяхъ приписываемыхъ русскому митрополиту Георгію (*De scriptis quae tribuuntur metropolitae russo Georgio*), Прав. Обозрѣніе, 1881, t. I. pp. 344-353; Id., op. cit., pp. 48-58; Golubinsky, t. I, 1, pp. 854-855.

(1) Hancce epistolam, ita inscriptam: *Ἰωάννου μητροπολίτου Ῥωσίας ἐπιστολὴ πρὸς Κλήμεντα πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης*, edidit primum Grigorovitch, Ученыя Записки Academiae scientiarum petropolitanae, II sectio, 1854, t. I, pp. 1-20; deinde Sophocles Oeconomos, *Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν* (sic) *Ἰωάννου μητροπολίτου Ρωσσίας ἐπιστολὴ πρὸς Κλήμεντα πάπαν Ῥώμης· ἐξ ἀπογράφου τῆς ἐν Πατμῷ ἱερᾶς μονῆς Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου*, Athenis, 1868; denique Pavlov, pp. 168-186. Vide Nevolin, О митрополитѣ Іоаннѣ, какъ сочинителѣ посланія къ арх. римскому Клименту объ опрѣсноках (*De Iohanne metropolita, tanquam auctore epistolae De Azymis ad Clementem antistitem romanum*), Petropoli, 1854; Macarium, t. II, pp. 174-178; Pavlov, pp. 58-62; Golubinsky, pp. 856-857.

(2) Popov, pp. 101-118; Pavlov, pp. 62-65; Macarius, t. II, pp. 178-185; 336-349; Golubinsky, t. I. 1, p. 857.

(3) Macarius, t. II, pp. 125-129; 322-324; Sreznevsky, Древніе памятники русскаго письма и языка (*Antiqua monumenta litteraturae et linguae russicae*), Petropoli, 1863, pp. 15-16.

(4) Golubinsky, pp. 859-860; Porphyriev, t. I, pp. 377-378.

(5) Странникъ, 1893, t. III, p. 84.

Saeculis XIII et XIV, russis scriptoribus testantibus, ne unus quidem theologus russus afferri potest qui certamen theologicum cum latinis inierit (1). Quaedam tantum illa aetate memorantur opera scriptorum byzantinorum infimi subsellii in russicum versa idioma. Saeculo autem XV perpaucae nullius momenti enarrationes de concilio florentino habentur (2), inter quas primum tenet locum *Historia concilii fiorentini* principis Andreae Kurbskii (3).

Saeculo XVI theologiam polemicam adversus Latinos in Russia excoluit iterum graecus scriptor, Maximus graecus, natus Artae anno 1480, defunctus vita in monasterio Sanctissimae Trinitatis in urbe Serghievo anno 1556. Hicce vir, tot discrimina passus, complures litteras, sermones, et responsiones exaravit, ubi tres potissimum refellit *haereses maximas* latinae Ecclesiae: nempe, azyma, purgatorium, illud Filioque (4). Conatur prae ceteris refellere Nicolaum Niemcin, virum catholicum, qui ea aetate morabatur Mosquae ac litteras conscripserat de ineunda unione Ecclesiarum (5).

(1) За XIII и XIV столѣтія мы не можемъ назвать ни одного русскаго писателя, оставившаго какое-нибудъ сочиненіе противъ латинянъ. — Pavlov, p. 68. Русскіе за это время ничего не написали противъ латинянъ. Delektorsky, p. 246.

(2) Delektorsky, Флорентійская унія по древне-русскимъ сказаніямъ и вопросъ о соединеніи церквей въ древней Руси (*Unio florentina iuxta veteres narrationes russicas et quaestio de unione ecclesiarum apud veteres Russos*), Странникъ, 1893, t. III, pp. 56-85 (continet historiam polemicae russicae saec. XI et XII); 236-259; 442-458.

(3) Hancce historiam edidit Ustrialov, in sylloge narrationum Kurbskii, Сказанія, Petropoli, 1833; 1842; 1868. Ad Kurbskium quod attinet haec praesertim opera adeunda: Жизнь князя Курбскаго въ Литвѣ (*Vita principis Kurbskii in Lithuania*), Kasan, 1858; Oppokov, Князь А. М. Курбскій, Kioviae, 1873; Petrovsky, Князь А. М. Курбскій, Petropoli, 1885; Iasinsky, Сочиненія кн. Курбскаго, какъ историческій матеріалъ (*Opera Kurbskii, ut rerum historicarum sylloges*), Kioviae, 1889.

(4) Porphiriev, t. I, pp. 520-521.

(5) Haec scripta Maximi graeci inserta fuere in primo volumine editionis kasanensis omnium ipsius operum: Сочиненія преп. Максима Грека изданныя при казанской духовной академіи, Kasan, 1860. De Maximo graeco egerunt: Gorsky, Максимъ Грекъ, святогорецъ (*Maximus graecus, hagiorita*), Приб. 1859, t. XVIII, pp. 144-192; Nilsky, Максимъ Грекъ, какъ исповѣдникъ просвѣщенія (*Maximus graecus, ut vindex culturae*), Христ. Чтеніе, 1862, t. I, pp. 313-386; Ikonnikov, Максимъ Грекъ: изслѣдованіе, t. I, Kioviae, 1865; t. II, 1866 (opus maximi momenti); Nelidov, Максимъ Грекъ, Mosquae, 1895; Sinaisky, Краткій очеркъ церковно-общественной дѣятельности преп. Максима Грека по части обличенія и исправленія заблужденій, недостатковъ, и пороковъ русскаго общества XVI в. (*Breve specimen rerum in russica Ecclesia gestarum a Maximo graeco, praesertim eius laborum pro corrigendis erroribus, vitiis et defectibus societatis russicae saec. XVI*), Petropoli, 1898.

Contumeliosam in latinos polemicam saeculo XVII pertractarunt in Russia hieromonachi Ioannicius (1633-1717) et Sophronius (1625-1730) Likhudae (*Λειχοῦδαι*), fratres cephallonitae, qui in lucem ediderunt percelebre opus, hocce titulo insignitum: Діалоги сирѣчь разглагольства грека учителя къ нѣкоему іисуиту, или Мечецъ духовный (*Dialogi, hoc est colloquia inter graecum magistrum et jesuitam quendam: seu Pugio spiritualis*) (1). De cunctis discrepantiis disceptat Sophronius Likhudes, etiam de Immaculata Conceptione Deiparae, ac potissimum aggreditur illud Filioque et primatum Romanorum Pontificum.

β' Post aetatem Petri Magni, vertente saeculo XVIII, theologia polemica generalis perpaucos tantum studiosos nacta est. At, in eadem genus illud contumeliosum disceptandi, quod tam Graeci byzantini, quam Graeci recentiores in deliciis habuere, apud Russos invaluit. Ductore enim Prokopovicio, ad studium theologiae lutheranae scriptores orthodoxi russi animum appulerunt, quo factum est ut eis promis usi fuerint in deligendis telis adversus Latinos. Ineptias enim ac deformationes historiae quas apud Russos veritas passa est, lutheranis theologis acceptas referunt scriptores orthodoxi russi recentioris oevi.

Saeculo XVIII inter osores theologiae catholicae eminuit in Russia Ambrosius Iuchkevitch, archiepiscopus novogrodensis, defunctus vita anno 1745 (2). Opus exaravit inscriptum: Основательное показаніе

(1) Editum est Kasan, anno 1866. Videtur hocce opus conscripsisse tantum Sophronium, Smentzovsky, p. 233. Demetracopulos duo refert opera Likhudarum, quorum primum inscribitur: *Πνευματικὸν ἐγχειρίδιον πρὸς ὑπεράσπισιν τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ Ανατολικῆς Ἐκκλησίας κατὰ τῆς ἀντιλογίας καὶ ἐπιμονῆς τῆς Δυτικῆς Ἐκκλησίας*; alterum vero: *Διάλογοι Ἕλληνος διδασκάλου πρός τινα Ἰησουΐτην*. Suspicor sub hisce titulis unum idemque opus latere: prae manibus tamen documenta non habeo, ut hanc rem ad liquidum explorem. De Likhudarum vita et scriptis egerunt: Smielovsky, Лихуды и направленіе теоріи словесности въ ихъ школѣ (*Likhudae ac doctrinae litterariae quae excultae fuere in schola ab eis condita*), Журн. м. н. просв., 1845, t. XLV, pp. 31-96; Obraztov, Братья Лихуды: эпизоды изъ исторіи русскаго просвѣщенія въ концѣ XVII в. (*Fratres Likhudae: excerpta quaedam ex historia culturae russicae ad finem saeculi XVII*), Ib., 1867, CXXXV, pp. 735-753; Lascaris, *Περὶ τῆς ἐν Μόσχᾳ ἑλληνικῆς Ἀκαδημίας ἤτοι περὶ τῶν ἀδελφῶν Λειχουδῶν, Περιοδικὸν* syllogi graeci const. t. II, 1864, pp. 24-44; Izviekov, Полемическая противопротестанская дѣятельность Лихудовъ (*Scripta polemica Likhudarum adversus protestantes*), Прав. Обозр., 1872, t. I., pp. 731-770; Smentzovsky, Братья Лихуды, Petropoli, 1899; Id., Церковно-историческіе матеріалы; дополнительныя приложенія къ изслѣдованію Бр. Лих., Petropoli, 1899 (Continet quaedam opera Likhudarum, vel ad Likhudas spectantia).

(2) Philaretus, Обзоръ, pp. 311-312; Русскій біографическій Словарь, t. II. Petropoli, 1900, pp. 91-92.

разностей между греческою и римскою папскою церковію (*Fundamentalis denuntiatio discrepantiarum quae inter graecam ac pontificiam Ecclesiam intercedunt*). Hocce opus lucem adhuc non aspexit. Decem in eo recenset Ambrosius discrepantias inter Orientem atque Occidentem, in eisque disquirendis catholicam theologiam aggreditur. Manasses Maximovicius, rector academiae kioviensis (1755-58) ut auctor effertur operis polemici, latino idiomate conscripti, *De dissensione inter romanam et graecam Ecclesiam*, quod pervulgatum est typis anno 1754 (1).

Saeculo autem XIX primas tenet inter scriptores theologiae polemicae Innocentius Novogorodov, rector academiae kasanensis, natus anno 1823, defunctus vita anno 1868 (2). Theologiam polemicam generalem, quatuor voluminibus contentam, typis mandavit. Potior huiusce operis pars in latinis *novitatibus* debellandis versatur (3). Fucum facit auctor commenticia eruditione, qua nititur lippis ostendere traditiones Patrum in cunctis, vel in minimis, doctrinis atque institutis catholicae Ecclesiae refragari.

Theologiam polemicam generalem complectuntur etiam praecitata opera Vostokovi: Объ отношеніи римской Церкви къ другимъ христіанскимъ Церквамъ et Muravievi: Правда вселенской Церкви о римской и прочихъ патріаршихъ каѳедрахъ (4). Constantinus Osipovitch de Skrokhovsky, qui vita defunctus est anno 1906 (5), incomptam composuit farraginem, quam hocce perridiculo titulo exornavit: *Ex tenebris ad lucem, hoc est, Papatus atque orbis slavicus* (6). Tot in ea dicaculus hicce vituperator catholicae Ecclesiae disseminavit, immo coacervavit mendacia, dicteria et calumnias, ut vel infensi catholicae fidei scriptores russi hocce opus nigro lapillo notent, ut partium studio addictum, atque historicae veritati absonum (7).

(1) Eugenius, Словарь, t. II, p. 41; Philaretus, p. 327; Serebrennikov, Кіевская Академія etc., p. 13. Hocce opus non extat in bibliotheca universitatis vratislaviensis.

(2) Znamensky, Исторія казанской духовной Академіи, t. I, pp. 215-248.

(3) Богословіе обличительное, t. I, Kasan, 1859, pp. 242-483; t. II, p 1-431.

(4) Hocce opus recusum est Mosquae, anno 1903. Id transtulit in graecum idioma Vallianos: *Ἀλήθεια τῆς οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας περὶ τῆς ῥωμαϊκῆς καὶ τῶν λοιπῶν πατριαρχικῶν καθεδρῶν*, Athenis, 1854. Typis etiam mandavit Muraviev opus gallice exaratum: *Question religieuse d'Orient et d'Occident*, Petropoli, 1858, ubi praesertim in immaculatam Deiparae conceptionem invehitur, pp. 347-428.

(5) Церковныя Вѣдомости, 1906, 44, pp. 2908-2909.

(6) Отъ мрака къ свѣту, или папство и славянскій міръ, Petropoli, 1900.

(7) Прав. бог. энц., t. IX, col. 249.

Theologia polemica adversus Latinos traditur in academiis ecclesiasticis russicis, ut disciplina cuius studium necessario non pertinet ad cunctos alumnos. Ante annum 1856 una cum theologia dogmatica explanabatur (1). Recentior autem constitutio academiarum ecclesiasticarum decernit, ut in theologia dogmatica doctrina orthodoxa cum absonis ab ea sententiis *heterodoxarum* Ecclesiarum comparetur atque exponatur (2). In seminariis russicis cathedra peculiaris habetur theologiae polemicae, historiae et confutationis russici schismatis. Exinde factum est ut complura in praesentiarum alumnorum ecclesiasticorum manibus terantur compendia theologiae polemicae, quae catholicam theologiam aeque ac lutheranam perfunctorie refellunt. Inter scriptores russos, qui haec compendia typis vulgarunt, satis habeo meminisse I. Truskovskium (3), L. Epiphanovicium (4), atque I. Perovium (5).

Scriptis theologiae polemicae generalis adversus Latinos ea puto adscribenda, quae ficta lineamenta catholicae Ecclesiae affingere student (6).

(1) Znamensky, op. cit., t. II, p. 250.

(2) Церк. Вѣдомости, 1910, 18, p. 133.

(3) Руководство къ обличительному богословію, Mohilevii, 1889.

(4) Записки по обличительному богословію, Novocerkassk, 1904.

(5) Руководство къ обличительному богословію, Tula, 1905.

(6) Praecipua scriptorum orthodoxorum opera quae indolem, naturam, proposita catholicae Ecclesiae describere conantur pravumque in sensum detorquere, haec sunt: Philaretus (metr.), Разговоры между испытующимъ и увѣреннымъ о православіи Восточной греко-россійской Церкви (*Dialogi inter virum inquirentem in ὀρθοδοξίαν Ecclesiae orientalis graeco-russicae, ac virum de ea convictum*), Petropoli, 1815 (graece hocce opus vertit Vallianos, Athenis, 1853); Stourdza, *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Église orthodoxe*, Vimariae, 1816; germanice, Lipsiae, 1817. De vita auctoris, qui natus Constantinopoli anno 1786, mortem obiit anno 1854, fuse disseruit hieromonacus Anthimus, Александръ Стурдза, Странникъ, 1864, t. II, pp. 5-57. Ipsius scripta, in unum collecta, edita fuere Parisiis, 1858-1861: *Oeuvres posthumes, religieuses, historiques, philosophiques, et littéraires* (quinque volumina); Osinin. Взглядъ на характеръ и направленіе западныхъ христіанскихъ вѣроисповѣданій (*Considerationes circa indolem ac tendentias Ecclesiarum christianarum occidentalium*), Хр. Чтеніе, 1862, t. I, pp. 129-151; Id., О коренныхъ свойствахъ и истинномъ значеніи Церкви христовой (*De nativis proprietatibus ac vera significatione Ecclesiae Christi*), Ib., 1862, t I, pp. 515-530; Отвѣты на нѣсколько возраженій противъ православной Церкви (*Responsiones ad quasdam obiectiones contra Ecclesiam orthodoxam*), Чт. об. л., 1865, t. II, pp. 1-16; Ivantzov-Platonov, О римскомъ католицизмѣ и его отношеніяхъ къ православію (*De romano catholicismo eiusque relationib ad Ecclesiam orthodoxam*), Mosquae, 1869 (opus maximi momenti); Bieliaev, Пелагіанскій принципъ въ римскомъ католичествѣ (*Principium pelagianum in catholicismo romano*), Kasan, 1871; Id., Характеристика римскаго католичества съ точки зрѣнія папскаго догмата (*Indoles propria catholicismi romani, prout nobis eam exhibet dogma pontificium*), Kasan, 1878; О католицизмѣ: критическія

Theoria enim evolutionis abusi, fabulantur romanam Ecclesiam suam constitutionem ad normam legum civilium imperii romani exegisse, iuridicam partem in rebus ecclesiasticis dignam tantum aestimasse, quae impense coleretur (1). Religio amoris et gratiae, ipsius opera in

---

замѣтки по поводу заграничнo-русской апологіи папства: О Церкви (*De catholicismo: adnotationes criticae in apologiam Romani Pontificatus, quae inscribitur De Ecclesia, atque extra Russiam prodiit in lucem*), Kasan, 1889. De auctore operis О Церкви vide *La Chiesa russa*, p. 645; Id., Основной принципъ римскаго католицизма (*Principium fundamentale romani catholicismi*), Kasan, 1895 (opus maximi momenti). Placita Bieliaevi exposuit Kireev germanice: *Der Grundsatz des römischen Katholizismus, Revue Internationale de Théologie*, t. I, 1893, pp. 610-631. Nicolaus Bieliaev, professor academiae kasanensis, obiit anno 1894, Церк. Вѣстникъ, 1894, coll. 637; 646-48; 663-64; Пр. бог. энц., t. II, coll. 1277-1279; Krainsky, О католицизмѣ по католическимъ источникамъ (*De catholicismo iuxta fontes catholicos*), Kioviae, 1873; Katansky, Характеристика православія, римскаго католичества и протестанства (*Indoles Ecclesiae orthodoxae, catholicismi romani et protestantismi*), Хр. Чтеніе, 1875, t. I, pp. 3-32; Terner, Взглядъ И. Кирѣевскаго на римское католичество (*Considerationes Kirieevi circa romanum catholicismum*), Пр. Обозрѣніе, 1884, t. III, pp. 115-154; 305-325; Istomin, Основныя начала православія (*Principia fundamentalia τῆς ὀρθοδοξίας*), Вѣра и Разумъ, 1884, t. I, sectio I, pp. 11-36; B., Церковно-религіозныя отношенія на Западѣ и Вселенская Церковь (*Relationes ecclesiasticae et religiosae erga Occidentem atque Ecclesia universalis*), Прав. Обозр., 1886, t. I, pp. 171-202; 482-506; Verkhovsky, Голосъ православнаго противъ папизма на западѣ и на востокѣ (*Vox orthodoxi contra papismum ad Orientem atque Occidentem*), Cernovitz. 1886; Kireev, Католизизмъ и Россія (*Catholicismus et Russia*), Mosquae, 1888; Tzarevsky, Православіе, какъ единая въ мірѣ истинная и спасающая религія (*Ὀρθοδοξία, ut unica in orbe vera et salvos faciens homines religio*), Пр. Соб., 1894, t. I, pp. 319-356; Vlastos, *Παπισμὸς καὶ ὀρθοδοξία, Σύμμικτα*, Alexandriae, 1904. Vide Gengler, *Das Glaubensprincip der griechischen Kirche, im Vergliche mit dem der römisch-katholischen Kirche und andern religiösen Denkweisen unserer Zeit*, Pabebergae (Bamberg), 1829.

(1) Hancce sententiam saepe saepius tuiti sunt scriptores protestantes. Audiatur Kist: « Doctrinae explorare et intelligere placita, hoc semper maxime graeci ardebant: in vitae vero, cum privatae, tum imprimis publicae, illa componere usum, id studiosius omni tempore latini egerunt. Idem in sectis adeo patet, quarum inter utrosque origo et natales fuerunt. Latini enim fere nullas habuerunt, nisi ansam praebente ecclesiastica disciplina: graeci vix alias, nisi quae ab ipsius doctrinae norma recederent. Et prout, in extrema ruentes Latini, practici imprimis argumenti errore peccasse censendi sint, sic disquisitionibus nimis indulgendo haereticis graeci ». — *Oratio de Ecclesia graeca, divinae Provvidentiae teste*, Lugduni Batavorum, 1827, p. 8. Haec etiam Holls: « Greek theology had its root in greek philosophy, and its professors were the proper successors of the sophists: while Western theology was largely based on the roman law, and roman theologians argued with the precision of advocates. — *Sancta Sophia and Troitza, a tourist's notes on the oriental Church*, Neo-Eboraci, 1888, p. 7.

rudi codice quodammodo inclusa est, atque ope violentiae imposita. Actis externae pietatis summum vindicatum est pretium. Regnum Christi suam penitus amisit indolem ac naturam, ut in regimen politicum, in terrenum imperium sese immutaret (1). Et quasi haec satis non esset inquinatio paganismi, qua effutiunt romanam Ecclesiam sordescere, perfricta fronte scioli quidam orthodoxi eam insimulant iudaismi, pelagianismi, ac rationalismi placitis favisse (2).

Haec quum ita se habeant, sua sponte fluit theologis catholicis in id praesertim incumbendum, ut catholicam Ecclesiam suam hodiernam constitutionem verbo Dei in Sacris Scripturis contento acceptam referri luculenter probent, nec non traditionem christianam hancce constitutionem ut divinitus propositam agnovisse. Qua in re, comparatione instituta Ecclesiae catholicae cum Ecclesiis orthodoxis, pronum erit colligere praecipuum decus verae Christi Ecclesiae, unitatem scilicet fidei ac regiminis illam servasse; hasce vero decus illud misere deperdidisse.

3. *Πηδάλιον*, idest gubernaculum, audit apud Graecos sylloges canonum Apostolorum, Patrum, et Conciliorum, qua sylloge, ut navis gubernaculo, regitur Ecclesia:

Ἰθύνεται μὲν πᾶσα ναῦς πηδαλίῳ,
Βίβλῳ δὲ τῇδε πᾶσα ἡ Ἐκκλησία.

Compositores *Πηδαλίου* duo potissimum habentur scriptores graeci, nimirum Agapius Peloponnesiacus, qui medio saeculo XVIII lucem aspexit Dimitsanae, vitaque defunctus est anno 1815 (3), et Nicodemus Hagiorites ex Naxo, natus anno 1748 vel 1749, et morte abreptus anno 1809, permultorum operum auctor quae typis pervulgata fuere, vel bibliothecarum in scriniis inedita delitescunt (4).

(1) *Revue Intern. de Théologie*, t. I, p. 611. Haec eadem recens studiosus byzantinae historiae commentatus est: « Le schisme entre les deux Églises tient beaucoup plus à une question de souveraineté qu'à une question de dogme... Après avoir su profiter des circonstances pour s'affranchir temporellement et spirituellement de l'empire byzantin, la papauté avait espéré reconstituer l'empire romain tout entier à son profit, et en faire une vaste théocratie ». — Grenier, *L'empire byzantin, son évolution sociale, et politique*, t. I, Parisiis, 1904, pp. 53, 60.

(2) Commenta Bieliaevi, ad catholicismi indolem quod attinet, in altero volumine operis nostri delebimus.

(3) Vretos, *Νεοελληνικὴ φιλολογία*, t. I, p. 172; Sathas, pp. 626-629.

(4) Sathas, pp. 624-626. De vita et scriptis Nicodemi fuse disseruit K. Z., О жизни и трудахъ Никодима святогорца, Душеп. Чтеніе, 1865, t. III, pp. 154-176 (10); 109-127 (11).

Praecitati scriptores in vulgare graecorum idioma canones transtulere, eosque adnotationibus instruxere, ac typis mandarunt Lipsiae anno 1800 hocce prolixo titulo insignitos: *Εἰς δόξαν Πατρός, Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, Πηδάλιον τῆς νοητῆς νηός, τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς τῶν ὀρθοδόξων Ἐκκλησίας, ἤτοι ἅπανιες οἱ ἱεροί, καὶ θεῖοι κανόνες τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων· τῶν ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων· τῶν τοπικῶν· καὶ τῶν κατὰ μέρος θείων Πατέρων. Ἑλληνιστὶ μέν, χάριν ἀξιοπιστίας ἐκτιθέμενοι, διὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς κοινοτέρας διαλέκτου πρὸς κατάληψιν τῶν ἁπλουστέρων ἑρμηνευόμενοι, παρὰ Ἀγαπίου ἱερομονάχου, καὶ Νικοδήμου μοναχοῦ· καὶ μετ' ἐπιμελείας ἀνακριθέντες, καὶ διορθοθέντες, ψήφῳ τοῦ παναγιωτάτου, καὶ τῆς ἱερᾶς καὶ ἁγίας Συνόδου, ἐπιστασίᾳ δὲ καὶ ἐπιμελείᾳ τοῦ εὐτελοῦς ἐν ἱερομονάχοις Θεοδωρίτου Ἀθανασίου τοῦ ἐξ Ἰωαννίνων.*

Recusum est *Πηδάλιον* Athenis, anno 1841, expensis fratrum Zosimadarum; anno 1864, curante Sergio Rhaphtane ex Zacyntho; anno 1886 opera et studio Antonii monachi, atque Apostoli Pheretopuli. Hancce postremam editionem prae manibus habemus. Iussu Neophyti VII, patriarchae Const. (*β'* 1798-1801), sphalmata quaedam operis emendarunt Dorotheus *ἱεροκῆρυξ* magnae Ecclesiae, Athanasius Parius, et Macarius, metropolita Corinthi.

In prooemio ad cunctos orthodoxos rationes aperiuntur, quibus compositores *Πηδαλίου* ad suum opus conscribendum incitati fuere, nimirum ut doctos aeque ac rudes litterarum iuvarent, tum canonibus in vulgare idioma graecum conversis, tum eis adnotationibus instructis, unoque in volumine doctrina multorum librorum congesta, quorum perpauca tantum supersunt exemplaria eaque nonnisi impensa pecunia emenda (1). Insuper visum est auctoribus *Πηδαλίου* codices manuscriptos nomocanonis photiani multis in locis vitiatos fuisse corruptosque, ac non sine animarum iactura manibus teri, quia *ὁ σκαμβὸς κανὼν σκαμβᾶ ποιεῖ καὶ τὰ κανονιζόμενα.* Ex purissimis igitur fontibus purissimum nomocanonis textum mutuati sunt compositores *Πηδαλίου*, ut adulteratas ipsius editiones procul arcerent a studiosorum manibus (2).

(1) Ita interpretati sumus, Nicolskium sequuti, difficiliorem intellectu huncce locum prooemii: *Καὶ τούτους καὶ ἐκείνους ὁμοῦ* (doctos atque indoctos), *πλουτίζοντες, δύσκολον μὲν νὰ εὑρεθῇ, διὰ τὸ ὀλιγοτύπωτον, δυσκολώτερον δὲ νὰ ἀποκτηθῇ ἀπὸ τὸν καθ' ἕνα διὰ τὸ πολυέξοδον.* — *Πηδάλιον*, p. 2.

(2) De fontibus canonicis *Πηδαλίου*, de canonum in vulgare Graecorum idioma versione, deque adnotationibus res canonicas illustrantibus, nihil ad nos pertinet

At, Agapius et Nicodemus statutos sibi limites saepe saepius praetergressi, provinciam theologiae polemicae adversus Latinos vesano furentes odio pervaserunt. Exinde factum est ut *Πηδάλιον* magno usui apud Graecos esse consueverit, tanquam panoplia, ex qua cuique liceret orthodoxo venenata tela ad Latinos confodiendos depromere. Suis in adnotationibus, quibus profusa liberalitate canones instruxere, compositores *Πηδαλίου* tot conviciis latinos prosciderunt, tot in eos maledicentissima dicteria evomuere, ut vel ipsi scriptores orthodoxi tantam pervicaciam stomachati sint. Ne cuique detur ansa suspicandi, me partium studio addictum, *Πηδάλιον* graecum inique iudicasse, mei officii duco pauca ipsius excerpta in medium proferre.

Compositores *Πηδαλίου* effutiunt latinos baptismate ablutos non esse, propterea quod trinam immersionem oblitterant. Et quaenam est ratio, quae Graecis ius confert eos iudaeis atque ethnicis adnumerandi?... « Hocce tantum, aiunt veteratores nostri, quod tot iam saecula odium vehementissimum in eos concoquimus, satis abunde probat eos ut haereticos nos odisse, perinde ac si essent Ariani, vel Sabelliani, vel Macedoniani, Spiritus Sancti osores » (1). Azyma digna sunt, quae gravissimis percellantur anathematis, cuius rei in promptu est ratio. Nicolaus enim Hydruntinus, theologus byzantinus qui vixit saeculo XIII, in tractatu de Azymis refert latinos, post captam byzantinam urbem, in regio thesauro invenisse lignum Sanctae Crucis, spineam Iesu Christi coronam, unumque ex clavis, quo Dominus noster affixus est cruci. In arcula vero aurea gemmis distincta, frustulum panis Latini detexere, quo Iesus Christus usus est cum suis discipulis in ultima coena. Hicce autem panis azymus non erat, qua de re latini enixis viribus studuerunt frustulum illud ab omnium oculis removere (2).

---

disserere. Hancce provinciam summa diligentia exploravit Nikolsky, Греческая кормчая книга, пидаліонъ: изслѣдованіе (*Graecus liber, qui gubernaculum dicitur: disquisitio*), Mosquae, 1888, pp. 68-234.

(1) *Ὅτι δὲ οἱ Λατῖνοι εἶναι αἱρετικοί, δὲν εἶναι κἄμμία χρεία ἐπὶ τοῦ παρόντος νὰ κάμωμεν καμμίαν ἀπόδειξιν. Αὐτὸ γὰρ τοῦτο, ὁποῦ τόσον μῖσος καὶ τόσην ἀποστροφὴν ἔχομεν ἤδη τόσους αἰῶνας πρὸς αὐτούς, εἶναι μία φανερὰ ἀπόδειξις, ὅτι ὡς αἱρετικοὺς τοὺς βδελυττόμεθα, ὅ τι λογῆς δηλαδὴ καὶ τοὺς Ἀρειανούς, ἢ Σαβελλιανούς, ἢ πνευματομάχους Μακεδονιανούς.* — *Πηδάλιον*, Athenis, 1886, p. 56.

(2) *Διηγεῖται Νικόλαος ὁ Ὑδροῦντος ἐν τῷ κατὰ ἀζύμων, ὅτι ὅταν οἱ Φράγγοι ἔλαβον τὴν Κωνστ., εὗρον εἰς τὸ βασιλικὸν σκευοφυλάκιον, τὰ τίμια ξύλα, τὸν ἀκάνθινον στέφανον, τὰ σανδάλια τοῦ Σωτῆρος, καὶ ἕνα καρφί. Εὗρον δὲ καὶ ἔν τινι σκεύει χρυσῷ λιθομαργαριτοκολλήτῳ ἄρτον, ἀπὸ τὸν ὁποῖον ἔδωκεν ὁ Κύριος*

Ad hilaritatem autem lectores provocat argumentum illud, quo piis orthodoxis suadetur latinos, qui calendarium novarunt, infandum crimen commisisse. Heliopoli enim, quae civitas est in Aegypto ob magnas pyramides clarissima in orbe terrarum, prodigium dictu visuque mirabile quotannis peragit Deus. Quarta feria omnis hebdomadae sanctae iuxta Graecorum, haud sane Latinorum computationem, latissimus ager ossibus ac sceletis hominum, qui superiore aetate mortem obiere, plane completur eaque exagitantur, iactantur, volvuntur divina virtute usque ad feriam quintam ascensionis, quo tempore penitus sese condunt, neque fas est ea iterum aspicere usque ad hebdomadam sanctam insequentis anni (1).

Latini flocci faciunt canonem XCVI concilii oecumenici sexti, quia comam et barbam sibi tondent ut videantur iuvenculi, belluli, delicati ad instar mulierum. Deus sacrilegum hocce facinus prohibuit, quo factum est ut Iesus Christus, Apostoli, sanctissimique viri Ecclesiae latinae barbam crinemque paverint. Barba enim illud est, quo homo differt a muliere. Et revera, philosophus quidam rogatus cur barbam prolixam ostentaret, respondit: « Quoties digitis contrecto barbam, persuasum mihi est mulieribus me non adscribendum » (2).

In confesso est, iuxta *Πηδάλιον*, perantiquos inter haereticos latinos reddendos esse. Baptismate enim abluti non sunt, ut Basilius, Cyprianus, Firmilianus testantur, quapropter laicis adnumerantur.

τοῖς Ἀποστόλοις. Διὸ καὶ ἐπιγραφὴν τοιαύτην εἶχε. « Ἐνθάδε κεῖται ὁ θεῖος ἄρτος, ὃν ὁ Χριστὸς τοῖς μαθηταῖς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου διένειμεν, εἰπών· « Λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου ». Ἐπειδὴ δὲ ἦτον ἔνζυμος, ἠβουλήθησαν νὰ τὸν κρύψουν οἱ εὑρόντες αὐτὸν δυτικοί. — Ib., p. 88.

(1) *Κατὰ τὰ μέρη τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Ἡλιουπόλεως, ὁποῦ εἶναι αἱ δύω μεγάλαι Πυραμίδες, ἐνεργεῖ ὁ Θεὸς κάθε χρόνον τοιοῦτον, δηλ. κατὰ τὸ ἑσπέρας τῆς μεγάλης πέμπτης τῆς ἑδικῆς μας (ὄχι τῶν Λατίνων), κερνᾷ ἡ γὴ λείψανα καὶ κόκκαλα παλαιὰ ἀνθρώπινα, ἀπὸ τὰ ὁποῖα γεμίζει ἕνας εὐρύχωρος κάμπος, ἅτινα στέκονται ἕως τὴν πέμπτην τῆς Ἀναλήψεως, καὶ τότε κρύπτονται, καὶ παντελῶς παντελῶς δὲν φαίνονται, ἕως οὗ νὰ ἔλθῃ πάλιν ἡ μεγάλη πέμπτη.* — Ib., p. 22.

(2) *Ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος ἐλέγχονται οἱ τῶν Λατίνων ἱερεῖς, οἱ τοὺς μύστακας καὶ τὰ γένεια ξυρῶντες, καὶ φαινόμενοι ὡς νεανίσκοι καὶ νυμφίοι ὡραῖοι καὶ γυναικοπρόσωποι. Ὁ γὰρ Θεὸς ἐμποδίζει μὲν κοινῶς ἀπὸ τοὺς λαϊκοὺς νὰ ξυρίζωσι τὰ γένεια... Ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ μὲ γένεια ἐπολιτεύθη κατὰ τὴν ἐν σαρκὶ παρουσίαν αὐτοῦ. Καὶ οἱ προπάτορες, καὶ πατριάρχαι, καὶ προφῆται, καὶ ἀπόστολοι, μετὰ γενείων ἐπολιτεύθησαν... καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἅγιοι... Τὰ γένεια γὰρ εἶναι ἡ διαφορά, ὁποῦ κατὰ τὸ φαινόμενον διακρίνουσι τὴν γυναῖκα ἀπὸ τὸν ἄνδρα. Διὸ καὶ ἕνας φιλόσοφος ἐρωτηθείς, διὰ τί τρέφει γενειάδα; ἀπεκρίθη, ὅτι ὅσαις φοραῖς πιάνο τὴν γενειάδα μου, αἰσθάνομαι, ὅτι εἶμαι ἄνδρας, καὶ ὄχι γυναῖκα.* Ib., p. 251.

gratia Spiritus Sancti exuuntur, et sacramenta Ecclesiae valide non conficiunt (1).

Abstinemus a ceteris ineptiis, quibus totum farcitur ingens volumen *Πηδαλίου* afferendis. In eo enim, verbis utar Lebedevi, adnotatiuncula vix datur, quae ridicularia non praeseferat. Graeci odium concoquunt adversus Latinos, vesanum quidem illud odium quo barbari viros excultos prosequuntur. Methodus polemica quam mordicus tenent compositores *Πηδαλίου* huiusmodi est ut nos Graecorum pudeat, eosque nos commiseremus (2). Tot venditat *Πηδάλιον* fabulas, ut vel apud schismaticos russos (раскольники) ineptias illas ineptissimas non invenias, quas Graeci *κατ' ἀντίφρασιν* exculti in opere *Πηδάλιον* profusa liberalitate congesserunt (3).

Hoc idem sentit Nikolsky: « Fateamur oportet odium atque aversionem in Latinos, quotiescumque fert occasio, tanta perversitate in opere *Πηδάλιον* sese pandere, ut planum sit obviumque catholicum quemque virum id non sine ira maximoque fastidio lecturum » (4).

Ad compositores *Πηδαλίου* optime quidem referri possent asperrima verba, quae de vetustis theologis graecis Alphonsus de Castro locutus est: « Hic est Graecorum genus, ut numquam nugari desinat, semperque in anilibus fabulis fingendis operam consumat » (5). At, quantavis ponatur ipsius futilitas, theologos catholicos hocce opus refellere interdum iuvat. Exploratum enim est presbyteris monachisque graecis male elucubratam farraginem *Πηδαλίου* maxime probari impenseque ab eis coli, ipsiusque veneno imbibi. Hac de causa inconsulto

(1) *Ὄντας ὁμολογούμενον, πῶς οἱ Λατῖνοι εἶναι παμπάλαιοι αἱρετικοί, ἐν πρώτοις εὐθὺς ἀπὸ τοῦτο εἶναι ἀβάπτιστοι, κατὰ τὸν μέγα Βασίλειον, καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ ἁγίους, Κυπριανὸν καὶ Φιρμιλιανόν. Διατὶ λαϊκοὶ γενόμενοι, μὲ τὸ νὰ ἐξεκόπησαν ἀπὸ τὴν ὀρθόδοξον Ἐκκλησίαν δὲν ἔχουσι πλέον μὲ λόγου τους τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, διὰ τῆς ὁποίας οἱ ὀρθόδοξοι ἱερεῖς τελειόνουσι τὰ μυστήρια.* — Ib., p. 57. Huiusmodi ridicularia fas est reperire apud ceteros scriptores graecos saeculi XVII et XVIII. Eustratius Argentis, verbigratia, ostendit Latinos defecisse a sacerdotio, et baptismate ablutos non esse, quia eorum baptisteria male olent, et vermibus scatent: *Ἐπειδὴ οἱ Λατῖνοι ἐξέπεσον τῆς τε ἱερωσύνης, καὶ τοῦ θείου βαπτίσματος, διὰ τοῦτο δυσωδίας καὶ σκωλήκων γέμουσι τὰ τῶν Λατίνων ἁγιάσματα, ὡς καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων. — Βιβλίον καλούμενον ῥαντισμοῦ στηλίτευσις*, Lipsiae, 1758, p. 156. Vide scriptiunculam nostram: *Il Πηδάλιον e i teologi russi, Bessarione*, t. VI, 1899, pp. 605-609.

(2) Полемика Грековъ противъ латинянъ, какъ она выражена въ кормчей-просто заставляетъ стыдиться за Грековъ и отъ души жалѣть ихъ. — Исторія греко-восточной Церкви, 568.

(3) Ib., p. 569.

(4) Op. cit., p. 275.

(5) *Adversus haereses*, lib. VI, *Opera omnia*, t. I, Parisiis, 1578, col. 421.

sese gererent theologi catholici cum orthodoxis decertantes, si ridicularia *Ηηδαλίον* alto praeterveherent silentio.

4. Synodus brestensis, quae anno 1596 congregata est, in Russia meridionali atque occidentali sub dominatu polonico ditissimae litteraturae polemicae initium dedit, cuius historiam nuperi scriptores russi diligentissime pervestigarunt (1). Longus quidem fierem, si ex ordine

(1) Historiam huius polemicae vel ex instituto, vel per transennam subsequentia pertractant opera: Ternovsky, Южно-русское проповѣдничество въ XVI и XV ст. (*Praedicatio in Russia meridionali saeculis XVI et XVII*), Kioviae, 1869; Malinovsky, Проповѣдническая дѣятельность Георгія Конисскаго (*Opera praedicabilia Georgii Koniskii*), Рук., 1871, t. II, pp. 266-278; 298-311; 348-359; 418-430; Ternovsky, Характеристика южно-русской схоластической проповѣди въ связи съ проповѣдью западно-европейскою и польскою (*Indoles praedicationis scholasticae Russiae occidentalis comparatae cum praedicatione Europae occidentalis et Poloniae*), Kioviae, 1875; Malychevsky, Новый рукописный сборникъ западно-русскихъ полемическихъ сочиненій (*Nova sylloges manuscripta operum polemicorum Russiae occidentalis*), Trudy K. D. A., 1875, t. II, pp. 193-222; Golubev, Матеріалы для исторіи западно-русской православной церкви XVI и XVII стол. (*Documenta quae ad historiam pertinent Ecclesiae orthodoxae Russiae occidentalis saeculis XVI et XVII*), Kioviae, 1878: Sieletzky, Острожская типографія и ея изданія (*Typographia ostrogensis eiusque editiones*), Pociaev, 1885; Arkhangelsky, Борьба съ католичествомъ и западно-русская литература конца XVI и первой половины XVII вѣка (*Certamen cum catholicismo et litteratura Russiae occidentalis saeculo XVI et dimidio saeculi XVII*), Mosquae, 1888; Id., Борьба съ католичествомъ и умственное пробужденіе южной Руси къ концу XVI вѣка (*Certamen cum catholicismo et vitae intellectualis excitatio in Russia meridionali exeunte saeculo XVI*), Kioviae, 1886; Id., Очерки изъ исторіи западно-русской литературы XVI-XVII вѣка (*Specimina historiae litteraturae Russiae occidentalis saeculis XVI et XVII*), Mosquae, 1888; Vladimirov, Обзоръ южно-русскихъ и западно-русскихъ памятниковъ письменности отъ XI до XVII ст. (*Conspectus monumentorum litteraturae Russiae occidentalis et meridionalis a saeculo XI usque ad XVII*), Kioviae, 1890; Petrov, Западнорусскія полемическія сочиненія XVI в. (*Opera polemica Russiae occidentalis saec. XVI*), Trudy K. D. A., 1894, t. I, pp. 154-186; 343-383; 510-535; Markovsky, Антоній Радивиловскій, южно-русскій проповѣдникъ XVII в. (*Antonius Radivilovsky, praedicator Russiae occidentalis saec. XVII*), Kioviae, 1894; Golubev, Неизвѣстное полемическое сочиненіе противъ папскихъ притязаній въ юго-западной Россіи (*Ignotum usque in praesens polemicum opus contra postulata pontificia, exaratum in Russia occidentali et meridionali anno 1633*), Kioviae, 1899; Golubev, Петръ Могила, t. II, pp. 240-402. De scriptoribus catholicis polemicae brestensis egit Pelesz, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, t. II, Vindobonae, 1881, pp. 377-418. Quum pleraque opera huiusce polemicae idiomate polonico exarata sint, cuique daretur ansa suspicandi scriptores polonos hanc provinciam sedulo pervestigasse. Ad historiam polemicae brestensis quod attinet, pauca et quidem minus accurata enarravit laudatus Wiszniewski, *Historya literatury polskiey*, t. VIII, Cracoviae, 1851,

recensere vellem quotquot ab orthodoxis *unitis* ac latinis scriptoribus, ante vel post coactam synodum brestensem in lucem edita fuere volumina. At compertum est haec volumina plerumque de rebus historicis agere, quae a proposito nostro aliena sunt, vel tot vitiis scatere ut parum emolumenti studiosis theologiae polemicae sint allatura. Potiora igitur videtur nobis heic memoranda, quae latinas, ut aiunt novitates, calamis felle intinctis, aggrediuntur (1).

Certamen pro fide catholica tuenda, Synodo brestensi nondum coacta, doctrinae copia et zelo pro salute animarum procuranda, inierunt clarissimi viri Petrus Skarga S. I. (1536-1612), sincerus nobilium polonorum castigator oevi sui (2) ac Benedictus Herbestus S. I. (1531-

---

pp. 248-405. Doctam et perspicuam de eadem commentationem litteris mandavit Brückner, *Spory o unię w dawnej literaturze*, *Kwaltarnik historyczny*, 1896, t. X, pp. 522-577, qui vehementer conquestus est suos concives polonos, veterum traditionum immemores, tolerasse ut polemicae brestensis historiam litterariam scriptores russi tantum excolerent: « Provinciam totam litteraturae polemicae, quae agitata est inter catholicos, unitos atque orthodoxos, penitus abalienavimus (*cał to pole oddaliśmy dziś zupełnie*) scriptoribus et bibliographis russis. Praeterita aetate hoc non accidit. Scriptores russi permulta documenta et commentationes de hac polemica in lucem protulerunt: haec tamen nos polonos generatim latent, quia, quae russica sunt, non leguntur », ib., p. 579. Haec verba Mohlianis recolenda, quorum ingens labor pro schismate debellando totus fere in eo est, ut calumnias colligunt evulgentque adversus scriptores catholicos unionem Ecclesiarum studentes.

(1) Praecipua opera polemicae brestensis, altero dimidio saeculi XIX, scriptores russi sedulo collegerunt atque ediderunt in voluminibus quae inscribuntur: Акты относящіеся къ исторіи южной и западной Россіи (*Acta spectantia ad historiam Russiae meridionalis atque occidentalis*), t. II, Petropoli, 1865; Архивъ юго-западной Россіи (*Archivum Russiae occidentalis ac meridionalis*), t. VII, Kioviae, 1887; t. IX, 1893; Русская историческая библіотека (*Bibliotheca historica russica*), t. IV, Petropoli, 1878; t. VII, 1882; t. XIX, 1903 (Haec sylloges, quam edidit commissio archaeographica petropolitana, manibus terenda est cunctis studiosis theologiae polemicae russicae); Studinski, Памятки полэмичного письменства кінца XVI поч. XVII в. (*Monumenta polemicae litteraturae saeculi XVI atque initii saeculi XVII*), t. I, Leopoli, 1906. Eruditum prooemium huic volumini praefixit editor, pp. I-LXII. Accuratum elenchum scriptionum polemicarum, quae ad unionem brestensem referuntur, pertexuit M. Koialovitch: Замѣчанія объ источникахъ для исторіи литовской церковной уніи (*Adnotationes circa fontes historiae unionis lithuanicae*), Христ. Чтеніе, 1858, t. II, pp. 339-390.

(2) De perillustri hoc viro in historia litteraturae polonicae prolixum opus, pseudonymo Rychcickii, typis mandavit Dzieduszi, *Piotr Skarg i jego wiek*, Cracoviae, 1850-51; altera editio 1868. De eo apud russos egit: Stelmachenko, Политическая дѣятельность Петра Скарги: историческое изслѣдованіе (*De vita politica Petri Scargae: disquisitio historica*), Kioviae, 1902. Iudicia huiusce scriptoris veritati absona castigavit Suchko in opella ruthenice exarata: Петро

1593) (1) Ille typis mandavit anno 1577 opus cui titulus: *De unitate Ecclesiae Dei sub uno pastore ac defectione ab eo Graecorum: adiungitur admonitio ad Russos Graecis addictos* (2). Herbestus autem opellam edidit inscriptam: *Fidei Ecclesiae romanae argumenta et graecae captivitatis historia: pro unione Ecclesiarum: ex prolixiore historia ecclesiastica excerpta ad conversionem Russorum* (3). Haec duo opera statim celebritatem adepta sunt, in eaque refellenda operam impenderunt scriptores orthodoxi illius aetatis. Anno 1596, Petrus Scarga typis vulgavit opus *de Synodo brestensi eiusque defensione* (4), in quod sua tela coniecerunt orthodoxi, edito libello qui inscribitur: *Ἔκθεσις sive parva seges rerum et quaestionum in synodo particolari brestensi agitatarum* (5). Haec tamen opella nullius praetii aestimatur. Maioris contra momenti est opus inscriptum: « *Ἀπόκρισις, hoc est, responsio ad librum de synodo brestensi, nomine virorum antiquae fidei graecae* » (6).

Скарга въ офіціяльній россійській науці (*Petrus Scarga prout depingitur a scriptoribus russis regimini addictis*), Leopoli, 1903; Id., Епизод з житя Петра Скарги (*Narratio eventus cuiusdam vitae Petri Scargae*), Leopoli, 1903.

(1) Brown, *Biblioteka pisarzów assystencyi polskiéj towarzystwa Iezusowego*, Posnaniae, 1862, p. 195.

(2) *O jedności kościoła bożego pod jednym pasterzem i o greckiem od tej jedności odstąpieniu, z przestrogą i upominaniem do narodów ruskich przy Grekach stojących*, Vilnae, 1577. Hocce opus recusum est cum supplementis atque adnotationibus, titulo paullulum immutato: *O rządzie i jedności kościoła bozego*. Insertum est in *Monumentis litteraturae polemicae Russiae occidentalis* (Памятники полемической литературы въ западной Руси, t. II (t. VII *Bibliothecae historicae russicae*), Petropoli, 1882, coll. 223-580.

(3) *Wiary kościoła rzymskiego wywody y greckiego niewolstwa historya: dla jedności. Z kościelney dłuszszey historiey, dla Rusi nawrocenia pisaney*, Cracoviae, 1586; Памятники, t. II, coll. 581-600.

(4) *Synod brzeski: obrona synodu brzeskiego*. Recusum est opus anno 1738, insertumque in praecitatis *Monumentis*, t. II, coll. 939-1002.

(5) *Ekthesis, abo krotkie zebranie spraw, ktore się działy na partycularnym, to jest pomiastnym synodzie w Brześciu Litewskim*, Cracoviae, 1597. Huncce libellum oscitanter recudit N. Popov: Чтенія *societatis historiae et antiquitatum russicarum*, Mosquae, 1879, t. I, pp. VIII+30. Inserta est in *Monumentis*, t. III, Petropoli, 1903, coll. 329-376.

(6) *Ἀπόκρισις abo odpowiedź na xiązki o synodzie brzeskim, imieniem ludzi starozytney religiey greckiey, przez* Christophora Philaletha *w porywczą dana*. Sat probabili coniectura lucem aspexit Vilnae, polonice, anno 1597, atque in dialectum Russiae occidentalis versum anno 1599. Russice id transtulerunt, prooemio notisque instruxerunt, ac publici iuris fecerunt professores academiae ecclesiasticae kioviensis Malychevsky, Ternovsky, Ponomarev, atque archim. Augustinus: Апокрисисъ Христофора Филалета въ переводѣ на современный русскій языкъ, съ

Miris laudibus huncce librum efferunt scriptores orthodoxi, ut « primum specimen scientificum et systematicum confutationis doctrinae *romanae* de primatu romani Pontificis, eiusque consectariorum pro constitutione hierarchiae ecclesiasticae » (1). Copiosam in eo eruditionem auctor ostentat, ex sacris scripturis Patrumque testimoniis decerptam, enixeque conatur argumenta Petri Scargae refellere. Scriptores orthodoxi fabulantur huncce librum catholicorum agmina tanta confusione affecisse, ut adnitentibus Iesuitis, brevi temporis lapsu cuncta ipsius exemplaria flammis combusta perierint. Vix tamen ac ne vix hocce opus litteraturae orthodoxae dignum est quod adscribatur. Exploratum enim est id exarasse Christophorum Bronskium, calvinianum theologum, qui sese quidem orthodoxum iactat ad fucum faciendum, sed in doctrina transsubstantiationis enucleanda suae haereseos venenum spargit (2). Momento historico non caret *Ἀπόκρισις*; siquidem permulta commendavit posteris documenta, quae primaevam unionis brestensis historiam illustrant (3).

Ἀπόκρισιν Christophori Philalethae solidis refutavit argumentis, stylo tamen acerbiore usus, auctor operis quod inscribitur: *Ἀντίρρησις* seu apologiae adversus Christophorum Philalethum, qui nuperrime edidit librum nomine Russorum antiquae religionis graecae contra librum de synodo brestensi (4). Philaletus appellatur *diawolofor*. Complures scriptores *Ἀντίρρησιν* nomini Ignatii Potiei addixere (5). In praesentiarum tamen compertissimum est illam conscripsisse Petrum

---

предисловіемъ. приложеніями и примѣчаніями. Kioviae, 1870; Памятники, t. II, coll. 1003-1820; Библіографическое извѣстіе о книгѣ Апокрисисъ Филалета (*Notitia bibliographica circa librum qui inscribitur Apocrisis Pilalethae*), Воскресное Чтеніе, 1870, t. XXXIV, 1870, pp. 312-319. De eo optime disseruit Skabalanovitch: Объ апокрисисѣ Христофора Филалета: изслѣдованіе (*De apocrisi Christophori Philalethae: disquisitio*), Petropoli 1873.

(1) Skabalanovitch, pp. 34-35.

(2) Macarius, Исторія русской Церкви, t. X, pp. 290-291. Philaretus nullis innixus argumentis hoc denegat, asseritque Meletium Smotriscium, postquam ab orthodoxis castris defecit, ac Stebelskium Christoforum Philalethen calumniose insimulasse haereseos calvinianae, Обзоръ, pp. 174-175. Huncce librum rite appellat Brückner *gruba mystificacya* (crassam fraudem), p. 591. Calvinianus enim theologus vindicem gerit fidei orthodoxae.

(3) Wiszniewski, t. VIII, pp. 293-303.

(4) *Ἀντίρρησις abo apologia przeciwko Krzysztofowi Philaletowi, ktory niedawno wydał książki imieniem starozytney Rusi religij greckiey przeciw książkom o synodzie Brzeskim napisanym w roku pańskim 1597*, Vilnae, 1600; Памятники, t. III, coll. 477-982.

(5) Wiszniewski, t. VIII, p. 303.

Arcudium, corcyrensem (1). Praeter sanam eruditionem, laudanda est in hocce volumine documentorum historicorum copia, ea potissimum quae testantur primaeva unionis brestensis aetate reges polonos clerum ruthenicum iisdem sane privilegiis ac polonicum clerum ditasse.

Inter audaciores theologos orthodoxos qui ante ac post synodum brestensem catholicam doctrinam aggressi sunt, haud exiguum obtinet locum Basilius, presbyter ostrogensis, Constantino principi ostrogensi familiarissimus eique in decertando pro schismate strenuissimus adiutor. Typis mandavit Ostrogae, anno 1588 liber qui inscribitur: О единой истинной православной вѣрѣ и о святой соборной апостольской Церкви, откуду начало приняла, и како повсюду распростреся (*De unica, vera, orthodoxa fide, ac de sancta, oecumenica apostolica Ecclesia, unde principium habuit, et quomodo ubicumque diffusa est*) (2). Disceptat auctor de fide orthodoxa, de illo *Filioque*, de primatu romano, de azymis, de immutato calendario, de cultu imaginum. Ab eodem presbytero exarata est *Responsio* ad litteras, quas Ignatius Potiei misit principi Constantino Ostrogensi, ut eum adduceret ad unionem amplectendam (3), nec non *Historia conciliabuli* (sic) vel *latrocinii* (sic) *florentini* (4).

Anno 1603 compositi sunt dialogi, quorum titulus: Вопросы и отвѣты православному зъ папежникомъ (*Quaestiones ac responsiones: orthodoxus et papista*) (5). Quinquaginta quaestionibus, quas fingitur catholicus proposuisse, respondet orthodoxus, de cunctis fere discrepantiis sermonem instituens, de illo *Filioque*, primatu, azymis, purgatorio, ieiunio sabbati, calendario, episcopis unitis etc. Videtur Ma-

(1) Pelesz, t. II, pp. 380-381; Macarius, t. X, Petropoli, 1902, p. 292. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII siècle*, t. III, pp. 221-225; Studinsky, Хто бив авторемъ « *Ἀντίῤῥησις* », Записки societatis ruthenicae ad scientias provehendas nomini Chevtchenko addictae, 1900, t. XXXV, pp. 1-20.

(2) Памятники, t. II, coll. 633-938; Philaretus, Обзоръ, pp. 171-172.

(3) Отписъ на листъ въ Бозѣ вселебного отца Ипатія Володимерского и Берестейского епископа, до ясне освецоного княжати Костентина Острозского, воеводы киевского, Памятники, t. III, coll. 377-432.

(4) Исторія о листрикійскомъ, то есть, о разбоиническомъ ферарскомъ або флоренскомъ синодѣ, в коротцѣ правдиве списаная, Памятники, t. III, coll. 433-476; *Ἀπόκρισις*, ed. kiovensis, pp. 325-369; Pelesz, t. II, pp. 384-385, titulum affert opellae de synodo florentina quae Vilnae edita est anno 1601, additque eam refellisse Petrum Federovicium: *Obrona sw. Synodu florenskiego powszechnego*, Vilnae, 1603. Dubito an vere exstet opus adversus concilium florentinum impressum Vilnae anno 1601. Suspicor id unum idemque esse cum opere Basilii Ostrogensis, quod lucem aspexit anno 1598.

(5) Памятники, t. II, coll. 1-110.

cario hocce opus vel in praesens legi posse cum fructu ab orthodoxis adversus latinos decertantibus (1).

Presbyter ignotus sodalitatis orthodoxae leopoliensis, anno 1606 in lucem edidit opus historico dogmaticum quod inscribitur: Перестороrа (*Admonitio*, ex verbo polonico: *przestroga*), ad primatum romanum rationibus praesertim historicis evertendum. De eo praeclare disseruit scriptor ruthenus Studinski (2).

Leontius hierodiaconus monasterii, quod vocant Pecerskaia *λαύρα*, anno 1608 commentationem exaravit de haeresibus, quae apud Russos meridionales atque occidentales grassabantur (3). *Unitorum* haereses ab eo 34 enumerantur, quae plerumque consuetudines liturgicae sunt, potiusquam discrepantiae dogmaticae. Ad finem operis Leontius unitos vehementer hortatur, ut romana fide abiecta, in sinum redeant Ecclesiae orthodoxae.

Inter scriptores polemicos orthodoxos huiusce aetatis eminet Iohannes Вишенскій (Viszna, oppidulum Galaeciae), qui vitam monasticam amplexus est in monasterio athoniano *τοῦ Ζωγράφου*, exeunte saeculo XVII (4). Praeter ipsius litteras ad praesules Russiae meridionalis atque occidentalis unionem amplexos (5), atque ad principem Constantinum Ostrogensem cunctisque christianis orthodoxis parvae Russiae (6), brevem exaravit narratiunculam *De latinis dolis* (sic), in

(1) Macarius, t. X, pp. 401-402.

(2) Перестороrа, русьскій памятник початку XVII віка: історично-лїтературна студия (*Admonitio: monumentum ruthenicum initii saeculi XVII: disquisitio historica et litteraria*), Leopoli, 1895.

(3) Сочиненіе іеродіакона печерскаго монастыря Леонтія о ересяхъ въ юго-западной Руси и въ православіи, по поводу явленія Уніи или соединенія Православія съ римскомъ церковію (*Opus hierodiaconi τῆς λαύρας Pecerskaiae Leontii de haeresibus in Russia meridionali atque occidentali et de fide orthodoxa, tempore quo unio invecta est, videlicet foedus inter Ecclesiam orthodoxam atque Ecclesiam romanam*), Акты южн. и зап. Россіи, t. II, pp. 271-287; Macarius, t. X, p. 402.

(4) Porph. Uspensky, Востокъ христіанскій (*Oriens christianus*), t. II, Petropoli, 1892, pp. 528-530. De eo optime disseruit scriptor ruthenus Franko, Іван Вишенський і его твори (*Ioannes ex Viszna, eiusque scripta*), Leopoli, 1895. Vide etiam Macarium, t. X, pp. 295-301; Golubev, Объяснительные параграфи по исторіи западно-русской Церкви, Kioviae, 1893, pp. 32-41; Прав. бог. энц., t. VII, coll. 122-135.

(5) Посланіе къ митрополиту и епископамъ юго-западной Руси, принявшимъ унію, Акты etc., pp. 227-254.

(6) Посланіе ко князю Василію Острожскому и ко всѣмъ православнымъ христіанамъ въ малой Россіи, Ib., pp. 203-224.

qua potissimum aggreditur illud *Filioque*, primatum romanum et purgatorium (1). Opella nullius est momenti (2).

Primori in acie scriptorum orthodoxorum, qui latinos hac tempestate adorti fuere, versatur Meletius Smotriscius, qui post diuturnas investigationes explorata veritate, suos abiuravit errores fidemque catholicam amplexus in ea usque ad mortem (1633) constanter perseveravit (3). Anno 1608 edidit opus inscriptum: *Ἀντιγραφὴ seu responsio ad prolixam scriptionem adversus viros antiquae religionis graecae quam desertores Ecclesiae orientalis vulgarunt, cuique titulus: Haereses, ignorantia et politica poparum et laicorum sodalitatis Vilnensis, ac simul ad librum statim post illam scriptionem editum ut eam explicaret, quique Harmonia appellatur* (4). Petruchevitch, historicus ruthenus, et Pelesz (5) nullis innixi argumentis hocce opus adscribunt nomini Zachariae Kopystenkii. Extra dubitationem tamen est id exarasse Meletium Smotriscium, qui in eo disceptat de Spiritu Sancto, de Iesu Christo mediatore Dei, de communione sub utraque specie, de purgatorio. Septima sectio huiusce operis continet animadversiones in verba Gennadii Scholarii: « *Portae inferi praevaluerunt adversus Ecclesiam orientalem* ». Tradit Meletius scripta quae tribuuntur Gennadio Scholario litteris mandasse monachum quendam ex Zacyntho (6).

Anno 1610, Meletius evulgavit opus inscriptum: *Θρῆνος seu lamentum unicae, universalis, apostolicae orientalis Ecclesiae, adiun-*

(1) Извѣщеніе краткое о латинскихъ прелестахъ, сочиненіе монаха аѳонскаго Іоанна Вишенскаго о заблужденіяхъ римской вѣры, Ib., 254-270. Cetera huiusce scriptoris opera polemica reperiuntur in sylloge: Памятники литературной полемики православныхъ южно-русскевъ съ латино-уніатами (*Monumenta litteraturae polemicae orthodoxorum Russiae meridionalis et unitorum latinorum*), Архивъ юго-западной Россіи, t. VII, Kioviae, 1887, pp. 19-48.

(2) Eam in breve contraxit Franko, pp. 100-148.

(3) Pelesz, t. II, pp. 388-407; Elenevsky, Мелетій Смотрицкій, Прав. Обозр., 1861, t. II, pp. 111-150; 272-298; 422-454.

(4) *Ἀντιγραφὴ albo odpowiedz na script wszczypliwy, przeciwko ludziom starozytney religiey Graeckiey od apostatow cerkwie Wschodniey wydany, ktoremu tituł: Heresia, Ignoranciae, y Politica popow y mieszczan bracstwa Wileńskiego, tak tez y na książkę, rychło potym ku obiaśnieniu tegoz scriptu wydaną, nazwiskiem « Harmonią », przez iednego brata bractwa cerkiewnego Wileńskiego religiey starozytney Graeckiey w porywszą dana*, Vilnae, 1608; Памятники, t. III, coll. 1149-1130. Opus quod inscribitur *Harmonia*, conscripsit Ignatius Potiei, Ib. t. II, pp. 169-222. De auctore alterius operis, quanta mea est scientia, nihil certi constitui potest.

(5) T. II, p. 387.

(6) Памятники, t. III, col. 1279.

cta explanatione dogmatum fidei; liber primum ex graeco in slavicum, et nunc ex slavico in polonicum idioma conversus (1). Auctor pseudonymo utitur Theophili Orthologi. Capitale odium spirat hocce opus in catholicam Ecclesiam. Romanus Pontifex, epitheto a lutheranis deprompto, quorum in amicitia per aliquod tempus Meletius permansit, antichristus appellitatur, qui Deo supparem sese iactat, orbem terrarum in suam conatur ditionem adducere, conscientias torquet, suo lubitu fidem depravat, conciliorumque decreta unius aestimat assis. *Novitates* romanas, quas vocat, evertere conatur, imprimis illud *Filioque*, communionem sub utraque specie, purgatorium, et cultum sacrarum imaginum, quod mirum non erit, si animadvertatur in latinis debellandis Meletium Smotriscium e penu theologiae lutheranae permulta hausisse. Hocce opus refutarunt Petrus Scarga (2), atque Elias Morochowski (3).

Meletius Smotriscius fertur etiam auctor operis polemicae *Veryficacya niewinnosci* (iustificatio innocentiae) (4), quod in id praesertim tendit ut validitatem consecrationis metropolitae kioviensis atque episcoporum huiusce metropoleos per Theophanem hierosolymitanum. anno 1620 perfectae, tueatur (5). Meletio Smotriscio respondit metropolita unitus Ioseph Rutski (1614-1637) opere *Sowita wina* (Ingens culpa) (6), eumque conatus est refellere Meletius, in lucem edita *Apologia Verificationis* (7). Meletio iterum responderunt Rutski et Timotheus Symonovicz, ad quos redarguendus Iob Boretzky, metropolita orthodoxus kioviensis (1620-1631) evulgavit opus inscriptum *Iustificatia niewinnosci* (8).

Silentio praetervehimus cetera volumina, quibus exarandis ansam

(1) *Θρῆνος, to jest Lament jedynej powszechney apostolskiey Wschodniej Cerkwie z objasnieniem dogmat wiary, pierwiej z greckiego na slowienski przetłomaczony przez* Theophila Orthologa, Vilnae, 1610.

(2) *Na threny y lament Theophila Orthologa do Rusi greckiego nabożeństwa przestroga*, Cracoviae, 1610.

(3) *Παρηγορία albo utulenie uszczypliwego lamentu mniemaney cerkwie ś wschodniey zmyślonego Theophila Orthologa*, Vilnae, 1612; Pelesz, t. II, pp. 389-390; Macarius, t. X, pp. 407-408.

(4) *Verificatia niewinności*, сочиненіе изданное Виленскимъ православнымъ братствомъ въ защиту возстановленной іерусалимскимъ патріархомъ западно-русской іерархіи, Архивъ юг.-зап. Р., t. VII, pp. 279-344. Opus primam lucem aspexit Vilnae, 1621.

(5) Dobroklonsky, Руководство по исторіи русской Церкви, t. III, pp. 280-81.

(6) Vilnae, 1621; Архивъ, t. VII, pp. 443-510.

(7) Vilnae, 1621; Архивъ, t. VII, pp. 345-442.

(8) Архивъ, t. VII, pp. 511-532.

dederunt scripta polemica Meletii Smotriscii. Haec enim percensere potius ad historicos quam ad theologos spectat.

Anno 1621 Zacharias Kopystensky (Копыстенскій), archimandrita kioviensis († 1627) litteris mandavit opus ingens quod inscripsit: ***Παλινῳδία***: Палинодія или Книга Обороны каѳолической святей апостольской всходней Церкви и святыхъ патріарховъ и о Грекохъ и о Россохъ христіанекъ (1)

Hoc est propositum auctori ut refellat opus Leonis Kreusae Rezwuskii, archiepiscopi uniti urbis Smolensk (1625-1639) (2), quod unionem Ecclesiarum validis tuetur argumentis (3).

Παλινῳδία quatuor partes complectitur: prima de apostolo Petro disserit eiusque in Ecclesia auctoritate; secunda, de primatu romani Pontificis ac romanae sedis potestate; tertia, de russica Ecclesia, quae baptismate accepto a Graecis, nunquam subiecta fuit Romanis Pontificibus; quarta, de unione Ecclesiae russicae cum Ecclesia romana, quae abnuentibus patriarchis orientalibus, invalida est.

Philaretus *pretiosum opus* appellat ***Παλινῳδίαν***, historice aeque ac dogmatice (4). Itidem Brückner, qui maxume abhorret ab adulandis theologis russis, tenet ***Παλινῳδίαν*** omnium operum quae scriptores orthodoxi saeculo XVII edidere amplissimum ac ditissimum esse; librum accuratum ac fundamentalem rerumque historicarum copiosam

(1) Hocce opus, diu ineditum, typis primum vulgavit *Commissio archaeographica petropolitana*, Памятники, t. I, (1878), coll. 313-1200. De Kopystenskio eiusque opere perdoctum evulgavit volumen B. Zavitnevitch, Палинодія Захаріи Копыстенскаго и ея мѣсто въ исторіи западно-русской полемики XVI и XVII вв. (***Παλινῳδία*** *Zachariae Kopystenskii eiusque locus ac momentum in historia litteraturae polemicae Russiae occidentalis saec. XVI et XVII*), Varsaviae, 1883. Auctor permulta tradit de praestantissimis scriptoribus polemicis huiusce aetatis ac miserrimas describit conditiones Ecclesiae orthodoxae russicae *sub iugo* polonico. Vide etiam ipsius scriptoris dissertatiunculam: О значеніи западно-русской богословско-полемической литературы конца XVI и начала XVII в. и мѣстѣ, занимаемомъ въ ней Палинодіей Захаріи Копыстенскаго (*De momento litteraturae theologicae polemicae Russiae occidentalis exeunte saeculo XVI, ac sub initium saeculi XVII, et de auctoritate qua in ea potitur* ***Παλινῳδία*** *Kopystenskii*), Христ. Чтеніе, 1888, t. I, pp. 225-238; Petrov, Новооткрытый списокъ Палинодія З. Коп. (*Nuperrime inventus codex manuscriptus* ***Παλινῳδίας*** *Z. K.*), Trudy K. D. A., 1884, t. II, pp. 244-257; Suchko, Причинки до студій надъ текстомъ палінодії (*Quaedam ad pervestigandum textum* ***Παλινῳδίας*** *spectantia*), Leopoli, 1903.

(2) Pelesz, t. II, p. 323.

(3) *Obrona jedności cerkiewney, abo dowody ktorymi się pokaznie iz grecka Cerkiew z łacińską ma być zjednoczona*, Vilnae, 1617; Памятники, t. I, coll. 157-311.

(4) P. 179.

exhibentem segetem; volumen quod testatur insignem auctoris eruditionem, Sacram Scripturam, Patrumque commentationes apprime callentis (1).

Non secus ac *Παλινῳδία* permagni aestimatur opus cui titulus: *Λίθος, seu petra ex funda Ecclesiae sanctae orthodoxae russicae ad evertendam ac destruendam tenebricosam Prospectivam, vel potius satyram Cassiani Sakovicii archimandritae uniti monasterii Dubnensis* (2). Est opus Cassiani Sakovicii (3), quod inscribitur *Ἐπανόρθωσις* (4). *Λίθος* generatim nomini Petri Moghilae addictum est (5). Veritati tamen magis consonum est asserere, iussu Petri Moghilae complures theologos kiovenses opus illud composuisse (6). *Λίθος* imprimis tuetur liturgiam orthodoxam in eis quae ad baptismum et confirmationem spectant contra criminationes Sakovicii; quaedam simul attingit de processione Spiritus Sancti, ac de ceteris discrepantiis. Multas controversias saeculo XVII excitavit, ab orthodoxis summo pretio habitus est, atque a theologis catholicis etiam atque etiam refutatus (7).

Rite animadvertit Zavitnevitch in historia theologiae polemicae quae ad synodum brestensen spectat, duas periodos secerni. Prior scripta complectitur in quibus praeponderat elementum historicum

(1) Palinodya, najobszerniejsze i najuczénsze dzieło polemiki prawosławnej XVII wieku,... praca staranna i gruntowna..., odznaczna bogaty historyczny materyał, swiadczący o wielkiej erudicyi autora, o zgłębieniu Pisma i ojców Kosciołka. — Pp. 613-614.

(2) *Lithos abo kamień z pracy prawdy cerkwie świętey prawosławney Ruskiey na skruszenie falecznociemney Perspectiwy abo raczey paszkwilu od Kassiana Sakowicsa, bylego przedtym archimandritę Dubenskiego unita*, Kioviae, 1644. Hocce opus recudendum curavit Golubev, Лиѳосъ, полемическое сочиненіе, вышедшее изъ Кіево-печерской типографіи въ 1644 году: Архивъ юго-западной Россіи, t. IX, I pars, Kioviae, 1893, pp. 1-445, qui perdocto commentario id instruxit, Ib., pp. 1-147. Vide etiam, Kryjanovsky, О книгѣ лиѳосъ, Рук., 1860, t. II, pp. 222-239; 246-260; 437-444; t. III, pp. 7-14; 44-54.

(3) Pelesz, t. II, pp. 409-410.

(4) *Epanorthosis abo Perspektiwa y objasnienie błędów, herezyey y zabobonów, w grekoruskiey cerkwi dyzunitskiey, tak w artikułach wiary, jako w administrowaniu Sakramentów y w inszych obrządkach y ceremoniach znayduiących się.* — Cracoviae, 1642.

(5) Philaretus, pp. 191-192.

(6) Macarius, t. IX, Petropoli, 1903, pp. 602-604; Golubev, Петръ Могила, t. II, pp. 358-361.

(7) Ad eum refellendum Theophilus Rutka S. I. in lucem edidit: *Kamień przeciwko Kamieniovi, w Kijowie wydrokowanego*, Lublini, 1690; Golubev. op. cit., t. II, p. 395.

eaque ab occasu saeculi XVI usque ad dimidium saeculi XVII sese extendit; posterior vero in altero dimidio saeculi XVII explicatur, ac theologicum elementum potius sibi vindicat ut suarum pervestigationum obiectum. In periodo illa uberrimus habetur scriptorum foetus qui ad eversionem unionis brestensis vel ad ipsius defensionem certamen inierunt, argumentis historicis innixi; qui synodos florentinam et brestensem vel suis calumniis impetivere, vel ab eis purgarunt. Recentior vero periodus perpaucos tantum exhibet scriptores theologiae polemicae, inter agmina praesertim theologorum orthodoxorum. Huiusce vero inertiae causam referunt scriptores russi vel ad civiles ac politicas illius aetatis turbas, vel ad miserrimas orthodoxorum conditiones, regimine polonico diris legibus eos premente (1).

Rarissimi scriptores orthodoxi, qui altero dimidio saeculi XVII catholicam doctrinam aggressi fuere, controversias de primatu romano et de illo Filioque inprimis agitarunt. Inter scripta ab eis in lucem edita haec potissimum digna sunt, quorum mentio injiciatur: *α' Vera fides antiqua Ecclesiae sanctae orientalis orthodoxae catholicae* (2). Hocce opus ineditum adhuc delitescit in bibliothecis cathedralis kioviensis S. Sophiae, atque academiae ecclesiasticae eiusdem urbis. Ex codicum manuscriptorum inscriptionibus eruitur id exarasse Innocentium Gizelium († 1684), kioviensem archimandritam, ut Paulum Boymum S. I. († 1670) refelleret qui typis vulgavit librum, cui titulus: *Fides antiqua, seu clara demonstratio quod illi, qui permanent in schismate, veteri fidei non amplius adhaerent* (3). Ex litteris tamen Theophanis Girskii (Гирскій) *ἡουμένου* luceoriensis anno 1676 Barlaamo Iasinskio datis, qui ea tempestate rectoris academiae mohilanae munere fungebatur, atque in posterum ad sedem metropolitanam kioviensiem evectus est (1690-1707) (4), pronum est colligere praefati

(1) Biednov, Православная Церковь въ Польшѣ и Литвѣ po volumina legum (*Ecclesia orthodoxa in Polonia et Lithuania iuxta volumina legum*), Ekatherinoslaviae, 1908, pp. IX; 253-256.

(2) *Prawdziwa wiara stara cerkwieswiętey wschodniey prawoslawno-katholickiey, przeciw mniemaney starey wierze odpowiadaiąca na script X. Benedicta Paula Boyma, o godności Sw. Piotra y papieżow rzymskich y o pochodzieniu Sw. Ducha.*

(3) *Stara wiara, albo jasne pokazanie iz ci, co w dyzuniey trwaią, starey wiary nie maią.* — Vilnae, 1668. De vita et scriptis auctoris vide Brown, p. 131. Estreicher, *Bibl. polska*, XIII, pp. 304-305.

(4) Titov, Русская православная Церковь въ польско-литовскомъ государствѣ, t. II, Kioviae, 1905, pp. 306-453; Sumtzov, Иннокентій Гизель (*Innocentius Gizel*), Kioviae, 1894; Прав. бог. энц., t. V, coll. 944-950.

operis auctorem ipsummet Barlaamum fuisse (1). Quidquid tamen de ipsius auctore sentiendum sit, constat inter scriptores orthodoxos eum in controversiis instituendis de Primatu ac de illo *Filioque* suum munus obiter persolvisse, accuratione caruisse in locis Patrum afferendis, oscitanter ac languide adversario contradixisse (2).

β′ Anno 1676 Lazarus Baranovitch, archiepiscopus cernigoviensis († 1693) (3) typis evulgavit librum hocce titulo insignitum: *Nova mensura veteris fidei a Deo communicata Lazaro Baranovicio... ut metiatur potestatem Santi Petri romanorumque Pontificum et Processionem Spiritus Sancti a Patre* (4). In eo praesertim agitatur controversia de processione Spiritus Sancti. Vel scriptores russi parvi faciunt hocce volumen, quod saepe saepius a proposito declinat, infirmisque argumentis respondet adversario (5).

Anno 1678 Iohannes Galatovschius (Голятовскій) archimandrita, pubblici iuris fecit opus inscriptum: *Vetus Ecclesia orientalis novae Ecclesiae romanae Spiritum Sanctum a Patre procedere, non autem a Filio ostendit* (6). Conatur auctor refellere opus Nicolai Cichovii S. I., cuius titulum supra retulimus (7), ac praecitatum volumen Boymi (8).

(1) Dievitzky, *Przestrogu prawowiernym* іеромонаха Зосимы Согнѣкевича (*Admonitio ad orthodoxos: opus hieromonachi Zosimi Sogniekevicii*), Учебно-богословскіе и церковнопроповѣдническіе опыты студентовъ кіевской духовной Академіи LVI курса, t. I, Kioviae, 1904, p. 9.

(2) Philaretus, p. 203.

(3) Id., pp. 205-208; Sumtzov, Лазарь Барановичъ (*Lazarus Baranovitch*). Kharkoviae, 1885.

(4) *Nowa miara starey wiary Bogiem vdzielona jaśnie w Bogu przeoświeconemu Iego mości oycu Lazarzowi Beranowiczowi, archiepiskopowi Czernihowskiemu, Nowogrodzkiemu y wszystkiego siewierza. Na wymierzenie Władzy Św. Piotra y Papiezów rzymskich y Pochodzenia Ducha Św. od Oyca*, Novogrodii septentionalis, 1676. Estreicher, XII, pp. 358-359.

(5) Dievitzky, p. 10.

(6) *Stary koscioł zachodni nowemu kosciołowi rzymskiemu pochodzenie Ducha sw. od oyca samego, nie od Syna pokazuie, y Tribunał, napisány przez Nikołaja Cichowiusza y nauczáiący Ducha sw. pochodzić od Syna, za prawdziwy tribunał mieć zakazuie, y Starą wiarę, napisaną od Pauła Boymy y nauczaiącą takze od Syna pochodzić Ducha swiętego, nazywać nową wiarą y zmyśloną roskazuie*. Novogrodii septentrionalis, 1678. De auctoris vita et scriptis fuse disseruere Klimovsky, Іоанникій Галятовскій, Vilnae, 1884; Sumtzov, Іоанникій Галятовскій. Kioviae, 1884; Philaretus, pp. 203-205; Прав. бог. энц., t. VI, coll. 748-750; Estreicher, XVII, p. 18.

(7) P. 376.

(8) Hocce opus refutarunt: α′ anonymus scriptor opellae *Na stary kościoł zachodny Io. Galatowskiego wydani roku 1678, Questyiki albo krotkie pytania zadane y rozwiązane roku 1679-1682*; β′ Hackius(?). *Quaestiunculae contro-*

Ab eodem typis opella prodiit inscripta: *Fundamenta super quae latini unionem Russiae cum Roma exstruunt, iuxta novam hodiernam fidem romanam, iustis responsionibus Ecclesiae orientalis diruta atque ad mihilum redacta* (1).

Denique meminerim opus ineditum quod inscribitur: *Admonitio orthodoxis legentibus apocryphum, cui titulus: Confessio orthodoxae sanctae orientalis Ecclesiae et Concordia sancta Ecclesiae sanctae orientalis orthodoxae cum Ecclesia sancta apostolica romana* (2). Opus apocryphum, cuius mentio fit in titulo quem supra retulimus, in lucem prodiit Leopoli anno 1678.

Haec *Przestroga prawowiernym* asservatur in biblioteca cathedralis kioviensis S. Sophiae (3).

Supervacaneum arbitror ceterorum huiusce periodi scriptorum nomina recensere atque opera. Mei officii potius duco pauca de momento scriptionum theologicarum quae ad unionem brestensem spectant, delibare. Nimis aspere eas dijudicat Brückner: « Haec polemica plane sterilis fuit, ut fieri assolet, ad controversias theologicas quod attinet. Neminem ad fidem catholicam ea reduxit, neminem cum ea reconciliavit. Argumenta theologica quae tempestate illa discussa fuere controversiam illius Filioque suis dubiis non exsolverunt, atque historice non demonstrarunt utrum Russi in schismate baptizati fuerint, vel unitatis vinculo cum sede romana nondum abrupto » (4). Haec

---

versae cum modernis graecis anti-latinis expositae per unum romano-latinum anno Domini 1691. Typis monasterii olivensis S. O. C., 1682, pp. 6-52. Heic reperitur etiam dissertatio de epiclesi, pp. 105-120; γ' Th. Rutka S. I., *Goliat, swoim mieczem porażony, t. j., Io. Galatowski archimandryta Ielecyi, przeciw pochodzeniu Ducha Swętego y Kościołowi rzymskiemu piszący, refutowany*, Lublini, 1689; vide Brown, p. 353.

(1) *Fundamenta, na których łacinnicy jedność Rusi z Rzymem funduią, według rzymskiey teraznieyszey wiary nowey, prawdziwemi odpowiedziami cerkwi wschodniey wywr[illegible]ne y snesione*, 1683; Elstreicher, *Bibl. polska*, t. XVII, p. 12.

(2) *Przestroga prawówiernym, czytaiącym apokryphy mianowanie: Wyznanie prawosławney swiętey wschodniey cerkwie y zgoda swięta cerkwie swiętey wschodniey prawosławney z kościołem swiętym apostolskim Rzymskim, tegoz roku napisana 1678.*

(3) De hoc opere fuse disserit Dievitzky, op. cit., pp. 15-30.

(4) Polemika sama bezowocna, jak wszelkie disputy teologiczne; nikogo nie nawróciła ani pogodziła. Nie rozstrzygały tez teologiczne dowody za lub przeciw Filioque, ani historyczne wywody chrztu Rusi, czy w jedności czy w schizmie. Loc. cit.. p. 643. Hoc idem iudicium tulit scriptor ruthenus Gruchevsky, Iстopiя украiни Руси, t. VII, Kioviae, 1907, pp. 563-64; Franko, *Charakterystyka, literatury ruskiey XVI-XVIII wieku. Kwaltarnik historyczny*, t. VI, 1892, pp. 693-727.

verba eruditi scriptoris quidpiam veri praeseferunt. At ex eo quod controversiae theologicae pererrantes ad verae fidei acceptionem saepe saepius non alliciant, haud sequitur eas utilitate carere. Perutilis enim cordatis viris aestimabitur semper veritatis defensio, quamvis ex certamine pro ea tuenda parum emolumenti simus consecuturi. Necesse fuit tempestate illa doctrinam catholicam a calumniis detrectantium vindicare, idque pro suis quisque viribus theologi catholici praestitere.

Hisce tamen adnotatis, iniquum sane iudicium de polemica unionis brestensis non videbor exprompsisse, si dixero vix ac ne vix ex ea adiumentum capturos scriptores hodiernos theologiae polemicae. Oscitanter enim ac perfunctorie actae sunt controversiae theologicae illius aetatis, theologia scholastica in utroque campo perparum exculta, et critico acumine in testimoniis christianae traditionis expendendis deficiente. Scriptores catholici brevibus historiae schismatis narratiunculis ac paucis Patrum locis fallaci spe nitebantur fore ut russi orthodoxi, deplorato schismate, ad sinum Romanae Ecclesiae confugerent. Ludicrum facta est interdum theologia polemica, ex scholis haud raro in scenam producta. Non defuere enim qui animum ad scribendas comoedias appulerint, quae catholicum atque orthodoxum de discrepantiis theologicis utriusque Ecclesiae decertantes exhiberent, atque osores catholicae doctrinae tartareis flammis voverent (1).

Scripta polemica, quae ad priorem periodum pertinent, ut supra significavimus, argumentis historicis imprimis utuntur ad suos adversarios refellendos. Theologi poloni, qui haec scripta edidere incomposita nobis reliquerunt specimina historiae schismatis, quae in praesens obsoleta sunt, nulliusque utilitatis scriptoribus catholicis (2). Fatemur

(1) Brückner, *Polnisch-russische Intermedien des XVII Iahrhunderts*, *Archiv für slavische Philologie*, 1890, t. XIII, pp. 403-404.

(2) Haec etiam de scriptis clarissimi viri Petri Scargae asserenda puto. Cl. historicus litteraturae polonicae, Tarnowski, summis effert laudibus opus Scargae: *O jedności kościoła*. Ad eius sententiam in capitibus controversis, quae inter catholicam Ecclesiam atque Ecclesias orientales discutiuntur, tot invictis, firmissimis atque ineluctabilibus argumentis P. Scarga tuitus est catholicam veritatem, ut perpaucos afferre possis libros qui mereant ut cum opere Scargae comparentur, *Historya literatury polskiej*, t. I, Cracoviae, 1900, p. 327. Nollem refragari sententiae perillustris viri, at mihi videtur opus Scargae *de unitate Ecclesiae* rudimentale praeseferre specimen theologiae polemicae adversus schisma orientale, idque mirum non est, quum auctori hoc tantum propositum fuisset ut captui sese accommodaret indocti cleri russici illius aetatis. Elegantia styli potius quam summa rerum theologicarum peritia illud est, quod nomen Scargae apud Polonos auxit. « In eo, ait Tarnowski, simplicitatem Homeri, elegantias Homeri agno

quidem complura in eis monumenta posteris commendari, quibus illorum temporum historia maxume juvatur (1); at parva haec seges est, ac theologis fere nullius pretii. Ad scriptores autem orthodoxos quod attinet, tot argumenta licentius conficta, tot testimonia ex putidis fontibus derivata, tot sphalmata historica, tot concitati animi invectivae, apud eos reperiuntur, ut operam abuteretur, qui ea serio refellere sibi in animam induceret.

Parum etiam emolumenti ex scriptoribus polemicis alterius periodi capies. Constat enim theologos polonos, qui altero dimidio saeculi XVII in studio theologiae polemicae, quae ad unionem brestensem attinet, sunt versati, omnia ferme compilasse a Petavio, locosque Patrum suis in voluminibus perperam congessisse, saepe saepius nulla explicatione eis instructis. Hoc idem egerunt scriptores orthodoxi, qui Patres ad suas fulciendas sententias veriti non sunt detruncare, vel praepostere interpretari.

Ex hucusque igitur disceptatis pronum est colligere scripta polemica, saeculis XVI et XVII a theologis polonis vel russis typis edita, digna non esse quae manibus terantur recentiorum theologiorum schisma debellantium. Concedimus quidem ea magni facienda tam historice quam philologice conditoribus historiae litterariae Polonorum ac Russorum. At contendimus ex eis obsoleta tantum vel robiginosa arma depromi. Me judice, haec polemica scientifica auctoritate destituitur et scriptores, qui eam excoluere, tam eruditionis copia, quam argumentorum delectu longe infra Petavii, Allatii, Arcudii, Lequieni substiterunt. Veritati igitur fucum non fecero, si dixero theo-

---

scimus ». Ib., t. II, p. 98. Per transennam animadvertimus haud raro sententias Scargae ad schisma quod attinet suo pondere non destitui vel in praesentiarum. Satis habeo haec verba perillustris apostoli transcribere: « Si vigilantiores essemus, potuissemus quidem jamdudum russicas scholas habere, et omnia Russorum opera pervolutare, et in eorum lingua slavica preces catholicas recitare. Polonis necessarium foret, ut russica lingua populo russo declarentur res ei necessariae, ut citius veritatem aspiciant ». — Byśmy byli czuyni, mogliśmy dawno szkoły ruskie mieć a wszytkie pisma ruskie przeyrzeć, y w słowieńskim ich ięzyku mieć swoie katoliki ćwiczone. Trzeba było y na Polski, abo ruski ięzyk przekładać ruskim narodom rzeczy, ku temu służące, żeby rychley prawdę obaczyli. — Памятники, t. II, col. 499. Num potuisset nostra aetate suis concivibus haec impune suadere perillustris apostolus unionis?...

(1) Hisce monumentis inprimis usus est Strielbitzky ut suum conscriberet librum: Уніатскіе церковные соборы съ конца XVI вѣка до возсоединенія уніатовъ съ православною церковью (*Synodi ecclesiasticae unitorum ab occasu saeculi XVI usque ad reditum unitorum in Ecclesiam orthodoxam*), Odessae, 1891.

logis catholicis in decertando cum orthodoxis eam parum vel nihil profuturam (1).

5. Saeculo XIX in controversiis theologicis discutiendis, quae ad schisma spectant, in contrarias sane abeuntes sententias clarissimam famam sibi compararunt Alexius Stepanovitch Khomiakov, et Vladimirus Serghievitch Solovev. Uterque mirabili ingenii acumine, doctrinae copia, styli elegantia ac robore, sententiarum altitudine inclaruit. Prior conatus est enixis viribus Ecclesiam russicam a romana sede seiunctam in sua defectione ab unitatis centro perseveranter retinere; posterior vero nihil suis scriptis intentatum reliquit, ut suos concives ad fovendam cum romana Ecclesia unionem alliceret. De utroque scriptore nobis pauca edisserenda: exploratum enim est praefatos scriptores in theologiam russicam saeculi XIX maxime influxisse.

(1) Heic fortasse quaedam iuvaret adjicere de controversiis quae saeculis XVI et XVII agitatae sunt inter theologos orthodoxos Parvae Russiae et Magnae Russiae. Mosquenses theologi acriter invecti sunt in theologos kiovienses, ut latinae theologiae plus aequo addictos, ut fidei corruptores, qui ad latinos debellandos nihil antiquius habuerint quam in eorum sententias concedere. Hae tamen controversiae, fere totae versantur in epiclesi, atque ex parte tantum Immaculatam Deiparae Conceptionem tangunt. Satis esto praecipua meminisse opera que de historia harum controversiarum agunt: Pekarsky, Представители кіевской учености въ XVI вѣкѣ (*Viri eruditi kiovienses saeculi XVII*), Отеч. Записки, 1862, t. I, pp. 552-595; t. II, pp. 196-229; Liubimov, Борьба между представителями велико-русскаго и малорусскаго направленія въ Великороссіи въ концѣ XVII и началѣ XVIII в. (*Certamen inter antesignanos sententiarum theologorum Parvae Russiae et Magnae Russiae in Magna Russia, exeunte saeculo XVII ac sub initium saeculi XVIII*), Журн. М. Н. П., 1875, t. CLXXX-I, pp. 117-52; 74-104; Chliapkin, Къ исторіи полемики между московскими и малорусскими учеными въ концѣ XVI в. (*Quaedam ad historiam spectantia polemicae inter doctos mosquenses et parvos russos ad finem saeculi XVI*) ib., t. CCXLI, 1885, pp. 210-252; Id., Св. Димитрій Ростовскій, и ево время, Petropoli, 1891, pp. 111-236 (perutiles disquisitiones); Mirkovitch, О времени пресуществленія св. даровъ; споръ, бывшій въ Москвѣ, во второй половинѣ XVII-го вѣка (*De tempore transsubstantiationis: controversia agitata Mosquae altero dimidio saeculi XVII*), Vilnae, 1886; Prozorovsky, Сильвестръ Медвѣдевъ, его жизнь и дѣятельность (*Sylvester Medviedev, ipsius vita atque opera*), Mosquae, 1896, pp. 149-323 (opus maximi momenti); Smentzovsky, Братья Лихуды, pp. 85-244; Tarasius (hieromonachus), Великороссійское и малороссійское богословіе XVI и XVII вѣковъ (*Theologia Magnae Russiae et Parvae Russiae saeculis XVI et XVII*), Petropoli, 1903. Candide fateor me non legisse usque in praesens ineptiorem hac opellam, in qua facetus hieromonachus effutit ab aetate S. Augustini theologiam latinam perarido formularum cultui indulsisse ac procul semper distasse a perfectione theologiae orientalis! Pp. 31-32; Pypin, Исторія русской литературы (*Historia russicae litteraturae*), t. II, Petropoli, 1907, pp. 297-404.

Alexius Khomiakov ortum habuit Mosquae, anno 1804 ex parentibus nobilitate et antiquitate generis praeclaris (1). Curriculum studiorum absolvit in athenaeo mosquensi, deinceps ad breve tempus stipendia meruit. Rogata missione, se totum studiis theologicis, philosophicis atque historicis dedit; complures peragravit Europae regiones; commercium litterarum cum Palmero, presbytero anglicano exercuit, ut eum Ecclesiae orthodoxae addiceret; slavophilorum doctrinas contentis nervis tuitus est, ac demum fato concessit anno 1860.

Iure meritoque appellitatur Khomiakov *theologus slavophilismi*, illius nempe systematis doctrinarum, quod sive in vita sociali et civili, sive in vita religiosa omnigenas perfectiones Russis orthodoxis vindicat; populos vero occidentales sive catholicos, sive protestantes nil aliud fovere statuit nisi germina corruptionis ae principia dissolutionis.

Ad controversias theologicas animum appulit Khomiakov iam inde ab anno 1840 quo scripsit: Опытъ катехизическаго изложенія ученія

(1) De Alexio Khomiakovo opus sane ingens typis edidit B. Zavitnevitch, Алексѣй Степановичъ Хомяковъ, t. I, Молодые годы, общественная и научно-историческая дѣятельность Хомякова (*Anni iuventutis: labores Khomiakovi in provincia sociali et scientifico-historica*), Kioviae, 1902, pp. xvi + 866 + xiii, t. II, Шруды Хомякова въ области богословія (*Labores Khomiakovi in provincia theologiae*), Ib., 1902, pp. 867-1422 + viii. Tertius tomus operis adhuc desideratur. In priore volumine elenchus texitur scriptorum qui de Khomiakovo tractant, pp. 66-78. Hasce inter scriptiones meminisse iuvabit sequentes: Barsov, Новый методъ въ богословіи, (*Nova methodus in theologia*), Историческіе, критическіе и политикескіе опыты, Petropoli, 1879, pp. 1-70; Id., О значеніи Хомякова въ исторіи отечественнаго богословія (*De auctoritate et momenti Khomiakovi in theologia patriae*), Ib., pp. 261-276; О богословскихъ сочиненіяхъ А. С. Хомякова (*De scriptis theologicis A. Khomiakovi*), Прав. Обозр., 1880, t. I, pp. 29-68; Krasniuk, Религіозно-философское ученіе прежнихъ славянофиловъ (*Doctrina religiosa et philosophica vetustiorum slavophilorum*). Вѣра и Разумъ, 1900, t. II, pp. 93-121; 174-186; Romachkov. А. С. Хомяковъ, его жизнь и поэзія (*A. Khomiakov, ipsius vita et poesis*), Душеп. Чтеніе, 1900, t. III, pp. 201-215; Vladimirov, Алекѣй Степановичъ Хомаковъ и его этико-соціальное ученіе (*A. Khomiakov: specimen historicum et psychologicum*). Вѣра и Разумъ, 1905, t. II, pp. 251-270; 289-307; 347-380; M. Lebedev. Взаимное отношеніе церкви и государства по воззрѣніямъ славянофиловъ: опытъ оправданія системы отдѣленія церкви отъ государства (*Mutuae relationes inter Ecclesiam ac regimen civile ad sententiam slavophilorum: specimen iustificationis theoriae quae vult ut Ecclesia a regimine civili discingatur*), Kasan, 1907 (opus maximi momenti). In Gallia de Khomiakovo concinne atque erudite scripsit A. Gracieux in commentario periodico *La Revue catholique des Eglises*, nec non in dissertatiuncula: *Un poète slavophile: A. S. Khomiakof*, Parisiis, 1909.

о Церкви (*Specimen expositionis catecheticae doctrinae de Ecclesia*) (¹). Anno 1853 typis evulgavit gallice: *Quelques mots par un chrétien orthodoxe sur les communions occidentales à l'occasion d'une brochure de M. Laurentie* (Parisiis, 1853) quam subsequntae sunt altera et tertia opella gallice exaratae, eodemque titulo exornatae (Lipsiae, 1855; 1858) (²). Haec praecipua sunt scripta theologica Khomiakovi, quibus addendae litterae Palmero missae. In eis fuse suum systema theologicum Khomiakov exponit, quod fere totum vertitur in notione Ecclesiae enucleanda, natura definienda, muneribus statuendis.

Censura russa prohibuit quominus scripta theologica Khomiakovi in Russia evulgarentur, eo oevum traducente. Anno vero 1879 primum data est licentia typis mandandi scripta theologica Khomiakovi, ea tamen conditione, ut in prooemio monerentur lectores, ob mancam culturam theologicam, sive in sententiis enucleandis, sive in verborum accuratione auctorem saepe claudicasse.

De placitis theologicis Khomiakovi scriptores russi alii alia decernunt. Vindices slavophilismi tanta eum prosequuntur admiratione, ut Patrum Ecclesiae agmini fere eum adscribant. Non desunt inter theologos orthodoxos qui eum efferant ut novae methodi repertorem in provincia theologiae orthodoxae, addantque neminem altius quam Khomiakovum indolem, atque, ut ita dicam, spiritum Ecclesiae orthodoxae perscrutatum fuisse. Quidam e contrario eum ut heterodoxum detestantur.

Ut ut sit, mihi dubium non est quin theologis catholicis schisma extinguere deperientibus scripta theologica Khomiakovi sedulo perlegenda sint, ac strenue refellenda. Haec enim scripta falsissimam exhibent notionem Ecclesiae catholicae eiusque constitutionis, ac mihi videtur, ut semel atque iterum significavi, praecipuam discrepantiam theologicam, quae schisma alit fovetque, ad notionem naturamque Ecclesiae Christi referri.

Ad sententiam Khomiakovi, Ecclesia suapte natura institutio est moralis, quae libertatem atque amorem suavissimo coniugio in terris devincit. E contrario, regimen civile institutio est iuridica, quo fit ut toto distet coelo ab Ecclesia. Quatenus Ecclesia est societas moralis simul ac religiosa, sua potitur dogmatica et methaphysica, nec non suis moralibus principiis. Religio christiana apparuit in orbe terrarum

(¹) Edita est opella post eius mortem in commentario periodico Прав. Обозр., 1864, t. XIII, pp. 233-258, atque inserta deinceps in altero volumine omnium eius operum: Полное собраніе сочиненій, Mosquae, 1900, pp. 3-26.

(²) Ib., pp. 95-248.

quum iam Graeci et Romani normas sibi constituissent vitae politicae ac socialis, quum iam romano iure omnes fere populi regerentur. Romani, ut in confesso est, prae ceteris gentibus scientiam iuris summo studio excoluere, contemptis aut neglectis principiis moralibus. Exinde factum est, ut romanae gentis indoles inprimis πρακτική evaserit. Nil mirum igitur, si religione christiana accepta Romani sibi persuadere non potuissent Ecclesiam Christi principiis moralibus inniti. Pro eo ut suum characterem moralem sartum tectumque servaret, apud Romanos Ecclesia characterem iuridicum induit, certamen inivit cum potestate civili, supremum rectorem sibi dedit Romanum Pontificem, despotismum invexit, legem amoris abrogavit. Auctoritas viguit in Ecclesia ut principium exterius unitatis, atque obedientia illa, quae in ea fructus est amoris, per violentiam coepta est exstingui. At haec rerum conditio perstare non potuit simul atque hominum mentes dubium incessit de praecepti divini existentia, quod eos cogat ut famulentur Romanis Pontificibus. Exinde orta est contra monarchiam romanam respublica christiana protestantismi, qui principium auctoritatis abiecit, ut libertatem individualem tueretur. Per catholicismum, exterior unitas servata est, libertate posthabita; per protestantismum, libertas restituta est homini, vinculo unitatis perfracto; vera Ecclesia Christi est igitur Ecclesia orthodoxa, quae libertatem non excutit in principio unitatis, quod per legem amoris explicatur (1).

In altero volumine operis nostri *novitates* theologicas Khomiakovi, in eis praesertim quae ad romanae Ecclesiae indolem spectant, copiose refellere nitemur. In praesens satis habeo animadvertisse Komiakovum, ut rite judicavit Solovev, Ecclesiam orthodoxam suis in scriptis effinxisse, haud quidem ut historia nobis eam praebet, sed ut ipse eam sibi constituit. Neminem enim latet satis abunde nobis historiam testari Ecclesias orthodoxas, post schisma peractum, vinculum unitatis inter sese fregisse; pro eo ut libertatis ecclesiasticae vindices extarent, dominatui civilis potestatis sese subjecisse: amoris legem, qua fabulatur Khomiakov eas devinciri, figmentum esse. Exploratum est enim intestinis discordiis huiusmodi Ecclesias magis magisque dilabi.

Nominis Solovevi mentionem injecimus, ac mihi volupe est primum mei operis volumen laudibus scriptoris claudere, quo, saeculo XIX in theologicis ac philosophicis disciplinis praestantiorem Russia non genuit (2). Vladimirus Solovev natus est Mosquae anno 1853. Pa-

(1) Zavitnevitch, t. II, pp. 892-94; 1274-75.

(2) Vitam Vladimiri Solovevi enarrarunt Velitchko, Владимиръ Соловьевъ: жизнь и творенія, Petropoli, 1902; 1903; Radlov, Вл. С. Соловьевъ: біографи-

trem habuit Sergium Mikhailovicium, qui nomem suum posteris commendavit perdocta et laboriosa suae patriae historia. quae multis voluminibus continetur. Curriculo studiorum in athenaeo mosquensi expleto, tantum profecit in studiis philosophicis, ut vigesimo secundo suae aetatis anno nondum exacto, acutissimi ingenii specimen perpulchram exaravit dis-

---

фическій очеркъ, Собраніе сочиненій Соловьева, t. IX, Petropoli, 1907, pp. I-LVI. De eius doctrinis theologicis, scriptis, atque ingenii dotibus haec praesertim habentur in litteratura russica. По поводу статьи В. Соловьева о духовной власти въ Россіи (*Dissertatio S. de auctoritate ecclesiastica in Russia*), Рук., 1882, t. I, pp. 29-39; 61-75; 85-102; II, 173-95; 201-205; Palimpsestov, Голосъ мірянина, по поводу статьи В. С. о духовной власти въ Россіи (*Vox cuiusdam laici in dissertationem V. S. circa potestatem ecclesiasticam in Russia*), Ч. О. .I., 1882, t. II, pp. 71-122; A. N., Голосъ изъ юго-западнаго православнаго славянства по поводу статей г. Соловьева о соединеніи съ Римомъ (*Vox ex slavismo orthodoxo Russiae meridionalis atque occidentalis circa scriptiones S. de unione cum Roma*), Вѣра и Разумъ, 1884, t. II, pp. 644-659; Stoianov, Наши новые философы и богословы (*Nostri recentiores philosophi ac theologi*), Ib., 1885, t. I, pp. 46-64; 98-118; 171-191; 432-459; 688-725; 1886, t. I, pp. 524-546; 670-701; 782-826; II, 523-550; Id., Сужденіе г. С. въ хорватской римско-католической газеты *Kat. List* о православной восточной Церкви (*Iudicium S. in ephemeride croatica romano-catholica Kat. List de Ecclesia orthodoxa orientali*), Ib., 1886, t. II, pp. 700-744; Chostyn, Къ вопросу о догматическомъ развитіи Церкви (*Quaestio de progressu dogmatico in Ecclesia*), Ib., 1886, t. I, pp. 547-570; t. II, pp. 420-467; Kireev, Нѣсколько замѣчаній на статью В. С. С. о догматическомъ развитіи Церкви, въ связи съ вопросомъ о соединеніи Церквей (*Quaedam animadversiones in scriptionem S. de progressu dogmatico in Ecclesia, in suis relationibus ad quaestionem unionis Ecclesiarum*), Чт. о. л., 1886, t. I, pp. 460-470; Krispi, Чему учитъ теорія развитія догматовъ (*Quid nobis tradit doctrina progressus dogmatici*), Пр. об., 1887, t. III, pp. 286-314; D. A Khomiakov, По поводу историческихъ ошибокъ открытыхъ г. С. въ богословскихъ сочиненіяхъ А. Х. (*Quaedam circa errores historicos, quos Solovev detexit in operibus theologicis Alexii Khomiakovi*). Пр. об., 1888, t. I, pp. 611-615; Stoianov, Сужденія о. Вл. Геттэ о новѣйшей Дѣятельности г. С. въ пользу единенія Церкви восточной съ западною *Iudicia P. Vladimiri Guettée circa recentiora acta S. ad promovendam unionem Ecclesiae orientalis cum occidentali*), Вѣра и Разумъ, 1888, t. II, pp. 680-696; 715-745; Bieliaev, По поводу статьи В. С.: Россія и Европа (*De scriptione Solovevi: Russia et Europa*), Ib., 1889, t. I, pp. 256-276; N., Шеократическія и іерократическія воззрѣнія В. С. ... предъ судомъ каноническаго права прав. Церкви (*Placita theocratica et hierocratica S. ante tribunal iuris canonici Ecclesiae orthodoxae*), Ч. об. л., 1891, t. II, pp. 291-338; Leonovitch, В. С. о расколѣ и сектахъ (*V. S. sententia circa sectas et schisma russicum*), Мис. Об., 1900, t. II, pp. 681-687; Potiekhin, Памяти В. С., философа и богослова (*In memoriam V. S., philosophi ac theologi*), Ib., 1900, t. II, pp. 248-256; Speransky, В. С. какъ проповѣдникъ христіанскихъ идей и отношеніе къ нему свѣтской и духовной печати (*V. S., ut praedicator principiorum religionis christianae ac iudicia quae de eo protulerunt scriptores ecclesiastici et prophani*), Вѣра и

sertationem: Critica philosophiae occidentalis (1), quae paucos sane detractores, permultos vero laudatores nacta est. Meum non est fusiore calamo ipsius vitam enarrare. Studiosos, qui id cupiant, ad praecitata opera Velitckki et Radlovi delegamus. Hoc tamen meminisse iuvabit complures annos in promovendam unionem Ecclesiarum, in principium catholicae unitatis tuendum, in mala sincere deploranda quae ex schismate promanarunt, sedulo incubuisse. Candor animi, fides altissimis radicibus cordi affixa, mira austeritas morum, veritatis inconcussus

---

разумъ, 1900, t. II, pp. 466-480; Vvedensky, О мистицизмѣ и критицизмѣ въ теоріи познанія В. С. (*De mysticismo et criticismo iuxta doctrinam de cognitione quam S. enucleavit*), Mosquae, 1900; Rojdestvin, Вл. С. какъ поэтъ (*S., ut poeta*), Kasan, 1901; Potiekhin, Критика толстовства В. С. (*Critica tolstoismi in scriptis S.*), Мис. Об., 1901, t. III, pp. 34-43; Sadovsky, С. о графѣ Л. Шольстомъ (*Solovev et comes L. Tolstoi*), Душеп. Чтеніе, 1901, t. II, pp. 146-156; Speransky, Религіозно-философскія воззрѣнія В. С. (*Placita religiosa et philosophica S.*), Вѣра и Разумъ, 1901, t. I, pp. 103-132; Id., Вопросъ о происхожденіи и сущности философіи по сочиненіямъ В. С. (*Quaestio de origine et essentia philosophiae iuxta scripta S.*), Ib., 1905, t. II, pp. 203-216; Id., Дѣйствительный смыслъ религіозно-философскихъ воззрѣній С. (*Principium ex quo effluunt placita religiosa et philosophica S.*), Ib., 1901, t. I, pp. 181-211; 229-252; Nikolsky, Русскій Оригенъ XIX вѣка: В. С. (*Origenes russus saeculi XIX: S.*), Ib., 1902, t. I, pp. 407-425; 443-462; 495-530; II, 1-32; 33-54; 73-111; 121-154; 155-186; 195-224; 251-290; 407-441; 453-485; Popov, Православная Церковь по ученію нашихъ свѣтскихъ писателей: С. (*Ecclesia orthodoxa iuxta doctrinam nostrorum theologorum laicorum S.*), Ib., 1903, t. I, pp. 745-757; t. II, pp. 49-66; Perrverzev, Идея Богочеловѣчества въ богословско-философской системѣ В. С. (*Notio hominis-Dei aut humanitatis divinae in systemate theologico et philosophico S.*), Учено-богословскіе... опыты студентовъ К. Д. Ак., t. II, Kioviae, 1905, pp. 1-131; Sneghirev, В. С., и его религіозно-нравственные идеалы (*S. eiusque conceptiones religiosae et morales*), Вѣра и Разумъ, 1906, t. II, pp. 143-161; 179-199; Radlov, Характеръ творчества Вл. С. (*Indoles ingenii atque operum S.*), Ж. М. Н. П., 1909, X, pp. 183-198. Opera Solovevi novem voluminibus edidit Michael Solovev, Petropoli, 1901-1907. Litterarum ab eo suis amicis missarum duo volumina usque in praesens evulgavit E. Radlov, Petropoli, 1908-1909. Quae gallice de ipsius vita et doctrina conscripta sunt, recensuit d'Herbigny, *Un Newman russe*, p. 6. Pauca de Solovevi doctrinis delibavimus in nostris scriptionibus: *L'uomo, la natura ed il male nella filosofia di Vladimiro Solovev, Bessarione*, 1907, III, vol. II, pp. 8-33; *Vladimiro Solovev, l'apostolo dell'unione delle Chiese in Russia, Rivista internazionale di scienze sociali*, t. L, 1909, pp. 153-170. Apud Polonos, de doctrina Solovevi in opere *La Russie et l'Église universelle* contenta disseruit Morawsky, *Włodzimierz Sołowiew, Przegląd powszechny*, 1890, t. XXV, pp. 305-327; XXVI, pp. 21-39; 230-246. Nuperrime de scriptis philosophicis Solovevi egerunt Séverac, *Vladimir Solovev*, Parisiis, 1910; Steppuhn, *Wladimir Ssolowjew, Zeitscrift für Philosophie und philosophische Kritik*, T. CXXXVIII, 1910 (Lipsiae), pp. 1-79; 239-291 (Scriptio nullius momenti).

(1) Кризисъ западной философіи, Собраніе сочиненій, t. I, pp. 26-144.

amor, en praecipuas virtutes, quae in eo eluxerunt. Huncce virum si catholicae Ecclesiae nomen aperte non dedisse dolendum est, nemini tamen dubium erit quin vehementissimo cordis affectu ad eam ipse pertinuerit, tot enim ad ipsius defensionem contra theologos orthodoxos exaravit scriptiones. Cessit e vivis anno 1900 suamque vitam exemplum, suaque scripta documenta felicissimi ingenii posteris reliquit. Scriptores catholicos, qui catholicam doctrinam ab assultibus theologorum orthodoxorum tuentur, vehementer hortor ut opera Solovevi sedulo et continenter perlegant, non ea tantum quae schisma confodiunt, verum etiam quae de Deo, vel de vita christiana, vel de bonitate Dei pertractant, verbigratia, *Praelectiones de Deo homine* (1); *Principia spiritualia vitae* (2), quae opella pulcherrimum continet specimen theologiae asceticae; *Iustificationem boni, seu philosophiam moralem* (3), mirabile sane opus, in quo subtilissimae disquisitiones methaphisicae fervido pietatis sensu atque amore in Deum pervaduntur (4).

Ad nostram provinciam quod attinet, lacunas ac vitia schismatis sincere detexit Solovevus in suis scriptis *de auctoritate ecclesiastica in Russia* (5); *de politica christiana et magno discidio* (6); *de historia et sorte futurae theocratiae* (7). Ad finem huius operis proposuit Solovevus novem quaestiones, quarum solutio cunctis christianis mala schismatis fastidientibus peroptanda est (8).

(1) Чтенія о богочеловѣчествѣ, t. III, pp. 1-168.

(2) Духовныя основы жизни, t. III, pp. 270-387. Exstat huiusce opellae versio germanica: *Die religiösen Grundlagen des Lebens*, Lipsiae, 1907.

(3) Оправданіе добра: нравственная философія, t. VII, pp. 1-484.

(4) Quas persolvimus laudes Solovevo nolim ita intelligi, quasi omnes omnino ipsius sententias veritati catholicae consonas putem. Plura enim, praesertim in placitis philosophicis occurrunt, quae absona videntur placitis philosophiae catholicae. Haec tamen ad trutinam revocare meum non est.

(5) О духовной власти въ Россіи, t. III, pp. 206-220.

(6) Великій споръ и христіанская политика, t. IV, pp. 1-105.

(7) Исторія и будущность теократіи, t. IV, pp. 214-588.

(8) De hisce quaestionibus Solovevi disceptarunt: *Revue des Eglises d'Orient*, *Les neufs questions de Solovev*, 1886, t. II, pp. 321-323; 337-339; 353-355; 369-372; *Les neuf questions et la Revue de l'Union chrétienne*, Ib., t. III, 1887, pp. 385-390; 417-420; Mazzella, *Risposta ad alcune questioni concernenti il ritorno dei Greci scismatici nel grembo della Chiesa cattolica*, Romae, 1887. Exstat huiusce dissertationis versio russica: Отвѣтъ на нѣкоторые вопросы, касающіеся возвращенія грековъ-раскольниковъ въ нѣдра каѳолической Церкви, Friburgi Brisgoviae, 1889; Stoianov, Изъ полемики о. В. Гетте... по поводу вопросовъ г. Соловьева (*Excerpta ex concertatione polemica S. cum commentario periodico Revue de l'Eglise greque-unie circa novem quaestiones Solovevi*). Вѣра и Разумъ,

Doctrinam catholicam de necessitate progressus dogmatici relativi in Ecclesia exposuit perbelle in commentario periodico: *Conspectus orthodoxus* (1). De necessitate unionis in opella gallice inscripta: *L'idée russe* (Parisiis, 1888), qua pervulgata, typis edidit perpulchram apologiam Ecclesiae catholicae, quae imprimis tuetur primatum atque infallibilitatem romanorum pontificum (2).

Mea quidem sententia perpauci extiterunt scriptores, qui, ut Solovev, in opere *La Russie et l'Eglise universelle* tam luculenter demonstrarint unitatem doctrinae ac regiminis inter requisita essentialia Ecclesiae Christi adscribendam esse; qui Sacrarum Scripturum testimoniis Patrumque traditione, atque argumentis theologicis et historicis clarissima in luce posuerint Romanam Sedem semper fuisse ac fore semper centrum unitatis. Hanc igitur apologiam constitutionis catholicae Ecclesiae, quum elucubrata sit a viro qui in prima commendatione est inter scriptores russos, maximi momenti faciendam esse nemo est qui non videat.

1887, t. I, pp. 803-828; t. II, pp. 152-168; Tilloy, *Les eglises chrétiennes dissidentes et l'Église romaine, en réponse aux neufs questions de M. Solovev*, Parisiis, 1888. (Opus nullius momenti).

(1) Solovev, Догматическое развитіе Церкви въ связи съ вопросомъ о соединеніи Церквей (*Progressus dogmaticus Ecclesiae sua in relatione cum quaestione unionis Ecclesiarum*), Пр. об., 1885, t. III, pp. 727-798; Отвѣтъ анонимому критику по вопросу о догматическомъ развитіи въ Церкви (*Responsio critico anonymo circa progressum dogmaticum in Ecclesia*), Ib., 1886, t. II, pp. 354-366.

(2) *La Russie et l'Église universelle*. Parisiis, 1889; 1906. Exstat versio russica primae et secundae partis huiusce operis: Россія и вселенская церковь, Cracoviae, 1904. De hoc opere vide: *Revue des Églises d'Orient, La Russie et l'Église universelle*, t. V, 1889, pp. 305-315; 321-331; 337-347; Stoianov, Критическій разборъ сочиненія г. Вл. Соловьева « Россія и вселенская Церковь » (*Examen criticum operis Solovevi: La Russie et l'Église universelle*), Вѣра и Разумъ, 1891, t. I, pp. 50-72; 240-268; 666-680; A. A, Вл. С., какъ защитникъ папства по кн. *La Russie* etc. (V. Solovev, ut defensor Romanorum Pontificum in opere *La Russie* etc.), Ib., 1904, t. I, pp. 614-638; t. II, pp. 13-35; Taube, В. С., Россія и вселенская Церковь (*V. S., Russia atque Ecclesia universalis*), Мисс. Обозр., 1904, t. II, pp. 3-17; 171-82; Michaud, *Erreurs et aveux de Vladimir Solovev, Revue Internationale de Théologie*, t. XV, 1907, pp. 622-640.

ORATIO AUCTORIS

AD

BEATISSIMAM VIRGINEM

Tuos ad pedes provolutus, Mater Beatissima Boni Consili, quodcumque sit hocce opus, hunc meorum laborum fructum, humillime tibi offero. Te impellente, manum ad aratrum admovi; te favente, tempestosum haereseon salum exigua cymba proscindere sum ausus, in id unice conversus, ut navim Petri, procellis exagitatam, at nunquam submergendam, continenter sequerer. Canescit jam aetas; languidulae jam vires deficiunt; nuntius mortis mihi adstat Angelus Filii tui, tractimque susurrat ad aures: « Prope est dies tua: contrahe vela, et scaphulam rimis fatiscentem ad tutissimum salutis portum advehe ». At materno tuo sinu me innixum non territat mors, quae amara videtur inimicis Filii tui. Me tenet spes fore ut tot vigiliis ac laboribus incoeptum opus perficiam. Attamen, suavissima Mater, si tua est voluntas, ut eo infecto, osculo Iesu jam fruar, paratus sum tibi obtemperare. Contremiscit gaudio defessum cor, quod Iesus aeternum flammis sui cordis aduret. Pulchrum quidem est veritatem, quam tuus Filius suis verbis, suis operibus, suo sanguine mortalium generi declaravit, invicte tueri: at pulcherrimum est hanc veritatem, divinae claritatis radiis circumfusam, aeternum inspicere, in eaque aeterna frui beatitudine.

Si quidpiam contuli ad catholicae veritatis defensionem, totum tibi acceptum refero, Maria. A teneris unguiculis pietatem erga te coli, ac Tu me infantulum dilexisti; Tu Iesum rogasti ut meos digitos sacro perungeret chrismate atque in corde indelebile sacerdotii signum insculperet; Tu animas mihi dedisti quas ad pascua Filii tui perducerem; Tu me incitasti ut tot clarissimorum virorum agmini ad schisma extinguendum adlaborantium, me adscriberem. Atque hoc in

certamine me humanis auxiliis destitutum, Tu sola me non dereliquisti; quum vires deficerent, me deficientem Tu roborasti; quum dubiis exagitarer, me exagitatum Tu tranquillasti; quum recto ab itinere deflecterem, Tu rectum in iter me deflectentem iterum adduxisti; quum premerer calumniarum pondere, me pressum benignis alloquiis Tu solata es; quum vires mei ingenii mihi viderer abuti, Tu mihi suasisti ut opus incoeptum alacri prosequerer animo; quum diuturnae infirmitatis cruciarer angoribus, Tu depressos animos recreasti. Tuis obsequutus consiliis, patienter interdum adversitates, injurias et contumelias pertuli, quae semper manent in terris veritatis vindices, measque lacrymas in tuum sinum effudi, ac Te solam rogavi meorum laborum praemium.

Tibi, beatissima Virgo, ex imo corde preces effundo. Tot ingravescunt adversus catholicam Ecclesiam bella; tot impendunt tuis filiis pericula; inferorum copiae pluteos vineasque agunt, ut romanae Sedis munitissimam arcem diruant. Tuis filiis persuasissimum est portas inferi nunquam praevalituras adversus Ecclesiam Christi. At innumerae pereunt animae fluctibus errorum abreptae. O Mater beatissima, quae vagientem Ecclesiam non secus ac vagientem Christum lacte tui amoris nutrivisti, quae apostolos tuae sapientiae verbis confirmasti, Ecclesiae; tot vulneribus sauciatae, benigna succurre. Filios habes, qui te vehementissime diligunt, qui ex eodem calice sanguinem Iesu Christi sumunt, ac tamen torvis oculis sese aspiciunt, oppositisque in campis arma gerunt, fideique christianae hostes suis intestinis discordiis laetitia afficiunt. Restingue odia, o Mater pulchrae dilectionis. Una est in terris Ecclesia Christi; unus est Pastor, cui Filius tuus Iesus suas oves commisit, ut fidem omnes profiteantur eandem, eisdemque baptismatis lymphis abluantur. Extorres filios, qui Te diligunt quique Te semper dilexere, ad hanc unam Christi Ecclesiam clementer revoca. Agmina tuo nomini addicta, quae abhinc tot saeculis sese dilacerant, in unum coge invictum exercitum, cui dux unus praesit; in unum congrega ovile, quod pastor unus regat; in unam compelle familiam, quae imperio pareat consiliisque utatur unius patris ac doctoris. Tuis precibus Deum roga, ut pax iterum fulgeat agminibus Christi; ut Pastor unus scissos Orientis atque Occidentis populos uno complectatur amplexu; ut filii tui, renovata in orbe christiano concordia, tuis titulis gloriae hosce titulos adjungant: *Mater unitatis christianae!... Debellatrix schismatum!*

FINIS TOMI PRIMI

INDEX

PAG.

PROOEMIUM . . . . . I-XXV

CAPUT I. — De Theologiae definitione. 1

1. Delectus definitionum theologiae qua a scriptoribus orthodoxis traduntur, p. 1. — 2. Ex his definitionibus consequitur theologiam simul scientiam esse ac sapientiam, p. 3. — 3. Ratione principiorum quibus utitur scientia supernaturalis ab Eugenio Bulgari dicitur theologia, p. 4. — 4. Epitheton ὀρθόδοξος abusive tribui theologiae Ecclesiarum a Romana sede separatarum, argumentis e scriptorum orthodoxorum operibus depromptis, demonstratur, p. 4.

CAPUT II. — De notione, definitione et divisione Dogmatum in theologia orthodoxa 11

1. Notio generalis dogmatis, p. 11. — 2. Notae dogmatis in strictiori sensu accepti: α') dogmata sunt veritates theoreticae, p. 12. — 3. β') Dogmata sunt veritates revelatae, p. 13. — 4. γ') Dogmata sunt veritates ab Ecclesia formaliter propositae ut pertinentes ad fidei revelatae depositum, p. 14. — 5. δ') Dogmata sunt veritates quibus omnes fideles suum tenentur assensum praebere, p. 16. — 6. Definitiones dogmatis quae traduntur a theologis orthodoxis: quaedam in eis improbantur, p. 18. — 7. Variae dogmatum classes iuxta theologos orthodoxos, p. 20. — 8. Notio catholica dogmatis evolvitur, p. 22. — 9. Corollaria pro defensione fidei catholicae e doctrina theologiae orthodoxae eruta: α') falso Ecclesias orthodoxas se vocare Ecclesias septem conciliorum oecumenicorum, demonstratur, p. 23. — 10. β') Nova definitio dogmatica novum dogma censenda non est, p. 25. — 11. Obiectiones quae a Chostin congeruntur contra divisiones dogmatum a catholicis propositas, diluuntur, p. 26.

CAPUT III. — De Progressu dogmatico juxta theologos sive catholicos, sive orthodoxos 31

1. Momentum huius tractationis, p. 31. — 2. Quatuor falsae sententiae refelluntur: α') Sententia rigidioris protestantismi, p. 32. — 3. β') Sententia hodierni protestantismi, p. 33. — 4. γ') Sententia Antonii Güntheri, p. 34. — 5. δ') Sententia recentiorum Modernistarum, p. 35. — 6. Theses doctrinae catholicae: α') Progressus dogmaticus quoad substantiam rei extitit in historia revelationis ante aetatem apostolicam, p. 37. — 7. β') Per Iesum Christum atque Apostolos divina revelatio ita fuit expleta ut progressus dogmaticus quoad substantiam rei nequeat amplius admitti,

PAG.

p. 40. — 8. γ') Datur possibilitas, necessitas, et realitas progressus dogmatici *secundum quid* in revelatione divina, p. 45. — 9. De modo quo progressus dogmaticus *secundum quid* perficitur in Ecclesia, p. 54. — 10. Praenotanda in sententias theologorum orthodoxorum circa progressum dogmaticum, p. 56. — 11. Demonstratur theologos orthodoxos profiteri progressum dogmaticum *secundum quid*, p. 56. — 12. Doctrina orthodoxa de progressu dogmatico cum doctrina catholica comparatur, p. 60. — 13. Errores theologorum orthodoxorum circa theoriam progressus dogmatici refelluntur: demonstratur Ecclesias orthodoxas neque *organum* habere magisterii ecclesiastici, neque hoc magisterium amplius exercere, p. 63. — 14. Calumniae et negationes quorum dam theologorum orthodoxorum in Ecclesiam ac theologiam catholicam, p. 68. — 15. *Theorice* ac *practice* numquam catholicam Ecclesiam docuisse sententias quas ipsi orthodoxi theologi affingunt, demonstratur, p. 71. — 16. Thesis proposita exemplis confirmatur, adducta etiam auctoritate scriptorum tum orthodoxorum tum protestantium, p. 73. — 17. Utrum progressus dogmaticus *secundum quid*, regressus in fide et in theologia censeri debeat. 74. — 18. Doctrina theologorum catholicorum a nota rationalismi defenditur, ac demonstratur per definitiones dogmaticas Ecclesiam nullimode sententias particulares huius vel illius theologi ad dignitatem dogmatis evexisse, p. 75. — 19. Quid de canone lirinensi theologi orthodoxi sentiant, exponitur; sensus catholicus eiusdem enucleatur,et defenditur, p. 80. — 20. Obiectioni in doctrinam catholicam e canone Lirinensis depromptae respondetur, p. 87.

CAPUT IV. — De necessitate, methodo ac divisione theologiae apud scriptores orthodoxos 89

1. De christianismo *adogmatico* Tolstoi, Rozanov, ao Merejkovsky in Russia, p. 89. — 2. Quid adogmatismi deliramentis respondeatur a theologis russis orthodoxis, p. 93. — 3. Adversus adogmatistas russos demonstratur mysteria fidei neque rationi, neque voluntati, neque cordi repugnare, p. 95. — 4. Demonstratur adversus eosdem revelationem mysteriorum vero profectui sive intellectus, sive voluntatis, sive cordis, inutilem non esse, p. 106. — 5. De methodo in theologia adhibenda sententiae variae theologorum orthodoxorum, p. 114. — 6. De methodo quam praeferendam ducit theologia catholica, ac de historia dogmatum relate ad theologiam, p. 118. — 7. De celebrioribus scholis theologiae apud orthodoxos, praesertim apud Graecos, Russos et Romenos, p. 121. — 8. Utrum opportunius sit in praesentiarum theologiae cathedras instituere in athenais civilis regiminis quam in academiis ecclesiasticis: orthodoxorum scriptorum de hac re variae sententiae, p. 129. — 9. De praetenta scientiae theologicae libertate: rationes exponuntur quibus haec libertas iure ab Ecclesia catholica rejicitur, p. 132. — 10. Tractationum divisio in theologia dogmatica orthodoxa, p. 135.

PAG.

CAPUT V. — De Compendiis Theologicis in Ecclesia orientali graeco-russica 138

1. De Theologia positiva, ac de causa qua theologi orthodoxi eam praeferunt tractandam, p. 138. — 2. Libri *De Fide orthodoxa* S. Johannis Damasceni, eorumque versiones slavicae ac magna auctoritas in Ecclesiis orthodoxis, p. 140. — 3. Disciplinarum theologicarum occasus in Oriente post exortum schisma, p. 141. — 4. De conditione graecae theologiae post captam urbem Byzantium ac de causis eius *στάσεως*, p. 142. — 5. Scriptores graeci qui institutiones theologicas saeculis XVII ac XVIII elaborarunt: Nicolaus Cursulas, Vincentius Damodus, Antonius Moschopulos, Eugenius Bulgaris, Athanasius Parius, p. 144. — 6. Recentissimi theologi graeci: Zikos Rhosis et Christos Andrutsos, p. 147. — 7. Dependentia antiquissimae theologiae russicae a theologia graeca, p. 151. — 8. Antiquiores scriptores russi qui systematice theologiam dogmaticam exponsere: Cyrillus Trankvillion, Simeon Polotzky, p. 152. — 9. Theologi scholae kioviensis, ac latinae theologiae influxus in eosdem, praesertim circa doctrinam Immaculatae Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis, p. 153. — 10. Theologiae scholasticae catholicae cultus in academia kioviensi, p. 156. — 11. Theophanus Prokopovitch atque influxus theologiae lutheranae in Russia per eum invectus, 159. — 12. Theologi scholae mosquensis: Theophylactus Lopatinsky, Cyrillus Florinsky, Gabriel Petrov, Athanasius Volkhovsky, archimandrita Hilarion, p. 164. — 13. Platon Levchin, metropolita mosquensis, p. 167. — 14. Theologi russi saeculi XVIII: Macarius Petrovitch, Theophylactus Gorsky, Georgius Konissky, Samuel Mislavsky, Tikhon Sokolov, Hyacinthus Karpinsky, Apollos Baibakov, Sylvester Lebedinsky, Iuvenalis Medviedsky, Augustinus Vinogradsky, Methodius Smirnov, Irenaeus Falkovsky, p. 169. — 15. Theologi russi saeculi XIX: Gregorius Postnikov, Philaretus Amphiteatrov, Polycarpus Goimannikov, Petrus Tarnovsky, Antonius Amphiteatrov, Alexander Gorsky, p. 172. — 16. Macarius Bulgakov, metropolita mosquensis, p. 174. — 17. Philaretus Gumilevsky, archiepiscopus cernigoviensis, p. 176. — 18. Sylvester Malevansky, episcopus Kanevensis, p. 176. — 19. *Πρωτ.* N. Malinovsky, p. 177. — 20. De russicis compendiis theologicis quae minoris momenti habentur, p. 177. — 21. De catechismis Russorum, p. 180. — 22. De catechismis Graecorum, p. 183.

CAPUT VI. — De theologia sgholastica ac de usu rationis in rebus fidei 186

1. Objurgationes theologorum orthodoxorum in scholasticos scholasticamque methodum producuntur, p. 187. — 2. Demonstratur in hisce objurgationibus congerendis theologos orthodoxos praecipuam regulam artis criticae violare, nec non theologos catholicos defectus scholasticae *sequioris oevi* silentio non praeterire, p. 192. — 3. Fontes protestantes ex quibus theologi orthodoxi

PAG.

calumnias in scholasticam hauserunt: harum calumniarum iniquitas testimoniis recentiorum theologorum protestantium comprobatur, p. 195. — 4. De scholasticae definitionibus ac de discrepantia, quae in eis enucleandis reperitur inter veteres ac recentes theologos orthodoxos, p. 199. — 5. De natura theologiae scholasticae: eam a positiva tantum accidentaliter differre ostenditur: quod in ea peculiare habetur detegitur, p. 201. — 6. Utilitas theologiae scholasticae, praesertim ad fidem christianam tuendam vindicatur, p. 203. — 7. De origine theologiae scholasticae: ostenditur eam producere theologiam Patrum, praecursorem habuisse Leontium Byzantinum, magistrum autem ac legislatorem S. Iohannem Damascenum, p. 204. — 8. De barbaro, quo utuntur scholastici, stylo: novitas vocum, ubi necessitas progressus scientifici instat, pluribus argumentis legitima demonstratur, p. 208. — 9. De quaestiunculis otiosis ac nugatoriis a scholasticis exagitatis: quomodo in hac re veteres theologi orthodoxi scholasticos a culpa vindicant: quid de hac criminatione sentiendum, p. 211. — 10. De usu dialecticae in theologia: obiectiones theologorum orthodoxorum refelluntur: dialecticae usus ex Sacris Scripturis, Patribus atque ratione perutilis demonstratur ad theologicarum disciplinarum progressum, p. 215. — 11. De usu philosophiae in theologia: ad sententiam catholicam philosophiae munus in theologia non est veritates fidei per diuturnam sedulamque investigationem tam clarissima luce perfundere, ut eas ratio humana penitus perspectas habeat ut veritates rationales, p. 223. — 12. De scholasticorum sententia *philosophiam ancillari theologiae*: quid de ea sentiant theologi orthodoxi: eandem a Patribus et scriptoribus Graecae Ecclesiae scholasticos hausisse probatur, p. 234. — 13. Veritas huius effati argumentis ex ratione depromptis confirmatur, p. 238. — 14. Rectae consecutiones, quae ex eo deducuntur, explanantur, p. 241. — 15. Pravae consecutiones, ex eo ab adversariis erutae, refelluntur, p. 243. — 16. Doctrina catholica quae per adagium scholasticum exprimitur, disertis verbis a theologis etiam orthodoxis asseritur, p. 248. — 17. Utilitas philosophiae ad profectum theologicarum disciplinarum argumentis auctoritatis ac rationis ostenditur, p. 252. — 18. Demonstratur quam maxime conferat philosophia ad praeambula fidei illustranda, p. 257. — 19. Ostenditur philosophiam perutilem esse theologis ad veritates fidei rectius ordinandas ac profundius investigandas, p. 259. — 20. Philosophiae necessitas pro theologis vindicatur, ad resistendum eis quae contra fidem dicuntur, p. 262. — 21. Scholastica purgatur a calumnia rationalismi, qua interdum a scriptoribus orthodoxis proscinditur, p. 264.

CAPUT VII. — De theologia symbolica ac de veteribus documentis symbolicis in Ecclesiis orientalibus 267

1. Proposita definitione theologiae symbolicae, quid vox *symbolum* innuat *etymologice*, investigatur, p. 267. — 2. Singulae propositae

PAG.

definitionis partes enucleantur atque explicantur, p. 271. — 3. *Συλλογαί* vel collectiones librorúm symbolicorum Ecclesiarum orientalium usque nunc typis vulgatae, p. 274. — 4. De compendiis theologiae symbolicae orthodoxae: definitiones ac methodus theologiae symbolicae juxta scriptores orthodoxos, p. 275. — 5. De origine symboli apostolici: rationes quibus a theologis orthodoxis authenticitas huius symboli impugnatur, producuntur, p. 281. — 6. Sententia catholica exponitur, ac primum apostolicitas veritatum, quae in symbolo apostolico continentur, vindicatur, p. 287. — 7. Apostolicitas temporis,quo symbolum hocce compositum fuit, ostenditur, p. 290. — 8. Quid sentiendum de vetere traditione quae Apostolos conditores symboli vulgo dicti apostolici, exhibet, p. 299. — 9. De symbolo nicaeno-constantinopolitano iuxta scriptores catholicos atque orthodoxos, p. 318. — 10. Sententia A. Lebedev circa originem huiusce symboli enucleatur, p. 351. — 11. De symbolo athanasiano: quid de eo sentiant scriptores orthodoxi, praesertim in controversiis ad procurandam unionem Ecclesiarum orientalium cum Anglicanis, 362. — 12. Concilia eocumenica ut fontes theologiae symbolicae ad sententiam scriptorum-orthodoxorum, p. 401.

CAPUT VIII. — De recentioribus documentis symbolicis Ecclesiarum orthodoxarum 425

1. De necessitate librorum symbolicorum, ac de iure, quod Ecclesiae tribuitur, eos condendi, p. 425. — 2. *Confessio fidei* Gennadii Scholarii, Patriarchae Constantinopolitani, ac *Dialogus* ei adscriptus, p. 434. — 3. *Responsa* Hieremiae II, Patriarchae Constantinopolitani, lutheranis theologis, de ineunda cum Ecclesiis orthodoxis unione sollicitis, p. 453. — 4. *Confessio fidei* Cyrilli Lucareos, Patriarchae Constantinopolitani, p. 464. — 5. Concilium constantinopolitanum anni 1638, et reprobatio confessionis Cyrilli Lucareos, p. 471. — 6. Synodus Iassiensis, anno 1642 adversus Cyrillum Lucarim habita, p. 474. — 7. Synodus Hierosolymitana, anno 1672 congregata, p. 478. — 8. *Confessio fidei* Dosithei, Patriarchae Hisrosolymitani, p. 489. — 9. Controversia de authenticitate confessionis fidei Cyrilli Lucareos, p. 506. — 10. *Orthodoxa Confessio fidei catholicae*, cuius auctor fertur Petrus Moghilas, p. 537. — 11. *Confessio fidei* Metrophanis Critopuli, p. 576. — 12. Concilia particularia veteris Ecclesiae, ut documenta symbolica in theologia orthodoxa, p. 576. — 13. Concilia particularia Ecclesiae graecae sub dominatu Turcarum, et russicae, p. 595. — 14. *Litterae encyclicae*, vel dogmaticae patriarcharum Constantinopolitanorum, ut documenta symbolica, p. 628. — 15. *Catechismus* Philareti, metropolitae mosquensis, eiusque valor symbolicus, p. 644. — 16. De auctoritate librorum symbolicorum Ecclesiarum orthodoxarum, p. 649. — 17. Necessitas primatus atque infallibilitatis Romanorum Pontificum, ut libri symbolici, qua par est, auctoritate in rebus fidei potiantur, p. 655.

PAG.

CAPUT IX. — De natura, definitione ac vitiis Theologiae polemicae, scriptoribus catholicis vitandis 661

1. De appellationibus ac definitionibus theologiae polemicae: accuratior definitio ac distinctio a theologia apologetica, dogmatica et symbolica, p. 661. — 2. De utilitate ac necessitate theologiae polemicae, p. 674. — 3. De vitandis in theologia polemica, nimirum α′) minutiarum studio; β′) negatione consensionis in plurimis inter utramque Ecclesiam; γ′) negatione cuiuslibet discrepantiae inter utramque Ecclesiam; δ′) silentio circa adversariorum obiectiones; ε′) censura rectae doctrinae adversariorum; ϛ′) studio decertandi tantum pro victoria assequenda; ζ′) cupidine humanae gloriae, p. 677. — 4. De motivis, quibus vehementiore studio opus est impellamur ad schisma debellandum, ac legibus charitatis in controversiis theologicis cum orthodoxis obtemperandum, p. 690. — 5. Utrum liceat in controversiis theologicis cum orthodoxis uti epitheto *schismatici*, p. 695.

CAPUT X. — De scientiis necessariis ad studium theologiae polemicae rite ineundum 699

1. Demonstratur, studiosis theologiae polemicae apprime addiscenda: α′) Theologiam dogmaticam; β′) Philosophiam; γ′) Linguas orientales, p. 699. — 2. De Patrum scriptis assidue pervoluntandis scriptoribus catholicis theologiae polemicae: α′-θ′) De regulis servandis in eorum testimoniis utendo ad confutationem scriptorum orthodoxorum; ι′) De scriptis Patrum apostolicorum; ια′) De scriptis Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum II et III saeculi; ιβ′) De scriptis Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum IV et V saeculi; ιγ′) De scriptis Patrum serioris oevi; ιδ′) De auctoritate Photii et Marci Ephesini juxta scriptores orthodoxos, p. 706. — 3. De argumentis historicis in theologia polemica pertractanda: α′) De historia Ecclesiae byzantinae: β′) De historia schismatis; γ′) De historia catholicae Ecclesia in eis quae ad orientales spectant Ecclesias; δ′) De historia ac statu hodierno Ecclesiarum Orientalium orthodoxarum; ε′) De rebus gestis Sanctorum Cyrilli et Methodii sedulo pervestigandis; ϛ′) De historia tentaminum pro schismate extinguendo, ac praesertim de historia unionis brestensis, p. 734. — 4. Studium iuris canonici Ecclesiarum orthodoxarum declaratur perutile studiosis theologiae polemicae, p. 752.

CAPUT XI. — De Theologia polemica generali apud Graecos et Russos 763

1. De praecipuis scriptoribus theologiae polemicae qui post captam byzantinam urbem, inter Graecos recentiores floruerunt, p. 763. — 2. De vetere et nova apud Russos theologia polemica adversus Latinos, p. 770. — 3. De graeca canonum collectione, quae

PAG.

Πηδάλιον audit, quatenus ad theologiam polemicam refertur, p. 778. — 4. De scriptis theologiae polemicae, quibus ansam dedit unio brestensis, eamque subsecuta sunt, p. 783. — 5. Indoles theologiae polemicae quam suis in scriptis Khomiakovus et Solovevus pertractarunt, p. 798.

ORATIO AUCTORIS AD BEATISSIMAM VIRGINEM. 806

NIHIL OBSTAT

P. Thomas Rodriguez, Prior Gen. O. E. S. A.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi, Ordinis Praedicatorum S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli, Patr. Constant. Vicesgerens.